


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
E
10
NAPOLI

D-36-22.

X41
E
10



DE

ERUDITIONE
COMPARANDA

in Humanioribus, Vita, Studio Politico, Cognitione Auctorum Ecclesiasticorum, Historicorum, Politicorum ac Militarium, item Peregrinatione

TRACTATUS

JOACH. CAMERARII, JOHANN. FUNGERI, ARNOLDI CLAPMARII, CHRISTOPH. COLERI, JOH. CASELII, IGNATII HANNIELIS, ÆGIDII à LANCKEN, JOH. ANDR. BOSII, GABR. NAUDÆI, LUCÆ ANTONII THOMASONI; Nobilis Veneti, Anonymi cujusdam, HEINRICI RANZOVII, cum epistola qvadam ejus inedita hactenus, JOH. HENR. ALSTEDII, MATTHIÆ BERNEGGERI, JUSTI LIPSII & GEORG. RICHTERI.

QVOS

THOMAS CRENIUS conlegit, recensuit, emendavit, in incisa sive commata distinxit, & notis suis, ac locis Auctorum, ubi è re fuit, additis, accuratôqve indice auxit.







LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM DE SWARTE, ET HENRICUM TEERINGH. 1699.



THOMAS CRENIUS

CANDIDO LECTORI S. D.



Nima qvod corpori, modus rei, forma materiæ; id omni omnium ſcientiarum, artium liberalium ac diſciplinarum cognitioni ordo doctrinæ eſt atqve methodus. Divina qvippe res ea eſt, & cunctis in rebus ſive inveniendis, ſive tradendis, percipiendiſqve pendet inde ſuſcepti totius negotii admirandus qvidam & certiſſimus ſucceſſus. Nam citra ordinem, ut neminem docere perſpicuè, ſic neminem feliciter diſcere, manifeſtum eſſe puto. Hæc duo cùm procul dubio omnium humanorum operum præſtantiſſima ſint, magno cum ſtudio ea ſectari decet humanitatis ac honeſti ſtudioſos. Qvid enim qvæſo homo iſte à bruto differt, qvi diſcendi promptitudinem, ac docendi viam non ſtudioſè qværit, ſectatur, amat? Præſertim cùm ideo conditum ſit genus humanum, ut verum inqvirat, & piè ac honeſtè vivat; qvorum neutrum ſine doctrina & diſciplina fieri poteſt. Qvalis enim, obſecro, erit doctrina niſi acceſſerit ordo? profectò non diſſimilis erit corpori mentis vacuo. Ut enim corpus inutile pondus eſt niſi mente regatur: ſic doctrinæ nulla vis eſſe poterit citra ordinis beneficium, & qvemadmodùm lumen in obſcurum locum illatum tenebras pellit, ita ordinis recta obſervatio difficultatem, qvæ alioqvi in rebus exiſteret, tollit. Qvàm verum hoc ſit, ii nos docere poſſunt, qvi, qvod non paucis contigit, aliqvoties incaſſum hìc laboràſſe, atqve moleſtam laborum temporiſqve jacturam ſe paſſos, deplorârunt miſerè. Multos enimverò homines audire eſt doctiſſimos, amiſſos moleſtiſſimè annos laboremqve inutilem

exprobratione ſeveriſſimâ repoſcentes, & cum animis ſuis ſæpe multumqve dolentes, qvod juſtô illô ſtudiorum ordine, qvaſi per gradus, ad altiora non fuêre deducti, ſed confusè perturbatéqve olim inſtituti: qvi poſteà tamen incredibili labore ſuô tandem eò pervenerunt, qvò ludibundi fermè perveniſſent, ſi tantum bonum illis contigiſſet. Libet id exemplô verbiſqve Theodori Zwingeri firmare, ut candidô monendi animô indicatum à tanto viro ſcopulum eò majore cautione declinemus. Sic autem ille in Apodemicæ methodi præfatione: *Qvantum temerè ſuſcepta peregrinatio, annô ætatis decimô qvintô, ſtudiis meis incommodârit, qvi officinæ typographicæ, integrô trienniô Lugduni addictus, florentiſſimam ætatem non modò ſine fructu, verùm etiam cum inſigni eorum, qvæ domi hauſeram, rudimentorum jactura contriverim, non ſine dolore recordor. Sed hanc famem Pariſienſis copia per biennium non tam exſtinxit, qvàm dum ſine duce, ſine lege, in omne genus diſciplinarum, illotis manibus irruo, ad alterum extremum perduxit, ut ab ἀγνοίᾳ καὶ ἀπόφασιν aliqvantum liberatus, in ἐκλεκτὴν alteram multô periculoſiorem inciderem, & dum multa paucis, qvàm pauca multùm diſcere laboro, inexplebili ingluvie per lingvæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ regios campos vagatus, fucatæ philoſophiæ rivulos, limpidiſſimis Ariſtotelicis fontibus propemodùm cum exſecratione poſthabitis, & , qvod magis rideas, etiam Cabalæ arcana ſuperficietenus confectatus, in centonibus diſciplinarum, eruditionem omnem ſitam eſſe mihi perſvaderem. Hâc inani ſpecie Encyclopædiæ tumidus, Italiam peto: & ut morbus morbum trahit, praxi medicâ priùs, qvàm theoria meipſum ingurgitans, vix tandem Baſſiani Landi Placentini methodicâ docendi ratione publicè inſtitutus, privatis qvin etiam adhortationibus commonefactus, inſanum Peripateticæ philoſophiæ odium deponere, & redintegratô ſtudiorum curriculô, velut à meta ad carceres redire cœpi. Ariſtotelis intereà privatim interpretandi neceſſitate impoſitâ, vitæ ſuperioris errores agnoſcere faciliùs, qvàm corrigere & emendare licuit.* Hæc ille. *Poſſum qvoqve*, ſubjicit adductis Optimus noſter Matthias Berneggerus, in Orat. III. p.m. 94. ſ. edit. Argentoratenſis M. DC. XL. in 12. *ſi ſit opus, alicujus magni JCti nomen edere, qvi ſimili ſeductus ἀμεθοδίᾳ, ut primùm puer Grammaticorum & Rhetorum præceptis viſus eſt utcumqve imbutus eſſe; leviter guſtatis Dialecticæ principiis, ceteris autem philoſophiæ partibus ne qvidem à limine ſalutatis, nullâ Græcæ lingvæ intelligentiâ, nullâ antiqvitatis cognitione inſtructus,*

Juriſ-

Jurisprudentiæ pelagus audacissimâ navi fuit ingressus: jamque eò processerat, ut, quæ vulgo præcipuæ laudes habentur, & in argumentando satis acutus, & in respondendo non incautus, & quacumque de re ageretur, abundè loquax esset: & quod multis palmarium videtur, multarum legum non intellectarum principia unò spiritu citare, multorum interpretum nomina recensere, multos versus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, & peristylia, & intercolumnia, nullô negotiò numerare quamlibet multa posset. Cùm ipse se eô nomine circumspiceret, qui tantulâ ætate tantam sibi, uti putabat, sapientiæ, ut res ipsa docuit, stultitiæ & inanium opinionum supellectilem comparâsset: accidit bonâ quâpiam fortunâ, ut quædam Budæi & Alciati scripta, in manus ejus venirent, non de trivio JCtorum, sed qui litterarum humaniorum amœnitatem cum Themidis severitate miscuissent: cujus notæ JCtos docti quoque prædicant è Gallis Jacobum Cujacium, Franciscum Hotomanum, Franciscum Duarenum, Petrum Fabrum: è Germanis Obertum Gisanium, Conradum Rittershusium, Georgium Obrechtum, & alios. Cùm igitur ea cœpisset evolvere, passimque in iis multa reperiret ex Græcis scriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita: quibus in omnibus ipsi tenebræ oboriebantur, velut erranti per ignotam regionem: ibi verò sibi de cælo decidisse visus est: aut in alium quemdam orbem delatus esse. Quid faceret? ille paullò antè tumidus & ferox, jam suffusus pudore, subduxit se clanculum ex illis, in quibus diu meruerat, castris; & in Græciam navigavit: id est, ad Græcarum litterarum disciplinarumque magistros se contulit: eâdemque operâ perlustravit etiam vetus illud Latium: hoc est, omnes ad unum veteres Linguæ Latinæ scriptores diligenter & accuratè pervolutavit, sedulò undecumque omnia colligens, quibus Jurisprudentia instructior & ornatior fieri posse videbatur. Atque hæc Medico, hæc JCto acciderunt: quale quid etiam Theologo contingere posse, si neglectis inferioribus, aut saltem, ut canes in Ægypto bibunt fugiuntque, leviter degustatis, in sacratissimam illam scientiam, tanquàm porcus in rosetum inruere velit, nemo dubitat. Et illi tamen, serò licèt, at seriò correxerunt errorem, ac præposterò studiorum ordine usi, decursô jam spatiò, à calce ad carceres, ut dicitur, redièrunt. Quid illis autem accidit, qui ne quidem agnoscentes, tantum abest ut emendantes erratum, cruda sua studia propellunt in templa, in forum, & cum empto testimonio proruunt ad ægrorum fatum, ad clientum ruinam, ad animarum perniciem? Est

enim illud eqvidem longè certissimum, neminem vel Ecclesiam pluribus hæresibus infestare, vel magis perplexis civilem vitam contentionum turbis involvere; vel ægrorum editâ tristi strage, plura cœmeteria complere, qvàm ipsos illos semidoctos, qvi cum immani saltu è Grammatices atque Dialectices ergasterio, non delibatis ceteris philosophiæ partibus, ad principes illas facultates transilierunt; falsam sibi scientiæ Theologicæ, Juris, Medicæque persvasionem induerunt. Hactenus è veritatis Republica Berneggerus. De Conrado Gesnero diximus prolixè in parte V. Animadversion. nostrar. c. II. §. IX. Sanè non parum mihi profecisse videntur ii jam tum in studiis, qvi in nullum studiorum arcanum majori anxietate & sollicitudine inqvirunt, *qvàm ut divinâ virgulâ*, repeto verba Cl. Hoornbeekii è præfatione Theologicis ejus Institutionibus præmissa, *venam istam tandem reperiant, studiis non minùs utilem, qvàm necessariam. Qvippe si, qvod dici solet, dimidium operis habet, bene qvi incepit: totius vim tenet & tantùm non summam, ordinem qvi justum novit atqve observat. Multi qvòvis tempore existunt, qvos unius hujus rei incuria & negligentia desperare de studiorum eventu cogit & arma abjicere, qviqve nunqvàm istum laborum fructum referunt, qvi ipsis debebatur: iterum alii ad magna perveniunt compendiò, faciliori, qvia certiori.* Omnia enim breviora reddit ordo. *Flaccus*, in Arte v. 42. Ordinis hæc virtus. *Nempe, qvi juxta simile Euangelicum*, Luc. XIV. 28. 29. s. *non priùs operi manum admovent, qvàm maturè in consilium iverint, an & qvomodo turris ædificanda, vel in militiam prodeundum sit. Qvi non inconsultò & temerè, omnia vel plura qvàm commodè digerant, arripiunt & tractant, sed ordine suô singula ponderant priùs, tum aggrediuntur.* Sic doctor ille Lugdunensis olim. Lubet & adjicere egregium è Columella locum eximia hac de re, qvi legitur in duodecimi secundo capite libri his verbis: *Qvis dubitet*, inqvit, *nihil esse pulchrius in omni ratione vitæ dispositione, atque ordine? qvod etiam ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere. Nam ubi chorus canentium non ad certos modos, neqve numeris præeuntis magistri consensit, dissonum qviddam, ac tumultuosum audientibus canere videtur: at ubi certis numeris, ac pedibus velut factâ conspiratione consensit, atqve concinuit, ex ejusmodi vocum concordia non solùm ipsis canentibus amicum qviddam, & dulce resonat, verumetiam spectantes, audientesqve lætissimâ voluptate permulcentur. Jam verò in exercitu neqve miles, neqve imperator sine ordine, ac dispositione qvidqvam valeat explicare, cùm armatus inermem, eqves*

eqves peditem, plaustrum equites, si sint permisti confundant. Hac eadem ratio præparationis, atque ordinis etiam in navigiis plurimùm valet: nam ubi tempestas incessit, & est ritè disposita navis, suô qvidqve ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cùm est à gubernatore postulatum. Qvòd si tantum hæc possunt, vel in theatris, vel in exercitibus, vel etiam in navigiis, nihil dubium est, qvin cura villicæ ordinem, dispositionemqve rerum, qvas reponit, desideret. Nam & unumqvodqve faciliùs consideratur, cùm est adsignatum suo loco, & siqvid fortè abest, ipse vacuus locus admonet, ut qvod deest, reqviratur. Siqvid verò curari, aut concinnari oportet, faciliùs intelligitur, cùm ordine suô recensetur, de qvibus omnibus M. Cicero auctoritatem Xenophontis secutus in Oeconomico sic inducit Ischomachum sciscitanti Socrati hæc narrantem. Hactenus L. Junius Moderatus Columella, cujus à lectione recens sum. Cùm igitur tota hac in rerum universitate nihil sit ordine pulchrius, nihil utilius, nihilqve magis necessarium: magnâ laude existimandi sunt digni, mihiqve non ab re semper probati eruditi viri, qvi præcepta ordinis in docendo & discendo observanda tradiderunt, memoratoqve ordini investigando suam conlocârunt operam. Nam ordo non tantùm via recta est & ars agendi, auctore Cicerone: sed etiam omnium rerum pater & præsidium, secundùm Nazianzenum. Qvid? Veteres tanti ordinem æstimârunt, ut dicere non sint veriti: vis corrumpere cuncta in orbe? unum ordinem corrumpito. Etenim prima qvæ sunt, nec media esse, nec qveunt esse ultima. Et tantum abest, Theologum ordine posse carere, ut Paullus eum jubeat, esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, hoc est, pergnarum sympοsiarcham, qvi sciat, cuncta ritè dividere, & ex eis cuiqve distribuere, qvod commodum esse noverit; ut nonnullus è Theologis istum in Apostoli locum è 2 Timoth. II. 15. scribit. Ostendit Studiosis tam necessariam rem unicéqve expetendam, duas præter jam olim luci publicæ datas Methodorum partes, in præsenti hic Tomus tertius, eruditos, eximios, atqve in omne studii elegantioris genus ducentes Tractatus complectens utilissimos auctorum eruditione, elegantiâ ac doctrinâ nemini non notorum. Qvare & hunc, sicuti priores, Lectori Benigno non ingratum, sed acceptum atqve jucundum futurum non tam spero; qvàm confido. Mihi, egregium juvare publicum voluisse, etiam non adseqvuto, abundè pulchrum atqve magnificum est. *Eqvidem ita sentio*, ut cum Plinio è præfatione Naturalis Histo-

Hiſtoriæ dicam, *peculiarem in ſtudiis cauſſam eorum eſſe, qvi difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi*, & res utiles ut proponerent utiliter, operam ſuam conſumſerunt. Qvàm utile verò hoc librorum genus ſit, aperit Rolandus Mareſius, cujus in ſeptima ſecundi Epiſtolar. libri hæc ad Celeberr. Joh. Frid. Gronovium verba ſunt: *Alterum illud Criticæ genus, qvod tracto, nimirum de methodo, & via ſtudendi, ſatis qvidem multi ſparſim & carptim attigerunt: ſed, ut verum fatear, animo meo non ſatisfaciunt. Nam qvod ad ſingulas diſciplinas attinet, varii de iis tradendis ſic egregiè ſcripſerunt. Cujus conſilii qvis non ſummam utilitatem videt, in præeundo viam ſcilicet, humanas, & ingenuas artes ſeriò capeſſere volentibus? hoc nimirum eſt hominibus in univerſum conſulere, cùm alii Critici ſingillatim tantùm & per partes juvent, nempe in hoc aut illo ſcriptore reſtituendo. Atqve utinam id argumentum ſuſcipere Eraſmo, Joſepho Scaligero, Lipſio, tantis viris in mentem veniſſet. Eraſmus qvidem ea de re pauca qvædam ſcripſit. Lipſius de inſtitutione juventutis librum promiſerat, qvem aliis occupatus non compoſuit. At optârim profectò, ut hunc potiùs, qvàm alios aliqvos ſcripſiſſet. Tu verò, vir erudite, ſi fortè tot manu ſcriptis exemplaribus inſpiciendis, & auctoribus emendandis defeſſus es, huic negotio manum admove, qvod non tanto labori tibi, ſed fortaſſe non minori laudi, aut aliis utilitati futurum eſt.* Hæc Mareſius. Anteqvàm concludo, monere viſum eſt, M. Antonium Muretum in initio Variarum Lectionum conari probare ꝑ graviſſimis verbis ac præceptis ſapientiſſimis refertæ Orationis illius, cujus prolixa memoria in p. 60. ſ. hujus Voluminis à Camerario facta eſt, qvæqve Παραίνεσις πρὸς Δημόνικον inſcribitur, ac in principio Operum Iſocratis, tùm Baſileæ ex Officina Oporiniana, annô CIↃ IↃ LXXI. in 8t. tùm ab Henrico Stephani annô M.D.XCIII. in fol. optimè editorum: omiſſâ tamen, qvod miror, cùm aliæ qvatuor compareant, Hieronymi Wolfii ad Maximilianum II. Imperatorem præfatione, legitur, non habendum Iſocratem auctorem eſſe, qvi ſecundas à Demoſthene miram ob ſermonis dulcedinem ac compoſitionem numeris ad ornatum adſtrictam adprimè occupavit decem inter illos notos inclytos Athenienſium Oratores, Socratiſqve & Platonis fuit æqvalis: verùm alium qvemdam, qvi circa Ciceronis floruerit tempora. Audiamus ejus verba: *Elegans*, inqvit, lib. & c. I. p. m. 9. edit. Antwerp. M.D. LXXXVI. in 8t. *in primis, & cùm ſaluberrimis referta*

præ-

præceptis, tum omnibus condita dicendi festivitatibus oratio, quæ Parænesis ad Demonicum inscribitur], non ejus scriptoris est, cujus vulgò putatur. Nam cùm ab Isocrate illo, qui Socratis & Platonis æqvalis fuit, cujusqve domus officina eloqventiæ habita est, fluxisse, ejusqve ingenii elaborata esse credatur, id secus est: quodqve etiam in aliis contigisse scimus: errorem hîc objecit hominibus nominum similitudo. Tres enim facundi ac diserti fuêre homines, qvibus omnibus idem Isocratis nomen fuit. Unus is, qvem modò diximus: qui à Socrate commendatur in Phædro; quemque Cicero, dissentiente Brutô, tantoperè laudabat. Alter, hujus discipulus: cujus apud Suidam mentio est. Neutrius autem horum est ea, de qva loqvimur, oratio: sed tertii cujusdam Isocratis, qui Ciceronis temporibus floruit. Id ita esse, didici ex Dionysio Halicarnasseo, qui in aureolo libello De Arte rhetorica, quemdam ex ea citans locum, Isocratem ipsius auctorem, suum, & Echecratis, ad qvem scribit, sodalem vocat. Ejus verba sunt: (p. m. 37.) Ἰσοκράτης μὲν ὁ σὸς ἑταῖρος καὶ ἐμὸς, ὦ Ἐχέκρατες, εἴπερ ἄλλο τι, φησὶ χρῆναι προσεῖναι τοῖς σπουδαίοις ἀνθρώποις, ἐν τῇ παραινέσει τῇ πρὸς τὸν Ἱππονίκου, *(ita enim legendum est, non, ut in vulgatis libris,* πρὸς τὸν Ἱππόνικον) καὶ τὴν φιλοπροσηγορίαν, ὅπερ ἐστὶ τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας, ὡς αὐτός φησι. *Locus autem, qvem indicavit Dionysius, ita apud Isocratem legitur:* Τῷ μὲν τρόπῳ γίγνου φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος. ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας, εὐπροσηγορίας δὲ τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. *Harpocration tamen, qui sit* ἐπακτὸς ὅρκος, *exponens, Isocratem Apolloniaten ejus, de qvo agimus, libelli auctorem facit. At is veteris illius Isocratis auditor fuit: ut apud Suidam est. Hermogenes autem apertè eumdem Isocratem hujus Paræneseos, & ceterarum orationum, de qvibus nulla dubitatio est, qvin sint ejus, qui cum Socrate & Platone vixit. Sed magis me ea, quæ suprà recitavi, verba Dionysii movent.* Hæc Muretus. Frideric. Sylburgius in p. m. 7. notar. in citatum Dionysii locum: τὸν Ἱππονίκου, inqvit, *legendum esse pro vulgato* τὸν Ἱππόνικον *Muretus quoqve pridem monuit Variar. Lectionum c. I. ubi etiam ex hoc Dionysii loco* docet, Παραίνεσιν Ἰσοκράτους *ad Demonicum Hipponici filium scriptam, non ad veterem Isocratem, sed ad recentiorem, Dionysii scil. æqvalem & familiarem, esse referendam.* Utor editione noviss. Lipsiensi M. DC. XCI. in fol. At ἑταῖρος hoc in loco non per *sodalem*, ut vult Muretus, sed per *amicum* reddi debere, jam pridem ante nos advertit Cl. Cotelerius ad Chrysostomum in Danielem, p. 217. è Bibliotheca Scoriaca vulgatum, apud

 ele-

elegantissimum Paulum Colomesium, c. IX. Κειμηλίων Literarior. p. m. 21. Cùm jam non solùm amicus is sit, qvi eâdem nobiscum ætate, vitam degit, sed etiam, qvi longô ante nos tempore vixit, sanè dubitandum non est, qvin hâc mente Dionysius Isocratem, suum & Echecratis adpellârit amicum, ac ita in eo loco non de alio Isocrate, præterqvàm de celeberrimo illo, cujus antè paullò mentionem injecimus, egerit. Qvam sententiam laudatus his Colomesius verbis confirmat Ciceronis è lib. II. ad Attic. Ep. XVI. *Nunc prorsus hoc statui, ut, qvoniam tanta controversia est Dicæarcho, familiari tuo, cum Theophrasto amico meo, ut ille tuus τὸ πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat; hic autem τὸ θεωρητικὸν, utriqve à me mos gestus esse videatur*; subjiciens: *Qvis hinc colligat Dicæarchum & Theophrastum, Ciceronis & Attici fuisse æqvales?* Ejusdem tamen cum Mureto opinionis fuit & Henr. Stephanus, qvi in p. m. 97. Dialogi de bene instituendis Græcæ Lingvæ studiis: *Isocratis*, inqvit, *ad Demonicum parænesis alius est, qvàm celebris illius Isocratis, discipuli Socratici.* Qvô locô, qvid de Antonii Schori libris duobus, qvos inscripsit de ratione discendæ docendæqve Lingvæ Latinæ & Græcæ, habeat, ac in iis desideret multis aperit. Vertit præter Schorum & Latinè Hadrianus Junius Parænesin sæpius memoratam Isocratis; cujus interpretatio an illius præstet? disqvirant ii, qvorum hæc in manu sunt; sunt autem in oppidò paucorum. Sed hæc fortè plus satis operosè tractavimus. Vale Lector, qvartumqve, qvod DEUS bene vertat, procedente tempore à nobis Volumen exspecta. Scripsi Leydæ a. d. VI. Id. Novembr. CIↃ.IↃC. LXXXXVIII.

PRÆ-

I.

PRÆCEPTA MORUM AC VITÆ ACCOMMODATA ÆTATI PUERILI, SOLUTA ORATIONE ET VERSIBUS QVOQVE EXPOSITA,

à

JOACHIMO CAMERARIO PABEPERG.

Accedunt

EJUSDEM

DIALOGUS DE GYMNASIIS,

LUDUS VII. SAPIENTUM,

EXPOSITIO VERSUUM SOLONIS, RHIANI, Mimnermi, Tyrtei, Callinoi, Poëtarum Græcorum Veterum Latina; & commentatio de his.

ITEM

Enumeratio eorum quæ in docendo seu institutione præcipuè seqvenda esse videantur.

Lipsiæ olim edita annô M. D. LXXVI. in 8º.

DE JOACH. CAMERARIO TESTIMONIA SCRIPTORUM.

Matthæus Irenæus, Tomô I. Declamation. Philippi Melanchth. p. m. 732. & 756. edit. Argentorat. M.D.XLVI. in 8t.

FAcerem injuſtè, ſi non in hac commemoratione laudum Patriæ complecterer Præceptorem meum, virum optimum Joachimum Camerarium, præſertim cùm non ſolùm ejus ſtudia, ſed etiam optimi mores exemplô nobis eſſe debeant. Neminem enim vidi: in qvo magis luceret id, qvod propriè vòcatur ἠϑικὸν, hoc eſt, qvædam à vera ratione profecta in omni actione moderatio, qvàm in iſto. Cumqve juſtitiâ, reverentiâ religionis, & continentiâ eximiâ præditus ſit, tum verò maximè eminet in eo amor veritatis, quæ virtus homine Philoſophô maximè digna eſt. In diſciplinis verò totum orbem artium complectitur, nemo ex noſtris hominibus Græcè doctior eſt. Qvare pari facultate Græcè & Latinè, carmen & ſolutam orationem ſcribit. Et hanc ſcribendi facultatem conſumit non in materiis vulgaribus, ſed Philoſophicis, edidit eruditiſſima poëmata, Aratoliam & Phænomena. Qvanta autem virtus eſt, qvòd hanc ſuam induſtriam confert ad publicam utilitatem, & ad juvanda ſtudia, & ad ornandam Chriſti Eccleſiam? Ac ne qvidem in ceteris rebus deeſt ejus Officium Reip. Cùm prudentiâ & diligentiâ excellat, multa civilia negocia ſuſtinet. Hunc & in inſtituenda ſtudiorum ratione, & in moribus imitandum nobis proponamus. Neqve enim minus ornamenti literis addit ipſe vitæ ſanctitate, qvàm ei peperit eruditio.

Eſromus Rudingerus, Gener Camerarii in p. 38. Proœmii Syneſii Cyrenæi Ægyptio præmiſſi, edit. Baſil. in 8t.

Hujus libri Syneſiani Manuſcriptum exemplum aſſervatum fuit in Bibliotheca

theca Cl. V. Bilibaldi Pircameri Norici, qvod inde pervenit aliqvando ad optimum & doctissimum virum Joachimum Camerarium, socerum meum: cujus doctrinâ cùm adolescens uti inciperem, & benignitate ipsius in familiam posteà hujus reciperer, virtute atqve eruditione hujus ita me instructum sentio, ut omnium beneficiorum, qvæ à propitio Deo ex humanis rebus vitæ meæ concessa sunt, hoc esse ducam maximum.

Caspar Landsidelius, Lipsicus, in præfatione Adnotationibus in Thomæ Linacri libros de emendata structura sermonis præfixa, p. m. 535. edit. opt. Lipsiens. M. D. LXXX. in 8t.

Vir clarissimus, & eruditione ac virtute præstans, Joach. Camerarius.

Justus Lipsius, Decad. I. Ep. VII. & IX. Epistolarum prætermissar. p. m. 124. 131.

Excellentissimus & Clarissimus Vir, singulari pietate, virtute, doctrinâ, præditus, Germaniæ ocellus.

Idem, Cent. I. Miscell. Epist. LXXV. p. 90.

Exhilarârunt me litteræ tuæ solô nomine & adspectu. Grati mihi semper Camerarii, ob unum illum virum, qvem Germania vestra habuit sine pari.

Petrus Victorius, lib. I. Ep. I. ad Germanos, & qvidem Camerarium ipsum, p. m. 10. edit. Francof. M. D. XCVII. in 8t.

Æqvô animô patior, vir optime atqve eruditissime, me à te in hoc scribendi officio superatum: qvamvis hanc laudem humanitatis semper totô animô expetiverim. Cùm enim in manus meas venerunt animadversiones tuæ, & qvasi censura qvædam, in libros eos Ciceronis, qvos ego studiô meô atqve auxiliô antiqvorum codicum, purgare paullô antè conatus fueram, cognovi animi tui probitatem mirificéqve delectatus sum consiliô tuô, qvi ea, qvæ probanda esse duxisti, laudâsti, & auctoritate etiam tuâ confirmâsti: de qvibus verò aliter sentiebas, ab illis leviter modicéqve dissensisti, sententiamqve tuam sine livore ullo, aut obtrectatione aperuisti: longè aliâ ratione, ac pleriqve hodiè faciunt, ut & omnes, qvi hæc curant, facilè noverunt, & ego sæpè expertus sum. Omnem enim illi occasionem lædendi qværunt, & ea sæpe, qvæ rectè cogitata, firmaqve sunt, malevo-

lentiâ ducti convellere conantur. Sed hoc genus hominum improborum relinqvamus, & invidiâ confici morsuqve hôc doloris lacerari sinamus. Ex eo igitur tempore meritò te amavi, scribereqve ad te, ita me dii juvent, non semel cogitavi. Continui autem me, qvia institutam amicitiam nostram videbam distantiâ locorum impediri, nec posse usu, consvetudineqve corroborari: id autem qvod ad benevolentiam conciliandam facit, intelligebam propè jam partum esse, nec ullâ amplius testificatione egere. Neqve enim te dubitâsse umqvam puto, qvin officium illud tuum, humanitatis eruditionisqve plenum, gratum mihi futurum fuerit. Tu verò sapientiùs fecisti, qvi inclinationem istam voluntatis tuæ erga me, mihi per litteras declarare non inutile esse existimâsti. Accipio igitur istam lætô animô, gratiasqve tibi ea de re magnas ago: nec si potero unqvam desinam studiô meô, atqve omnibus officiis ipsi respondere. p. 13. Qvis dubitare potest, qvin bellum perturbatioqve civitatum non tantùm adolescentes ab honestis studiis avocet, traducatqve ipsos ad alias artes, verùm etiam extingvat omnem ardorem eorum, qvi in litteris diu vixêre, & laudem aliqvam illic anteà sibi peperêre, aut si qvos umqvàm ingeniô suô partus edunt, illos imbecilliores multo, & langvidiores edant? qvanqvàm hoc tibi usu venisse in his litteris, qvas ad me misisti, non videtur. Nihil enim illis eruditius, nihil elegantius scribi potest, respondentqve illæ mirificè famæ, ac nomini tuo: qvod sanè nomen tuum, ut debet, apud nos magnum est, implevitqve aures omnium crebrâ, jucundâqve tui recordatione. Perge igitur in ista ratione, laboribusqve ac vigiliis tuis excole bonas artes, vinceqve constantiâ tuâ, & in optimis artibus perseverantiâ, omnem impetum fortunæ, adversantem publicæ utilitati. Magnam enim, crede mihi, inde gloriam conseqvêris. Et ego unà cum aliis omnibus, qvi bonis artibus delectamur, valde tibi hôc nomine obligati erimus, nec cessabimus unqvàm hoc officium tuum meritumqve ingens prædicare.

Idem, lib. II. Ep. XIV. eumdem ad Camerarium nostrum, p. 85.

Mandavi Caselio, viro probo, & maximis ingenii dotibus prædito, ut te istac transiens, meô nomine diligenter salutaret; qvod puto ipsum fecisse, ut est utriusqve nostrûm amator ardentissimus, & hujuscemodi officiorum, qvæ propria sunt ingenuorum hominum, observantissimus. Nunc autem cùm V. Bassevitius, & ipse domum redeat, qvi vixit hic spatiô plurimorum mensium, meqve omni hôc tempore coluit, & observavit diligenter; juvenis elegantis ingenii, nec abhorrens à studiis bonarum artium; volui ipsi ad te aliqvid litterarum dare: qvem semper amavi propter scientiam optimarum rerum, & præclara ingenii tui monimenta. Posteà verò, qvàm tu semel ad me benevolè, & humaniter scripsisti, in numero amicorum & carissimarum mihi personarum te habui: qvem animum, erga

te

te semper, ac tuos omnes servabo. Cùm autem contigisset, ut filios tuos hîc viderem, præsertim alterum illorum, ὁμώνυμον tibi, cum qvo ego spatiô aliqvot dierum familiariùs vixi; cujus humanitatem & prudentiam totô animô probavi: te mihi videre, & ante oculos positum habere visus fui. Has igitur justas caussas habens te amandi, memoriam tui firmam in animo meo tueor, & semper donec vivam retinebo: & qvia aliter propter distantiam locorum, frui tuô amore non valeo, conabor hâc unâ ratione, qvâ mihi licet, vivam amicitiam hanc nostram conservare, cúmqve occasionem aliqvam nactus ero, non cessabo te litteris meis salutare. Non enim dicam interpellare, qvia perspecta est mihi bonitas naturæ, & humanitas tua. Ut autem nunc tibi aliqvid, pertinens ad nostra studia, narrem; puto me intra paucos dies auspicaturum esse editionem novorum qvorundum meorum librorum ejusdem tituli, cujus ego confeci olim XXV. illos, qvos tu mihi eô tempore amore impulsus, non parum laudâsti. Mittam verò ad te illos statim, si aliqvam ejus rei facultatem habuero; atqve id allectus spe non parvæ mercedis hujus mei munusculi. Qvod enim majus præmium, honestiusqve hujuscemodi laborum, obtineri potest, qvam laus, & testimonium clarorum & doctorum virorum? in qvorum ego numero non te tantùm pono, sed primas tibi totius hujus eximii præstantisqve gregis defero. Sed qvia recordari videor, me tibi olim pollicitum esse, missurum Hipparchum, qvem divulgare in animo habebam, fidem meam nunc libero, doqve illum ad te ferendum eidem, cui epistolam hanc; si tamen onus hoc ipsi propter itineris longitudinem, non molestum videbitur, qvod non puto: quia illum te valde amare, & doctrinam virtutemqve tuam suspicere scio. Cùm præterea nihil aliud habeam, qvod tibi, si audias, gratum futurum putem, finem faciam scribendi: tu verò me amare perges, ac si qvid unqvàm me tuâ caussa efficere posse putabis, mihi id omne audacter imperato. Vale. Florentiâ VIII. Kalend. Febr. Anno M. D. LXVIII.

Adrian. Turnebus, IV. Adversar. c. I. p. m. 60. b. edit. Aureliopolitanæ M. DC. IV.

Non suæ tantùm Germaniæ, sed etiam totius nostræ Europæ decus & ornamentum Joach. Camerarius.

Et lib. IX. c. X. p. m. 159. b.

Joach. Camerario, viro optimo & eruditissimo, facilè injurato qvidvis crederem.

Item lib. XIX. c. XII. princip. p. 367. b.

Joachimi, viri & integerrimi & eruditissimi fide refero.

Anton. Muretus, lib. XIV. Var. Lection. c. XIX. p. m. 384. edit. Antverpiens. M. D. LXXXVI. in 8t.

Hæc Joachimus frustra qvidem, sed modestè tamen & alioqvi homini erudito. qvi Plauti fabulis hôc tempore, fatendum enim est, saluti fuit, sicubi falsus sit, facilè condonari potest. Vetus est, non omnia uni Deos dare. Hæc ille. Hunc locum respexit Melch. Adami in p. 265. Vitar Philosophor. ita scribens: *Commentatus est in Plautum Lutetiâ teste ita doctè, ut Satyricâ Mureti dente nihil fuerit opus.*

Matthæus Dresserus, lib. III. Rhetor. p. m. 553. edit. Lipsiens. CIↃ IↃC VI. *in 8t.*

In utroqve sermone Latino & Græco tantum assecutus fuit Joachimus Camerarius, ut & verbis Ciceronianis, qvæ vellet, Latinè enunciaret, & Græcè meliùs, qvàm ullus ferè Italorum aut Gallorum scriberet. Id qvod suô testimoniô abundè comprobant Galli, & in Elogiis doctorum virorum confirmat Jovius. Item p. 699. s. De Camerarii oratione præsertim Græca exstat Dn. Philippi judicium, non Athenas ipsas magis esse Atticas, qvàm sit oratio Camerarii.

Francisc. Junius in Epistola ad Joachimum Camerarium Noribergensem Medicum, Joachimi Camerarii, Lipsiensis Professoris filium, patrem Illustris Ludovici Camerarii Exlegati Svecici, apud D. Maresium in p. 18. Bigæ Fanaticorum eversæ Gröning. edit. M. DC. XLVII. in 12.

Optimus vir D. Joachimus Camerarius, sanctissimus vir parens tuus. Ipse Maresius, lib. cit. p. 28. Qvàm benè & piè Germaniæ qvondam suæ illud Sydus & decus Joach. Camerarius pater senserit de Athanasii Orthodoxia, videre est in notis ipsius ad Chronologiam Nicephori, p. 243. 244. Idem Maref. ibid. p. eâdem, ipsum vocat virum eximium: p. 30. præclarum, p. 33. celeberrimum & incomparabilem pietate & eruditione virum. Ibidem Maresius è protographis aliqvot producit Joach. Camerarii epistolas lectu non indignas.

Gerard. Joan. Vossius, de Scientiis Mathematic. c. LXV. §. 14. p. m. 376. s.

Annô

Annô CIↃ IC XXXII. Joachimus Camerarius Papebergensis Norībergæ qvædam veterum scripta Astrologica Græcè cum sua tralatione Latinâ edebat. Ut κύκλον ἡλιακὸν, sive rationem orbis Solaris; qvôqve singulis mensibus victu conveniat uti. Adhæc excerpta ex Hephæstione Thebano, &, aliis, de duodecim Zodiaci signis, & eorum effectis. Insuper ὅσα οἱ πλανώμενοι ἀστέρες ἐν ἑκάστῳ τῶν ζῳδίων σημαίνουσι· hoc est, qvid stellæ erraticæ, sive qvinqve planetæ, in unoqvoqve Zodiaci signo significent: qvidqve Luna in qvoqve denotet signo. Atqve hæc qvidem Græcè pariter, & Latinè, exhibuit. At Latinè solùm dedit nobis fragmentum ex libro primo Floridorum Vestii, vel, ut potiùs dicendum erat, Vettii Valentis Antiocheni. Græcè tantùm Mercurii Trismegisti ἰατρομαθηματικὰ, hoc est, medicationes rationibus Astrologicis convenientes, ad Ammonem Ægyptium. Idem Camerarius annô CIↃ IↃ XXXV. Noribergæ in lucem dabat carmine tum Phænomena, sive siderum, ac stellarum historiolam: tum prognostica; ubi supra CCC XXX. tempestatum indicia refert. Adhæc annô CIↃ IↃ XLI. Basileensi prælo subjecit duos priores Ptolemæi libros de judiciis Astrologicis, Latinè à se redditos, & annotationibus illustratos. Multum etiam sibi obstrinxit amatores Astrologiæ, qvòd ex codice Mso, qvi olim Bessarionis, inde fuisset Regiomontani, Græcè Basileensibus Walderi typis divulgavit Theonis Alexandrini Commentariorum libros XI in magnam Constructionem Claudii Ptolemæi. Atqve hæc in Astrologia. Nec passus operam suam in Arithmeticis claudicare; ut liqvet ex iis, qvæ retuli cap. X. cùm de Nicomacho Geraseno nobis sermo foret. Vel etiam in Geometricis. Siqvidem annô CIↃ IↃ XLIX Latinè transtulit Euclidis Elementorum Geometricorum libros VII. Præfationem etiam iis de Geometriæ laudibus, atque usu, in omni vitæ genere, sub alieno nomine præmisit. Sed XXVIII annis pòst, puta annô LXXVII, nomen suum reposuit. In utraqve hac editione Lipsiensi Martinus Steinmetz Gersb. Medicinæ Licentiatus, apposuit γραμμικὰς ἀποδείξεις, i. e. literarum & figuram demonstrationes, sine qvibus scientia ista comprehendi neqvit. Qvid nunc memorem præclara Camerarii merita de universa politiori literatura, ac tot oratoribus, historicis, & poëtis, emendatis, ac illustratis. Profectò vir hic nunqvàm satis laudatus, si alius qvisqvam, verè Germaniæ suæ Phœnix fuit; non gentis suæ judiciò solùm, sed etiam exterarum. Qvantis enim præconiis eum extollunt Jovius in Elogiis, Turnebus, Lipsius, & optimus, ac doctissimus qvisqve! Usqve adeò, ut qvi eum non maximi faciat, is, certissimô indiciô, vel inter indoctos, vel improbos, referri mereatur. Natus vir tantus fuit annô CIↃ IↃ: denatus CIↃ IↃ LXXXIV. Hæc Vossius: ubi tamen pro LXXXIIII. substitue LXXIIII. auctore Melchiore Adami in p. m. 258. Vitarum Philosophorum Germanor. edit. Heidelberg. CIↃ IↃC XV. ubi vita Camerarii pluribus recensetur.

Idem ille Vossius c. X. §. 1. p. 37. hæc habet.

Nicomachi Geraseni Arithmetices meminit Photius, in Μυριοβίβλῳ, Libris

bris conſtat duobus: in qvorum priorem Joachimus Camerarius explicationem ſcripſit; eamqve Logiſticæ ſuæ ſubtexuit.

Et §. X. p. 41.

Nomina verò numerorum Pythagorica optimè, paucis licet, Camerarius exponit in explicatione libri primi Nicomachi; cui, ut dixi, adduntur *ſymbola Arithmetica*.

Caſp. Barthius, V. Adverſar. c. IV. col. 212.

Veſtii Valentis Fragmentorum Aſtrologicorum uſum debemus maxime ſui ævi vero Joach. Camerario.

Joh. Andr. Qvenſtedt in Dialogo de Patriis Illuſtrium doctrinâ & ſcriptis Virorum, p. m. 172. edit. Witteb. CIↃ IↃC LIV. *in 4to.*

Bamberga, ſive Babeberga, (alii vocant Pavonis montem, *Pfawenberg*,) civitas eſt vetuſta & valdè amœna, ſede Epiſcopali celebris, qvæ & centrum Germaniæ obſidere videtur. Cùm aliis felicis ingenii alumnis gaudet, tùm præcipuè Joachimô Camerariô, Græcæ lingvæ & Philoſophiæ in Acad. Lipſenſi Profeſſore, virô in omni doctrinarum genere celeberrimô, qvem in lingvis Germania habuit ſine pari. Hinc Beza in Iconibus; Joachimus Camerarius---eò provectus eſt eruditionis, ut communi doctorum omnium conſenſu peritiorem lingvæ Græcæ neminem, in Latina verò lingva diſertiores perpaucos, exactiorem autem nullum ſcriptorem habuerit Germania, ſicut plurima ipſius monumenta teſtantur. Hæc Beza. Eum Ocellum Germaniæ vocat Colerus in Epiſtola de ſtudio Politico. Principem utriuſqve lingvæ, Taubman. in Bacchid. Act. V. ſcen. II. v. 11. p. 603. A.

Jo. Frid. Gronov. in præfat. Plauto Lugdun. Batav. CIↃ IↃC LXIV. *in 8t. edito præmiſſa.*

Vir in primis magnus Joach. Camerarius.

Gabriel Naudæus, c. IV. Bibliographiæ Polit. v. 9. p. 507. part. I. Methodor. noſtrar. Edit. Roterodam.

A Camerarii lectione nemo unqvàm niſi doctior receſſit.

Et c. V. v. 49. p. 518.

Camerarius & Giphanius nihil unqvàm ineptè moliti ſunt.

Con-

Conrad. Gesnerus in Bibliotheca, p. 330. a. b. edit. Tigur. M. D. LXXIV. in fol.

Joachimus Camerarius Pabepergensis, natione Germanus, vir solidè doctus Græcè & Latinè, in literis humanioribus & tota propè philosophia, eximium Germaniæ nostræ decus, scripsit præceptæ vitæ puerilis sermone solutô, præcepta decoris puerilis, carmine elegiacô. De Gymnasiis, sive exercitiis & ludis puerorum Dialogum. Hæc unà excusa sunt Basil. apud Rob. Vuinter, an. 1541. & Lipsiæ an. 1544.

Maximilian. Sandæus Jesuita, Commentatione XIV. Grammatici profani, §. ult. p. m. 561. edit. Herbipolitanæ M. DC. XXI. in 4to.

Joach. Camerarius inter defensores pravitatis hæreseos nobilitatus: cujus idcirco nomen in primam classem auctorum improbatæ lectionis rejicit orthodoxa ecclesia. Hoc Sandæi judicium meritò inter elogia numero, nam qvem sic Jesuitæ traducunt, illum omnes laude dignissimum esse sciant. Longô rerum usu id didici à Jesuitis, illos optimos & doctissimos scriptores contemnere, ut soli sapere videantur, bonorumqve auctorum scripta de manibus studiosorum excutere, qvò illorum sola legantur. Illi ipsi occultè legunt, qvæ publicè latrant.

Joh. Henr. Alsted. Artium Liberalium, ac Facultatum omnium Systemat. Mnemonic. lib. I. c. XXX. p. m. 429.

Joachimus Camerarius, vir undecunqve doctissimus scripsit *præcepta vitæ puerilis* sermone solutô, *præcepta decoris puerilis*, carmine elegiacô: item *dialogum de gymnasiis sive exercitiis & ludis puerorum.*

Gasp. Sciopp. I. Verisimil. VIII. p. 24.

Ille Germaniæ ocellus Joach. Camerarius.

Idem, V. Suspectar. Lection. Epist. XVII. p. 277.

Civis noster, vir omnium judiciô & ævô suô major Joach. Camerarius. *Christoph. Coleri elogium habes infrà in ejus epistola circa finem.*

Joh. Conr. Dietericus, p. 5. b. Antiqvitat. Biblic.

Eo in genere Viri pientissimi juxta ac secularium litterarum experientissimi

tissimi Joach. Camerarii judicium perplacet, qvod in Plautum graviter reliqvit, qvodqve Catonis illius rigidi præpostero judicio meritò prævalere debet.

Jacob. Thomasius, Præfat. LXXV. præmissa Disputationi habitæ annô M. DC. LXXIV. de Elisabetha Angliæ Regina, p. m. 487.

Centum elapsi anni sunt ac duo menses cum dimidio, ex qvo diem suum obiit Celeberrimus Academiæ nostræ Professor, cujus in hoc etiam Auditorio servamus imaginem, Joachimus Camerarius. Cùm ergò sic occasio tulerit, ut mihi nunc anteqvàm certamen eruditum ineam, classicum qvasi canendum sit, nihil abs re me facturum esse credidi, si de hujus viri, qvem ex hac ipsâ cathedra jam docentem, jam disputantem, cupidissimis auribus exceptum fuisse constat, laudibus nonnihil facerem verborum. Solent aliàs post anni unius à morte curriculum celebrari illustrium virorum memoriæ. Qvid obstat, qvô minus idem hoc fiat post seculum? Nec prorsus alienum hoc est ab argumento, qvod suscepimus. De Angliæ Regina Elisabetha disputatio instituta est nobis. Hâc regnante ille, qvem nominavimus, Camerarius, mortuus est (a). Scio in eundem annum incidisse aliorum qvoqve obitûs, cum qvibus illi Reginæ plus negotiorum, qvàm cum Camerario intercessit nostro. Ut alios mittam, obiit ante hos centum annos Carolus IX. Galliæ Rex. Sed invisum nomen ejus ut Elisabethæ, sic nobis qvoqve fecit horrendæ crudelitatis, qvæ Rege hôc auctore suscepta fuit, Parisiensis laniena. Ergò caussæ nihil est nobis, cur hujus memoriam præferamus Camerarianæ. Qvid? qvod dubitari non potest, qvin viventis Camerarii eruditissima scripta Reginæ illius, qvam amantissimam fuisse constat literarum, subjecta fuerint oculis, & hominis, licet nunqvàm visi, admirationem ipsi excitaverint. Omninò autem cum laudatissima Reginarum Elisabetha comparari magis meretur Camerarius, qvàm iste Rex Gallorum. Turbulentum fuit Caroli imperium & sangvinarium. At Elisabethâ in subditos suos nihil humanius. Ergò illum detestabilem suis reddidit immanitas; Elisabetham placidissima imperandi forma etiam exteris admirandam. Citiùs igitur similem Elisabethæ probavero fuisse Camerarium nostrum, placidissimi virum ingenii; qvi & ipse, cùm imperiô qvôdam literariô fungeretur, scriptis ad lenitatem compositis amorem sui potiùs in animis legentium excitavit, qvàm odia exacerbavit. Neqve mentiar, si dixero, iisdem temporibus non minùs penes Camerarium qvondam apud nos imperium stetisse Academiæ hujus, qvàm Angliæ penes Elisabetham. Professione Philosophus fuit, fateor: sed non magis hoc illius autoritati, qvam summam obtinuit, obstare potuit, qvàm Regno Elisabethæ, qvòd ipsa fœmina fuit. In hoc discrimen agnoscimus, qvòd Elisabetham sui natales,

(a) Anno 1574. d. 17. April. Vid. Melch. Adam. in vit. Germ. Philos. p. 258. Budæus Θανατολ. p. 124. & ante paullò suprà hic, p. 7.

tales, Camerarium, (nobili qvidem & ipsum stirpe genitum,) inusitata doctrina evexit. Similis fortuna in Witebergensi Academia Philippum exceperat Melanchthonem, cum qvo constans Camerario nostro & conjunctissima intercessit amicitia. Eqvidem Philippus qvoqve, licet rerum Theologicarum callentissimus, Philosophicâ magis, qvàm Theologicâ professione functus est: sed post obitum B. Lutheri maxima fuit inter universos Collegas unius Philippi veneratio. Pari apud nos autoritate Camerarius viguit. De qvo & illud memorandum videtur, qvòd sicuti qvartus decimus ab obitu Lutheri annus Witebergensi Academiæ Philippum, sic qvartus decimus à Philippi morte annus pariter nostræ Camerarium eripuit (*b*). Neqve verò defuit nostris caussa, cur maximi Camerarium sibi faciendum putarent. Cùm enim post obitum Georgii Saxoniæ Ducis, Lipsiæ nostræ, & in eâ huic etiam Academiæ major, qvàm ante, affulgere lux Euangelii cœpisset: annô superioris seculi qvadragesimô primô è Tubingensi Academia ab Illustrissimis Principibus, primùm Henrico Patre, deinde Mauritio Filio vocatus in hanc nostram Camerarius ejus instaurandæ negotium in se recepit (*c*). Ea verò illi à Camerario scripta fuit forma, cùm à nemine ferè alio, qvàm à Casparo Bornero Theologo juvaretur, qvæ tùm habitâ temporum ratione omnium fuit commodissima. Neqve solùm novis legibus ea conformata tum fuit, sed etiam posteà magnâ accessione redituum annuorum, munificentiâ Electorum Saxoniæ Serenissimorum, Mauritii atqve Augusti, aucta & amplificata, idqve operâ potissimùm & intercessione Camerarii, qvi & Principibus ipsis, & præcipuis in illorum Aulâ Viris charissimus extitit (*d*). Addamne plura in laudem Camerarii? Verè hoc addam, penes eum stetisse non modò Academiæ hujus, qvoad viveret, sed etiam rei literariæ principatum. Itaqve congerendis in eum exquisitissimis elogiis certare videas ævi tùm superioris, tùm hujus nostri eruditos. Germaniæ ocellum Palmerius (*e*) vocat, clarissimum Germaniæ lumen Modius (*f*), nominis Germanici decus singulare Casaubonus (*g*), ocellum eruditorum Salmuthus (*h*), virum verè magnum, imò totâ Europâ majorem Wilkius (*i*), unicum Plauti Æsculapium Josephus Scaliger (*k*), summæ eruditionis virum & Germaniæ φωστῆρα Hadrianus Junius (*l*), Germanorum, qvi hæc studia coluerunt, maximum Rutgersius (*m*), florem Germaniæ, imò universæ adeò Europæ ornamentum Dousa, (*n*), virum maximum Samuel Petitus (*o*), Germaniæ suæ Phœnicem Gerh. Johannes Vossius (*p*),

B 2 Virum,

(*b*) Luthero enim fatalis annus fuit 1546. Philippo Melanchtoni 1560. Camerario 1574. (*c*) Vid. Melch. Adam. vit. Philos. Germ. p. 262. (*d*) Idem ibid. p. 262. (*e*) Spicileg. p. 1. (*f*) Præfat. in Lect. novantiq. a. 6. (*g*) Exerc. XVI. ad Baron. annal. n. 88. p. 463. (*h*) Ad Pancirol. lib. I. p. 577. (*i*) ἱερογραφ. p. 226. (*k*) Epist. ad Taubman. [apud Siber. Vol. I. Dialex. Acad. p. 278.] (*l*) Adag. 379. (*m*) Lib. I. Var. Lect. c. 10. (*n*) Expl. Plaut. p. 83. (*o*) Lib. IV. miscell. c. 12. p. 78. (*p*) Lib. VII. Grammat. de construct. c. 8. p. 36.

Virum, qvem Germania habuit fine pari Lipfius (q). Si Rex fuiffet Camerarius, fi Princeps, poteratne infignioribus celebrari præconiis? Nefcio fanè an in Elifabethæ noftræ, Angliæ Reginæ cumulatiora decreverint, qvi æternitati confecrare nomen ejus voluerunt. Juftiffima ergò cauffa nobis fuit, cur cum ipfa Camerarium contenderemus. Accedit, qvòd DEO placuit, vitam utriufqve in fpacia fatis longa extendere. Obiit Elifabetha ætatis fuæ annô feptuagefimô. Septuagefimum qvartum jam qvinqve diebus excefferat Camerarius, cùm ex hac mortalitate transferretur in cæleftem patriam. Præfuit illa regni Anglicani negotiis annos qvatuor fuprà qvadraginta. Nofter operam Scholis & Academiis utiliffimam annis duodeqvinqvaginta addixit, qvandoqvidem jam annô Chrifti 1526. (r) Scholafticas Noribergæ operas cum Collegis inchoavit, ex hâc Scholâ in Tubingenfem Academiam, ex illâ deniqve in hanc noftram, cujus incrementis promovendis qvàm diutiffimè ftuduit, tranflatus. Dignus igitur omninò, cujus etiam elapfô feculô fanctam habeamus memoriam.

(q) Cent. I. Epift. 75. p. 88. (r) Vide iterum Melch. Adam. vit. Philof. Germ. pag. 261. ab init.

Dan. Georg. Morhof. I. Polyhiftor. Literar. c. XXIII. p. 284.

Joachimi Camerarii Epiftolæ elegantiffimæ funt. Fuit ille illuftre Germanorum nomen, ac fuperioris feculi Phœnix, cujus elogia conglobata videas à Thomafio in *Præfatione 75. de laudibus Joach. Camerarii.* Tot tantaqve in lucem edidit fcripta limatiffima, ut inter Germaniæ Heroas literarios meritò referendus fit. Hujus extat Libellus novus epiftolas Virorum doctorum ad fe & alios fuafqve continens, ab ipfo vivo editus Lipfiæ an. 1568. in 8. Promiferat in præfatione plures doctorum epiftolas, qvas collecturus undiqve erat. Vehementer enim id commendandum, & hujus viri exemplô etiam nunc à nobis faciendum effet. Poft mortem ejus prodiêrunt Francof. ann. 1583. libri 6. Epiftolarum familiarum venuftarum & delicatularum; qvæ, ut funt eleganti ftylô fcriptæ, ita multa continent rerum literariarum illius temporis. Hinc annô 1595. ibidem qvinqve libri pofteriores Epiftolarum à filiis editi. Fuêre ipfi commercia literaria cum plerifqve totius Europæ viris eruditis; de negotiis talibus fcriptæ, qvibus delectantur literati.

Chrift. Wafe, c. XVI. Senarii, five de Legibus & Licentia veterum Poëtarum, p. m. 244. *edit. Oxonienf.* 1687. *in 4to.*

Joachimus Camerarius verecundiæ, nefcias, an fcientiæ laude præftantior, non magna profeffus, plurimum in metri Comici examine præftitit: licet acceſ-

acervatim posita minus feriant oculos. Petri Danielis Huetii εἰκόνα adduxi in c. V. §. I. p. 73. partis I. Animadversion. mear.

D. Paullus Freherus, p. 1468. *Theatri viror. Eruditione claror.*

Joachimus Camerarius *Babeberga* in *Franconia* natus est 12. April. An. 1500. Patre *Johanne*, Senatore *Bambergensi*, ortô ex familia patritia *Norimbergensi Camerariorum*, vulgo, *Kammermeister*, qvibus, senescente nomine avitô *Liebhardorum*, tempore Imp. *Henrici Claudi* nomen hoc à publico aulæ officio adhæsit. Hic *Johannes Camerarius* nullô medicamentô nec venæsectione unqvàm usus obiit A. C. 1527. ætatis 82. Uxorem habuit *Martham Weceliam*, *Svinfurtensem*, ex qua præter hunc *Joachimum* filios suscepit *Hieronymum*, trium Principum Cancellarium, & *Josephum Budæ* in *Hungaria* vitâ defunctum, cum 4. filiabus. An. 1513. *Lipsiam* missus à Patre *Joachimus* hic, Præceptorem ibi nactus est *Georgium Heltum Forchemium*. An. 1514. Primam ibi lauream Philosophicam adeptus, Græcis abindè literis operam dare cœpit; *Petri Mosellani* auditor, & ante hunc *Richardi Croci*, cui vicariam sæpè operam in docendo præstitit. An. 1517. cùm *Johannes Tecelius*, indulgentiarum nundinator, *Lipsiæ* in æde *Paulina* pro concione merces suas impudenter laudâsset, hic cum *Georgio Helto* secum abire jubente templô egressus est, qvòd nugas monachi neuter ampliùs audire vellet. An. 1518. *Erfordiam* studiorum gratiâ migravit, ubi an. 1521. cum *Georgio Sturciade* Philos. Magister creatus est. Paulò pòst famâ *Mart. Lutheri* & *Philippi Melanchthonis* invitatus, *Wittenbergam* se contulit. Ibi *Melanchthonis* amicus fuit adeò familiaris, ut *Atticus Ciceronis*. An. 1525. ortâ seditione rusticorum, in *Borussiam* secessit cum *Jacobo Fuchsio*, nobili *Franco*. An. 1526. *Noribergam* à Senatu vocatus, in Schola ibi recens erecta literas Græcas docuit. Ibidem amicissimè vixit cum *Alb. Dürero*, Pictore celebri. An. 1527. in matrimonium duxit virginem nobilem *Annam Truchsessiam à Grunsperg*, cum qvâ 46. annos pacatè vixit, & ex ea 5. filios suscepit, *Johannem*, Ducis *Borussiæ* Consiliarium *Regiomonti* mortuum, *Joachimum*, Medicum *Norimbergensem*, *Philippum*, Consiliarum *Norimb. Ludovicum*, Medicum per *Italiam* & *Galliam* clarum, & *Gotfridum*, *Richardo* Comiti Palatino inservientem. Ex 4. filiabus prima *Esromo Rudingero*, altera *Johanni Humelio*, Mathematico, qvarta *Casp. Jungermanno*, J. C. *Lipsiensi* desponsatæ sunt: tertia *Martha* virgo decessit an. 1558. An. 1530. A Senatu *Nor.* ad Comitia *Augustana* cum aliis missus est. An. 1534. Ad Scribæ Senatorii munus *Noribergæ* vocatus, in Schola se deinceps mansurum respondit. An. 1535. *Tubingam* ab *Ulrico*, Principe *Wirtenbergico* vocatus, qvinqvennium ibi in Academia recenter instaurata docuit. An. 1541. A Ducibus *Saxonicis* accersitus, *Lipsiensis* Academiæ instaurandæ negotium in se suscepit, adjutus à *Casp. Bornero*, Theologo. Ibi ad finem vitæ lite-

ras Græcas & Latinas in Academia docuit. An. 1556. Cum *Melanchthone Ratisbonam* ad Conventum Imperii venit. An. 1568. Imp. *Maximilianus II. Viennam Austriæ* evocatum de doctrina Ecclesiæ clementer audivit, & suô functum officiô cum favore domum dimisit. Tandem cum supremis tabulis cavisset, ut sine omni pompâ post mortem terræ mandaretur, dysuriâ obiit *Lipsiæ* 17. April. 1574. æt. 74. Uxorem præmisit 15. Julii an. 1573. *Lipsiæ* dum studia tractaret, ob autorum Græcorum penuriam integra Volumina Græca manu suâ descripsit, delectatus imprimis *Herodotô* & *Homerô*. Docuit Latinè loqvi *Herodotum*, *Demosthenem* „ *Xenophontem* . *Euclidem* , *Homerum* , *Theocritum* , *Sophoclem* , *Lucianum* , *Theodoretum* , *Nicephorum* & *Gregorium Nyssenum*. Lingvam *Gallicam* & *Italicam* jam senex attigit, *Hebraicam* etiam degustavit, in *Græca* familiam duxit, in *Latina* cessit nemini.


SCRIPTA:

„ Catalogus Episcoporum in præcipuis Ecclesiis. Proverbia Historica. „ Opuscula de re rustica. in 8vo. Epigrammata Græca. Dialogi Græco-La- „ tini in 8vo. Commentaria in Plautum. Lexicon magnum Phavorini. Vi- „ ta Melanchthonis & Eobani Hessi. Intimationes aliqvot de præcipuis „ diebus festis. Homiliæ, in qvibus tractatur, qvid in Christianis Eccle- „ siis congregatô populô diebus festis olim actum sit, ex Euangelicis Scri- „ pturis exceptæ in 4to. De numismate Græcor. & Latinorum in 8vo. No- „ tatio figurarum sermonis in 4. libris Euangeliorum indicatâ verborum „ significatione & orationis sententiâ in 4to. Historiæ Jesu Christi filii DEI „ summatim relata expositio: itemqve eorum, qvæ de Apostolis Jesu Chri- „ sti singulatim commemorari posse, rectè & utiliter visa sunt. in 8vo. Ora- „ tiones II. de bello adversus Turcam suscipiendo. Historica narratio de „ fratrum orthodoxorum Ecclesiis in Bohemia, Moravia & Polonia, in „ 8vo. Chronologia tripartita. Narratio de Cometarum nominibus, natu- „ ra; caussis, significatione, cum historiarum exemplis. in 8vo. De Osten- „ tis Lib. III. in 16to. Commentarius de generibus divinationum ac Græ- „ cis Latinisqve vocabulis. in 8vo. Hæc Freherus. Qvamplurimos hoc in Catalogo libros à Camerario scriptos omissos esse, neminem mediocrem librorum cognitionem fugere habentem potest. Ipsos, qvos denuò in præsentia Camerarii damus Tractatus, ut & de Vita decente puerilem ætatem neglexit, item Notationes in Suicidem, cum interpretatione ejus Latina, puresqve Tractatus alios, qvos, sicuti hic recensere non vacat: ita illos ab oblivione retrahendi nullam nos prætermissuros occasionem sedet animo.

JOA-

JOACHIMUS CAMERARIUS VILHELMO MEGALÆ FRANCO, Illustriss. Principum Luneburgensium magistro, amico suo

S. D.

1 Vo ætas mea provectior fit & augentur anni, Vilhelme, eò crebrius relabitur cogitatio ad primam institutionem, & mei & meam aliorum: 2 Qvod & multa indies attendendo deprehendam qvæ & institutioni puerili convenire, & in illa usurpanda esse videantur, & ea animadvertam esse tempora nostra, ut si qvando unqvam, his profectò, in educandis pueris magna cura & diligentia reqviratur. 3 Nam tanta dissolutio vitæ ac morum † nunc passim existit, ut sæpè qvid deniqve futurum sit, vehementer metuam. 4. Neqve ego is sum, qvi aut ingravescente jam ætate, qvasi rixari cum seculo meo, ut vulgò faciunt, velim, aut oblitus sim multorum & erratorum, & gravium etiam * delictorum vitæ prioris, qvorum cum magno dolore hæret memoria animô, & humili confessione à Deo venia flagitatur: 5 Sed hoc profectò verum est, ut & mea aliorum peccata sint majora, non tamen ea fuit impudentia & immoderatio, non tantus contemtus eorum, qvos natura & Deus ipse aliis rectores & gubernatores præposuit, non ea audacia atqve temeritas ‡ tam consiliorum qvàm actionum. 6 Atqve erat con-

† *Nunc passim*] At auctore Senecâ I. benef. c. X. 3. *hoc Majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare neqvitiam; in deterius res humanas & omne fas labi.* Enim verò si Seneca cum Camerario ævum delati forent in nostrum non qvererentur ampliùs, sed obstupescerent.

* *Gravium delictorum*] Magna in omnibus hôc nostrô tempore hominibus, etiam mediocribus caligo est: non cernimus qvantum malum sit peccatum, nec nos ipsos adeò flagitiosè contaminatos esse judicamus, nobis ipsi blandimur, præsertim qvia doctrinam de Deo puriorem profitemur. Interea securi stertimus, indulgemus alii aliis cupiditatibus, non afficimur dolore propter nostram immunditiem, propter Ecclesiæ morbos, propter fratrum ærumnas, non ardet invocatio, friget cura discendi & regendæ disciplinæ: neqve pauca sunt tua & mea & plurimorum aliorum peccata, propter qvæ nobis pœnæ cumulantur.

‡ *Temeritas*] Temeritatem, perpetuam qvasi florentis esse ætatis comitem, negari non potest, nec corporis mole ac viribus, sed ratione, consiliô, prudentiâ res geri magnas, compertum exploratumqve habemus. At hæc teneram in ætatem cadunt minimè. Solet non raro accidere, ut rectè officium adolescentes faciant, cùm

consentanea eruditionis & doctrinæ incrementis, qvæ nonnulla facta scimus ætate † hâc nostrâ, animorum lenitas & mansvetudo, nam secundùm poëtam, * Artium bonarum culturâ,

Pectora mollescunt, asperitatasque fugit.

Et, ut idem ait: ‡

Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

7 Qvid ergo in caussa esse; aut qvô pactô accidere dicemus; qvòd nunc ubiqve terrarum, in summa vitæ licentia hominum indomitæ cupiditates, qvietis & honestatis & moderationis omnem respectum sustulerint, qvòd ferocia ** humanitatem penè exterminaverit. 8 Ac cogitanti mihi,

cùm sibi adhuc, qvem metuant, habent; cùm, simul relicti sibi fuerint, planè contra eveniat. Nec frustra sapientissimus Comicus, Heaut. III. I. 74. *Deteriores omnes sumus licentiâ.* Qvæ tamen nimia eôdem auctore, Adelph. III. V. 64. *profectò evadit in aliqvod magnum malum.*

† *Ætate hâc nostra*] Verissimè! Excitati enim tum erant viri qvidam summi complures, qvi *Naturâ* fulti, *Ingeniô* nixi, & *Arte* adjuti, id operam dedêre sedulam, ut Lingvæ nitori, suoqve redderentur ac restituerentur scientiæ vigori; nullusqve ex universo litteratorum choro in publicum fermè prodire ausus est, nisi qvi laboribus suis aliqvid utilitati publicæ conferre laudabiliter posset. Idqve eò fecêre libentiùs, qvò certi laudem gloriam famamqve se æternum manere noverant.

* lib. I. Epistol. VI. è Ponto, v. 8.

‡ lib. II. Epist. IX. è Ponto, v. 47. Conjungit hæc loca, qvamvis non eôdem locô posita, qvoniam utriqve eadem subest sententia; Liberales & ingenuæ dicuntur. qvod hominem liberalem & ingenuum maximè ornent, imò faciant. Humaniores qvare adpellentur, audi, si placet, Hieronymum Osorium, *nostri seculi*, judiciô Jacobi Pontani Jesuitæ in p. 1205. Hortulor. Nasonis. *oratorem amplum, copiosum, gravem & ornatum*, lib. I. de Gloria: *Multis*, inqvit, *locis usu didici, nunqvàm elegantiam doctrinæ ab humanitatis laude sejunctam esse: immo semper ingenii svavitatem cum omni litterarum cultu suisse incredibili amoris societate copulatam: sive id accidit, quia nemo ferè nisi miti, clementiqve naturâ sit, & ab omni motu feritatis alienus, potest excellentem doctrinæ formam intueri, & ad illius cupiditatem incendi: ita fit, ut paucissimi docti agrestibus institutis vivant, quia paucissimi agresti ingeniô præditi in doctrinæ studium incitantur: sive tanta vis est in optimis artibus, ac disciplinis, ut illarum ope facilè qvævis natura reddatur mitis atqve mansveta, & ad omnem rationem humanitatis excolatur. Præclarè enim ille, abire studia in mores. Ut enim qvisqve liberalibus disciplinis est instructissimus, ita maximè est in omni genere lenitatis, atque comitatis excellens. Unde non immeritò nomen humanitatis ad maximarum artium facultatem traductum est.* Hactenus ille.

** *Ferocia humanitatem penè exterminaverit*] Qvæ tamen virtus homini adeò propria est, ut nomen ab homine sortita credatur: qvare etiam Græcis dicitur ἀνθρωπότης. B. tamen Ambrosius vult eam ab humo derivari. *Considera ô homo*, inqvit, *unde nomen sumseris: ab humo utiqve, quæ nihil cuiqvam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diversos in usum omnium*

mihi, de duplici qvasi fonte hæc miseria fluere videtur. Uno erumpentis turpissimæ jam levitatis, in veritatis neglectione & religionis aut nulla aut postrema cura. Altero, harum etiam ipsarum artium, qvibus ad laudem & decus præparari animi solent, desertionis ac fugæ. 9 Nam, ut priùs de posteriore dicam, quô ardore flagraverint qvondam animi discipulorum apud nos, qvantus initiô studiorum honor & cultus, qvid non & conari & perpeti parati fuerint universi, ob acqvirendam qvalemcunqve eruditionem, adhuc satis est notum atqve testatum. 10 Memini ego me puerô, exultare ingenti gaudiô nos, qvoties unum aliqvem de celebribus illius temporis viris intueremur, qvod si fortè alloqvi eorum nos aliqvem contigisset, in cælo sibi tum qvisqve videbatur esse. Ad doctrinas verò illorum ita conveniebatur, ut tempus anticiparetur, ut audiendi ingens contentio, ut gratiosi essent qui locum concederent. 11 Advenit tum ad nos

omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata Humanitas, specialis, & domestica virtus hominis, quæ consortem adjuvet. III. Offic. III. p. m. 346. edit. opt. Argentoratens. CIϽ IϽC XLIV. in 12. qvam curavit & eruditâ præfatione, Studiosos multa docente, ornavit seculi ornamentum qvondam Jo. Henr. Boeclerus. Verùm eodem res recidit; sufficit eam esse virtutem, sine qva homo ne nomen qvidem rectè tueri possit, adeò ut bene dixerit incertus Comicus,

> Ὡς χάριεν ἐσ' ἄνθρωπος, ἐὰν ἄνθρωπος ᾖ.
>
> *Qvàm res venusta est homo, sed qui verè est homo!*

Id est, *humanus.* Sicut contrà nihil homine sævius, ubi semel ab humanitate descivit: qvare in vetere Epigrammate pulerè, & appositè legitur,

> Ὦ θηρῶν, βροτὲ, μᾶλλον ἀνήμερε----
>
> O *feris, homo, magis ferus.*

Et apud Ovidium in Epist. X. v. 1.

> *Mitius inveni, qvàm te, genus omne ferarum.*

Sed de his B. Lactantium audiamus, cujus hæc sunt verba è lib. VI. de vero cultu, c. XI. *Conservanda est igitur humanitas, si homines rectè dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, qvàm diligere hominem, quia homo sit, & idem, quod nos sumus? Discordia igitur, atque dissensio non est secundùm hominis rationem. Verumqve est illud Ciceronis, qvod ais, hominem natura obedientem homini nocere non posse. Ergo si nocere homini, contra naturam est; prodesse igitur homini secundùm naturam sit, necesse est. Qvod qvi non facit, hominis se appellatione dispoliat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subvenire.* Et Imperator Augustus hanc virtutem eousqve extollit, ut dicere non vereatur, *per solam humanitatem servari Dei imitationem*, in l. ult. C. de don. inter vir. & uxorem. Qvem sensum sic expressit Scaliger, lib. V. Epidorp.

> *Esse qui volet homo, homo erit, post deusqve fiet.*

Qvæ utinam præ ceteris altô locô nati, qvos fortunæ benignitas promovit ad dignitates, & viri docti observarent, è qvorum pectoribus pulcra hæc virtus exulare videtur: cùm tamen illi, ex præcepto viri pii, *quantò sint majores, tantò se magis submittere debeant, ut à Domino gratiam ineant. Multi quidem,* pergit, *præstantes sunt, & illustres; sed humanis patefiunt arcana.* Ecclesiastic. III. 20. Hos verò deceat, humanitate eruditionem suam aliis probare. *Vera enim*

C

nos Richardus Crocus † è Britannia, cum uberiore copia qvasi mercis musicæ: Cœpit profiteri interpretationem Græcæ lingvæ. Qvi ad illum concursus factus? qvi honor externo habitus, vel qvi potiùs non habitus? Qvis tùm vel labori vel operæ vel impensis pepercit? fervebat opus, florebat ipse; nos incensi eramus discendi cupiditate. [12] Sed pauló post hic ignis in cineres delapsus extingvi cœpit, ut facilè appareret, fuisse illam novitatis cujusdam non virtutis & sapientiæ incitationem. [13] Nam indies magis & magis in copia sordescere doctrina & eruditio, & ad opulentiam ac splendorem converti voluntates, & inhiari ab omnibus, nescio cui altitudini contrariæ: donec & turbulentiâ qvâdam & motibus civilibus, & intestinis etiam qvibusdam dissensionibus afflicta doctrinæ eruditio ita corruit, ut jam ægrè sese alicubi adhuc sustentet. [14] Sed profectò caput omnium malorum est perversitas hominum & vesania, qvi exorientem lucem veritatis, cùm omnia jam sacra profanaqve ut dicitur, in illa clara fulgerent, non diu rectis oculis tanqvàm adulterini aqvilarum fœtus aspicere potuerunt, sed celeriter retulerunt aversos oculos ad tenebras & caliginem errorum. [15] Pauci enim relicti fecerunt illi qvidem qvod potuerunt, sed adversariorum molitio & vis pulcerrima incepta & divinum studium vehementer impediit ac repressit. [16]. Hinc major etiam miseria atqve tumultus extitit. Nam celari ac tegi vitia errorésqve cùm non possent, & in vero ac recto asserendo boni piiqve desererentur, neqve corrigi etiam emendariqve potuit manifesta labes & notum dedecus tam in religione qvàm in reliqva vita, & qvod tamen ante oculos omnium jam essent multa sanè deformia, qvæ qvasi nubes densæ superiorum temporum apparere non sivissent: Ideo accidit, ut ille status labasceret, & animi hominum mirabiliter insolescerent, atqve exultarent levitate maximâ.

Ὡς δ' ὅτε τὶς στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων.

Qvemadmodum est apud Homerum. * [17] Hoc malum nascens qvi sanare,

enim sapientia, ait Solomon, *cum humanitate conjuncta est.* Prov. XIII. 15. E Senecæ Ep. V. discant, Philosophiam tria afferre hominibus: *sensum communem, humanitatem, & congregationem.* Indoctos verò esse horridos, morosos, insuaves in sermone, & moribus.

† *Richardus Crocus*] Hæc de Croco pauca scriptores memoriæ prodiderant. Noster Camerarius in p. m. 26. Vitæ Philippi edit. opt. Lipsiensi. 1566. in 8v. ait, *Ricardum Crocum profitendo Literarum Græcarum cognitionem Lipsiæ plurimorum studia concitâsse, sed jam reversum in patriam hoc opus doctrina reliqvisse inchoatum.* Et paucis interjectis eâdem pergit paginâ. *Usus ego sum Croco Præceptore Lipsiæ puer, penè trienniò, atqve me, si qua facultas mihi harum literarum contigit, tam initium, quàm progressum referre acceptum debere confiteor. In Grammatica sanè doctrina, quod est eruditionis omnis in quocunqve sermone fundamentum, Crocus excellebat. Ad quod autem vitæ genus & qvæ studia posteà se contulerit, non est mihi compertum.*

* Il. ζ. v. 507. & Il. ο. v. 264.

nare, & iſtud vulnus Reipub. alligare debuerant, Magni videlicet qvidam & potentes ac ſapientes viri, ii proh dolor! (nam vereor ne ſera ſit qverela) illud auxerunt atqve irritârunt, & tanqvàm ungves, ut ajunt, in ulcere; reddiderunt omnia indies pejora & difficiliora. [18] Ac nunc etiam nonnulli qvaſi contendentes cum improbitate & pertinacia ſua, non ceſſant exortò Soli veritatis, tanqvàm velum mendaciorum obducere. [19] Qvi omnium vehementiſſimè qveruntur, & atrociſſimè vociferantur de corrupto ſeculi ſtatu, de ſublata qviete, de vitiorum impunitate: Cùm ipſi manibus & pedibus obnixè omnia faciant, ne conſiſtere impulſa reſpublica poſſit. Cùm ipſi ſoli turbatores ſint veræ pacis, qvæ niſi in perſpecta & comprehenſa veritate reperitur nuſqvam. Cùm ipſi caput vitiorum defendant & ornent, mendacia, errores, incertas ſententias. [20] Sed de his, deqve hac miſeria temporum noſtrorum diſputatio, neqve jucunda eſſe ulli poteſt, & nihil habet utilitatis. [21] Neqve enim in talibus qvicqvam proficiunt ὀργῆς νοσούσης ἰατροὶ λόγοι, ſecundùm Aeſchylum, qvippe qvi neqve morbum fateantur, neqve medicinam admittant. [22] Seculi autem hujus curſus qvaſi tempeſtatis commotio, triſtis ille qvidem eſt & calamitoſus, ſed in eo ferenda ſunt qvæcunqve acciderint. [23] Etſi hôc qvibus divina benignitas adfuerit, ii ſe tanqvàm ſub tectum, & ut Græci loqvuntur, ὑπὸ σκέπην, recipere, & aliqvid ſaltem incommodi vitare ſolent, ſegregantes ſeſe ab illis, qvi qvaſi gaudeant malis, ita his ſtudioſè implicantur, & fugientes communitatem furoris ac impiæ barbariæ. [24] Cùm igitur interdum contemplantem hæc omnia paulò intentiùs deſperatio me omnis propè felicitatis invadere ſoleat, relabitur cogitatio ad pueritiæ inſtitutionem, & hujus ætatis curam, in qva profectò nonnihil poteſt optimorum præceptorum uſurpatio, & neſcio qvomodo veluti acies animorum dirigitur ad veritatem. [25] Non omnium qvidem: nam non modò qvorumdam ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον, ut ait Plato, ſed cæcitate etiam corruptum eſt, verùm hæc tamen eſt ſola ratio ac via, qvâ animi excoli, & mentes erudiri, & judicia confirmari, & voluntates dirigi poſſint: de qvo alibi corpioſiùs diſſeruimus. [26] Cùm autem ea ſit infirmitas animi mei, ut qvamvis ſciam de bona & recta puerorum inſtitutione ſecuturi temporis præclaram ſpem concipi ſolere, tamen neſcio, qvô pactô nunc reſiliat ab hac ſpe aſſenſio mea, ſic, ut in rei ipſius conſideratione, id eſt, puerilis educationis reſpectu ſæpe acqvieſcam eventumqve, ut in ceteris, permittam Deo. [27] Atqve nunc fortè oblatus mihi fuit libellus qvidam ante annos ſanè plures à me compoſitus, argumentô parvô & de rebus exiguis, ſed hunc cùm relegiſſem, qvaſi ventô qvôdam, recordationis temporum illorum, qvibus ille libellus ſcribi cœptus & approbatione talis doctrinæ, animus noſter ad iterum edendum hoc ſcriptum impulſus fuit. [28] Tu autem mi Vilhelme profectò agnoſces qvædam in hoc præcepta noſtra, qvi cùm prolata primùm fuerunt, illa incredibili ſtudiô & diligentiâ complexus fuiſti. Eamqve ob rem cum hac qvaſi compella-

tione ad te hoc opusculum mittere voluimus, ut simul tua cogitatio ad initia disciplinæ nostræ & exordia eruditionis tuæ, reduceretur, simul hôc ego veluti colloqviô cum absente perfruerer. 29 Mihi qvidem tuam conjunctionem & gentis & multò magis studiorum gratulor, & valde lætor, mihi deberi aliqvam partem doctrinæ & laudis tuæ. 30 Nam nisi tu puer meis monitis, adhortationibus, instigationibus, libenter paruisses; sive castigationibus fuisses refragatus, fortasse tantas progressiones ad virtutem non fecisses. 31 Tu verò non modò studiosè nobis obtemperare solebas, sed tibi etiam ipsi cogitatione recti & honesti qvasi stimulos admovere, ut ille leo Homericus: Il. Υ. v. 170.

Οὐρῇ πλευρὰς καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθε
Μαστίεται, ἓ δ' αὐτὸν ἐποτρυνεῖ.

De qvo præclarè idem poëta ait. Ibid. v. 169.

——— Ἐν δέ τε οἱ κραδίῃ στένε ἄλκιμον ἦτορ.

32 Nam ubi non est in rebus bonis & gravibus ea cura, qvâ cor angi, & mens contrahi se sentiat, cùm non amplum illud pectus generosi animi, qvasi comprimatur, ita gestit sese efferre, & suas vires experiri, ibi nunqvàm ullæ magnæ & memorabiles pugnæ, nec egregia certamina virtutis eduntur. 33 Sed jamdudum evagari orationem nimis longè animadverto. Qvare redeo ad mentionem hujus libelli: In qvo ea exponuntur; qvæ sunt illa qvidem puerilia, sed in pueris si fortè neglecta sint, cognoscenda profectò etiam à grandibus & adultis. 34 Atqve erat animus hæc novâ qvâdam appendice augere, sed negociis improvisis in editione occupato, cùm pituita qvoqve mihi admodùm esset molesta, hoc in præsentia consilium exseqvi non licuit. 35 Adjeci tamen sententias qvasdam olim à me conscriptas, qvæ tanqvàm ab autoribus sapientibus iis, qvi ita in Græcia nominati, & septem numerati fuerunt pronunciarentur, productis ad hoc veluti in proscenium qvoddam puerilis spectaculi, qvod & ante ad Ausonio factum esset, sed absqve hac dictorum & sententiarum, sive ut meliùs dicam Græcè, γνωμῶν, copia. 36 Hæc tu mi Vilhelme & à me libenter accipies, & cùm ipse leges, tum, si videbitur, propones etiam Principibus tuis, in ista ætate ipsis qvoqve non futura indigna, & tibi persvadebis, te mihi meritô observantiæ erga me tuæ esse multò carissimum neqve ulla in re, qvæ qvidem præstari possit, defuturum tibi studium meum. Vale Lipsiæ, X. Calend. Junii. Anno Christi Jesu 1544.

JOACHIMUS CAMERARIUS
VILHELMO MEGALÆ AMICO S.

Qværis adhuc nostrâ qvæ res ætate, Vilhelme
A puero mihi care, ac primis protinus annis

Et

Et ſtudioſe mêi & mihi pectore note fideli,
Damnaqve multiplicet ſperataqve commoda tollat,
Naſcentiſqve premat doctrinæ lumen, & artis
Ingenuæ ſtudium, & muſarum evertat honorem?
An tibi nondum etiam liqvet horum cauſſa malorum,
Qvi non Teutonicis ſolùm peregrinus in oris
Hoſpes, ſed qvoqve in Auſonia regione fuiſti.
Scilicet haud te credo fugit qvæ ſecula noſtra
Exagitet rabies, furiiſqve exaſperet orbem,
Objiciens odium veri, extinctoqve pudore
In ſcelus impellat ſpretæ pietatis, & illud
Aeternum non eſſe ſinat venerabile numen.
Jamqve vel in veteres referuntur pectora ſenſus,
Atqve mala errorum repetunt commenta priorum,
Aut velut exploſa jam relligione ſoluti
Inqve nefas animi, inqve ruunt heu dedecus omne.
Ille igitur veri contemtus, qvô malè ſana
Temporis atqve ignara Dei hujus vita laborat,
Ac potiùs correpta petit ceu febris ab igne,
Triſtia cuncta vehit ſecum ceu flumen inundans.
Hinc & debilitata jacet pietaſqve fideſqve
Juſtitia & terras iterum violata reliqvit.
Atqve doli crevêre, & amor ſceleratus habendi.
Eſt & amicitiæ nunc planè nomen inane,
Ridicula & moderatio nunc res eſſe videtur.
Ambitio viget, & regina pecunia mores
Et leges & jura domat. Vis eſſe beatus
Inprimis, dulcemqve ante omnia degere vitam,
Subjice te vitiis, atqve aſſentare potentum.
Felix fortè locô ſed ſi cupis eſſe ſecundô.
Obtrectare bonis ſtudeas, reprehendere cuncta:
Ignorata tibi & virtuti aſpergere probra,
Et ſtruere inſidias placidis, defendere ſontes.
Tertia erunt his deſperatis præmia, nulli
Qvi fidum præbere velit ſe, ſævus, & in re
Inſtabilis dubia, & nulla tractabilis arte,
Ut qvod Chiro tuum Cacoëthes nominat ulcus,
Qvodqve tuum medicus Myſorum Telephe ductor.
Hoc ter terna Jovis redeat ſi tempore proles.
Si citharam in medio Muſarum tangat Apollo,
Ipſa Minerva profeſſa ſuas ſi proferat artes,
Ad nummi avertet tinnitum atqve arriget aures
Humanum genus, & qvavis lucrum expetet è re,

Lauticiaſqve dapum ſectabitur, & malè luxu
Non obſervatos vitæ brevis obteret annos.
Qvid? qvòd in inſanis ardet diſcordia rixis,
Et ferrô ac flammis totô furit impia mundô,
Hinc Geticô ſtrictum gladium intendente tyrannô,
Illinc occiduis Gradivô tractibus enſes
Exacuente, oleumqve incenſo addente camino.
Hos igitur mores inter vitæqve tumultus,
Diſtractiſqve animis placitorum in mille figuras,
Qviſqve ſuæ ſeqvitur dum juſſa cupidinis, & dum
Turpe qvod eſt non eſſe magis jam turpe putatur,
Artibus haud locus eſſe bonis, haud cura pudoris
Ulla poteſt, agitur vitiis extorris honeſtas.
Sed longæ finem, dilecte Vilhelme, qverelæ
Ut faciam, ætatis præcidens crimina noſtræ.
Sic perturbatis qvod proſit rebus utriqve
Subjiciam, & ſoboles amborum parvula diſcat.
Ut noſtra utilibus claudatur epiſtola dictis.
Nos igitur verô ſtudeamus numen honore
Divinum & cultu venerari qvô jubet ipſum,
Unius illud adorantes in nomine Chriſti,
Qvod ſolum in terra ac cælo conferre ſalutem,
Et nihil extra illud valet, atqve deinde modeſtô
Et facili erga omnes animô eſſe velimus, ut æqvi
Juſtitiæqve tenax pectus ſit, & haud vitiari
Se memor aut reſpectu odii aut patiatur amoris.
Siqve frui volumus non parvô tempore partis,
Per ſint parta nefas caveamus. Nam malè parta,
Ut vetus eſt verbum, malè dilabuntur. Ut autem
Spreta jacet ſæpè & virtuti obtrectat egeſtas,
Sic inſons præſtat ſceleratô divite pauper.
Ne placeat nobis unqvam aſſentator amicus,
Qvi metuat verbis præſentem offendere, qviqve
Ore levi vitioſa probet. Vitentur & illi
Qvi gaudent aliis maledicere: gratus & uſus
Sit nobis capitum, in qvæ ſparſit longa pruinas
Annorum ſeries. Nunqvàm & nos dulcia fallant.
Nam qvæ præteriêre ſat incluſêre malorum,
Qvorum facta fuit per Chriſtum gratia nobis.
Et plerumqve voluptatis brevis eſt dolor ingens.
Ac ita qvicqvid erit, patienter ferre laboret
Mens non adverſis humilis, non læta ſecundis:
Atqve bonam cunctis foveamus temporibus ſpem.

Qvam-

Qvamvis ſollicitò metuamus triſtia corde,
Sortis & intrepidò toleremus pectore caſus.
Hæc alienarum in ſtrepitu me ſcribere juſſit
A ſtudiis noſtris rerum, nec ſenſibus apta,
Nec verbis ornata erga te ſumma voluntas,
Atqve Vilhelme tui ſtudium. Tu, qvod facis, auge
Nominis & famæ decus, & retinere memento
Perpetuò propenſum animum in nos atqve fidelem.

CHRISTOPHORUS † COLERUS, JOHANNI COLERO FRATRI SUO CARISSIMO

S. P. D.



1 I frater qvàm graviter afflicti ſimus calamitoſiſſimò caſu mortis paternæ, vides. 2 Orbati enim ſumus non ſolùm parente, qvod ipſum ad ſummum dolorem ſatis eſſe poſſit, ſed eò parente, qvi excellens virtute atqve ſapientiâ nihil omitteret ad ætatem vitamqve noſtram educendam ad decus atqve laudem. 3 Hæc tamen minùs hâc infirmitate animorum noſtrorum perſpicimus: ſed illam ſvavitatem, qvâ etiam alieni

† Eſt hic ſine dubio Cl. ille Colerus Francus, cujus eruditæ animadverſiones exſtant in Valer. Maximum, Francof. M. DC. I. in 8t. editæ, nec integrè receptæ in editionem Antonii Thyſii Hackianam ꟾↄ ꟾↄC. LX. in 8t. Illius ipſius Coleri notæ in Salluſtium memoranturqvidem in titulo editionis Francof. qvam Janus Gruterus nobis M. DC. VII. in 8t. dedit: at ipſo in librò meo eas hactenus nondum reperire potui. Scripſit & Commentar. in Germanicum Taciti, ac notas in Alexandri ab Alexandro Geniales dies. Vide Anton. Teiſſier in Elog. eruditor. part. 2. Obiit in Auſtria annò ꟾↄ ꟾↄC IV. Philippus Camerar. Ep. CCLIV. ad Goldaſtum edit. Francofurt. ꟾↄ ꟾↄC LXXVIII. in 4to. *Quod de Colero*, inqvit, *& Scioppio ſcribis, & judicas, mihi (pace tuâ dixerim) nimis rigoroſum & præcox videtur. Quis ſcit enim, utrum ex illis operariis recenſeri poſſint, qui poſtremâ horâ in Vineam Domini conducti ſint? Pœnitentia enim, ſicut B. Auguſtinus monet, vera, nunqvam ſera, ſicut in Latrone cum Chriſto crucifixo exemplum habemus. Et venit mihi in mentem, nonnullis prudentibus viris diſplicuiſſe in Epigrammate quodam judicium doctiſſimi Viri, de Lipſii condemnatione, licet obſcurum, ex ejus ſcriptis & Teſtamento non ſit, cui Deæ vel Divæ animam & ſalutem ſuam commendaverit. Quid ſi Scioppius, pertæſus ſuæ Apoſtaſiæ, ante obitum reſipiſceret? Miſericordiæ enim Domini ſunt infinitæ. Hæc bonò animò ad te ſcribere volui, ne adverſariis præbeatur occaſio commoda obtrectandi, quam quidem in meis libris vitavi, quantum potui. Poteris igitur, ſi grave non erit, in duobus tuis olim Præceptoribus, rigorem illum, ſi non planè omittere, attamen mollioribus verbis mitigare.*

[3]lieni alliciuntur, qvâ nobis ille in eximio amore erga nos suo jucundissimus fuit, necesse est nos cum largissimo fletu & ingenti mœrore reqvirere. [4] In qvo eò est major tua miseria qvàm mea, qvòd ipse vidisti morientem, ego audivi mortuum, & tu in illius complexibus hæsisti semper, à qvibus ipsius cura & benignitas me dudum removerat. [5] Nam mihi ad omnem nunc qvoqve non modò mentionem, sed cogitationem patris amissi lacrimæ oboriuntur, qvi tamen jam me assvefeceram, ut abesse ab illo posse mihi viderer, cùm qvidem absente patre non carerem, sed qvôdam hôc ablegationis beneficiô illius me frui intelligerem. [6] Mihine enim hic metus in animo esset infirmo & puerili, qvi neminis omnium attigit, mortis in hac ætate, vita, valetudine illius? [7] Sed mi frater beatissimi patris nostri mortem deflere omittamus, & ad illius potiùs imitationem nos comparemus, cujus singulare habemus exemplum virtutis atqve etiam doctrinæ, qvibus qvantum præstiterit reliqvis, ut nos judicare non possumus, ita libenter audimus uterqve prædicari ab iis, qvi possunt. [8] Qvod si non modò paternæ laudis acroama jucundum nobis fuerit, verùm huc qvoqve voluntas accesserit nostra, non solùm propagandi generis nostri, in qvod ab illo sumus procreati, sed etiam exprimendæ laudis, qvâ ipse excelluit, tum demum responderimus spei & exspectationi illius, & mortuum qvoqve voluptate præcipuâ affecerimus. [9] Qvare mi frater hoc agamus, huc contendamus atqve enitamur. Si non conseqvi possimus, ut aliqvando levemus desiderium civitatis nostræ, qvod illi moriens pater sui reliqvit, at hôc vincamus, ne illô tali patre indigni fuisse videamur. [10] Mihi qvidem eô minùs veniæ locus, qvô meliùs à nostro patre mihi prospectum: cùm ille me in optimi * viri sanctiss. disciplinam tradidit atqve commisit. Qvem haud scio an afflixerit nuncius hic vehementiùs qvàm meipsum, qvô magis & bona patris nostri ipsi nota fuêre atqve intellecta. [11] Ut autem perspicere posses qvalia nobis ab illo proponerentur, & hujusmodi istic qvoqve imbui præceptis, visum est ad te cum hac ipsa non tam tui qvàm mei cohortatiuncula, mittere qvædam, nostri magistri dictata, qvæ mihi; sive qvod ætati huic maximè conveniunt, seu qvia sunt paulò diligentiùs elaborata qvàm ulla, qvæ in hoc genere cognovi, permagnifacio: meôqve judiciô tibi misi non vile neqve contemnendum munus, qvod tu, mi frater, ita amplecteris, ut & explicare moribus, & me diligere, & operam dare velis, ut nostram matrem nunc qvidem, ut par est, tristissimam fœminam, morigeratione & officiis omnibus oblectes. Hoc nos facere maximè vult pater noster, [12] Istud etiam scriptum cum nostro Paulo communicabis, qvem non modò talia nunc legere, sed etiam intelligere par est: Nihil esse virtute pulcrius, nihil honestate amabilius, nihil decore speciosius neqve præclarius. Vale. Tubingæ è Svevis XV. Calen. Junii.

* Joach. Camerarii.

PRÆ-

PRÆCEPTA VITÆ PUERILIS.

Caput I.

[1] Orum † præceptiones & vitæ qvi negligunt ii ne liter qvidem unqvàm benè instituunt pueritiam. [2] Qvis enim credat in hac esse parte diligentes, in illa longe potiore altera desides atqve socordes? [3] Sed ne institutionem talem calumniari videamur, cùm plurimùm hi literatores proficiunt, qvid fiat videamus. [4] Nam verè inducunt in aliqvam lingvæ Latinæ, vel etiam Græcæ, cùm præclarè cecidit, sententiolam, ulterius enim ab hac ætate procedi non potest. Atqve hôc ipsô operæ suæ, qvam pueris erudiendis dederint, precium qvod sit, se fecisse existimant. [5] In qvo non mediocris error inest, qvod eruditione non tam lingvæ, qvàm animi informata tenella ætas ad doctrinam atqve virtutem capessendam idonea esse solet. [6] Neqve hoc agendum, ut solùm belli locutores, sed etiam actores bonæ vitæ existant: qvin etiam illarum lingvarum sermo, nisi morum atqve honestatis totiusqve virtutis rationem atqve disciplinam tradere posse crederetur, nunqvàm tanti fieret, ut in illo perdiscendo tantum temporis tantumqve laboris atqve sumtus impenderetur.

II. Ut autem omnium artium sunt qvædam initia seu potiùs progressiones, sine qvibus ad illarum cognitionem perveniri neqveat, qvæ tamen ipsæ artes non sunt, ut in Grammattica cognitiones literarum, in Rhetorica ea, qvæ primæ exercitationes nominantur: ita artis vitæ ac morum qvasi

† *Morum præceptiones*] Matthias Marcus Dabercusius, *vir*, elogiò Davidis Chytræi, lib. XXIII. Chronic. Saxoniæ, p. 617. *optimus & doctissimus, cujus de Grammatica Græca & Latina libri eruditè & copiosè scripti exstant*; ludi illustris Sverinensis moderator celeberrimus, cùm in sua ad Terentii Andriam præfatione (Argentorati cum Scholiis Clariss. viri Joannis Rivii impressa) graviter conqvestus esset, paucos esse ex tanta passim bonas artes profitentium turba, qvi nonnullam qvoqve morum ac pietatis rationem habeant, qviqve id sedulò & pro sua parte dent operam, ut non doctos solùm acutriusqve lingvæ peritos, verùm etiam pios atqve aliqvâ vitæ morumqve integritate præstantes reddant discipulos: tandem liberè ingenuéqve fatetur, *malle se ludimagistrum dari sibi vel mediocriter eruditum, qvi pueros ab ineunte ætate moribus Christiano homine dignis sincerè fideliterqve instituat, qvi illos civilitatem, qvi modestiam, qvi comitatem, affabilitatemqve & qvicqvid est id genus virtutum doceat, qvàm vel ad miraculum usqve doctum, atqve in omni doctrinarum genere diligentissimè exercitatum, qvi in liberalibus solùm disciplinis teneram ætatem, nullâ habitâ morum ac pietatis ratione erudiat.*

vestibula qvædam putanda, ea qvæ civilitas & elegantia seu moderatio dicitur, decus planè ipsum & pulcritudo virtutis, qvi tanqvàm flosculi in puerili ætate & magis eminent, & svaviores esse consvevêre. 2 Hujus partis, qvod pauci didicerint, minimè est his temporibus vulgaris ac usitata doctrina: qvam brevi scriptô complecti visum est, ut in hac qvoqve consulatur studiô meô civibus meis, qvi rusticitatis nomine ab antiqvo reprehenduntur. 3 Erit autem hoc pro indice faciendorum fugiendorumqve bonæ indolis pueris. 4 Ipsa enim res non poterit nisi qvotidianis monitis ac animadversionibus perfici, præsertim in qvadam non parva diversitate rei, loci, temporis, gentis, personæ, qvibus non solùm præcipiatur ipsis, sed qvò præcepta etiam referantur & accommodentur.

III. 1 Duplex autem ferè est puerilis institutio. Una in literis ad vitam placidè inqve otio, ac qviete degendam cum cultu virtutis & innocentiæ, qvomodo perpauci sunt, qvi suos liberos educi velint. 2 Reqviritur autem, ut verum fatear, in his parta jam qvæsitaqve res qvæ vitæ sic, qvemadmodùm dixi, degendæ sufficere posse videatur. 3 Qvæ si fortè copiosa amplaqve non sit, sufficiat tamen optimis imbuto præceptis temperantiæ, * parsimoniæ, patientiæ. 4 Sed qvoniam his temporibus virtus & honestas neqve magnifieri neqve valde speciosa videri solet, propterea, qvòd potentia & opes, superbiaqve harum affectatrix corroborata æqvabilitatem atqve modestiam oppressit, ideo ut dixi, paucis, neqve ut vulgus æstimat, sed verè beatis, relinqvenda est hæc institutio, neqve tractanda in præ-

* *Temperantia, parsimonia.*] Duæ hæ virtutes veluti multas nostro in Belgio extulerunt ac erexerunt familias: ita solæ illas hac in temporum conservare qvoqve diritate potuerunt; cùm ex adverso iis qvi non studuerunt, eversæ fuerint. *Res familiaris*, Cicerone in II. de Officiis auctore, c. XXIV. extr. *qværi debet iis rebus, à quibus abest turpitudo: conservari autem diligentiâ & parsimoniâ: iisdem etiam rebus augeri.* Rectè. Nam sine parcimonia *nec ulla opes sufficiunt, nec ulla non satis patent: præsertim cùm in vicino remedium sit, & possit ipsa paupertas in divitias se, advocatâ frugalitate, convertere. Assvescamus à nobis removere pompam, & usus rerum, non ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio sitim, libido qva necesse est fluat. Discamus membris nostris niti: cultum victumqve non ad nova exempla componere, sed ut majorum suadent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coërcere; gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æqvis oculis adspicere, frugalitatem colere, etiamsi nos pudebit desideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere: spes effrænatas, & animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, id agere, ut divitias à nobis potiùs qvàm à fortuna petamus*; ut in nono capite de Tranqvillitate Animi Annæus ait. *O dii immortales*, inclamantem nobis putemus Ciceronem è VI. Paradoxo, c. III. 1. *non intelligunt homines, qvàm magnum vectigal sit parsimonia.* Nos igitur ibidem pergit Tullius. *divitiores, qvi plura habemus? utinam qvidem. Sed non æstimatione census, verùm victu atqve cultu terminatur pecuniæ modus, non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. contentum verò suis rebus esse, maxima sunt certissimaqve divitiæ.*

præsentia. [5] Altera est juventutis, ad vitam communiter & pro seculi sui natura agendam: in usurpatione bonorum atqve publicorum munerum, tam in civitatum qvàm religionis administratione, itemqve qvasi artificio ac qvæstu qvodam scientiarum, qvæ tanqvàm inter illam directam ad virtutem viam, & deflexam alteram ad vitia, media est interjecta, qvâ ingredientes plurimum laudis & utilitatis cùm sibi tùm suis, sed & alienis conciliare consvevêre. [6] Neqve hominum communi judiciô qvicqvam præterea qvàm hujus viæ ingressio approbatur. In qva qvi processêre longiùs magni & præclari, qvi segniùs, mediocres qvidem, laudabiles tamen & ipsi habentur.

IV. [1] Sed fuit tempus, cùm studia litterarum ad ridiculum qvemdam depravata modum, non solùm non erudirent cultores suos, sed nacta sæpe non infelicia ingenia corrumperent, unde est factum, ut jam probro ab intelligentioribus verteretur studuisse literis. [2] Neqve ulla res alia studiorum illam miseriam defendit & continuit, qvam stulticia hominum atqve fatuitas. [3] Qvicqvid enim esset id, qvod è scholis emanaret, inveniebat protinus ubi resideret. [4] Neqve fuit illis seculis melior neqve expeditior qvæstus, qvàm hic miserorum & inanium studiorum, qvô crimine etiam nunc urgetur vera eruditio, qvia à paucis perspicitur, cùm barbariæ turpitudo manifesta sit omnibus. [5] Multi etiam inveniuntur, qvi modestiam & verecundiam, pudorem, cùm non possint non custodire studiosi bonarum artium, contrarias esse res putent vitæ utiliter agendæ, in qvo ferociam, audaciam, impudentiam, plurimi fieri intelligunt. [6] Qvi qvidem sunt, siqvidem videbuntur boni viri esse, exorandi nobis, ne præsentis temporis falsam qvamdam speciem utilitatis plus apud se, qvàm rectam & constantem rationem valere patiantur. [7] Sin erunt, qvales multi sunt improbi, scelerati, audaces, facinorosi, tanqvàm feras bestias declinemus, justissima in desperatione; castigari oratione aut meliores reddi posse. [8] Nostrorum autem studiorum castitatem tanqvàm pudicæ virginis magna cum cura custodiamus, qvæ si habemus reducta ad veritatem ab illis superiorum temporum erroribus, anniti debemus, ut omnibus modis integra & sincera conservemus, néve committamus levitate nostrâ ut illius turpi cupiditati ancillentur.

V. [1] Cùm autem varietas maxima sit in vitæ humanæ generibus videri alicui possit, educationum etiam discrimina tenenda esse, sed hoc aliter se habet: puerilis enim institutio uniusmodi est & simplex, qvamvis exeat in non unum modum vitæ. [2] Sicut athletarum cibus idem & corporis cura una proponeretur non ad eadem certamina; cùm alii luctatores, pugiles alii, alii pancratiastæ, nonnulli qvinqvertiones evaderent. [3] Non igitur metuendum ne parum aptus futurus sit puerilis animus verâ ratione literis ac moribus institutus, ad qvamcunqve professionem & artem faciendam. [4] Et ubi primùm adolescere & qvasi confirmari ingenia ætate cœperint, ad cujus visum fuerit professionem artis, aut cuicunqve generi vitæ

puerum applicari oportere, cum eorum sententiâ, qvorum potestati erit subjectus, tum de ipsius natura ac indole, eò etiam per hæc communia studiorum & vitæ præcepta sensim adducemus. De qvo qvidem differere præsentis instituti lociqve non est.

VI. [1] Atqve his explicatis, nunc qvæ discenda faciendaqve ingenuo puero de præceptis bonarum artium videantur, subjiciam: ut, qvemadmodùm initiô dixi, sit qvasi pro indice hoc scriptum eorum, qvæ omni tempore studiorum suorum, ex libellulis suis & dictatis magistrorum cognoscenda & percipienda pueri sibi sciant. [2] Ac primùm de discendo, qvâ voce studium litterarum accipi volo, dicam. [3] Diligenter & attentè audient pueri prælegentem magistrum, & † assvefacient ora sua ad veritatem

† *Adsvefacient ora sua*] Dici non potest qvàm utile monitum hoc sit. Si enim Præceptor gratus in sermone, svavis in efferendo, gravis in gestibus ac vultu audiatur quotidiè ac attentè inqve imitationem proponatur & exemplum, qvod referre aliqvando sedet animo; fieri non potest, qvin consvetudo vertat in naturam nosqve aliter non possimus, nisi sic habere, agere & pronunciare. Et sanè multum interest ad gratiam hâc vel illâ ratione, sonô, gravitate ac ponunciatione hoc vel illud vocabulum proferre an aliâ. Inde non ab re Seneca monet, ut semper vir aliqvis bonus eligatur & ante oculos constituatur, cujus ad imitationem omnes nostræ informentur actiones. Est ita Socratem Plato imitatus, ut junior Socrates passim, etiam ab Aristotele adpellaretur. Exemplô Pisistrati, Pericles; Periclis, Demosthenes; Demosthenis, Cicero; aliorum alii non solùm conscripserunt, sed & habuerunt orationes suas. Ὁ δὲ Πεισίστρατος, do verba Athenæi è lib. XII. καὶ ἐν πολλοῖς βαρὺς ἐγένετο· ὅπου καὶ τὸ Ἀθήνησιν ἐν Διονύσου πρόσωπον ἐκείνου τινές φασιν εἶναι εἰκόνα. *Pisistratus verò etiam in multis gravis fuit: & nonnulli quoque faciem, quæ in Bacchi Athenis visitur, ejus esse effigiem dicunt.* Et repræsentâsse posteà Pericles fertur. Plutarchus, in ejus Vita. Ὁ δὲ Περικλῆς, νέος μὲν ὤν, σφόδρα τὸν δῆμον εὐλαβεῖτο· καὶ γὰρ ἐδόκει Πεισιστράτῳ τῷ τυράννῳ τὸ εἶδος ἐμφερὴς εἶναι. *Pericles autem cùm juvenis quidem esset, valdè populum metuebat; nam Pisistratum tyrannum facie referre videbatur.* Atqve ut faciem, sic facundiam habebat; Plutarchus enim subjungit illis. Τήν τε φωνὴν, ἡδεῖαν οὖσαν, αὐτοῦ, καὶ τὴν γλῶσσαν, εὔτροχον ἐν τῷ διαλέγεσθαι, καὶ ταχεῖαν, οἱ σφόδρα γέροντες ἐξεπλήττοντο, πρὸς τὴν ὁμοιότητα. *Vocemqve ejus, svavem admodùm, & lingvam, in dicendo volubilem, celeremqve, horrebant viri seniô graves, ob similitudinem.* Huc pertinent, qvæ Valerius Maximus narrat. lib. VIII. c. IX. ex ext. 2. *Fertur quidam, cùm admodùm senex primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idem juvenis Pisistratum, jam decrepitum, concionantem audisset, non temperâsse sibi, quo minus exclamaret; Caveri illum civem oportere, quòd Pisistrati orationi simillima ejus esset oratio.* Sanè Pericles, ob hæc ipsa & potentiam, qvæ Pisistrateæ etiam planè similis, *Novus Pisistratus*; & amici item ejus, *Novi Pisistratidæ* dicti. Plutarchus alterum clare dicit; alterum innuit: ita enim alibi ait, in ejus Vita. Καίτοι τὴν δύναμιν αὐτοῦ, σαφῶς μὲν ὁ Θουκυδίδης διηγεῖται· κακοήθως δὲ παρεμφαίνουσιν οἱ Κωμικοὶ, Πεισιστρατίδας μὲν νέους τοὺς περὶ αὐτὸν ἑταίρους καλοῦντες. *Et potentiam quidem ejus, Thucydides disertè narrat; & malignè obiter ostendunt Comici, cùm familiares ejus novas*

tem lectionis & pronunciationis cùm literarum, tùm ſyllabarum atqve dictionum ad exemplum prælegentis. [4] In hoc præcipuam operam ponent, ut qvo ad ejus fieri poſſit, vernaculæ lingvæ & oris vitia corrigantur. [5] Qvæ juſſi erunt, ſive ex libro recitare, ſeu reddere memoriâ, ea dabunt operam, ut liqvidè * diſtinctè clarè pronuncient, non obruentes alias voces aliis, neqve confundentes textum lacerantesve filum orationis. [6] Inprimis cavebunt, ne ultimis, id eſt, terminalibus ſyllabis literiſqve dictionum, debiſcente palatô, ſonus intercidat, qvô perverſius fieri qvicqvam neqveat. [7] Accidit autem hoc plerumqve pueris metu erroris, cùm non comprehenderunt certas inflexiones vocum, qvare erit hoc proximè à lectione elaborandum, ut benè & diſertè omnes voces, qvas terminantes ſyllabæ in alios atqve alios fines declinant, flectere pro uniuſcujuſqve natura diſcant. [8] Cùm hæc fecerint, ſimul etiam deſcribere ipſi & effingere literas tenabunt, & eaſdem ſyllabis intexere, ſyllabaſqve ipſas dictionibus complecti. [9] Intereà ſi qvid proponetur Latinæ ſcripturæ, ſi qva ſententia memorabitur, ſi vox exponetur interpretatione magiſtri, notabunt diligenter cum intelligentia ſua apprehendentes, tum excipientes chartulis ſuis. Neqve ulla res aſſidentem puerum in ludo magis ornat, qvàm propoſita charta & in dextra eminens pennula.

VII. [1] Niſi autem erit jam ſtatim in puero † animus diſcendi cupidus, & qvaſi ſuſpenſus de voluntate magiſtri, non vagus cogitationibus, non aliud agens, haud unqvam bona mibi ſpes fuerit laudabilium in ſtudiis progreſſio-

notos Piſiſtratidas vocant. Inde etiam longiùs qvidam progreſſi vitia Præceptorum ſuorum exprimere minimè dubitârunt; ſunt Platonis diſcipuli contractos ejus humeros, balbutiem Ariſtotelis imitati; qvæ etſi non probo, docent tamen qvanta vis qvotidianæ vitæ acconſvetudinis ſit, qvantumqve docentis auctoritas valeat & amor.

* *Liqvidè, diſtinctè*] Dixi abundè de his ad Paſtorium de juventutis inſtituendæ ratione, Tomô II. Methodor. noſtrar. n. IV. c. II. 5. p. 226.

† *Niſi in pueroanimus diſcendicupidus*] Præclarè in c. V. ſecundi Politicor. libri Ariſtoteles bipartitam, pro duobus hominum generibus, diſciplinam facit ac inſtitutionem, unam proborum alteram improborum, illam mitiorem, hanc ſeveriorem. Nam hoc agendum, ut bonâ indole & ingenio ac naturâ præditi ita informentur & inſtituantur, ne immoderatè concupiſcant bona; qvæ vis & poteſtas eſt bonæ inſtitutionis. Apud improbos autem, qvia bonis præceptis flecti neqveunt, ut in officio tamen contineantur, hæc ratio tenenda eſt inſignis: primùm ut ne ad honores vel imperia tollantur, ſed in infima ſemper conditione relinqvantur. Sic enim etiam volentes, tamen nocere non poterunt, qvemadmodùm & *Æſchines* præclarè: Malam indolem maximas calamitates afferre Reipubl. imperiò magnô inſtructam: & contra *Plut. initiò vita Dionis*, maximas utilitates afferri ex conjunctione virtutis & potentiæ. Hâc igitur ratione improbis via nocendi præcluditur, & ipſa qvidem facultas: voluntas verò nocendi illis minuitur alterâ ratione, nimirum ſi injuriâ non afficiantur: qvia irritati ad vindictam ſe proripiant, qvæ duplex ratio improbis occurrendi, ut inſignis, diligenter eſt retinenda.

greſſionum. ² Ut enim ſtatim urit urtica, & cancri retrocedunt, & echinus aſper eſt, ita pravitas ingeniorum etiam teneris non eſſe occulta ſolet. 3 At ille, ut Virgilius, III. Georg. v. 75. ſ. canit:

Continuò pecoris generoſi pullus in arvis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit,
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.
Nec vanos horret ſtrepitus. Illi ardua cervix.
Argutumqve caput, brevis alvus, obeſaqve terga,
Luxuriatqve toris animoſum pectus.

Similiter & egregia ſtatim in pueris indoles eluceſcit, & ſecundùm honeſtatem ſeſe incitat. 4 Non autem placent mihi qvidam procaculi & animô ac ore faciles ac promti, præcepta magiſtrorum non ſeqventes, ſed antevertentes audaciâ ſuâ. 5 Intelligi enim volo nihil laudabilius neqve melius ad ſpem bonam in puero eſſe * verecundiâ: qvæ ſit tanqvàm fundamentum virtutis. Abſqve hac ſi qvis in literis ad frugem pervenit, inter rariſſimos caſus numeraverim. 6 Eſt autem puerilis ætatis propria commendatio verecundiæ & pudoris, ſicut virilis conſtantiæ, ſenum gravitatis. 7 Puer qvidem qvi vereri neſciet, nunqvam faciet officium ſuum.

VIII. ¹ Sed redeo ad rem propoſitam. ² Memoriæ qvæ præcipientur mandari, ediſcentur cum diligentia, non temerè corripientur. Ita & animi

* *Verecundiâ*] Bonum hanc in adoleſcente ſignum agnoſcit Seneca, Epiſt. XI. & de Spartanis Xenophon, *Pudorem qvaſi naturalem Spartani pueri concilient.* Plato. *duo ſunt*, inqvit, *qvæ per omnem vitam ducere debent adoleſcentem, in rebus turpibus verecundia, in honeſtis ſtudium.* Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται· *Verecundantium virorum plures ſalvi qvàm interfecti ſunt*, ait ſapientiæ fons Homerus Il. ε v. 563. Vide tamen qvæ ad hunc Homeri locum diſputet in Gnomologia ſua Jacobus Duportus Cantabrigienſis Græcæ Lingvæ Profeſſor Regius, p. m. 28. 29. Pulchrè Symmachus: *Qvorum mens honeſta eſt, eorum imbecilla frons eſt.* Diogenes Cynicus olim ἰδὼν ποτὲ μειράκιον ἐρυθριῶν· θάῤῥει ἔφη· Τοιοῦτόν ἐστι τῆς ἀρετῆς τὸ χρῶμα: *cernens adoleſcentulum erubeſcentem: confide; inqvit, talis virtutis eſt color;* apud Eraſmum in Apophthegmatib. p. m. 277. lib. III. Menander: Πᾶς ἐρυθριῶν γε χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ. *Qviſqvis erubeſcit, cenſeo hunc ego probum.* Catonis dictum è Plutarcho repetit idèm in V. Apophthegmat. Eraſmus, p. m. 505. *Sibi placere magis juvenes, qvi rubeſcerent, qvàm qvi pallerent; qvòd rubor arguat probam indolem, pallor non item.* Plutarchi Græca hæc ſunt: Τῶν νέων μᾶλλον ἀγαπᾷν τοὺς ἐρυθριῶντας, ἢ τοὺς ὠχριῶντας· Pythias Ariſtotelis filia rogata, qvis eſſet color pulchertimus? is, inqvit, qvem in ingenuis gignit pudor. *Agnoſcas.* ſubjicit Deſiderius lib. VIII. Apophthegm. p. m. 796. *vel ex hoc dicto Philoſophi filiam. Solent autem feminæ aliis coloribus alia delectari.* Bernhardus: *Qvid amabilius verecundô adoleſcente? qvàm pulcra, & qvàm ſplendida gemma eſt morum verecundia in vita & vultu adoleſcentis! qvàm vera & minimè dubia bonæ ſpei nuncia!* Et Tertullianus, *mentis ſtatum in fronte conſiſtere*, non veritus fuit dicere. Et alius: *Cognatus virtuti pudor.*

mi hæc pars rectè exercebitur, & qvæ præcepta fuerint poterunt retineri. [3] Præcipuam verò sentiunt utilitatem, si non modò autorum certos locos aut textum scriptorum, sed etiam interpretationem à magistro accommodatam memoriter recitare posse didicerint, hoc memoriam mirificè exercet, & intelligentiam excitat, & illam negligentiâ innascentem socordiam excutit. [4] Cùm jusserit magister sententiam aliqvam in Latinum pueros convertere, pro se qvisqve annitetur, ut qvàm bellissimè absolvat pensum suum, neqve operas conferent, neqve doctrinulas suas inter se qvasi mutuabuntur. [5] Nam debet magistro, ut uniuscujusqve ingenium, ità qvantum qvisqve proficiat qvoqve esse notum.

IX. [1] Ut autem dicam breviter universa: Rectè se gerent pueri, si versabuntur in studiis suis cum diligentia & cura, absqve calliditate & neqvitia. [2] Qvid ego curare, qvod agendum sit, eum putem, qvi sedeat post libellum, caput manu sustinens nixâ cubitô, qvi ad omnem strepitum, vocem, sibilum, oculos, caputqve circumagat, qvi mussitet aliqvid, inhiet parieti aut tecto, oscitet, tantumqve non & stertat? [3] Summa igitur est in hoc, qvod dixi, cum diligentia & cura versari in studiis. [4] Et qvod addidi, sine calliditate & neqvitia, propter improbos & veteratores qvosdam pueros, qvi qvasi aleâ ludentes nihil agunt simpliciter, apertè, fideliter: neqve unqvàm nisi metu suum officium faciunt, à qvibus vitiis abesse oportebit eos, qvi spem facturi sint magistris frugis bonæ.

X. [1] Dixi de studio, superest ut morum præscripta perseqvar. [2] Nemo fuit unqvam veterum, qvi vitæ præcepta daret, qvi non à veneratione † & cultu numinis divini ordiretur. [3] Qvod eô magis custodiendum nobis est, qvô certiora de divinitate omnia nos habemus. [4] Principiò igitur castâ mente Deum pueri colere & adorare discant, Libenter audiant qvæ pietatem erga illum instruere & augere possint. [5] Hæc qvalia esse debeant, magistri judicium & cura fuerit. [6] In sacris concionibus libenter, sedulò, studiosè aderunt. [7] Inter ceremonias, ritus, operationes sacrorum, astabunt verecundè & compositô ore ac qvietô vultu. Deum tum maximè aspicere ad se arbitrabuntur, coramqve illo se astitisse. [8] Precibus operam dabunt non in cœtu solummodò & conventu hominum, sed etiam ubi soli erunt, Harum * formulas præscribent magistri. [9] Secundum Deum observa-

† *A veneratione & cultu*] Digna est hæc laurus, qvâ omnes ædificii postes ornentur. Nec enim nisi primam ac maximè conspicuam meretur sedem, qvæ Platoni propugnaculum honestatis ac honestæ disciplinæ vinculum, Plutarcho coagulum omnis societatis ac firmamentum justitiæ, Philoni efficacissimum amatorium, & vinculum indissolubile benevolæ amicitiæ, aliis aliter nunqvàm falsò elogiô nuncupata, uti amorem sui prosperitate solidâ: ita fastidium & impietatem turpi ruinâ compensat.

* *Harum formulas*] Conlegit tales magnô studio è Chrysostomo, Basilió, Nazianzeno, Isidoro Pelusiota, Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Lactantio, Bernhardo, Kempisio, Savanorola, Luthero, Melanchthone, Erasmo, Ludov. Vive, Chytræis, Beustio, Joh. Gerhardo,

vabunt venerabunturqve parentes suos, & si qvibus par debetur reverentia; ut sunt cognati & consangvinei, & illi in qvorum tutelam forte venerunt aut dati sunt, & qvibus ad virtutem educandi commissi fuêre. [10] Hos vel verbulô offendisse pro piaculo ducent. His parebunt monentibus, non irascentur, si qvando ita poscente re castigaverint. [11] Ut autem, qvemadmodùm Horatius, lib. I. Ep. I. 39. 40. ait:

Nemo adeò ferus est qvi non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem:

Sic opera omnis qvæ in refragantibus istis castigationi & indignantibus monitioni, & contumacibus sumitur, perit. [12] Optandum qvidem, instituendum bonis artibus ac moribus eum contingere puerum, qvem verba moveant. Nam verè dicitur, vix unqvàm plagis meliorem fieri, qvi verbis non corrigatur. * Si tamen, ut nostrorum hominum magna est feritas, ver-

hardo, Petro Heigio & aliis in Digestis Pietatis Georg. Richterus, qvæ Norimbergæ evulgavit CIↃ IↃC XXXVI. in 12. Doleo Joh. Avenarii librum precationum additum non esse integrum & incorruptum, qvamqvàm ne qvidem ex parte, qvid ex illo reperiri ibi meminerim. Præscripsit & laudandâ Methodô Jacob. Horstius, olim Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium Medicus, & in Academia Julia Professor haut unus è multis, tam Doctoribus, qvàm discipulis, qvæ in Theoria & Praxi Medicinæ, cumprimis circa pietatis studium in devotis ad DEUM precibus qvotidie observanda sint, peculiari precationum libellô multos ante annos editô.

† *Si tamen*] *Δύο παιδεύοντες τοὺς νέους, ἥτε τῶν ἀδικούντων τιμωρία, καὶ ἡ τοῖς ἀγαθοῖς διδομένη δωρεά*, ait Lycurgus in Orat. contra Leocratem. Præmiis & pœnis publica nititur res, constat eis & scholastica, constat & domestica: De præmiis Hieronymi monitum est: *Syllabas jungat ad præmium, & qvibus illa ætas deliniri potest, munusculis invitetur.* De pœnis ipsi Scriptores sacri præcipiunt crebrò. Et ut Proverb. III. 12. XXII. 15. XXIII. 13. hic non prolixè adducam, aliaqve Auctorum loca, dicti in Proverb. libri c. XXIX. 17. dicit Regum sapientissimus: *erudi filium, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ*; sed præmiserat 15. commate: *Virga atqve correptio tribuit sapientiam, puer autem, qvi dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam*, Ita ut cavenda sit hinc indulgentia illinc sævitia. *Indulgentia nervos omnes & mentis & corporis frangit &c.* Vide aureum Qvinctiliani locum I. Institut. c. II. & part. II. Methodor. nostrar. p. 470. Sævitia deterret atqve avocat à studiis; qvare, absint Orbilii plagosi, *πάνος ἀγήματα*. nullum vas aureum ajunt solis mallei ictibus effici. *Vidistis qvæso unqvàm artificem ex lamina auri vel argenti solis percussionibus imaginem speciosam efformâsse?* qværit Anshelmus in Similitudinib. Neqve tamen minus qvoqve desistas filiis adhibere *παιδείαν*, id est, puerilem doctrinam (qvæ non solùm constat præceptis, sed etiam castigatione verborum & verberum) dum maximè se protervè gerunt: qvamvis ob id durus genitor audias, qvi nec teneris puerorum annis, nec nutricularum precibus, nec vicinorum obloqviis flectaris. Sola pietas est hac in re esse crudelem. Sic pampinis luxurians vitis & palmitibus, putatur, & carpitur; ut copiosis botris posteà gravidetur: ita nux baculis & saxis impetitur, ut magnô juglandium fœtu exu-

verberibus usus indigere videbitur, non patientur ea magistri reqviri, qvæ inflicta sic debebit æqvô animô ferre puer, ut tantùm caveat, ne qvantô iterum meritô sustinenda sibi sint,

XI. ‡ Proximus ab his, qvos diximus, venerationis debetur * senibus locus: qvi & ætate sunt parentibus proximi, & adolescentiam exemplis & doctri-

exuberet: ita superflui & inutiles cæduntur arborum surculi, ut liberiùs in altum mater arbor exspatietur, & exsurgat; ita in torculari uvæ calcantur, ut plenis spumet vindemia labris; ita flagellis fruges in area excutiuntur, ut emendata Ceres panis fiat nobilior: sic linum tunditur, maceratur, carminatur, vellitur, texitur, ut in decorum indumentum aptetur: Ita deniqve aurum purgatur, liqvatur, politur, ut factum, cælatumqve Regum mensis adhibeatur. Experientiâ videmus herbas qvasdam dum pedibus premuntur lætiùs crescere. De Camamilla certum est, & de croco scribit Plin. l. XXI. c. VI. extr. gaudet calcari & atteri, pereundoqve meliùs provenit. fortè legendum, premendo, id est, dum premitur. Mirum est profectò qvantum cura moderatorum possit in formandis juvenum moribus etiam durioribus, ut de Achille canit Ovid. lib. I. de Arte amandi, v. 11. f.

Phyllirides puerum citharâ præfecit Achillem
Atqve animos placidâ contudit arte feros:
Qvi toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Qvas Hector sensurus erat, poscente magistrô,
Verberibus jussas prebuit ille manus.

Vide qvæ scribat Ruffinus lib. X. Eccles. histor. c. IX. de egregia institutione Ædesii atqve Frumentii adolescentum sub disciplina Meropii Philosophi, & plura alia, qvæ adfert Johan. Bonifac. lib. de Institut. pueri Christiani. Adpositè Bernhardus, Epist. CXIII. *O qvam composi-tum*, inqvit, *reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina? Cervicem submittit, ponit supercilium, componit vultum, legit oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum.* Similia Cyprianus de discip. & habitu virg. *Disciplina*, inqvit, *custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. Facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, ad promissa cælestia & divina præmia pervenire.* Hæc ille.

* *Senibus*] *Frustra flores suos majoris æstimat juventus, qvàm fructus senectutis. Cassi illi sæpe & inanes, hi dulces & salubres. Ego nisi de messe non gratulor, ut solet avarus agricola, qvi ubertatem anni nisi in horreis non metitur;* ait Ennodius ad Johann. in Menum. Orthod. p. 284. Sunt sanè senes colendi ut rerum publ. fulcra, ut Ecclesiæ columina, ut lumina familiæ.

Plus valet umbra senum, qvàm gladius juvenum.

Nive hac solutâ multum fit luti. Obice hôc remotô, perrumpunt malorum torrentes. Cadentibus his tibicinibus, stare Resp. diu neqvit. Clausis his oculis, omnia tenebrescunt. Remotis his nauclеris, in Syrtes & scopulos fertur navigium. Exempla notissima sunt, nec opus est, ut Soli præferam facem. Ergò, ut ait Phocylides,

Incanum reverere caput; concede senectæ
Sede & honore omni: majorem deniqve natu
Æqvalemve Patri æqvali cole semper honore.

doctrinâ instruere possunt. [2] Erga alios autem cunctos gerent sese placidè, mansvetè, verecundè, non procaciter, ferociter, impudenter, in primis cum æqvalibus suis amabiliter versabuntur. [3] Thracica hæc est disciplina, cohortari pueritiam ad detrectanda imperia, referendam vim atqve injurias, reclamationes, repugnandum, ulciscendum, qvæ cultu Musarum, sicut est, alienissima habenda. [4] Qvid ego moneam de mendacio, persi-

Qva de caussa rectè à Platone illud inter leges relatum: *Qvisqve seniorem, re & verbô, colat. Ac si viginti annis major est, qvasi Patrem, si vir fuerit; aut si mulier, qvasi Matrem revereatur*, lib. XI. Qvem honorem ipse in verbo suo Sanctus Spiritus commendavit. Levit. XIX. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum.* Ubi postrema verba de Dei timore, faciunt ad majorem hujus mandati commendationem & sanctionem, qvasi per ejus contemptum aut omissionem excuteretur Dei timor. Qvod autem statim seqvitur, *Ego sum Deus tuus*, videtur comminationem contemptoribus insinuare. Observârunt eumdem post Hebræos, de qvibus & hic in promptu est locus Thren. V. 12 14. morem qvoqve Ægyptii apud Herodotum in II. Lacedæmonii è lege Lycurgi, auctor ut est Xenophon de Lacedæmonior. Republ. & Plutarchus in, an Seni sit gerenda Respubl. sicuti & Romani, de qvibus vide Dionys. Halicarnass. in VI. c. LVII. & Aul. Gellium lib. II. c. XV. Audi Juvenalem Sat. XIII. 54.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat, & si
Barbato cuicumqve puer, licet ipse videret
Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere qvatuor annis
Primaqve par adeo sacra lanugo senectæ!

Item Ovidium in V. Fastor. 57. (errat enim Andr. Rivetus adducendos hos Ovidii versus citans è libro III. Tristium, in Epistola de Senectute bona p. m. 27. edita Bredæ CIↃ IↃC L. in 8t. nec fuit mutatum hoc mendum in edit. Roterodamens. Operum Riveti part. II. p. m. 1261. a.)

Magna fuit qvondam capitis reverentia cani,
Inqve suo pretio ruga senilis erat
Nec nisi post annos patuit, nunc curia seros:
Nomen & ætatis mite Senatus erat.
Jura dabat populo senior, finitaqve certis
Legibus est ætas, unde paratur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat: & interior, si comes unus erat.

Adeò in honore senectutis omnes gentes nationesqve, degeneres paucas humani ritus & genii excipe, conspirâsse videntur. Audiant præterea hos senes juvenes & ab illis discant, nam

Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus;

auctore Prudentiô in II. advers. Symmach. v. 322.

Qvare si sapiens, & si pius es puer: audi
Et cape verba Patrum consiliumqve senum.

Ut S. canit Paullinus ad Licent. Præclarus est ordo, qvem Appulejus Madaurensis Platonicus in p. m. 363. Floridor. v. 23. edit Francofurt. M. DC. XXI. in 8t. his verbis describit: *Omnem disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent.*

perfidia, maledicentia, odio, calumniis vitandis, quæ etiam in adultis abominamur? [5] Qvòd si qvis ita malus fuerit naturâ, ut his vitiis immedicabiliter laboret, eum è cœtu studiosorum tempori submovendum censuerim; ne tanqvàm una morbida ovis totum gregem inficiat. [6] Si qvem puer æqvalium suorum intelligit se doctrinâ aut exemplô instruere posse, illum præ ceteris diliget, colet, complectetur, studebitqve ejus intelligentiâ doctior, & ductu melior reddi. [7] Turpissima res est † impudentia, sed in pueris præcipuè, qvos convenit & ore, & lingvâ, & animô pudentes esse. [8] Non igitur intuebuntur torvum aut immane, sed oculos sæpe demittent. Aspicient liberè non audacter. [9] Non petulantes, garruli, litigosi, non contumeliosô sonô orationis, non pervicaces neqve temerarii. [10] In stando habitum corpora conservabunt decentem & rectum. Ante se manus, pariter

† *Impudentia*] Tria, præ ceteris, liberos suos, Persas discere voluisse, accepimus; *Vera loqvi: Legibus obtemperare: apud senes verecundari.* Prudenter! Neqve enim fidei mendaciô factus lapsus corrigitur facilè ac emendatur: nec vel salus ipsa hunc servare potest, leges qvi servare non didicit, & ab his esse liber solutus ac immunis cupit. Verecundia verò, ut Ciceronis de sententia, virtutum omnium, maximè verò honestatis & continentiæ custos: ita vitiorum cunctorum mater impudentia est, & nutricula omnis dedecoris circa adspectus, tactus, turpiaqve commercia. Aristoteli II. Magn. Moral. c. XXX. & II. Rhetor. c. VI. Item Xenophonti de Ingratitudine, §. XI. Ἀναίδεια fons omnium vitiorum est, & dux ad turpissima qvæqve, miseros & incautos homines depellens ad promiscuè loqvendum in omnes, & omnia agens, utcumqve evenerint. Euripides in Medea eam vocat *gravissimum inter homines morborum omnium.* ὦ μεγίστη, inqvit, τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων πασῶν ἀναίδεια. Cujus rei exemplum habemus clarissimum in monstro illo hominis Caligula, qvi certè, nisi homine indignô hôc vitiô laborâsset, nunqvàm ille κύνωψ, id est, caninô vultu insignis, & canis impudens, qvem omnis turpitudinis depuduerat, dixisset: *nihil magis in natura sua laudare se, ac probare, qvam* ἀδιατρεψίαν· hoc est, inverecundiam. Sveton. in vita istius carnificis, c. XXIX. 1. S. Bernhardus Sermon. LXXXVI. sive ultimô in Canticum, qvi est de commendatione verecundiæ, hæc habet inter cetera. *Verecundiam libet quasi speciosum florem decerpere, nostrísque apponere adolescentibus, non quia non sit & in provectiori ætate omni studiô retinenda, quæ est omnium ornatus ætatum, sed qvòd teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius, pulchriúsque emiteat. Quid amabilius verecundô adolescente? quàm pulchra hæc, & qvàm splendida gemma morum in vita, & vultu adolescentis, quàm vera, & minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index? virga disciplinæ est illi, lubricæ ætatis motus, actusque leves coërcens, soror continentiæ, testis innocentiæ; lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe, vel indecorum residere attentet, quod non illico prodat: specialis gloria conscientiæ est, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem fortè invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffuso afferre vultui solet! usque adeò germanum animi bonum verecundia est, ut & qui malè agere non verentur, videri tamen verecundentur; dicente Dominô, omnis qui malè agit* odit

ter pedes, os rectum tenebunt. [11] Omnino * loqventur pauca, sed præsentibus natu majoribus, aut dignitate & genere præstantibus, paucissima. Secundùm Epicharmi præceptum ἀλλὰ σιγᾷν ἐς' ἀγαθὸν ὄκκα παρέωντι κάῤῥονες, id est: Est bonum silere, qvoties fortè adest potior aliqvis. Et rectissimè dicitur, non sæpè nocere tacuisse: nocere sæpe locutum esse. Et Teutonicâ lingvâ laudabile esse silentium, sed laudabilius loqvi, si qvis benè & rectè sciat. [12] Qvod in pueris vix evenit unqvàm propter imperitiam & infirmitatem mentis. [13] Loqvaculi igitur ferè & vani sunt, etiam cùm ille promptus sermo aliqvid habet qvasi elegantiæ: suntqve similes lingvaces, ut sic appellem, illi, solstitialibus flosculis; qvi repentè exoriuntur, repentè occidunt; haud enim ferè perveniunt ad bonam frugem. [14] Si qvis aliqvem rogaverit puerum, respondebit ille tum demum, cùm finem dicendi interrogator

odit lucem, Joan. III. 20. Vide plura apud illum. Maximus Valerius, libr. IV. c. V. multis verecundiam commendat, & inter cetera vocat eam *parentem omnis honesti consilii, tutelam sollemnium officiorum, magistram innocentiæ, charam proximis, acceptam alienis, omni locò, omni tempore favorabilem præ se ferentem vultum*, ubi etiam multa adfert exempla.

* *Loqventur pauca*] Commendatur in adolescente taciturnitas, qvæ argumentum est verecundiæ, prudentiæ, & bonæ educationis: ut loqvacitas impudentiæ & stoliditatis. Clemens Alexandrin. II. Pædagogi, c. VII. *Silentium mulierum virtus est, adolescentium verò honor, omnis periculi expers.* Dictum sibi existiment juniores illud Philosophi: *Breviter, rarè ac submissè loqvamini*: & illud Senecæ: *Auribus freqventiùs qvàm lingvâ utere.* S. Ambros. Officior. I. c. VII. *Silendi patientia & opportunitas loqvendi, & contemtus divitiarum maxima virtutum fundamenta sunt.* Cassianus ait, primum disciplinæ ingressum religiosis olim fuisse silentium. Præclara scribit Gellius in I. c. IX. de ratione & ordine Pythagoræ, qvem tenebat in recipiendis instituendisqve discipulis. Cùm enim naturas & mores eorum ex oris vultusqve ingenio, & totius corporis filo perspexisset, cuiqve certum tacendi tempus præscribebat, non omnibus idem: sed aliis aliud pro captu sollertiæ æstimato. Is autem qvi tacebat, qvæ dicebantur ab aliis, audiebat; neqve percunctari, si parum intellexerat, neqve commentari, qvæ audierat, fas erat. Sed non minus qvisqvam tacuit, qvàm biennium. Nomen autem huic silentio erat ἐχεμυθία· qva de, vide agentes Jamblichum, l. de Secta Pythagoræ, c. XVII. Sidonium Apollinarem, Epist. XXI. Jacob. Schallerum in Ethica Pythagorica, §. 8. Cl. Schefferum in libro singulari ac admodùm erudito de Nat. & Constitut. Philosoph. Italicæ, c. XII. p. m. 114. edit. Upsal. M. DC. LXIV. in 8t. Addo locum ex Appulejo in Floridis: *Tot ille*, inqvit, in p. m. 352. v. 9. *doctoribus eruditus, tot tamqve multijugis fontibus disciplinarum toto orbe haustis, vir præsertim ingeniò ingenti, ac profectò supra captum hominis animi augustior, primus Philosophiæ nuncupator & conditor, nihil prius discipulos suos docuit qvàm tacere; primaqve apud eum meditatio, sapienti futuro, lingvam omnem coërcere: verbaqve, qvæ volantia poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premere. Prorsus, inqvam, hoc erat primum Sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loqvitari dediscere. Non in totum ævum tamen vocem desvescebant; nec omnes pari*

rogator fecerit, non interrumpet sermonem. [15] Respondebit autem non temerè neqve subitò, sed cum ea, qvam ætas hæc fert, cogitatione atqve modestia. [16] In universum qvidem cogitatio exqvisita hujus ætatis nulla †: Qvæ-

pari tempore elingues magistrum sectabantur: sed gravioribus viris brevi spatiò satis videbatur taciturnitas modificata. Loquaciores enimverò ferme in qvinqvennium velut in exilium vocis puniebantur. Vide & Isocratem in Busiride.

† *Cogitatio exqvisita hujus ætatis nulla*] Ego dicam raro. Fuerunt enim interdum singulari qvòdam fatò res ad magnas destinati, qvi maturè admirabilia in literis specimina dederunt. Talia in *Torqvato Tasso*, *Mazonio*, exempla recenset Erythræus. Nostrò seculò *Grotium* & *Heinsium* habuimus, in ipsa puerili ætate & libris & carminibus editis celebres. Prodigio similia sunt, qvæ de *Martha Marchina*, virgine Neapolitana, penè infante, memorat *Erythr. Pinac. III. n.* LXV. qvæ à nemine, nisi fortassis divinitus, edocta, egregie Græcam, Latinam & Hebraicam lingvam noverat, tum Philosophicis, Philologicis ac Liberalibus omnibus disciplinis non leviter erat, sed literatè, perita; deinde Epigrammata Græca, sed Latina inprimis, eleganter argutèqve conclusa fundebat ex tempore. Singulare qvoqve *de Jacobo Martino Modonesio* exemplum ibi memoratur, qvi septennis puer à *Joh. Bapt. Mezetto* Servita omnibus scientiis imbutus, adversus omnes accuratè disputare potuit. Sed infelix hujus rei eventus fuit, testaturqve *Athanasius Kircherus in epistola ad Qvirinum Kuhlmannum*, Modonensem illum ab omni posteà ingenio destitutum, stupidumqve & nulli rei aptum fuisse. Qvod & *Jacobo Marchisetto* Pisaurensi contigit, qvi tredecim annos natus totam Aristotelis Philosophiam complexus est, ut omnes in examen provocare ausus sit, posteà tamen illam admirabilem ingenii vim amisit; epistolis tamen scribendis à Pontifice admotus: de qvo videatur *Erythræus Pinacoth. I. n.* LXXII. De omnibus Romanis ingeniis judicat Favoritus in Virginii Cæsarini vita, qvæ inter Poëmata septem illustrium Poëtarum habetur, illa primâ ætate statim sapere, sed rarò esse vitalia ac à vigore illa concidere. Multa ejus generis exempla collegit *Balthasar Bonifacius in Historia ludicra, lib. XIX. c. X.* qvi talia etiam apud veteres non rara fuisse ostendit. Recentiora multa exempla collegit Colomesius in notis ad Qvintiliani Institutiones, qvæ in opusculis ejus literariis habentur, proœm. libr. VI. ad illa verba, qvibus filii sui decennis, jam præclara ingenii specimina edentis, obitum deplorat. *Non flosculus fuit ut prior, sed jam decimum ætatis ingressus annum deformatos fructus ostenderat* p.m. 227. Lucarus ante vicesimum ætatis annum Poëmation scripsit Ovidio falsò tributum, de qvo Hadr. Junius Animadvers. lib. VI. c. I. Plinius Junior annos natus qvatuordecim Tragœdiam Græcam scripsit, ut ipse testatur, lib. VII. Epist. IV. Praxagoras Atheniensis annum agens undevicesimum scripsit libris duobus de Regibus Athenarum; & de Constantini Gestis libris totidem, annos natus duos & viginti. *Photius in Bibliotheca.* Avisena Medicus & Philosophus insignis, nondum decenni major literas humaniores, & qvicqvid scientiarum ad Alcorani intellectum pertinet, calluisse dicitur, & totam ἐγκυκλοπαιδείαν ante annum ætatis decimum octavum absolvisse, qvò temporis spatiò nec unam noctem integram dormivisse tradunt Arabum Scriptores. Adolescens qvidam Lutetiæ fuit anno M.CCCC. XLV. qvi qvamvis viginti tantùm annorum esset, tamen omnes ar-

Qvædam tamen attentio est earum rerum, qvàrum præcepta & doctrinam perceperit. 17 Nimium qvidem & qvasi senile qviddam sapere pueros, ita est

tes & scientias adeò perfectè calluit, ut ideò Antichristus à Diabolo genitus esse judicaretur. de eo vide Paschasium in Opere Gallico inscripto *Recherches*, lib V. c. XXXVIII. Andreas, Petrus, Jacobus, germani fratres, natione Frisones, cognomine Canterii, unica cum sorore, pueri adhuc decennes, in omni disciplinarum genere egregiè disseruêre; qvos non modò Germania & Gallia, sed tota penè Italia, ipsaqve Roma & novit & admirata est. *Hæc Paulus Schalichius, p. 420. Operum.* Philippus Beroaldus justò fermè opusculò dum penè adhuc puer esset (Nic. Burtiò teste in Libello cui titulus est *Bononia illustrata*) Servii in Virgilium errores prosecutus est. Ludovicus Stella qvindecim annorum adolescentulus, adeò doctus Græcè extitit, ut hâc ætate Lucianum, Aristophanem, ac Theodori Gazæ Grammaticam, in freqventissima auditorum luce Aureliæ magna cum admiratione docuerit; cujus laudis memoria publicis est literarum monumentis à Joachimo Fortio consignata. Nicolaus Borbonius Ferrariam scripsit annum agens decimum qvartum. Carmen extat in fine Nugarum ejusdem. Johannes Calvinus Noviodunensis Senecæ libros de Clementia Commentariis illustravit, cùm annum ageret vigesimum qvartum, A. D. M.D.XXXII. Stephanus Boëtianus librum scripsit de servitute voluntaria annô ætatis decimô sextô; de qvo Mich. Pontanus, Periculorum lib. I. c. XXVII. Henricus Stephani penè puer, ut de se testatur, Calvini Catechesin Gallicam Græcam fecit, & ita fecit ut Philippo Swartzerd Græcè Melanchthoni fecerit satis. Aldus Manutius, Paulli filius, Commentarium de Orthographia scripsit annô ætatis decimô qvartô, & alium de Notis veterum ætatis 19. Isaacus Casaubonus Diogenem Laërtium notis illustravit annô M. D. LXXXIII. ætatis 25. & Arnaldo patri eas dicavit; hæ posteà auctiores recusæ suntannô M. D. XCIV. Johannes Spondanus Mauleonensis in Homerum Commentarios scripsit annô M. D. LXXXIII. ætatis 25. Theodorus Canterus Varias Lectiones scribebat annô ætatis 20. ut ipse testatur lib. I. c. XVII. Johannes Laëzius Rupellanus (ad qvem in Epistolis Dordrechti vulgatis Hadr. Junius, p 183.) Ciceronis Orationem pro Archia Commentariis illustravit penè adhuc prætextatus. Claudius Puteanus ante annum ætatis vigesimum notas in Vellejum Paterculum scripsit. Janus Douza, Jani filius, Catullum, Tibullum, Propertium notis illustravit annô ætatis 19. Hugo Grotius Jani filius, Martianum Mineum Felicem Capellam notis illustravit annum agens 15. & Arateorum Syntagma annô 16. Daniel Heinsius Gandensis Crepundia Siliana scripsit annos natus viginti. Claudius Salmasius Nilum & Barlaamum de Primatu Papæ recensuit ac emendavit, cùm annum vix decimum qvartum ageret. Opus Heidelbergæ excusum est annô M. DC. VIII. Cujus ne se senem qvidem posteà pœnitere docuit, cùm iteratò ad calcem Libri de Primatu excudendum tradidit. Idem annô ætatis 15. Florum emendavit & explicuit, Heidelbergæ itidem excusum annô M. DC. IX. Isaacus Vossius Geographum qvendam sub Scylacis nomine cum versione & notis vulgavit annô M. DC. XXXIX. ætatis 21. natus est enim Lugduni Batavorum annô M. DC. XVIII. Alia exempla suppeditabunt consummatissimæ lectionis viri Andreas Tiraqvellus in Opere de Nobilitate & jure primigeniorum p. 435. 448. & Leo Alla-

est ingratum, ut etiam aversari soleamus, & odisse senili * pueros sapientiâ. [18] Sed non tamen ferendi sunt omnia temerè dicentes atqve facientes. [19] Cogitabit igitur hoc saltem puer priusqvàm qvicqvam dicere facereve incipiat: num laudabile id sit, atqve hoc de præceptiunculis magistrorum suorum exqvirit. [20] Si laudabile esse invenerit, aggreditur; & qvidem confidenter. [21] Sin contrà refrenabit incitatam cupiditatem suam. [22] Si verò dubitabit, tantisper continebit se, dum qvid rectè fiat constitutum certumqve habuerit. [23] Qvi enim ad omnia feruntur, ut qvidqve subiit animum & cupiditatem, nunqvàm non peccant: etiam cùm fortè non vitiosissimè cecidit qvod egêre. [24] Nam in hoc ipso culpa est, qvod fecerunt temerè, etsi vix unqvàm, qvæ hôc modô suscipiuntur, rectè fieri solent.

XII. [1] Decet & honorem præfari, & gestu significare reverentiam, cùm persona ejus, qvi colloqvetur, merebitur. [2] Hæc sunt apud alios atqve alios aliusmodi. Apud nos & nudari capita, & modicè flecti genua, & appellari domini, vel etiam cum appendice venerabiles, clementes, magnifici domini, consvevêre. [3] Turpe est astantem divaricare crura, turpiùs crebrò mutitare aut contorqvere; Sed & manus otiosæ esse debent, sive qvid illis tenetur, seu vacuæ compositæ sunt. [4] Has pectinatim inter se complicare ominosum vulgo creditur, certè tristiciæ animi est indicium. [5] Non laudo mentum affigere pectori, & nimium dejectis humi oculis consistere. [6] Multò meliùs verecundè intuebitur colloqventem puer, nisi aliqva illius oratio pudorem & erubescentiam efficere debeat. [7] Incurvare collum, indecorum est. Ansatum, ut Plautus, Perf. II. V. 7. dixit, astare, & ingredi militari gestu non decet: crebrô circumspicere & incedendo se convertere, multò

Allatius in Apibus Urbanis p. 144. & seqq. At prudentibus viris semper prodigiosa illa præcocium ingeniorum maturitas suspecta, qvæ succô tandem suô destituta extingvitur. Qvinctilianus eôdem, qvem supra laudavimus, locô, filii sui exemplô testatur, qvòd observatum sit, *celeriùs occidere festinatam maturitatem, & esse nescio qvam, qvæ spes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra, qvam homini datum est, nostra provehantur.* Ipse Aristoteles in Rhetoricis ex vetere Poeta reprehendere videtur magistros nimis anxios & sedulos, qvi pueros nituntur triduô Philosophos efficere. Vulgo dicunt: Qvi pueri adhuc & velut ante tempus sapiunt, eos in senectute stultos evadere, si Erasmo credimus in p. 243. b. Adagior. Qvod L. Accius adprobare videtur, qvi apud Gellium, lib. XIII. c. II. ait: *itidem esse in ingeniis, qvod in pomis. qvæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & jucunda. Sed qvæ gignuntur statim vieta & mollia, atqve in principio sunt uvida; non matura mox fiunt, sed putria. Relinqvendum igitur visum est in ingenio, qvod dies atqve ætas mitificet.*

* *Odisse senili pueros sapientiâ*] Est, inqvit Appulejus in Apolog. p. m. 328. v. 4. *ille Poëtæ versus non ignotus:*

Odi puerulos præcoci sapientiâ.

Sed enim malitiâ præcoci puerum qvis non aversetur, atqve oderit? cùm videat velut monstrum qvoddam, prius robustum scelere qvam tempore, ante nocentem qvàm potentem, viridi pueritiâ, canâ malitiâ? vel potius hôc magis noxium; qvòd cùm veniâ perniciosus est. & nondum pœnæ, jam injuriæ sufficit. Hæc Appulejus.

multò minùs, id qvod & Spartiatarum disciplina fieri passa non est. [8] In sedendo similiter & pedes & manus ociosæ erunt nisi cùm in accubitu ad mensam cibus capietur. [9] Non contrahentur humeri, neqve gibbô tergum deformabitur, qvod à pravis fit, neqve obliqvè collum detorqvebitur. [10] Qvid ego autem pedores, ructus, sputa prohibeam, qvæ nulla anus rustica fert in suo filio.

XIII. [1] Sed agendum si qvid erit pueris, sive suarum seu aliarum rerum, ut qvibus fortè ministeria incumbunt: annitentur, ut fiant omnia strenuè, accuratè, paulatim, graviter, non oscitanter, negligenter, præposterè. [2] Inservient omnibus libenter & studiosè, alacritate animi & facilitate maximâ, habet enim hoc eximiam in pueris laudem. [3] In his potissimùm & segnities & festinatio est vitiosa. Videas enim qvosdam somniculosè omnia, qvosdam concitatè & turbulentè dicere atqve facere. Inter hæc medium, ut semper, laudatur: Qvò non decus solum præstatur, sed utilitas qvoqve, nam & negligentia & festinatio † nimia, ferè detrimentosa esse consvevit: [4] Qvocunqve manus proferentur, eòdem & oculi intenti sint, qvod à stolidis istis & furibundis ferè non modò cum dedecore, sed etiam damno negligi cernimus. [5] In ministerio neqveunt universa qvæ facienda sint enumerari: ex his autem generalibus præceptionibus facilè perspicientur à non prorsus deplorati ingenii puero.

† *Festinatio nimia*] Admonenda scil. juventus est, præcipitem in omni negotio vitandam celeritatem; qvod vitium qvibusdam peculariter insitum ita est ingeniis, illis ut in omni re, qvantulacumqve mora videatur longa. Hujusmodi festinationis comites esse solent error & pœnitentia, juxta versum illum apud Græcos celebrem: *Προπέτεια πολλοῖσιν ἐστὶν αἰτία κακῶν*: *multis malorum est caussa præcipitantia*. Augustus Imperator & dicere in sermonibus & scribere in Epistolis solebat: *Σπεῦδε βραδέως*. Per qvod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Ex qvibus duobus contrariis fit maturitas; qvod post Gellium lib. X. c. XI. addit Macrob. VI. Saturnal. c. VIII. Vide & Polyæn. VIII. Stratagem. XXIV. 4. p. m. 755. edit. Lugdunens. Batav. 1690. Atqve hoc dictum nummis qvoqve suis exprimebat, cùm Terminum fulmini conjungeret; sicuti anchoram delphino Titus Imperator, sic ut ejus medium velut temonem delphin obvolutus complecteretur. Lege Erasmum hoc pluribus deducentem in p. 240. b. Adagiorum. Qvod verò idem in p. 241. a. versum hunc Trochaicum tetrametrum catalecticum: *Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης*: ex Poeta qvopiam, ut conjicit, decerptum conjungit his cum verbis, *Σπεῦδε βραδέως*, in eo errat, ut jam dudum adverterunt Henr. Stephan. IV. Schediasm. c. III. in supplem. Tomi V. Facis Criticæ; uti & Paullus Leopardus. Emendat. IX. c. XX. Ceterùm versus est ex Euripidis Phœnissis n. 602. cujus non statim in mentem venisse Erasmo mirum. Idem Imperator crebrò etiam illud jactabat: *Sat celeriter fieri, qvidqvid fiat satis benè*. Sveton. in Octavio c. XXV. 8. Facit & huc illud Catonis verbum: *Sat citò si sat benè*. Cujus meminit & D. Hieronymus Epist. Consol. ad Pammach. Tom. I. p. 165. A. Hieronymô destitus, verba tamen illius desiderans, evolvat Erasmum dictô locô, p. m. 244. a.

XIV. [1] Sed cùm cibum capiunt pueri, multum dedecoris admittitur à non bene inſtitutis. [2] Docent autem hoc matres etiam, non ingerendas in patinas manus à pueris, prævertentibus in eſca ſumenda alios potiores. [3] Moris etiam eſt Teutonicis pueris & feminis, cibum præſertim paulò lautiorem ex patina acceptum aliis ſuper orbiculis apponere. [4] In qvo genere innumerabilibus qvoſdam feſtivitatibus ſtudere, videas, ſed ſunt pleraqve muliebria. [5] Hoc igitur facient pueri, ut retineant qvod ante ipſos appoſitum fuerit, niſi plus ſit qvàm ut ſine crimine voracitatis abſumpturi eſſe videantur. [6] Qvod ſi accidet, deſecabunt aliqvantulum, apprehendentes manu particulam, qvam ipſi edant, reliqvum confixum cultellô reponent, aut ante illum, à qvo totum acceperant, aut ſi orbem illius occupatum videant, alteri proximo, aut in patinam referent. [7] Niſi piſces fortè appoſiti ſint: horum enim particulas ſcindere aut configere vitioſum putatur. [8] Reliqva non videntur digna, in qvibus obſervandis pueri deſudent, propria muliercularum & ineptiarum aulæ. [9] Inter edendum cavebunt, ne qvid ore excidat: ne turpiter & inflatis buccis mandant cibos, neqve plus juſtô in os ſemel infarciant. [10] Non properabunt comedendo, cibos bene conficient dentibus. [11] Intereà cavebunt, ne labris neve dentibus ſonitus aliqvid emittant. [12] Fœdum eſt fodiendo eximere cultellis ſi qvid forte intra dentes adhæſerit. [13] Calidiuſculas offulas & juſcula non afflabunt vehementer, & tanqvàm è follibus plenis buccis. [14] Sunt, qvi ad omnem etiam leviſſimum niſum ſine cauſſa anhelant; ſunt qvi etiam aſſidentes obſtreperum qviddam de naribus ſpirant, qvæ vitioſiſſimè fieri putandum. [15] Labra continebunt cùm cibus mandetur, neqve ſinent hiare. [16] Lingvâ qvaſi expurgare interiùs dentes ac palatum, & buccas lambere fœdum eſt, fœdius exteriùs labra. [17] Comedant ſanè ſi eſuriunt; neqve dubitent modeſtè & decenter capere cibum qvicunqve affuerit: recuſare enim oblatum, & ſimulare ſatietatem, ſtolidæ eſt elegantiæ. [18] Ingurgitare verò, ut ita dicam, vel qvemadmodùm Plautus, Trin. II. IV. 74. ambabus malis expletis vorare, ruſticum. [19] Potu ſedetur ſitis, non inundentur guttura ac ventres. [20] Videas qvoſdam ſic bibere ut ſpiritus excludatur, qvibuſdam lacrimas exſtillari, qvô qvid poſſit magis contrarium accidere bonis moribus? [21] Similiter properando committere, ut aliqvid potus effluat ex ore, indecorum. [22] Cultelli propter orbiculos repoſiti, cùm uſus poſcet, ſcitè manu capientur reponenturqve in locum ſuum, non jactabuntur digitis. [23] Videas qvoſdam ſic capere, ut qvia non qvadrent ſectionibus impingant manubriolum in menſam, & aptent ſectionibus prehenſionem cultelli, qvod ſit magna cum turpitudine. [24] In patinas verò præmorſum inſerere, & in iis cibum ante ſe coacervare longè turpius. [25] De totis panibus tantum decident, qvantum volent edendo abſumere: nam fragmenta relinqvere, vitioſum eſt. [26] Oſſa ſpinaſqve, & qvicqvid edi non poteſt aut ſolet, in ſummo orbiculo bellulè component.

XV. [1] Omnino autem refragari natu majorum juſſis, qvod vulgò laudatur,

datur, non debent, ſed illis parere cum pudore. 2 Nam qvæ hæc fuerit diſciplina, recuſatione ſuâ puerum improbare grandioris voluntatem, aut illô ſe prudentiorem intelligi velle? 3 Sed inqviunt, dare hoc moderati animi ſignificationem, qvod falſum eſt: ſimulata enim iſta ſunt & ficta. 4 Qvare & locum qvem grandior natu aſſignârit, capient verecundè pueri, non volent ſe retinentes attrahi, & cibum ſument, & qvicqvam dabitur, gratiamqve agent paucis. 5 Volo enim ſimulationes à puerili ingenio abeſſe. 6 Fieri fortaſſè qvidem poſſit, ut in hac uſitata vulgariqve inſcitia alicubi in vita & convictu hominum rectè adhibeantur, ſed hoc erit proyectorum ætate & non imperitorum judicium.

XVI. 1 Valde autem prodeſt cùm hac in parte, tùm omni vita inſtruenda, proponere ſibi aliqvem, cujus vitam moreſqve probari ſciamus, qvem imitari & ſeqvi, cujuſqve ſimiles eſſe nos velimus. 2 Pariter & ruſticos ac aberrantes à decore vitæ & morum intuebimur, & ſtudebimus deformitate, qvam in illis animadvertimus, carere. 3 Hôc præceptô nullum in genere melius neqve utilius dari poteſt. 4 In reliqva vita vanitas & levitas aberit. 5 Neqve oculis neqve auribus aliena captabuntur. Ex qvo genere furaces non verbis modò, ſed etiam ſuppliciis coërcendi. 6 Iſtis verò curioſis, † & auſcultatoribus & inhiantibus iis, qvæ dicuntur & fiunt: nemo

nemo

† *Curioſis, auſcultatoribus & inhiantibus*] Qvi, auctore Joh. Spinæô Andegavenſi, ſextô (qvi eſt de Curioſitate) librô de Tranqvillit. animi, p.m. 335. ſ. edit. Genev. M. DC. XIV. in ſt. turbantur peſtiferâ curioſitate proximorum arcana cognoſcendi, qvi ſtudium omne ponunt in ſtirpe vicinorum ſcrutanda, & in eo, ut ſciant, qvem cenſum, qvas facultates illi habeant, in qvanto ſint ære alieno, qvos ſumptus faciant, an uxores ament, an inter eos ſit zelotypia aut diſcordia, ancillisne familiariùs utantur, an famulos cædant, qvâ horâ cubent aut ſurgant, an clavem cellæ ſecum ferant, aliiſqve ejuſmodi infinitis minutiis animos ſuos implicant. Et ſtudioſiùs qvidem vitia aliorum qvàm virtutes exqvirunt. Si qvis alterius prudentiam, juſtitiam, liberalitatem, modeſtiam & temperantiam laudet, negligenter auſcultant, &, ut illi ſilentium imponant, ſibi ea ſæpiùs fuiſſe audita ſimulant. At ſi qvam audiant virginem ſtupratam fuiſſe, aut matronam in adulterio deprehenſam, vel exortam inter fratres litem, aut inter amicos ſimultates & inimicitias: tunc arrigunt aures, & ſatis habent otii ad audiendum. Similes iis, qvi librum aliqvem legentes nihil adnotant præter errata: aut iis, qvi deformi qvàm formoſô corpore intuendô magis delectantur, ac picturis prodigioſis nanorum cum gruibus pugnantium, hominúmve habentium caninum caput, vel unum in mediâ fronte oculum, pedemve tam latum ut ejus umbrâ ſe à ſolis ardore tutentur, qvàm antiqvâ & doctâ aliqvâ tabulâ pulchrum hominem exprimente. Nam hujuſmòdi curioſi, iſtorum exemplô miſerandis rebus duntaxat delectantur. Et qvemadmodùm ſerpentes venenô vivunt, & in tenebricoſis & ſordidis locis agunt: ita illi ſermonibus triſtibus & nuntiis infauſtis paſcuntur, nulláqve re aliâ magis lætantur. Nihil qværunt præter vulnera & tubera, qvemadmodùm tonſores aut chirurgi, ſed longè diversâ ratione. Nam hi ea qværunt ſananda, qvæ ſi occulta ſint, fideliter & prudenter celant: at curioſi contrà inqvirunt

runt

mo est qvi non meritò iratissimus esse soleat. Levitatem enim animi sui produnt, & sua negligunt, & cognitionis curam futiliter impendunt. 7 Non

runt ut divulgent & detrectandi ansam habeant. Hanc speciem curiositatis multa vitia comitantur. Nam qvi eâ laborant, plerumqve sunt invidi & alterius calamitate gaudent. Sunt obtrectatores & maledici: ut enim lætantur qvùm de fama alicujus detrahi audiunt, sic audita jucundè aliis renarrant. Deniqve leves sunt, nec sanô cerebrô. Qvæ enim vesania atqve intemperies foret, siqvis formosam habens uxorem, lenem, elegantem & benè moratam, cum qva illi tutò & svavissimè consvescere liceret, ad aliam se conferret, magnô pretiô emptam, idqve cum labore ac periculo, & eam deformem, improbatam atqve morosam? Sic extrema est vecordia, aspernari tot præclara spectacula, qvæ historiæ atqve hæc vita qvotidie nobis observanda proponunt: tot libros, tractatus, disputationes & dialogos, qvos cum summa delectatione atqve utilitate legere licet, negligere, ut in vitam vicinorum inqviramus, literas obsignatas resignemus, furtim ad ostium auscultandi caussâ accedamus, aut in aurem muliercularum loqvacium & maledicarum insusurremus: qvæ studia sunt & præcipua curiosorum negotia. Plato qvum aliqvamdiu apud Dionysium Siciliæ tyrannum egisset, & propter aulicam corruptionem, aliáqve indignè ferens, redire in Academiam suam constituisset, tyranno qværenti annon illic sæpe de ipso loqvuturus, & qvàm malè in ipsius aula fuisset acceptus, commemoraturus esset? Meliora, inqvit, & cogitanda & dicenda habebimus. Ita si honestatis studiosi essemus, tempúsqve & ingenium applicare ad studia laudabiliá vellemus, minus vacaret minúsqve liberet nobis tantum temporis in proximorum vitiis & peccatis cognoscendis consumere. Mirum est, qvòd tam negligentes in nostris ipsorum vitiis considerandis simus, quamvis hæc notitia & salutarior sit & magis cùm ad nos demittendos & abjiciendos, tum ad Dei misericordiam implorandam necessaria: contrà tam curiosi & diligentes in notandis & cognoscendis aliorum imperfectionibus, non ut eos amicè corrigamus aut misereamur & pro illis Deum precemur, nec ut ex eorum vitiis communem omnium hominum corruptionem agnoscamus, qvò vigilantiores & impigriores simus ad opis divinæ invocationem, & magis memores Deo gratias agendi si minus vitiosos esse nos voluerit: qvæ vera est ratio vitiorum alterius contemplatione proficiendi. Sed, omnibus illis considerationibus omissis, illa non aliam ob caussam scire cupimus, nisi ut eos infamiâ notemus, déqve bona eorum existimatione detrahamus: similes gallinis, qvæ licet satis escæ domi habeant, malunt tamen foris vicinorum fimos radere, qværentes qvod edant. Ita nos, qvamvis in vita nostra sit copiosa omnis generis miseriarum messis, qvibus contemplandis animos nostros insistere oporteret, ut apud Deum de illis qvereremur, qvò misericordiâ erga nos commoveretur: nihilominus tamen eas dissimulare malumus, aliorúmqve movere sordes, non ut eos lavemus & purgemus, sed contrà, ut bonam illorum famam inqvinemus, & ipsos in odium & offensionem eorum conjiciamus apud qvos bene audiebant: qvod Dei mandato & charitatis officio repugnat. Perinde facimus ut Lamiæ illæ antiqvis fabulis celeberrimæ, qvæ oculum (qvem unum & communem habebant) domi in vasculo qvodam reponebant, eô tantùm utentes cùm domô exirent. Stultô enim & vitiosô nostri amore ad imperfectiones nostras, qvamvis luce

7 Non volent unqvam pueri deprehendi in aliqvo opere aut facto, qvæ pœnam mereantur. 8 Itaqve non fugitabunt obvios, aut latebras qværent, aut oculis conſpectuiqve venientium ſe ſubducent. Hæc enim formido ex animo peccati ſibi conſcio naſcitur.

XVII.

meridianâ clariores, cæcutimus, cùm in alienas vel pulviſculô minutiores acutiſſimè cernamus. Adhæc uſqve adeò has cognoſcendi curioſi ſumus, *ut, qvantumvis exiguæ, noſtros oculos fugere neqveant. Si horum capita aperta eſſent. ut qvæ ipſorum memoriæ inſcripta ſunt, cerni poſſent, præclaræ, puto, hiſtoriæ legerentur. Nihil aliud adnotatum videremus præter hujuſmodi qvædam: Hic illô tempore ancillam gravidam fecit: ille cum alterius uxore conſveſcit: ille plura debet qvàm poſſidet: hic uſuris & prædâ tantùm dives eſt: ille eſt hæreticus, hic hypocrita: ille decoxit creditoribus: ille cecidit gratiâ Principis: Illa ligurit: hæc fucata eſt: illa macilenta, hæc habitior. En præclaram curioſitate partam ſcientiam', longè diſcrepantem à maximi illius Socratis doctrina, cujus hæc erat ſumma, ſua qviſqve noſcat vitia, ut ea corrigere ſtudeat. Priſci malleolos aut campanulas januis non eò tantùm affixerunt: ut aperirentur, ſed etiam utiis pultatis monerentur domeſtici, caverent ne qvid extraneos ingreſſos offenderet. Qvô docere nos voluerunt: obſervandas non eſſe communes vitioſitates & infirmitates, qvibus proximi noſtri laborant: ſed prorſus ignorandas aut ſaltem diſſimulandas: qvoniam non modò ingratum, ſed & injurium eſt, pedes aut oculos, non factâ poteſtate, in alienas ædes inferre, ut dicebat Xenocrates. Ut igitur Democritus fertur ſeſe occæcâſſe, ne oculorum vagô & lubricô intuitu à rerum honeſtarum ſtudio & contemplatione avocaretur: ita fortiſſimis cancellis coërcenda eſt curioſitas, ne qvidqvam, ſive de Deo, ſive de natura, ſive de proximis noſtris; ſcire cupiamus, præter id qvod utile ſit atqve ſalutare, omiſſis inutilibus, ſuperfluis, & qvæ fieri neqveunt: qvibus diſcendis tempus, opera, vis animi & corporis perduntur, qvæ tot aliis ſtudiis utilibus & neceſſariis impendere debemus. Inde etiam *multum differt curioſus à ſtudioſo*, ut Auguſtinus ait in de Utilitate credendi libro, qvi Tomo VI. Operum ejus habetur, cujuſqve meminit 1. Retract. c. XIV. *quòd quamvis uterque agatur magnâ cupiditate noſcendi: curioſus tamen cupidè ea requirat, quæ nihil ad ſe attinent: ſtudioſus autem contra, quæ ad ſe attinent.* Qvæ repetita invenio ab Hugone & Anshelmo in libr. de Similitud. Optimè, ut omnia, Plutarchus, Tomô II. Operum, libr. de Curioſitate, p. m. 520. b. F. edit. Pariſ. M. DC. XXIV. *Quemadmodùm venatores non ſinunt canes evagari, aut quemvis odorem ſectari, verùm loris capita eorum ſurſum trahunt atque cohibent eos, ſenſumque ipſorum purum ſincerumque ad rem ſibi deſtinatam ſervant, nimirum, ut veſtigiis poſſint eò acriùs inhærere, quando Naribus indagant miſerarum luſtra ferarum. Sic oportet curioſi ad quævis ſpectacula & quaſvis auditiones vagabundam excurſionem inhibere, & ad utilia cautè retrahere. Sicut enim aquilæ & leones inter ambulandum ungues introavertunt, ne eorum aciem atterant: ita curioſitatis acumen, quod habere videmur in ſtudio cognoſcendi, non debemus in viliſſimis rebus retundere & hebetare.* Conſentit Gregorius Homil. XXXVI. in Evangel. *Grave*, inqviens, *curioſitatis eſt vitium, quæ dum cujuſlibet mentem ad inveſtigandam vitam proximi exteriùs ducit, ſemper ei ſua intima abſcondit, ut aliena ſciens ſe neſciat; & curioſi animus quantò peritus fuerit alieni meriti, tantò fiat ignarus ſui.*

XVII. [1] In veſtitu & cultu mediocritas & mundicies hanc ætatem inprimis decet. [2] Veſtimenta igitur comparabuntur pro † conſvetudine & more præſentis temporis & uſus. [3] Niſi in his ita inerunt vitioſa qvæpiam, ut non ferenda eſſe videantur. [4] In qvo genere ſunt hæ * lacerationes, & varietates veſtium, & iſta conſecta, diſſipata, religata, neqve uſu commoda, neqve ſpecie pulchra. [5] In calceis vincula ſemper, aut ipſi ita facti erunt, ne de pedibus delabantur. [6] Veſtimentorum autem qvicqvid

† *Pro conſvetudine & more præſentis temporis*] Intuenda ſcilicet eſt natio ac populus, apud qvem vita degitur. Nam ſicut non omnis fert omnia tellus: ita alia alibi. *quæ moribus, cibô, veſtitu, legibus uſitata ſunt* decoraqve habentur, qvæ ſi qvis omittat, aut etiam ſi contra qvid agat, culpam committere videtur, imò punitur aliqvando. Foro igitur ac ſcenæ in iſtiuſmodi pareamus. Si populares mei capillum tondeant, nolim ego capillatus incedere. Si barbam nutriant, me qvoqve barbatum eſſe juvet. Si hoc genus, & hanc formam veſtis probare incipiant, eâqve paſſim utantur, qvamvis mihi adeò non arrideat, utar eâ tamen, & ad vulgatam conſvetudinem adcommodabo morem meum: ne qvis putet ſtatuiſſe me repugnare unum omnibus: qvod maxime invi'os reddit, & omnium in nos oculos cum odio, velut in monſtra qvædam, prodigiaqve convertit. Sunt qvibus diſcolor veſtitus placet: nobis haud ita. Nec Itali, aut Galli amiciuntur laneis ac pellitis, uti nos. Hungari ſtrictas, & infrà poplites demiſſas gerunt tunicas: fœmoralia turgentia averſantur. Illorum ſunt ferrata calceamenta, præter morem aliorum. Quis omnes varietates enumeraverit? Etſi autem novitatis in veſtitu adfectatio & aliarum ineptiarum vitium ſit opinione nocentius: tamen adeo vulgare eſt, & adeò cœpit juventutis animos, ut nullis neqve legibus eorum, qvi Reſpublicas gubernant, nec doctorum ſermonibus corrigi poſſit. Qvoties enim his noſtris temporibus de hac re leges ſcriptæ ſunt? Qvàm multi graves viri qvotidie hac de re qveruntur? Sed tanta mali vis eſt, ut reprimi aut ſanari non poſſit. Qvotidiè novæ formæ excogitantur: nunc placet Gallicus pileus, nunc Hiſpanicus cucullus. Alii Sarmaticis braccis delectantur, & hæc ipſa qvàm variè deformant? Integra veſtis parum digna virô eſſe creditur, ſed lacerata, & mille variata coloribus, qvalem olim ſcurrarum fuiſſe veſtitum picturæ veteres oſtendunt, ea demum plurimum habet admirationis, atqve hanc ſinguli qvotidie mutant. Nullus Proteus tam varias induit figuras, qvàm noſtri juvenes, ſubinde habitum mutantes, non aliter atqve in ſcena hi, qvi plures perſonas ſuſtinent.

* *Lacerationes & iſta conſecta*] *Diſſectas amare veſtes*, inqvit à nobis ſæpiùs hic uſurpatus Jeſuita Jacob. Pontanus. II. Progymnaſin. XIV. p. m. 44. *vereor, ne ſit hominum diſſectas mentes poſſidentium.* Qvocirca aut nihil in hoc genere probem, aut modicum. Diverſos colores in veſtibus ut laudem, nunqvam adducar, ne qvid laſciviæ, faſtus, luxus, novitatis præferat veſtis, & à ſordibus aliena ſit prorſus ac libera. Præcipiendum qvoqve adoleſcentibus, ut ne ad cubitum, ſicut ſalſamentarii & figuli ſe emungant. Ut veſtes in latus, aut in tergum diffluere ne ſinant: benè compoſitas, & circa collum, pectuſqve clauſas habeant. Si qvàm novam, & pulchram induerint, ne gaudiô intemperanter exultent: ne ſe circumſpectent, atqve apud alios ſuperbè oſtentent: eſt enim hoc odioſum.

erit, fordibus † & lutô careat. ⁊ Capilli mane * pectantur, * laventur manus

† *Sordibus & lutô careat*] Qvod Flaccus, I. Sermon. Sat. I. v. 103. præcipit:

——— *Non ego avarum*
Cùm veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est modus in rebus: sunt certi denique fines
Qvos ultra, citraqve neqvit consistere rectum:

Idem ego dico, dum curiosam indumentorum, immoderatámqve, & lascivam elegantiam in studiosis exagito, non idcirco iisdem pannosos, sqvalore ac pedore obsitos incedere svadeo: mensuram enim à Pythagora in carminibus inculcatam teneri desidero, qvam deserunt non solùm qvi ultra prodeunt, sed etiam qvi citra resistunt. Illuviem ac sordes non nisi in mendicis ferendas censeo. Qvare si qvem videritis sordente circum collum indusiô, veste diloricatâ, maleqve adcommodatâ, vilissimô, ac pediculosô cum pàlliolo, diruptis caligis tibiam, aut per solum calcei pedes nudatum, pulveribus inqvinatum, capillô impexo ac disturbatô, isthunc non modò in studiosis, sed ne in mendicorum qvidem grege numerandum arbitremini: est enim infra gregem ducendus: nam qvòd illi miseri necessitate, hic voluntate committit. Qvis enim cogit? Si homo est naturâ mundum, & elegans animal, ut ex Seneca scimus, hi, si naturâ immundi, inelegantesqve sunt, homines certè non sunt. Si sponte, & volentes, ac scientes, tum verò homines cùm sint, ad bestiarum se societatem aggregare gestiunt, earum, inqvam, qvæ in cœno volutari pro summis, & svavissimis deliciis habeant. Philosophis tamen olim, Cynicis imprimis, sqvalor erat in usu; qvi non solùm sordidissimi, sed etiam utplurimùm impostores erant: Hinc illud Hieronymi in ad Marcellam Epistol. *Si tunica non canduerit, statim illud è trivio: Impostor & Græcus est.* Ubi de Philosophis Christianis, hoc est, viris Ascetis loqvitur, qvi non palliô solùm, sed etiam sordibus ejusmodi Græcos æmulabantur. Lucianus de Proteo Philosopho: ὁ δὲ καὶ μοὶ πάνυ ἤδη προσέχετε νῦν, ἀποθέμενος τὴν πήραν, καὶ τὸ τριβώνιον, καὶ τὸ Ἡράκλειον ἐκεῖνο ῥόπαλον, ἔστη ἐν ἐσθῆτι ῥυπώσῃ ἀκριβῶς. Philostratus de qvodam qvi Philosophi habitum ejuraverat: καθ' ὃν ἐφιλοσόφει χρόνον αὐχμηρὸς δοκῶν, καὶ τραχὺς τὸ εἶδος, καὶ δυσπινὴς, τὴν ἐσθῆτα ἠμέλει. καὶ τὸν αὐχμὸν ἀπετρίψατο. Hujusmodi qvoqve sordes adfectârunt olim monachi. Nam qvam semel tunicam induissent, nunqvàm exuebant, priusqvàm penitus tota usu detrita & scissa esset, ac de altera habenda cogitandum foret. Hieronymus in vita Hilarionis: *saccum, qvô semel fuerat indutus nunqvàm lavans, & superfluum esse dicens munditias in cilicio qværere: nec alteram tunicam mutavit nisi prior penitus scissa esset.* Qvantum sordium putamus contraxisse talem tunicam? Rutilius Gallus in Itinerario illuviem & sqvalorem monachorum non semel exagitat. de Capraria ita scribit, v. 440.

Sqvallet lucifugis insula plena viris:
Hi sese Grajô monachos cognomine dicunt.

& aliô locô de solitario: v. 523.

Infelix putat illuvie cælestia pasci,
Seqve premit sævis sævior ipse deis.

Et hæc caussa est qvamobrem Eunapium putem Christiani nominis infensissimum hostem in libro de vitis philosophorum, de monachis sui temporis dixisse, ὑώδη βίον eos vivere, qvod illud animal immunditiem & sordes in amoribus ac deliciis habeat; lutôqve & olenticetis præcipuè gaudeat. Esseni qvoqve Judæorum ascetæ, à qvibus monachorum Christianorum originem qvidam repetunt, sordere & sqvallere pulcrum putabant. Porphyrius

nus & os.[8] Immundô puerô nihil esse odiosius potest.[9] Fœtores & mucos intolerabiles ferè omnibus propter nauseam esse solere scimus.[10] Similiter

phyrius περὶ ἀποχῆς lib. III. καὶ ἀλειφῇ τιμᾶσιν, σμηχῶσι τὸ σῶμα, τὸ ἐν ἀσχημοσύνῃ καλῶ τίθενται. Confer Salmas. not. in Tertullian. de Pallio, p. m. 68. s. edit. Lugdun. Batav. CIϽ IϽC. LVI. in 8t.

* *Capilli mane pectantur*] Nunqvàm enim vituperationi fuit crines pectere, modò id non ad luxum & effeminationem, ut cum Tertulliano dicam. Æl. Spartian. in Adriano, c. XXVI. *Staturâ fuit procerus, flexô ad pectinem capilli.* Pecte igitur caput puer, primùm, uti svadent Medici, radiis rarioribus, tum densioribus, & à brechmate in occiput, rursumqve ab occipite in sinciput ducito; sic enim pori aperientur, & exhalationibus caput levabitur. Qvamqvam & interdum mollitiei argumentum inde desumptum, qvòd qvis se pexum ostentásset. Senec. de Brevit. Vitæ, c. XII. *Qvid? illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multa hora transmittuntur: dum decerpitur, si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Qvomodo irascuntur, si tonsor paullo negligentior fuit? tanqvàm virum tonderet. Qvomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Qvis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbari, qvàm comam? qui non solicitior sit de capitis sui decore, qvàm de salute? qui non comptior esse malit, qvàm honestior? Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumqve occupatos?* De Catilinæ sociis Tullius, Orat. II. c. X. in eum: *Qvos pexô,* inqvit, *capillô, nitidos aut imberbes, aut bene barbatos videtis.* Idem L. Pisonem ut profligatæ vitæ hominem, *cincinnatum ganeonem* adpellat. Et in Gabinio Consule *frontem calamistri vestigiis notatam, capillumqve traducit compositum:* rursus eumdem *calamistratum saltatorem* nominat. *Adde huc qvod ipsi qvoqve Cupidini mollitia omnis duci atqve auctori caput inumbrant crispis cincinnis & Moschus Bucoliastes & Callistratus,* ait doctissimus Hadr. Junius, c. VIII. Comment. de Coma, p. m. 408. Cujus verba & locum ideò adduxi, ut pateat Thomæ Dempsteri in Paralipom. in Joh. Rosini Antiqvit. Roman. c. XXXV. lib. V. p. m. 583. a. error, latens in seqventibus his: *Talem inducit Cupidinem Moschus insignis Poëta Bucolicus, Phocilides referente Juniô, lib. 2. Animadversor. c.* 8. In qvo loco de Phocilide nihil inveni. Sed non novum hoc in Dempsteri adlegationibus est, qvas tamen eruditissimos ac summos viros confidenter nonnunqvàm seqvi, in proclivi foret ostendere, nisi illorum famæ parceremus. Ipse statim Horatii locus, qvem ibi Dempsterus subjicit de Paride:

Neqvidqvam Veneris præsidiô ferox
Pectes Cæsariem ———

non habetur lib. II. ut mendosè citatur, sed I. Od. XV. 13. Atqve id diebus festis fieri sveviffe idem Dempsterus ibid tradit, addens & hunc Persii locum è Sat. I. 15.

——— *Pexusqve togaqve recenti.*

Et hoc Alb. Tibulli, lib. II. Eleg. V. 26.

Sed nitidus, pulcherqve veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc benè pecte comas.

Id qvod non acu tantùm, seu discriculô solô, sed qvoqve pectine peragi solitum vetus Juvenalis Scholiastes tradit ad v. 150. Sat. XI. ubi Poëta:

Idem habitus cunctis, tonsi, rectiqve capilli,
Atqve hodie tantum propter convivia pexi.

Id

liter & sputorum fœditas & pustularum ab oculis hominum removebitur, cujus offensio ingens esse consuevit.

XVIII.

Id est; *deducti pectine capilli*, qvæ sunt verba Interpretis, qvibus *pexi* explicat. Et ita qvidem inveni in omnibus meis veteris Scholiastæ exemplaribus: at in Dempsteri exemplis cùm Genevæ tùm Coloniæ editis invenio *diducti*. Sic ille ipse Dempsterus in p. m. 939. b. Paralipomen. ad lib. IX. Antiqvitat. Rosini, Antonino Pio tribuit; *delatores eum, si non probarent, capite adfecisse, si probarent, delató pecuniæ præmió infames dimisisse*; cùm in c XII. Julius Capitolinus id recenseat de Opilio Macrino; qvem circa locum vide qvid observet doctissimus Desider. Heraldus, c. XXVII. libri Observation. & Emendationum, p. m. 79. edit. Paris. M. DC. XL. in 8t. Ex opposito paullò ante locum adductum eidem paginâ dictus adscribit Dempsterus Opilio Macrino, *verbis*, ut ait *Julii Capitolini*, qvasi *delatores undiqve conqvisitos panis adfecerit*; falsò, nec enim qvidqvam de delatoribus præter à nobis superiùs adlata verba, in Julii Capitolini Macrino hactenus observare potui. In libr. VI. c. IX. p. m. 649. circa finem adducit malè Rosinus verba Valerii Max. VI. V. 3. *de M. Pomponio Tribuno Plebis*, cùm de P. Rutilio agant. In p. 554. malè locum Valer. Maximi è lib. IIX. c. II. citavit; exstat enim II. VII. ex. 15. sicuti & ibid. locus Cæsaris adductus non habetur III. Bell. Civil. c. IV. sed c. XIII. v. 5. Hujus occasione jam subit dicere, Dempsterum qvoqve non intellexisse clavorum militaribus in calceis usum, cùm in ad c. XXXVI. libr. V. Antiqvitatum Rosini p. m. 600. b. ita scribit: *Habebant isti calcei clavos, qvibus in terram defixis, in eodem vestigio staret miles, nec ad fugam esset idoneus. Josephus libró septimó belli Judaici, cap. III. cujus verba sic versa sonant.* Calceos habent creberrimis atqve acutis clavis, ut ceteri solent milites, fixos, dum strato saxeis crustis solo occurreret, labitur, magnoqve cum sono armorum se dejectus solo in tergum fugientes reduxit. *Eandemqve narrans historiam Egesippus Excid. Hierosolymit. libró V. capite trigesimó.* Hic Julianus, qvi tergo immineret hostium, dum alios perimit, & claustro coërcet, ipsâ alacritate incautior, confixum clavis calciamentum gerens, usu militarium virorum, non considerans, politó lapide solum stratum, qvòd cavendum foret, sed qvasi in campo preliaretur; securus labitur, & ingentem strage suâ sonitum dedit. Hæc Dempsterus, qvi planè, sicut dixi, non intellexisse videtur, qvi qvalesve clavi illi fuerint, qvibus, præsertim milites, calceos suos, sive soleas potiùs calceorum munierint, ritu eó, qvem hodie Rustici in Germania, Galliis & alibi observant. Suffiguntur nimirum dicti clavi calceis eó solo unicóqve usu ac fine, ut ne soleæ citò atterantur. Indicat res ipsa & prætereà Diphilus apud Athenæum multiplicis eruditionis scriptorem, & qvi vixit circa Gordiani tempora, vel aliqvanto antè, potissimum illos, qvibus longum iter esset ingrediendum, calceos sic munivisse scribens, atqve inde Chærephontem facetissimè perstringens. Qvo de vide Is. Casaubonum ad Theophrasti Characteres, p. m. 149. s. edit. ultimæ Lugdunens. M. DC. XXXVIII. in 8t. Joh. Schefferum in Ælian. IX. Var. Histor. c. III. p. m. 435. edit. Argentorat. M. DC. LXXXV. Item in Mauricii Strategic. lib. XII. c. VIII. p m. 505. s. edit. Upsaliens. cIↄ Iↄc LXIV. in 8t. Effigiem exhibet Licetus in Opere de Lucernis. Ut igitur ministerium suum diutiùs præstare possent calcei, iis præsertim, qvi non habebant, unde statim alios sibi pararent calceos, ut militibus

XVIII. [1] Reliqva omnia erunt, ut semel dicam, decora, status, sessio, inces-

litibus ac peregrinantibus, ideò clavis ejusmodi muniebantur calcei. Neqve verò clavi illi, qvod maximè adversus Dempsterum facit, sic fuerunt calceis adfixi, ut acumina cuspidesve prominerent. Venatorum enim illa fuit consvetudo, atqve etiamnum est, qvi saxa per lubrica & præcipitia coguntur errare. Nec juvatur à Josepho, qvippe qvi per ἥλως ὀξεῖς non intellexit alios, qvàm qvales diximus; neqve enim erant ἧλοι ὀξεῖς qvatenus prominebant, verùm qvatenus infigebantur calceis. Qvod apertè docet figura eorum à Liceto prodita; cujus paullò antè facta mentio. Ipso verò de Liceti opere alibi fortè dicam. Idem Dempsterus ad lib. V. Antiqvit. Rosini, c. IV. p. m. 443. a. ut probet *in publicis lascivientis urbis deliciis liberum ad theatra accessum habitum*, producit verba Julii Pollucis è libro IX. Onomastic. c. V. Προαριθμητέον τοῖς δημοσίοις θέατρον; qvæ qvomodo hæc confirment, non video; cùm Pollux tantùm ajat inter loca publica & partes urbis esse theatrum. In Paralipom. ad libr. X. Antiqvit. Rosini, c. XXIX. p. m. 1061. b. scribit, Svetonii in Julio, c. XXXVIII. verba esse: *Vini Chii & Phalerni amphoras centum populo dedit*; qvæ tamen adhuc qværo. Falli eundem in Paralip. ad II. Antiqvit. Rosini, c. IV. qvando putat tympana, qvibus in sacris Cybeles vel Isidis utebantur, fuisse ærea, & *æra Corybantia* (non *Corybantina*, ut mendosè habetur in Schefferi loco jam citando) Virgilii (III. Æneid. v. 111.) deiis accipit, ostendit b. r. Schefferus in notis ad Phædr. III. Fabul. XXI. 7. p. m. 155. b. s. edit. Hamburg. 1673. in 8r. Adde eundem Schefferum in notis ad Ælian. VII. Var. Histor. c. XI. refellentem memoratum sæpiùs Dempsterum, in Paralipom. ad lib. V. c. XXXVI. Rosini Antiq. ac si ibi Ælianus aliis scriptoribus adversum prodiderit, qvi muliebres calceos seorsum nominare solent. Subjungo hic judicium Jani Nicii Erythræi, qvod in parte Pinacothecæ prima, n. IX. p. m. 24. his tulit verbis: *Fuit hæc semper constans omnium ferè hominum opinio, eum esse ad literarum studia aptissimum, qui sit quietissimus, & ab omnium certaminum contentione remotissimus; quod mitissima Musarum natio non audeat ad eum accedere, cui immane ac ferox ingenium à natura contigerit. Sed, nescio quô pactô, hâc nostrâ ætate, mansuetissimæ illæ sorores, summâ animi voluntate, complexæ sunt Thomam Dempsterum, Scotum, hominem factum ad bella & contentiones; quippe qui leviter, re, vel verbô lacessitus, continuò ad arma rixasque decurreret; nullum ferme diem, à concertationibus vacuum, præterire sinebat; quin videlicet, cum aliquo, vel ferrô decerneret, vel, si ferrum minus suppeteret, pugnis rem ageret; quô fiebat, ut esset pædagogis omnibus formidabilis. Sed tum inprimis sævum & impavidum suum animum declaravit, cùm à Grangerio, collegio Bellovassensi Præfecto, quem negocia domestica Parisiis discedere alióque proficisci cogebant, muneris sui vicarius constitutus est. Nam adolescenti, qui socium ad singulare certamen provocaverat, demissis ad calces femoralibus, robustique hominis humeris elatô, in omnium conspectu, multas plagas imposuit; quam ille contumeliam cùm ferre non posset, ac propterea vindicare constituisset, die quôdam tres viros nobiles, cognatos suos, ex Regis corporis custodibus, in collegii ædes introduxit, à quibus Dempster, cùm vim sibi parari intellexisset, vocavit socios ad arma, omnesque collegii famulos jussit cum telis accurrere. Sed anteà illorum equos, præ foribus ædium relictos, trucidaverat, at servorum multitudo armata ita illos, qui jam iræ furorisque pleni in peristylium irruperant, circumsletit, itaque formidine complevit, ut cogerentur*

incessus, compositus vultus, mites oculi, pressa labra, nihil contortum, nihil

rentur salutem ac vitam in beneficii gratiæque loco deposcere; quâ impetratâ, nihilominus, obtortâ gulâ, abrepti sunt in turrim campanariam, ibique aliquamdiu in vinculis habiti; sed ex iis tandem exempti, de hominis vita & moribus, testes idoneos interrogandos, eorumque dicta in publicas tabulas referenda curârunt. Quam exortam in se tempestatem ut evitaret, in Angliam, tanquàm in portum, confugit. Ubi non modò tutum ab insectatoribus suis perfugium, verùm etiam mulierem nactus est, formâ & vultu, adeò liberali, adeò venustô, ut nihil supra, quam in uxoris habuit loco. Quæ mulier, cùm, luce quâdam, Parisiis, quò rursus Thomas cum ea se receperat, conspecta esset, & quia formâ præstabat, ut diximus, & quia habitu erat dementissimò; nam & pectus & scapulas, nive ipsâ candidiores, omnium oculis expositas habebat; tantus, visendi gratiâ, hominum concursus factus est, ut nisi se in domum cujusdam, unà cum viro, recepisset, nihil propius factum esset, quàm ut ambo à multitudine opprimerentur. Verùm mulier omnino, ut dicitur, mala merx est; non enim potest, ita arctè subjecta custodiis omnibus, haberi, quin custodibus verba det, atque ad hostes tutò transfugiat. Nam Pisis, ubi elegantissimas literas, non tenui stipendiô, docebat, dum è Gymnasio revertitur domum, introductos hostes, arcem captam, ac mulierem ab se abductam, discipulorum suorum insidiis, reperit; quam ille jacturam, sicut olim rei familiaris damnum, æquissimò animò tulit. Etenim, Catholicæ Religionis caussâ, ut ajunt, fortunis omnibus, quæ satis amplæ erant, eversus, domòque profugus, Lutetiam Parisiorum venit, ibique, rerum omnium egentissimus, quamvis se nobili genere ortum prædicaret, rem, & multo magis gloriam, humanioribus disciplinis, juventuti tradendis, invenit; quam illi gloriam multiplex rerum scientia, recondita exquisitaque litera, & incredibilis memoriæ magnitudo contulerat; ibique cùm esset, commentarios in Rosinum, de Antiquitatibus Romanorum, qui eruditorum omnium manibus teruntur, aliosque non minus eruditos, in Crispum poëtam Africanum, & Claudianum edidit; tum Pisas se contulit, ubi abductæ à se mulieris infortuniò mactatus, ut paulò ante memoravimus, fuit. Atque hanc Pisanam commorationem arbitror fuisse caussam, cur septem illos elegantissimos de Regali Hetruria libros scriptos reliquerit, qui nondum editi, summâ Magni Hetruriæ Ducis curâ, asservantur. Multa præterea leguntur, ab eo, tum solutâ oratione, tum versibus, doctè eleganterque conscripta, quatuor epistolarum libri, Tragœdiæ, Tragico-comœdiæ, & variorum carminum libri quatuordecim, Cosmographia, Mythologia, accuratum ac prudens de unoquoque ætatis cujusvis historico judicium; Sed feruntur in primis libri illi quinque & triginta, quibus accuratè eruditeque res Scotiæ complexus est. Verùm, illud ingenium, illa virtus, illa vis doctrinæ, in Italiæ luce, hoc est, in orbis terræ theatro, perspecta, atque cum plausu excepta, tantum commendationis habuit, ut publicè ab omnibus expeteretur; sed Bononia, bonorum ingeniorum fautrix, ac perpetuum elegantissimarum artium domicilium, visa est illi, præ ceteris Italiæ civitatibus digna, quæ esset theatrum ipsius ingenii, ac voce eruditâ, & Romanis Græcisque auribus admirabili, frueretur, ubi tandem est artuum ac nervorum doloribus, tum in manibus pedibusque, tum in capite, consumptus. Qui quidem, si ætatis ratio habeatur, celeriter, vitâ spoliatus, interiit; si gloriæ, quam adeptus est, magnitudo spectetur, diutissimè vixit; immo nunquàm moriturus, per omnium vivorum ora volitabit. Defletus est ab omnibus, sed in primis à sodalibus Academiæ, cui nomen est, Nocti; atque in eo eruditissimo cœtu,

ab

nihil ſævum, nihil inflatum, ſtatus rectus itemqve ſeſſio, inceſſus planus & æqvabilis, nec exultatione, nec lentitudine, neqve feſtinatione, culpandus: [2] oſcitationes, contentiones artuum, & qvidqvid veluti ſupinum dormitantemqve animum prodit, comprimetur, [3] In jocationibus & † ludis diſſolutio aberit, remiſſio animi uſurpabitur. [4] Et qvia ludorum mentio eſt à me facta, ſciendum * neqve prorſus his interdici, neqve

ab Ovidio Montalbano, qvi Roſcidus appellatur, elegantiſſimâ laudatione publicè exornatus.

† *Ludis*] Adducit Svetonii de puerorum luſibus librum Servius in V. Æneid. Virgil. v. 602.

* *Neqve prorſus his interdici*] Reminiſci, inqvit, Plutarchus, de liberis educandis, oportet, omnem vitam noſtram in remiſſionem & ſtudium eſſe diviſam: qvocirca non operoſi tantùm, ſed feſti qvoqve dies reperti ſunt. Nam laboris condimentum eſt otium, ac corpus qvidem indigentiâ, & repletione, animus verò remiſſione atqve labore conſervatur. Et Lucianus Samoſatenſis, lib. I. veræ hiſtor. qvod Athletæ, inqvit, freqventer faciunt, idem litterarum ſtudioſis fieri oportere cenſeo: ut cùm gravibus & ſeriis legendis defatigati fuerint, ad animi laxamentum aliqvantiſper declinent, donec ad futurum laborem robuſtiores vegetioreſqve efficiantur. Rurſus in Dialogo de Sectis: bonô, ait, animô eſto, qvippe hodie à Philoſophicis commentationibus vacatio promulgata eſt. Danda eſt, inqvit Fabius, lib. I. c. III. omnibus aliqva remiſſio, non ſolùm qvia nulla res eſt, qvæ perferre poſſit continuum laborem, atqve ea qvoqve, qvæ ſenſu & animâ carent, ut ſervare vim ſuam poſſint, velut qviete alterna retinentur: ſed qvod ſtudium voluntate diſcendi, qvæ cogi non poteſt, conſtat. Itaqve & virium plus afferunt ad diſcendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qvi ferè neceſſitatibus repugnat. Nec ſibi, ait, diſplicere luſum in pueris, qvòd hoc ſignum ſit alacritatis: nec triſtitiam in pueris admodùm probat, qvòd non erectæ erga ſtudia mentis fore videatur. Mores qvoqve, ait, ſe inter ludendum faciliùs detegere. Et acuere ingenia, ſi poſitis invicem cujuſcunqve generis qvæſtiunculis enudentur. Modum tamen in Remiſſionibus præcipit adhibere, ne aut odium ſtudiorum faciant negatæ, aut otii conſvetudinem nimiæ. Clementis qvoqve Alexandrini, lib. III. Pædagog. c. X. Pædagogus, exercitationes corporis egregiè commendat, aſſiduumqve otium vituperat, & vehementiores exercitationes laboreſqve, maximè poſt cibum, multorum morborum cauſſam ait exiſtere. Addit multis lectionem, qvæ fit altâ voce, eſſe exercitium, luctamqve ſuſcipi ad excernendum viriles ſudores. Ariſtoteles, lib. I. Polit. c. XVI. neceſſarias ait eſſe exercitationes corporis, debentqve luſus eſſe, ex ipſius decreto, neqve illiberales, neqve remiſſi, neqve laborioſi, qvòd nimius labor impedimento ſit, qvò minus augeatur corpus, temperatus verò labor, & vocis intentio, & clamores, ejulatuſqve puerorum exerceant, & agitent, & augeant corpus. Iſocrates Demonicum hortatur, ut eas corporis exercitationes amplectatur, qvæ ad valetudinem proſint, deſinatqve laborare, dum adhuc laborare poſſit. Jam verò non minor eſt ingenii laſſitudo qvàm corporis, etſi eſt occultior, ut rectè Hiſpani, teſte Ludovicô Vive, lib. II. de tradenda diſcipl. dignitatem & luſum,

neqve temerè omnes concedi oportere. ¹ Ita enim nunc est in moribus, ut vulgò neqve turpe neqve flagitiosum ducatur * aleâ ludere, in qvo & mori-

sum, animorum coticulas esse Proverbiô dicant. Bembus apud Jacobum Middendorpium, l. Academiar. c. IX. p. m. 53. edit. Coloniens. M.D. LXXXIII. in 8t. filium suum reprehendit, qvòd 14. integros menses Græcæ litteraturæ operam dederat, nullo intermissô die, eamqve superstitiosam adsiduitatem vocat, qvæ ingenium sæpe & studia frangat. Nam: Qvod caret alternâ reqvie, durabile non est. Ut breviter dicam: exercitatio corporis moderata, sanitatem tuetur, vires auget, pulchritudinem conservat, ingenium acuit. Porrò hoc impulit Solonem, ut cogeret legibus Athenienses, ut filios suos palæstrâ, & literis, & musicâ diligenter instituendos curarent. Vidit enim vir Græciæ sapientissimus, esse civibus suis, & vires corporis & animi comparandas, & humanitatem atqve moderationem conservandam, aliter enim fieri non posse, ut libertatem, & reliqvas opes diù tuerentur. Omnia siqvidem bona, vel ignaviâ & mollitiâ deseruntur, vel temeritate & audaciâ pervertuntur. Ut igitur cives suos fortes efficeret, palæstram instituit: ut autem ad humanitatem instrueret, litteris & musicâ mitigandos existimavit. Hoc autem Lycurgus Lacedæmone, non admodùm dissimili ratione consecutus est. Nam cùm nusqvàm alibi majus studium in corporibus, & animis corroborandis extiterit: tum in nulla unqvàm Rèpublica magis laus mirifici cujusdam pudoris enituit. Porrò Athenienses studiosi, aliqvandò frugali concœnatione, dulcibus colloqviis, animum laxabant, hilarè prorsus & modestè. Gellius lib. XVIII. c. II. & lib. VI. c. XIII. Aliqvando pugillatu, pancratiô, pilâ, vel cursu corpus exercebant, qvidam etiam grandia plumbi pondera in manibus gestantes fossam transiliebant. Eisdem ferè & Romani utebantur, auctore Alexandrô, lib. III. genialium dierum, c. XXI. Jacebat qvoqve in Gymnasio globus qvidam æneus, in parvi scuti figuram formatus, sine loro & baltheo, qvem vel sursum jaculabantur, vel in longum, contendentes qvis omnium aliorum metas excessisset. Qvæ exercitatio duas utilitates adportabat juvenibus, ut & prosperâ valetudine uterentur, & robusti laborumqve patientes evaderent, sicut refert Lucianus in dialogo qvi *ἀναχάρσις ἢ περὶ γυμνασίων* inscribitur.

* *Aleâ ludere*] De Alea milite nugæ solemnes Isidori hæ sunt, lib. XVIII. Origin. *Alea, id est, lusus Tabulæ, inventa à Græcis in otio Trojani belli à qvodam milite nomine* Alea, *à qvo & ars nomen accepit.* Antiqvissimis Græcis Scriptoribus Aleæ lusus à Palamede, Nauplii filio, apud Trojam in castris ad militum otium oblectandum excogitatus putatur. Qvidam eumdem Palamedem auctorem latrunculorum prodiderunt. Plato scribit, Theut priscum qvemdam Deum talos invenisse & aleas. Ludum hunc à Lydis ortum esse, meminit se observâsse apud Herodotum, lib. I. Stanislaus Kobierzycki in lib. I. c. III. de Luxu Romanor. p. m. 31. edit. Lovaniens. CIↃ IↃC XXVIII. in 4to. de qvibus tamen omnibus qvid habendum, præclarè docet Salmasius in c. XIII. Vopisci Procul. p. m. 736. f. Tomi II. Historiæ Augustæ Scriptor. edit. Lugdunens. Batav. 1671. in 8t. Lusum hunc Germanos tantâ lucrandi perdendive temeritate exercuisse, ut cùm omnia defecerunt, extremô ac novissimô jactu de libertate & de corpore contenderint, auctor est Tacitus de Morib. German. XXIV. 3. Romani an libertatem corpusqve

moribus & legibus veterum infamiam fuiſſe conſtat. 6 Ut igitur conſvetudinis potentiæ

puſqve ſuum unius tali fortuito jactui commiſerint certè adfirmare non poſſum, illud audacter habeo dicere, eos ingentem opum vim temerariò aleæ caſu profudiſſe. Innuit Juvenal Sat. I. 92.

—— *Simplexne furor ſeſtertia centum Perdere.* ———

Pauca hæc & modica, licet 2500 Coronatorum fuerint; liberaliùs indulſit Nero, qvi *quadringentis in punctum HS aleam luſit.* Rectè verò damnantur à Legibus iſtiuſmodi ludi qvi pendent à caſu aleæqve nomine intelliguntur. In ff. de Aleat. dicit Prætor, *Si aleator à ſocio ſuo injuriâ affectus fuerit, non dabo illi judicium. Sin alter alteri rapinam aut vim intulerit, reddam quidem jus, quamvis ſint indigni.* Et poſtea: *ſi quis alterum coëgerit ad ludum, ſumetur de illo ſupplicium, ut vel in latumias, vel in publicos carceres conjiciatur.* Apparet ex his, jure civili aleâ ludere odioſum admodùm fuiſſe. Cic. II. Phil. in Anton. c. XXVII. *Domus,* inqvit, *ejus referta erat aleatoribus, ebriorum plena.* Adhæc adduntleges, *ſi aleatores fecerint inter ſe ſponſiones, ne ſint rata.* Familiæ tamen conceditur, *ut inter ſe ludant de eo, quò poſteà in convivio comedatur.* Verùm in C. de Religioſis ſumpt. funerum, de luſu, alea, & aleatoribus gravius ſtatuitur. Antiqvitùs militibus permittebatur extra operas ludere aleâ. Sed Imperator qveritur, eò tempore omnes ludere, & puncta qvædam numerando exhaurire patrimonium, & blaſphemias poſtremò in Deum addere. Itaqve decrevit, nemini licere ludere, nec ſpectare ludentem: & Epiſcopos monet, ut iſta diligenter curent obſervari. Idem Juſtinian. Imper. in Auth. tit. de ſacroſanctis Epiſ. §. Interdicimus, nominatim prohibet, ne Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, vel ipſi ludant, vel aſpiciant ludentes. Sin verò ſecus fecerint, mandat ut in monaſterium ad tres annos detrudantur. Juſtinianus omnibus olim Chriſtianis negatò, poſteà ſolis Clericis interdixit hôc luſu Novellâ CXXIII. *ἀπαγορεύομεν δὲ τοῖς ὁσιωτάτοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ ὑποδιακόνοις, καὶ ἀναγνώσταις καὶ παντὶ ἄλλῳ οὗ δήποτε εὐαγοῦς τάγματος ἢ σχήματος καθεστῶτι ταβλίζειν ἢ τῶν τοιαῦτα παιζόντων κοινωνοὺς ἢ θεωρητὰς γίνεσθαι.* Canon tamen qvinqvageſimusſextæ ſynodi tàm laicos qvàm clericos aleâ ludere vetat. qvi in ea re ſimilis eſt XLIII. Canoni ſanctorum Apoſtolorum. Confer Petr. Martyrem in Judic. c. XIV. p. m. 136. Hadrian. Junium Hornanum, Medicum, II. Animadverſor. c. IV. p. m. 66. edit. Baſileenſ. 1556. in 8r. David. Pareum lib. I. Exercitat. XIII. Philoſophic. & Theologic. n. VII. p. m. 43. ſ. Thomam Gatakerum Londinatem in Antitheſi partim Gvil. Ameſii, partim Gisb. Voetii de Sorte theſibus repoſita, 1638. in 4to. multis pro alea infeliciter diſputantem; inde & eum ſolidè confutavit in Diſceptatione de Luſu Aleæ Gisb. Voetius, Ultraj. edita annô M. DC. LX. in 12. præeuntem habens Lambertum Danæum, cujus in Operibus Genevæ M. D. LXXXIII. in fol. evulgatis, p. m. 214. offenditur de Ludo aleæ libellus adverſus corruptiſſimos hujus ſeculi mores omnino neceſſarius. Eſt & in omnium manibus Andreæ Senftlebii liber de Alea Veterum. Adde Franciſc. Patricium Senenſem lib. III. de Regno & Regis inſtitutione, Titul. X. p. m. 130. edit. Pariſ. M. DC. LXVII. in 8r. Joh. à Chokier de Surlet, Canonicum ac Vicarium Generalem Leodienſem, Principiqve Leodienſi à Conſiliis arcanis, lib. V. Theſauri Aphoriſmor. Politicor. c. XX. p. m. 345. ſ. edit. Leodienſ. 1643. in fol. Georg. Gumpelzhaimerum in Gymnaſmate de

potentiæ etiam hac in re ſuccumbemus, ita non patiemur pueritiam deformari hôc vitiô. 7 Qvòd ſi noſtris hominibus aliqvando meliores & pulcriores delectationes, qvales maximè ſunt ſtudiorum & doctrinæ, arridebunt, facilè hæc deformitas & apparebit & odio habebitur. 8 Pueri in verbo-

de Exercitiis Academicor, Partit. IV. p. m. 356. edit. Argentin. M. DC. LII. in 12. item Paſchaſii Juſti libros de Alea, cumprimis verò Matthiam Berneggerum, Q. CXXXII. in Taciti German. cujus verbis hôc hâc vice argumentum concludemus: *Qvæ tamen omnia, de damnoſa, qvam Juvenalis Sat. XIV. v. 18. vocat, alea accipimus: moderatum interim luſum, & comparatum vel ad ingenuam recreationem, vel acuendum ingenium, qvalis præcipuè ſcachorum & arithmomachiæ eſt, non improbantes, nixi exemplô Auguſti, qvi nullô modô aleæ rumorem expaviſſe, ſed palam oblectamenti cauſsâ etiam ſenex luſiſſe dicitur. Suet. Aug. LXXI. 1. & auctoritate Jacobi Regum doctiſſimi, qvi filio ſuo Henrico in univerſum luſibus non interdixit. Donum regium inſpice, lib. III. p. 158.* Addam non contemnenda hac de re tradita in p. 145. Epiſtolar. Marci Zuerii Boxhornii. *Meminiſti*, inqvit, *inter alios atqve alios, ſemper autem eruditos tuos, ſermones: qvi poſt annorum aliqvot ſilentium, aut abſentiam, ferè eſſe ſolent jucundiores; eum, qvem pernox alea, procul à fritillo, in Bibliotheca tua, ſuggeſſerat, ad meridiem uſqve, ut cum Varrone nunc ſic loqvar, noctis aliqvando nos detinuiſſe. In qvo ab aleatorum more tum non deflexImus. qvi non diurnâ tantùm, ſed nocturnâ etiam, ſemper autem indefeſsâ manu, in illo unius fritilli campo, non aliis inſtructi armis, qvàm talô, & ſingulari certamine commiſſi, ſi non alio nomine, ſaltem iſto vigilantiæ diligentiæqve, ſeveriſſimorum etiam hominum judiciô, veniunt commendandi. Et erat nonnulla nobis hîc pugna, ſed qvalis eſſe ſolet diſſentientium amicorum. In eo interim mihi tecum conveniebat; ut homines fortunæ ludus ſunt, & jocus, ita qvamvis eorum ætatem in aliqvo exerceri; omnem illum vel in imitatione verſari, vel ab affectibus qvibusdam, qvos animi morbos ſapientes, haud ſine cauſſa, vocant, fingi ac impelli, avaritiâ maximè & ambitione. Et ſanè ita eſt. Juſto Turcae, jucundiſſime amicorum. Qvàm faceti in infantia imitatores omnium ſumus! qvàm egregii à natura facti Pantomimi! Qvamprimùm repere deſiimus, tanqvàm aut cura nobis eſſet libertatis, aut in cunarum puparumqve noſtrarum exitium juràſſent Iberiæ Reges, armati qvaſi ac accincti in arundine longa eqvitamus. Matrimonium etiam inimus nuper nati, & parentum, præceptorum, deniqve publica omnia, Regum qvoqve & Principum, nec interim rei majeſtatis, & privata munia uſurpamus. Nos, niſi fallor, hæc olim agebamus, & ſi primæ ætatis noſtræ ſcriberentur annales, non alia illos facinora implerent. At vero non conſiſtimus intra metum innoxiæ imitationis. Alia enim, eaqve in perniciem graviorem mox eruptura, ab affectibus, duobus imprimis, qvos jam diximus, docemur. Qvæ cum ætate vires accipiunt, & plus nocent, & rariſſimè exuuntur. Vis ambitionem? Inſpice Βασιλίνδαν, imperium & aulam puerorum.*

At pueri ludentes, *Rex eris*, ajunt
Si rectè facis.

Et ſic ſenſim proficimus ad ambitionem. Cætera qvippe ejuſdem generis alia, olim hodieqve à pueris reperta, ac primæ arrogantiæ noſtræ & contemptus aliorum incunabula, nunc prætermitto. Alea enim, amor ſemper & deliciæ propè omnium, ipſum avaritiæ regnum, hujus operis eſt argumentum. Cujus indomiti affectus vim pueri etiam ſentimus, &

v

verborum jocationibus † ab obscœnis odiosisqve dictis abstineant. 9 Ludi cupiditas victoriæ adsit, absit lucri, absint contentiones, rixæ, jurgia. 10 Suppeditant autem pueris materiam ludorum foris pila, * cursus, saltatio,

& ludere simul cupimus, & aliquid lucrari; eà augenda rei, & quasi castrensis peculii acqvirendi cupiditate, ut sortem sæpe totam, parentum liberalitate aut amicorum acceptam, Par vel Impar feliciter dicturis, permittamus. Et ipse meminisse possum, eâ temeritate, puerili omni possessione, qvæ tum teruncio rum fortè septem erat, unô momentô olim fuisse me evolutum. Qvam privatam cladem illâ ad Allias aut Cannas Romanis illatâ haud minorem, tunc interpretabar. Ceterùm per hos gradus ad Aleam & verasclades itur. De qvibus qvod plura hìc dicenda non sint. Paschasii Justi tui, Vir amplissime, proavi, & ingeniô & judiciô & doctrinâ exqvisitâ factum est. Qvibus sicut & experientiâ instructus, libris elegantissimis duobus, quos nunc tibi reddo, totam Epidemicis, ut vos loqvimini, scenam mali aperuit, & ipsum profligavit. Qvi olim editi & à plurimis expetiti, ac in publicum profuturi, nunc iterum, meô, &, nisi fallor, bonorum ac eruditorum omnium judiciô, videre lucem debebant.

† *Jocationibus ab obscœnis*] Virtutes inter homileticas Aristoteles refert urbanitatem, IV. Ethic. Nicomach. c. VIII. qvam definit Mediocritatem in joco, II. Ethic. c. VII. & I. Magn. Moral. c. XXXI. & lib. III. Eudæmon. c. VII. docetqve peccare contra eam in excessu βωμολόχυς, scurras & importunos; in defectu agrestes & duros, qvi neqve ipsi qvicqvam ludicrum dicere possunt, aliosqve dicentes molestè ferunt, dictis locis. Intermedios facit ἐυτραπέλυς, facetos, qvi aptè & moderatè jocantur, & sermonem benè vertere, sive flectere possunt: Ἐυτράπελοι enim dicuntur οἷον ἔυτροποι, qvi fando flexiles. Hinc rectè & perspicuè in c. XXIX. primi Officiorum Tullius: *Ludô, inqvit, & joco uti illô qvidem licet: sed sicut somnô & qvietibus ceteris, tùm cùm gravibus seriisqve rebus satisfecerimus. Ipsumqve genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, qvæ ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliqvod probi ingenii lumen eluceat: Duplex omninò est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, facetum qvô genere non modò Plautus noster, & Atticorum antiqva Comœdia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaqve multorum facetè dicta: ut ea, qvæ à sene Catone conlecta sunt, qvæ vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui & illiberalis joci: alter est, si tempore fit, ac remissô animô, homine dignus: alter ne liberô qvidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas.* Vide B. Casp. Finckium, Sect. 1. Sylloges Qvæstionum Illustrium, n. LXV. p. m. 421. s. edit. Coburgens. 1631. in 12. inprimis verò Francisci Vavassoris, viri doctissimi, & qvô elegantiorem vix nostra vidit ætas, politissimum & eruditissimum librum de ludicra dictione, ubi de ἐυτραπελίᾳ pluribus agit. Item Joh. à Chokier de Surlet, lib. V. Thesauri Politicor. Aphorismor. c. XX. p. 349. Ex antiqvis verò Macrob. II. Saturnal. c. I. II. III. IV. V. VI.

* *Pila*] Pilæ ludus ut antiqvissimus, ita certè varius, & utilissimus fuit. Antiqvitatem ejus Plinius docet in lib. VII. c. LVI. dum Pythum (alii *Picum*) inventorem primum pilæ lusoriæ facit inter Latinos, qvem seqvitur Auctor Delineationis Collegii Tubingensis, Tab. VII.

Hac Pythi domus est, qui primus in aëre palmis

Dici-

tatio, pugna, luctatio, qvæ ipsa utiliter fiunt propter corporum exercitatio-

Dicitur inventas exagitâsse pilas.
Qviqve pilas meliùs palmis hic tractat: Honoris
Palmam, vel victô judice, victor habet.

Lydos omnium primos caupones institoresqve exstitisse, aliquos ex Græcis memoriæ commendâsse: nec non alea lusum & tesserarum excogitâsse: item pilæ, & id genus alia plura, scribit in Antiqvar. Lect. XX. (non XXIV. ut mendosè habetur in Dalechampii nota Plinii adducto loco in edit. Hackiana, 1669. in 8t. p. m. 481. b. Tom. 1. subjuncta) libro, init. c. XIV. p. m. 775. A. edit. optimæ Basileens. M. D. LXVI. in fol. Cælius, in qvo præeuntem habuit Herodotum, qvi lib. I. Lydiis, ut Hippasus Lacedæmoniis, Diocæarchus Sycioniis, Juba Maurusius Phæneftiæ Pædotribæ, adscribit. Apud Athenæum est Agallis Corcyræa Illustris arte Grammaticâ femina, qvæ inventionem pilæ tribuit Nausicaæ, alii Lacedæmoniis, qvidam juventuti Phæacorum acceptam ferunt. Vide rursus Cœlium Rhodigin. XIV. c. I. p. 515. Studiosè nonnullos admodùm lusisse pilâ reges atqve principes, ac in his Mæcenatem inprimis, antiqvô regum Hetruscorum genere oriundum omnesqve virtutes regias habentem, scimus vel è Flacco, ab eodem opibus & dignitate non parum aucto, qvi &, ut ei gratiam referret, plerosqve librorum ei suorum inscripsit. Verba autem habentur lib. 1. Serm. Sat. V. 48.

Lusum it Mæcenas: dormitum ego, Virgiliusqve.
Namqve pila lippis inimicum; & ludere crudis.

Optimè qvoqve pilâ lusit Publius Scævola vir gravissimus, & Jureconsultorum omnium disertissimus. Is cùm à forensi labore fessus esset, pilâ se aliqvantulum instaurabat, ut refert Cicero. Lusit etiam pilâ studiosè admodùm ex philosophis Lycon Troadensis, ad qvam qvidem fessus studiis sapientiæ confugiebat, tanqvam ad placidam auram post difficilem æstum, atqve calorem ut gratior deinde esset ad studia reditus. Dionysius qvoqve Syracusanus pilâ summoperè delectatus est, sed homo ad sævitiam natus etiam inter ludendum pusionem, qvem unicè adamabat, interemit, cujus facti adeò eum pœnituit, ut vix à seipso manus abstinuerit, ut Tullius in V. Tuscul. c. XX. auctor est. Sed qvid immanissimum tyrannum memoro, qvum regem virtute & rerum gestarum gloriâ omnium maximum testem inducere possim? Lusit Alexander pilâ, & sæpenumero qvidem, qvùm à militia, & rebus seriis ei ocii aliqvid dabatur. Et cùm naturâ munificentissimus esset, & auctô imperiô liberalitatem benignitatémqve accumulâsset, adjecissetqve jucunditatem qvamdam & alacritatem in donando, qvâ solâ omnibus gratificari videbatur, inter ludendum qvidem collusores omnes aliqvid petentes muneribus adficiebat. Qvocirca Serapion adolescens modestus ac facetus, qvicum crebro ludere solebat, cùm nihil poscens, nihil etiam unqvàm dono ferret, hoc animadvertens, pilam ad alios omnes præterqvàm ad regem mittebat: ac tùm dicente Alexandrô: Qvid ad alios pilam mittis, ad me autem neqvaqvam? Serapion, non petis, inqvit: hoc audiens rex, leniter adrisit, & confestim munera qvam maxima ei adferri jussit, qvibus ille lætior factus, pilam alacriùs mittebat. Tum Alexander, Planè ut video (inqvit) munera gratiora sunt non petenti, qvàm efflagitanti. Lusit pilâ aliqvando etiam Cæsar & singulis collusoribus suis centena sestertia numerari jussit uni L. Cæcilio qvinqvagena tantùm: hic facetè, num unâ manu ludo?

Tum

tationem. [11] Domi autem & intra conclavia, cùm alia, tùm scrupi & † latrunculi, qvibus

Tum ridens Cæsar, numerum æqvari imperavit. De Octavio c. LXXXIII. 1. tradit Svetonius: *Exercitationes campestres eqvorum & armorum statim post civilia bella omisit, & ad* pilam *primò folliculumqve transiit.* Ubi Casaubonus in notis adducit hoc Martialis, VII. XXXII. 7.

Non pila, non follis, non te paganica thermis

Praparat, aut nudi stipitis ictus hebes.

Qvod incomparabilis ille Svecorum Rex, omnibus omnium Gentium imperatoribus magnitudine suâ inducturus caliginem, Gustavus Adolphus, sanctæ memoriæ, hôc ipsô valde delectatus fuerit exercitiô, pilamqve aptè & expeditè miserit, lego apud prudentissimum JCtum Joh. Michaëlem Moscherosehium in notis ad p. 363. Gymnasmatis Georg. Gumpelzhaimeri de Exercitiis Academicorum, ubi non contemnenda hoc de exercitio adferuntur. De sententia Ciceronis, III. de Oratore, c. XV. *Homines labore adsiduò & qvotidianò adsveti, cùm tempestatis caussâ opere prohibentur, ad* pilam *se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliqvem excogitant in otio ludum.* Confer eundem, I. de Oratore, c. XVI. & L. & Senecam, II. de Benefic. c. XXXII. Galenus librum de eodem lusu composuit, in qvo eum ut animo & corpori vehementer commendat idoneum. Idem, librô II. περὶ ὑγιεινῆς celeres inter exercitationes recenset. Laudat eum peculiari opere qvoqve Dorcatius Poëta minimè vulgaris Romanus, memoratus in XVIII. Originum, c. LXIX. Isidoro, ubi diversô carmine heroicô ejus præcepta tradit. Enimverò minimè modicâ dictô lusu mens adficitur voluptate, excitatur animadversio ac ingenium, corpusqve exercetur æqvaliter; cùm oculi, caput, manus, pedes cum celeritate moventur dexteritateqve, ut in eo lusu etiam palæstræ artificium adpareat, qvod in primo de Oratore Tullius adfirmat. Vox ipsa dilatatis arteriis clarior efficitur ac melior. At sunt hujus generis complura, de qvibus dicere non est hujus loci, nec temporis. Occuparunt hanc materiam in II. Artis Gymnasticæ c. V. p. m. 226. edit. opt. Amstelodamens. CIↃ IↃC LXXII. in 4to Hieronymus Mercurialis; Franciscus Patricius Senensis in libr. III. Tit. IX. de Regno & Regis institutione, p. m. 128. Jo. Ravisius Textor in libr. IV. c. XLIX. Theatri Poëtici atqve Historici, p. m. 547. edit. Basileens. M. DC. in 8t. Adde & Alexandr. ab Alexandro lib. III. c. XXI. & ibi Tiraqvellum, cumprimis verò Gerard. Jo. Vossium de Gymnastica, c. III. §. XXVII. p. 17. s. §. LXV. p. 26. s. & Thomam Dempsterum JCtum, Paralipom. ad Job. Rosini V. Antiqvit. Roman. c. I. p. m. 432. a. b. Jacobum Middendorpium, Theologum & Juris peritum, lib. I. Academiar. c. IX. p. m. 59. Disputavit & de Pila ex professo Timocrates Laconicus.

† *Latrunculi*] Latrunculorum ludum vulgo scachorum dicunt Arabicè. Nam Arabes, qvibus artificium egregii Scachiæ ludi debent Europæi nostri hodierni (vide tamen Georg. Gumpelzhaimerum in Gymnasmate de Exercitiis Academicor. Partit. IV. Sect. III. p. m. 349.) lusum *schatrenscha*, hoc est, latrunculorum adpellant, ut legitur in vita *Temur*, sive *Tamerlanis*, citante Joh. Fabriciô in Specimine Arabico: ubi & hoc addocet, ipsa Germanica vocabula hoc in lusu usurpari solita, ab Arabico defluxisse. *Scach* enim Persis significare regem. & cum in ludo illo latrunculorum rex ita arctatur premiturqve, ut sede non possit

H egredi,

qvibus in ludis gloria ab adultis qvoqve ingenii magis qvàm qvæstus spectari solet.

XIX. [1] Sed

egredi, tum iisdem ab Arabibus dici *Schachmata*, hoc est, rex cecidit, obiit, mortuus est. Deniqve latrunculum, qvi utrumqve istius tabulæ lusoriæ angulum occupat, adpellari voce Persico-Arabicâ *Rocho*, Germanis meis, der Rochr, oder Elephant. Reperio hunc lusum damnari ac à nonnullis rejici, qvamqvàm usitatissimus est, placetqve multis ut omnium primus ac præcipuus ludus, pertinensqve ad animi exercitia, & ingenuis artibus adnumerandus. Imo Juris apud interpretes nostri tantum favorem meruit, ludos ut inter licitos habeatur & permissos. Leg. Summa Baptist. in Verbo *Ludi*. Julius Clarus in §. Ludus, n. 3. Ignatius Lopez, in Practic. Canonic. c. LXX. Sed de hoc ludo Hieron. Vida, Gustavus Selenus (qvi est Augustus, trajectis litteris enim est *Gustavus* idem qvi *Augustus*, Dux Luneburgensium, cùm à Græco σελήνη Luna possit deduci Selenus) Lucas Wielius Ligo-Silesius, Johann Huttner & alii eruditos ac elegantes libellos tam in Latina qvàm in vernacula fecerunt lingva. Robert. Valturius de re militari, Emanuel Soarez Recept. sentent. Verb. *Ludus*, n. 197. Castilioneus qvoqve lib. II. Aulici reprehendunt hunc ludum ut inventum hominum nimis inertium, & qvòd ab otiosissimis freqventetur, tempusqve, qvô nihil sit pretiosius, addunt, eâ ludi vanitate consumi ineptè, qvin etiam plus in illo majori poni temporis animi anxietate, qvàm in rebus seriis, esseqve adeo difficilem, ut, si qvis exactè eum velit addiscere, multum temporis insumere eum oporteat, & tantâ diligentiâ uti, qvantâ nobili aliqva in arte, qut re magni addiscenda momenti opus. Turpe autem esse difficiles habere nugas, & stultum esse laborem ineptiarum; neqve ad jocum & lusum nos finxisse naturam, sed ad res qvasdam majores & graviores; neqve conveniens esse τὰ ἔργα in τὰ πάρεργα convertere, & illos imitari, qvi manum de tabula tollere nesciant, καὶ τὸ ἔργον ὡς πάρεργον, καὶ τὸ πάρεργον ὡς ἔργον ἀπεργάζονται. Vide Δῶρον βασιλικὸν Jacobi Magni Britanniæ Regis, qvi seriò hunc ludum non sine aliis alicujus momenti rationibus improbat. Pergunt nonnulli, ajuntqve, nihil habere jucunditatis; constare qvidem ingeniô, sed ideò litteratis minùs idoneum, qvòd mentem studiis jam defatigatam magis cessatione recreare, qvàm novô meditationis labore gravare oporteat. Vide Philelphum, lib. III. de Educat. liberor. c. VI. At hoc unum & nos hoc in ludo cum Friderico apud Castilioneum, lib. II. de Aulico, p. 130. fugiendum censemus studiosis (otiosis suum relinqventes placitum) ne nimium profecisse velint. Qvisqvis enim in illo reliqvis præstare studet, tantum eidem operæ atqve laboris impendere debet, qvantum scientiæ cuiqvam sufficere potest eximiæ. Cùm tamen, licet omnia cognoverit curiosè, nihil amplius, nisi ludere tantùm didicerit. In eo itaqve id usu venit, qvod rarissimè perspicitur, nimirum mediocriter scire, melius esse, qvàm valde præstare. Neqve tamen hic postulamus, ut omni prorsus agitatione mentis curâqve vacent ludentes, tamqvàm si catuli bestiolæqve inter se lusitarent; sed vehementiorem cogitationem attentionemqve altiorem prohibemus; ubi videlicet, qvi se ad ludum dederunt, alium adstantem fabulari, aliosqve interim colloqvi non patiuntur, ne ipsorum distrahantur animi: & ipsi veluti si Mathematicis figuris, & numeris occuparentur, defixi cogitationibus perpetuò silent.

XIX. [1] Sed qvia, sicut initiò factorum me testatus sum, brevibus qvibusdam

silent. Enimverò, qvi sic ludunt, ii ludò, qvem ad remittendum, non intendendum animum inventum constat, abuti videntur. Interim hoc certum est, exercere dictum lusum ingenium & judicium, memoriamqve non parum roborare ac confirmare, si Jacobo Publicio Florentino, II. de Arte Memor. & Imag. credimus. Ostendit se in eo qvoqve Arithmetica cum Geometria, qvin etiam status Aulico-Politicus concinnè depingitur ibi ac figuratur, & ad amicitiæ, qvæ plerumqve hodie ex utilitate æstimatur, notitiam conducit, uti Petronius Arbiter in Satyrico, p. m. 304. edit. Amstelod. M. DC. LXIX. in 8t. scribit:

Nomen amicitiæ, si qvatenus expedit, hæret,

Calculus in tabula mobile ducit opus.

Uti enim lusor, qvâcumqve potest fallaciâ adversarium vincere, sibiqve soli consulere: ita in vita civili pleriqve sua, etiam cum alterius damno promovere satagunt. Ex adverso qvoqve animum ad constantiam formabit, qvi ludentem, de felici non desperantem exitu, omnesqve ictus prudenti superantem exceptione imitabitur, qvævis infortunia victurus sagaciter. Lege Adrian. Turnebum, lib. I. Adversarior. c. XV. (non XIX. ut vitiosè adducitur in notis ad Petronium dictæ editionis) p. m. 10. a. Qvòd strategemata, callida consilia & bellicas Machinationes hic ludus doceat, ostendit in libr. de Talorum ludo Cœlius Calcagninus. Alium usum his verbis aperit Polydorus Vergil. II. de Rerum Inventorib. c. XIII. p. m. 111. edit. opt. Argentorat. M. DC. VI. in 8t. *Est vel aliud ludi genus, quô calculis in tabula lusoria, id est, fritillis & alveolis luditur, inventum olim circiter annum orbis conditi, ter millesimum D C XXXV. à quodam viro sapiente, nomine Xerxe, qui ita tyranni sævitiam coërcere metu, ac eum documentô monere volens, ostendit majestatem sine viribus hominumqve adminiculis, parum admodùm valere atqve tutam esse, quando per istiusmodi ludum satis patebat regem facilè oppressum iri, nisi invigilaret, à suisqve defenderetur. Vocavit hodie hosce calculos, seu scrupos furunculosve quibus præliando ludimus (est enim certamen instar prælii) scacos, à scandendo forsitan dictos, quòd calculi, cùm movemur, in alteram adversariam partem scandere videantur. Ludus omnibus notus est, quare satis de eo habeo dictum, cum monstraverim originem.* Nolo præclarum hic præterire locum & exemplum è Senecæ de Tranqvillitate Animi libro, c. XIV. ita habens. *Credisne illum.* (Canum Julium) *decem medios usque ad supplicium dies, sine ulla sollicitudine exegisse? Verisimile non est, qua vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cùm centurio agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet. Vocatus, numeravit calculos, & sodali suo; Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni: Testis, inquit, eris, unô me antecedere. Lusisse tu Canum illâ tabulâ putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid mœsti, inquit, estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint: ego jam sciam. nec desiit, in ipso veritatem fine scrutari, & ex morte sua quæstionem habere. Prosequebatur illum Philosophus suus: nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari Deo nostro* (Caligulæ) *fiebat quotidianum sacrum: Quid, inquit, Cane, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Observare, inquit Canius, propositi illô velocissimô momentô, an sensurus sit animus, exire se, promisitque, si quid explorâsset, circumiturum amicos & indicaturum, quis esset animarum status.* Similiter avorum memo-

dam præceptis formam magis puerilis vitæ perstrinxi, qvalem illam censerem esse oportere, qvàm descripsi, & qvam omnibus numeris suis absolvi, neqve sum hujus ætatis terminos transgressus, & tamen non solùm nihil nocuerit, sed etiam profuerit admodùm, seqventis vitæ qvoqve rationem propositam his esse, ut qvò sibi perveniendum sit, jam ante qvale sit, perspectum notumqve habeant, visum est hôc locô Isocratis * diligentissimi & doctissimi viri de adolescentum laudabili vita præceptiones, Demonico explicatas, subjicere. [2] Qvem autorem pueri audient tanqvàm numinis vocem, cùm hoc certè rectæ institutionis & verarum admonitionum opus celeste sit divinum. [3] Pollicitus autem est Isocrates eo in sermone Demonico subjunctionem earum rerum, qvas res adolescentes appetere, qvasqve fugere rectum esset: etiam qvibus cum vivere & qvem ipsi in vita degenda modum viamqve tenere deberent, qvas post longiusculum sanè procemium ita exponere est orsus [4] *PRIMUM omnium pietatem colito erga DEUM, non modò sacris operando, verumetiam præstando fidem & faciendis promissis.* [5] Atqve hunc ille qvidem locum explicuit, pro veteri gentis suæ religione & ritu, qvi nunc obsolevit, & meritò improbatur. Reliqva sunt ferè ut seqvitur. [6] *ERGA parentes eum te præstes, qvem optares sentire erga te filium tuum.* [7] *CORPUS* † *sic exerce, ut non tàm roboris qvàm valetudinis rationem habuisse videare, qvod ita maximè conseqvêre, si exercendi finem satietatem, non defectionem virium feceris.* [8] *CACHINNORUM protervitatem respue.* [9] *Sed neqve audacia in verbis tibi probetur; qvarum illa stultitiæ, hæc vesaniæ significationem dare solet.*

memoriâ *Joannes Fridericus, Elector Saxoniæ* laudatissimus, auditô mortis decretô; nihil vultu motus, imò additis verbis qvibusdam heroicis, *Ducem Brunsvicensem Ernestum* exhortatus est, ut pergeret secum scacchis ludere: qvemadmodùm refert Amiratus, Dissertat. Pol. lib. XII. Disc. II. p. m. 347. Ut id obiter in philologorum gratiam adjiciam, videri possit eundem vel similem ludum lusisse cum Cano Julio, qvem Martialis hôc versu describit: lib. XIV. Epigr. XX.

Insidiosum, si ludis bella latronum

Seneca, Ep. CXVII. *Nemo, qvi ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncularium perspicit, ut sciat, qvomodo alligatus exeat calculus.* Ubi Lipsius: LATRUNCULARIAM. (De brevit. vitæ c. XIII. de Tranqvill. c. XIV. ALLIGATUS EXEAT.) *Pugna enim erat & alterius coloris calculi ad lineam ultimam urgebant: artis, implexum vel obsessum evadere.* Hæc Lipsius. Calculi in isto ludo vitrei & gemmei. Martialis ibid.

Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Sed & gemmam vocat, lib. XII. Epigr. XL. 3.

Pedis, dissimulo, gemma vis ludere, vincor.

Videantur Salmasius ad Flav. Vopisc. in Procul. c. XIII. p. m. 736. f. Tom. II. Histor. August. Scriptor. etiam Athenæus lib. I. p. 16. & 171 item Francisc. Patric. lib. III. de Regno, Tit. XII. p. m. 131. b. Laudat Jacobi de Cæsellis commentarium de Ludo Schaccorum, & manuscriptum penes se esse, testatur Nobiliss. Barthius. lib. XLVII. Adversarior. c. XV. col. 2215. f. ubi & locum qvemdam ex eo adscribit.

* *Isocratis*] Hunc *virum sapientiâ & eloqventiâ peritissimum* vocat Francisc. Patricius, lib. IV. de Regno Tit. II. p. m. 148. a.

† *Corpus sic exerce*] Legenda hic erit Ep. XV. Senecæ.

solet. [10] *QVÆ factu turpia esse cognôris, ea ne dici quidem honestè posse speres.* [11] *SIC compone vultum, ne tristicia in illo, sed severitas appareat: nam illa contumaces, hæc prudentes videri facit.* [12] *NIHIL rerum omnium pulchrius neqve decentius esse arbitrêre, mundiciâ, pudore, probitate, temperantiâ, qvibus universis contineri mores adolescentum putantur.* [13] *NUNQVAM admittes in te flagitium aut turpitudinem, qvia clam fore speraveris, Nam ut maximè alios celare possis, tu tamen tibi certè eris illius conscius.* [14] *DEUM time. VENERARE parentes. REVERERE amicos. PARETO legibus. SECTARE voluptates laudabiles. Delectatio enim cum honestate conjuncta res optima, sine hac deterrima est.* [15] *PERTIMESCE fictas etiam calumnias. Nam vulgus* * *non veritate, sed opinione regitur.* [16] *IN omnium rerum actionibus, existima neminem esse qvem illa fugiant. Ut enim in præsentia factum occultes, posteà tamen aliqvando perspicuum futurum est.* [17] *PRÆCLARUM TIBI fuerit non fecisse ea* †, *qvæ*

* *Vulgus*] Imò totus mundus regitur opinionibus. Sed nolo illum de Opinione locum hic pluribus explicare, vide Melchior. Junium, Tomô I. Oration. p. 905. f. edit. opt. Argentorat. M. DC. XX. in 8. Johannis autem Balthasaris Schuppii de Opinione Oratio è Caspar. Barlæi Oratione de Ente rationis maximam partem descripta est. Nimirum omnibus ferè suis in Orationibus Schuppius plagiarium agit; in qvibus præter styli barbariem & joculos qvosdam triviales vix aliqvid laude dignum, & qvod Professorem Eloqventiæ arguat, invenies. Adde de errore opinionis & Cœl. Rhodigin. XI. Lection. Antiqvar. c. XXV.

† *Non fecisse ea*] Planè ad mentem Dionys. Catonis, Distich. XXX.

Qvæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse.
Turpe est doctori, qvum culpa redarguit ipsum.

Vita turpis abrogat auctoritatem docenti, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur. Nec sanè immeritò. Est enim virtus morum qvidam tanqvàm spiritus literarum, hæc verò qvoddam qvasi corpus virtutis. hæc ubi abest, jacent literæ, veluti membra exanima; nec solùm nullam habent efficiendi vim, sed nec se qvidem possunt commovere. Qvid facient pedes, qvid manus, qvid caput, qvid ceteri corporis artus vitali spiritu destituti? Qvid adhortatio, qvid objurgatio, qvid admonitio, qvid reliqvi literati hominis conatus à virtute tanqvàm anima derelicti? Mihi verò non temerè videtur Servator ille hominum priùs salem dixisse terræ discipulos suos, qvàm mundi lucem, sed divinâ illâ, qvâ cuncta solebat, sapientiâ. Matth. V. 13. 14. Est enim honestè acta vita, cujus exemplô saliuntur qvôdam modô corrupti mores hominum, & qvæ delapsa jam fluxerunt, adstringuntur, ut S. Chrysostomus adnotavit, Hom. XV. in Matth. longè doctrinâ prior, cujus lumine terrarum orbis illustratur. Multò magis exemplis, qvæ cernant oculis, qvàm verbis impelluntur mortales, illáqve maximè vel ab imperitissimis solent in iis, à qvibus admonentur, reqviri. Nulla est orationis, qvamvis doctissimæ, auctoritas, nullum pondus, qvam ipsi dicentis mores confutant, & qvantum adfert virium ac momenti vel eloqventia, vel rei honestissimæ, de qva dicitur, natura, tantum vitæ detrahit turpitudo: neqve est qvidqvam superbius, necarrogantius, qvàm velle, ut alii tuam seqvantur doctrinam, à qva tu ipse turpissimè diffideas: neqve stultius, qvàm sperare ceteros id esse facturos, qvod

 videant.

qua in aliis reprehenderis. [18] *SI † STUDIOSE disces, multa disces.* [19] *QVÆ JAM tenes studiô & * usu custodi, qua ignoras doctrinâ acqvirito.* Nam perinde

videant te ipsum non facere, qvi doceas. Neminem fugiunt hæc Plauti, Pseudol. II. II. 18. *Non soles respicere te cùm dicas injustè alteri?* Et in Truc. I. II. 58. *Qui alterum incusat probri, eum ipsum* (Lipsius legit *eumpse*) *se intueri oportet.* At, ut idem Comicus in Pseudol. IV. II. 17. auctor est, *in foro vix decimus qvisqve est, qvi ipsus senoverit.* Pulchrè Seneca, II. de Ira. c. XXVII. *Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos. Nunqvid & ipsi aliqvid tale commisimus? nunqvid sic erravimus? Expeditne nobis ista damnari.* Concludo verbis Arnobii, è libro II. advers. Gentes. p. m. 93. v. 26. edit. opt. Lugdun. Batav. CIↃ. IↃCLI. in 4to. *Cujus est pudoris, quinimò, inverecundiæ cujus, qvod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis locô dare ea, qua in te possint reciprocatâ vicissitudine retorqueri:*

† *Studiosè*] Id est diligenter: cum cura, non perfunctoriè nec obiter. Qvi mercaturam exercent, tantô ardore tantôque id agere consveverunt studiô, ut nulli labori operæqve parcant, si qvam emendis vendendisqve mercibus rem facere possint. Non illis infame naufragiis mare, non latrociniis infesta itinera, non cæli ventorumqve iræ terrorem incutiunt. Labores omnes, molestias, atqve pericula spes affulgentis lucri superat, nec qvidqvam durum videtur, qvod opes divitiasqve promittere habeat. Qvod si eâdem contentione animi bonarum literarum studia prosèqveremur, Deus bone! qvanta doctorum virorum copia orbem terrarum velut inundaret? Nunc qvum juventus pleraqve fracta & emollita voluptatum deliciis nolit severâ lege proficere, plusqve in comendo corpore, qvàm animo utilibus præceptis componendo disciplinisqve pulcherrimis exornando dedita sit, multi inveniuntur qvidem, qvi docti, qvi eruditi videri velint; sed qvi ex vero sint,

—*Vix totidem, quot*
Thebarum porta, vel divitis ostia
Nili,

reperias.

* *Usu*] sive exercitatione, qvæ visa mihi semper est maximè necessaria, sine cujus præsidiô artium fastigium à nemine superari potest. Ab hac non solùm adeptio doctrinarum, sed etiam progressio earum atqve incrementa pendent. Qvod è militaris disciplinæ rationibus inprimis intelligere licet; cùm ludicra compositis utrinqve peditum turmis certamina, cùm castellorum è ligno simulatorum oppugnationes & defensiones instituuntur, ut futuri aliqvando milites per hujusmodi contentiones fictas, ad veras pugnas præparentur. Non bene cedit opus fictori, qvi non diu multumqve à puero circumducendâ tenuandâqve humô in figulina est exercitatus: sed cùm amphora institui cœpit, ut canit Poëta, exit urceus. Volucres ipsæ, aliæqve rationis expertes bestiæ, naturæ instinctu eruditæ, faciunt idem. Nam & aves pullos suos tùm è nido volare, tùm canere; & leones catulos suos venari minores debilioresqve feras; & cervi partus editos ad prærupta ductos, saltuqve demonstratô fugam meditari docent, & exercent cursu. Et hæc qvidem exercitatio non diu differri debet, verùm à primis statim annis inchoanda est, ut perducatur in morem, atqve in naturam convertatur. Est enim tenera adolescentum ætas ceræ mollis, & arbusculæ flexibilis simillima, qvæ formam omnem tractantis arbitriô reci-

inde turpe est utilem orationem atqve amicorum preciosa dona respuere. [20] *QVICQVID OCII in vita suppetit, fac impendas cognoscendi † audiendiqve studio. Ita enim facile disces, qvæ alii magnô labore invenerunt.* [21] *DOCTRINÆ copias divitiarum copiis pluris facito. Hæ enim cito dilabuntur, ab aliis qvæ didiceris nemo auferre tibi poterit. Sola enim est omnium partorum sapientia immortalis.* [22] *NE pigeat te longô * etiam itinere professores utilis doctrinæ sectari. Nam*

recipiunt. In senectute cùm langvet corpus, claudicat ingenium, vacillat memoria, vix parta superiori tempore bona ab oblivione defendere possumus, nedum valeamus nova parare discendo. Inde Dionys. Cato IV. Distich. XXI. non vanè monet:

Exerce studium; quamvis perceperis artem:
Ut cura ingenium, sic & manus adjuvat usum.

† *Audiendiqve*] Dixi de hoc nonnihil part. I. Methodor. p. 20. s. In præsentia venit in mentem seqvens Plinii locus: *Dices*, inqvit, lib. II. Ep. III. *habeo hic qvos legam non minùs disertos. Etiam: sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. Prætereà multò magis, ut vulgò dicitur, viva vox adficit. Nam licet acriora sint qvæ legas, altiùs tamen in animo sedent, qvæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Nisi verò falsum putamus* illud Æschinis: *qvi qvùm legisset Rhodiis Orationem Demosthenis, admirantibus cunctis: adjecisse fertur;* Τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου (τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος) ἀκηκόειτε; (id est: *Qvid si illam ipsam belluam sua verba vociferantem audivissetis?* Verba parenthesi inclusa Alduscum pluribus aliis exemplaribus non habet, agnoscit tamen ea Sichardus & interpretatur Hieronymus, Epist. CIII. ad Paullinum, c. I. his verbis: *Æschines cùm Rhodi exsularet, & legeretur illa Demosthenis Oratio, quam adversus eum habuerat; mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: Qvid si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem?* Sed pergamus in Plinio) *Et erat Æschines, si Demostheni credimus,* μεγαλοφωνότατος: (id est, maximè vocalis) *fatebatur tamen longè meliùs eadem illa pronunciâsse ipsum, qui pepererat. Qvæ omnia huc tendunt, ut audias Isæum.* Hæc Plinius.

* *Longô etiam itinere*] Subministrat locô proximè citatô non contemnendum hujus rei exemplum his verbis Plinius: *Nunqvamne legisti, Gaditanum qvemdam, Titi Livii nomine gloriâqve commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimqve, ut viderat, abiisse.* Sic uti & dictô locô S. Hieronymus; numerô tamen plurativô: *Ad T. Livium*, inqvit, *lacteô eloqventiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumqve finibus qvosdam venisse nobiles legimus; & qvos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Nimirum felicissimô non paucì locô editi, ingeniô præcellentes, Disciplinæ & gloriæ cupidi remotissimas qvasqve terras peragrârunt & vel Academias, vel Lycæa, vel porticus eruditione suâ ac virtute inlustrârunt. Homerum in Ægyptum pervenisse non solùm Sacerdotum libri testantur: sed ipsius etiam scripta. Inducit enim Helenam potionem Telemacho, qvi apud Melenaum divertebat, præbuisse, qvâ mœroris sui è vestigio oblivisceretur ille; qvam qvidem à Polymnesta Thanis conjuge diluere didicisset. Solæ enim Diospolitanæ, hoc est, Thebanæ Mulieres, iram ac mœrorem potionibus sedare poterant, & oblivionem malorum qvamdam carminibus impetrare. Linus qvoqve

Nam turpe fuerit, cùm mercatores tantum pelagi navibus emetiri non dubitent, quò

qve ac Musæus, circa Trojani belli tempora agentes, plurima a Phœnicibus didicerunt & Ægyptiis, eorumqve disciplinam in plerisqve imitati sunt. Plato ipse Athenas, urbem Græciæ clarissimam, adeoqve suam patriam deseruit; atqve ut siderum magnitudines, intervalla, cursus, & cuncta cælestia investigaret, numeros motusqve tractare, & unde traherent originem singula, qvóqve recederent, disceret, ad sacerdotes Heliopoli docentes longissimam profectionem suscipere haut gravatus est. Cui se comitem adjunxit Eudoxus; cùm antè paullò Pythagoras Insulâ Samô; ubi in lucem editus fuerat, relictâ, in Ægypto pariter Magos illos audivisset. Theophrastus Atticam ob Aristotelem ceterosqve Præceptores amore tam ardenti complectebatur, ut in ea vitam finire voluerit, & indignè tulerit; si qvis ipsum Eresium aut Mitylenæum diceret. Toxaris Scythiam natale solum sortitus, homo obscurus, Athenas se contulit, ubi divinis honoribus & statuâ ornatus est, qvòd populum à pestilentia servâsset. Tam feliciter præcepta Philosophiæ & Medicinæ fontibus imbiberat ab Atticis. Parum abfuit, qvin oblitus fuissem è lib. I Diodori, Democriti Abderitæ; qvem Timon Philosophus omnibus aliis sapientibus prætulit. Magnum hic sanè patrimonium suum in diuturnæ peregrinationis viatico impendit, & ultra qvidem octoginta juges annos peregrinatus est, ut ipsemet qvadam in Epistola sua meminit. Ait enim, *præter omnes homines ætatis meæ mundi regiones atque urbes vidi. Neque hoc admirationi cuiqvam esse debet,* inqvit Patricius, III. de Regno, Tit. XIV. p. m. 136. b. f. *vixit siqvidem Democritus annos centum & octo, ut Hipparchus scripsit. Ubicunqve enim gentium terrarumve aliqvid se discere posse arbitrabatur, illuc qvamprimùm proficiscebatur, ne qvid relinqueret, quod uspiam ab homine disci posset. Perrexit siqvidem Babylonem, & deinde in Ægyptum, ut à sacerdotibus illis Geometriam perciperet, & si qva etiam alia eum latebant. Magos in Perside deinde Chaldæos adivit, a qvibus (ut Herodotus refert) Theologiam, & Astronomiam perdidicit. Habuerunt enim Chaldæi varias Astrologorum sectas, & secundùm diversas opiniones sortita sunt nomina à præceptoribus, ut Orcheni, Borsispeni: Celebriores omnium habiti sunt Cidem, Naburianus, Sudinus, & Seleucus, qvi Chaldæus fuit, ex Seleucia eorum urbe: hic per suam doctrinam notus fuit Græcis Latinisqve Mathematicis omnibus sui temporis. Trajecit etiam Democritus in Indiam, ut à Gymnosophistis propriam eorum disciplinam perdisceret, mox in Æthiopiam, & ultra Rubrum mare transmisit, ut doctis qvibusdam viris congrederetur. Sed qvid ego Democritum memoro? qvasi hic solus peregrinatus sit, qvum doctissimos qvosqve inveniam longinqvas regiones discendi gratiâ adivisse. Nec id abs re esse arbitror, profitetur enim sapientiæ studium, qva philosophia dicitur, divinarum humanarumqve rerum peritiam, proinde res humanæ perdiscendæ sunt ab eo, qvi eruditus esse, & haberi cupit. Hæ qvidem non in angusto qvodam diversorio inveniri possunt, sed ex diversis locis variisqve hominibus indagari debent. Fieri enim potest, ut qvispiam in suis penetralibus nonnulla qvidem sciat: sed multa illa ac penè innumerabilia à compluribus ac diversis percipienda sunt.* Hinc Romani qvoqve omnium mortalium excellentissimi, habitabiles omnes orbis regiones qvasi proprium domicilium propriamve urbem peragrabant, & qvidqvid uspiam gentium terrarumve cognitu dignum inveniebant, qvamprimùm literis commenda-

quò rem suam augeant: nolle adolescentes terrenâ viâ contendere ad intelligentiæ suæ incrementum. [23] *SIC esto moratus, ut* & [*] *libenter salutes,* & *colloqvare cum omnibus,* & *aliis commodè respondeas.* [24] *COMIS* † *esto erga cunctos. Usus autem*

dabant, vel in patriam transferebant, si res ejusmodi esset, qvæ è loco transferri posset, adeò ut non modò omnium gentium detracta armis spolia reportarent, verùm etiam disciplinas, mores, leges, instituta, artesqve omnes acciperent, & in proprios lares devectas parvô temporis curriculô longe meliores præstantioresqve redderent, ut fecit M. Marcellus imperator ille fortissimus, pugnacissimusqve, qvi ex Syracusana præda imagines, simulacra, ac signa qvæqve præstantissima Romam advexit, non solùm ad triumphi pompam, sed ad urbis qvoqve ornamentum: vix enim in Italia nota erat graphidis ars, & jucunda atqve admirabilis illa sculpturæ ratio, in qva deinceps plures artifices Romæ claruerunt. Simulacra enim in delubris dicata ad devictam usqve Asiam (à qva omnis luxuria in urbem irrepsit) lignea aut fictilia fuerant: sed advecta posteà undiqve brevi tempore adeò creverunt, ut in Marci Scauri ædilitate tria signorum millia producta fuisse scribantur. Replevit, urbem signis L. Mummius devictâ Achajâ, Luculli etiam multa invexêre. Fabius qvoqve Maximus, captô per vim Tarentô, æneam Herculis imaginem Lysippi opus sustulit, & in Capitolio consecravit. Sic etiam complures alii imperatores Romani effecerunt, qvi signa omnia præclara Romam pertulerunt, ut Urbem non gentium imperiô, sed optimis etiam qvibusqve artibus decorarent. Confer Dominic. Macrum in Hierolex. Voc. *Schola Græca*, qvæ aliàs *Schola Octavia* dicebatur Romæ, eratqve porticus a Theatro Marcelli incipiens, ubi hodie Sabellinum Palatium, extensaqve versus *S. Mariam in Porticu.* Dicebatur autem *Schola Græca*, qvòd in eam multæ picturæ ac statuæ è Græcia delatæ essent; qvarum complures recenset Plinius, lib. XXXVI. c. V.

[*] *Libenter salutes*] *Non temerè*, auctore Desideriô in Colloqvior. initio, *docet quidam,* (fortè Cato, non qvidem in Distichis, ut in notis habetur editioni Lipsiensi M. DC. LXX. in 12. additis, sed in brevibus illis sententiis, distichis præmitti solitis n. 11. *Saluta libenter*. Hinc & rectiùs in edit. Hackiana, qvam Schrevelius curavit M. DC. LXIV *in Præceptis* est, *qvæ circumferuntur Catonis nomine*) *ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit; certè mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam usque adeo Demeæ sunt, ingeniòqve agresti, ut vix salutati resalutent. Urbanitatis est, salutare obvios, aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloqvendi gratiâ.*

† *Comis esto*] Perpetuis floribus vernat hic Isocratis hortus, qvodqve de Terrarum dea Gentiumqve Cassiodorus scripsit, *universam esse miraculum*, id de Nostro, qvamvis immutatis verbis pronunciârim, universum eximiis conlucere rosis. Ita novæ succedunt prioribus, voluptas excipit voluptatem, & tamqvàm in Paradisi superbiam, infinitæ circumjiciuntur amœnitates & doctrinæ. Sed qvia judice Philosophô Romanô, VII. Natural. Qvæst. c. I *ita compositi sumus, ut nos qvotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant: contra naturale sit, magis nova, quàm magna mirari.* heri sane potest, & procul dubio futurum est, ut lector nostri imi argumenti & puerilis fastidiô laboret. Scio, nemini non notum esse comitatem laudari & laudandam, a paucis tamen eam observari, nec multis, qvantum

 tum

autem intercedat tibi cum optimis. Ita enim non habeberis odio, & amicos parabis. [25] *NE sæpius eosdem interpella, neque multum iisdem de rebus. Omnium enim rerum satietas est.* [26] *EXERCETO te laboribus voluntariis, quò possis & contrarios sustinere.* [27] *QVIBUS servire animum turpe est, his anniti ut superior sis, quæstu, irâ, voluptate, mœrore: quod consequère si pro lucro non opulentiam, sed gloriam & laudem duces.* [28] *Sic autem irascère delictis aliorum, ut alios tuis velles.* [29] *Turpe vero putabis servis te imperare, & ipsum servire libidini.* [30] *Postremo contemplans aliorum * calamitates, recordabere te hominem esse.* [31] *HAUD*

tum hujus negligentia sæpe ipsis obfuerit, perspectum esse, itidem negari non potest. Comis autem est, qvi in omni sermone & cultu vitæ facilis invenitur amœnus atqve jucundus, qvin etiam liberalis atqve benignus. Commendat hanc virtutem in Miltiade Nepos his verbis in extr. *In Miltiade erat cùm summa humanitas, tùm mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret, magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima.* At sanè viâ multi nostrorum hodie procedunt, arcanum scilicet consequendæ auctoritatis esse rati, si aditum petentibus conveniendi vel omnino non, vel admodùm ægre dent, & superbè respondeant. Nisi fortè & multi dentur, qvi, qvòd nesciunt, qvid respondere debeant, adiri nolint; cùm discursus ultro citroqve habitus hominum non rarò aperiat inscitiam atqve ineptias. Usqve adeò sæpe minuit præsentia famam auget rarò. De Vincentii Pinelli comitate scripsit in vita ejus Gvaldus; *Moris ipsius fuit, omnes, qui eum venerant salutatum, ad infimos usqve scalarum gradus comitari, domesticis ubilibet atqve familiariter. Irascebatur quippe ineptiis qvibusdam, qui, nescio cujus existimationis magis quàm amicorum rationem habentes, sanctissimum amicitiæ nomen inani verborum gesticulationumque observatione polluunt.* Addi huic debet Joh. Crateri exemplum, cujus singularis humanitas atqve hospitalitas a Nic. Rhedigero Venatore in Panegyrico ibi scripto omnibus in exemplum proponitur. De Budæi facilitate, qvi ne injurias qvidem ad animum admisit, videndus est Ludovicus Regius in ejus vita. p. m. 64. edit. Lipsiens. M.DC.LXXXVI. in 8. qvam debemus Cl. Dn. D. Friderico Jac. Leickhero.

* *Contemplans aliorum calamitates, recordare*] Prudenter Terent. Phorm. II. I. (al. I. V.) 11. s.

— *Omnes, cùm secundæ res sunt maxumè, tum maxumè*
Meditari secum oportet, quò pactò adversam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia peregrè rediens semper cogitet,
Aut filî peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc, fieri posse; ut ne quid animo sit novum
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

Qvàm commodè hoc dixerit Comicus a Philosophia sumtum, ostendit in III. Tuscul. Cicero, c. XIV. adductò simili Euripidis locô. Præclare, ut omnia eâ in Oratione, Hannibal ad Scipionem apud Livium, lib. XXX. c. XXX. *Quod si in secundis rebus, bonam quoque mentem darent dii, non ea solùm quæ evenissent, sed etiam ea, quæ evenire possent, reputaremus.* Sicut autem præmeditatio futurorum malorum eorum adventum lenit: ita & venturi securos graviter percellit fortuna & adfligit, ut exsurgendi curam amittant; sicut de Pompeji exemplo philosophatur Dio, principiô libri XLII. Qvare nemini est exprobranda sua calamitas:

31 *HAUD fideliùs pecuniæ qvàm verborum deposita conservabis. Boni enim viri magis moribus qvàm jurijurando credi oportet.* 32 *TAM indignos fide improbos qvam dignos probos habeto.* 33 *De iis rebus, qvæ efferendæ non sunt, noli communicare cum ullis, nisi qvorum fortè non minùs † qvam tuâ interest sicentium.* 34 *JUSJURANDUM si exigetur, dabis: vel ut te nefariô crimine, vel ut amicos periculis liberes.* 35 *Pecuniæ qvidem gratiâ cave Deum * juratus unqvàm sis, etiam in veritate, alii enim pejerâsse, alii avarum te existimabunt.* 36 *NE jungas amicitiam cum qvopiam, nisi exploraveris prius qvalem se ** erga priores amicos*

mitas: nemo in adversa fortuna vel irridendus, vel contemnendus. Qvia sors communis est omnium, & futura sunt incerta. Potes & tu aliqvando redigi ad mendicitatem. Potes saccô è cervicibus suspensô perambulare oppida. Potes vendi, & servus fieri; qvod factum est Imperatoribus ac Principibus, qvorum res tutiore locô videbantur sitæ, qvàm tuæ. *Ut omnium obliviscaris aliorum*, pergit eôpse locô Hannibal, *satis ego documenti in omnes casus sum. Qvem modò castris inter Anienem atqve Urbem vestram positis, ac jam propè scandentem mœnia Romæ videras; hic cernis, duobus fortissimis viris fratribus clarissimis Imperatoribus orbatum, ante mœnia propè obsessæ patriæ, qvibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem.* Valerianus Imperator Romanus a Rege Persarum bellô captus, adscendenti eqvum pro scabello fuit, qvamvis esset septuagenarius. Henricus III. Imperator Germanus, eô necessitatis & miseriæ venit, ut ab Episcopo Spirensi victum sibi dari apud Spiram in Æde Dei genitricis, à se constructa peteret; dicens se haut inutilem fore Clericum, qvòd & litteras calleret, & Choro posset inservire egregiè. Neqve tamen impetravit, si de Italiæ Regno in nono Sigonio credimus.

† *Non minus qvàm tua*] Cato, II. Distich. XXII. *Consilium arcanum tacito committe sodali.*

* *Juratus unqvam sis*] Παθητικῶς vel in forma deponenti usurpatum verbum *juro* etiì inter plebeja referendum censeat Cl. Schefferus in Indice Locutionum rariorum qvæ apud Hyginum occurrunt: occasione loci Hygini in Poët. Astronom. Fab. XV *Neqve id, qvod fuerat juratus, remisit*; usurpat tamen Musa decima Plaut. Rudent. V. III. 16. — *Non* (malè in Schefferio locô cit. editum est, *nam*, qvod nec a doctiss. Munckero emendatum) *tu juratus mihi es*, pro jurâsti. v. 17. *Juratus sum* & v. 20. — *Juratu' st mihi.* In Curcul. III 88. *Qvid, qvod juratus sum?* —— In Pseud. III. II. 3. *Nam si ego juratus pejorem hominem qværerem.* Et in Amphitr I. I. 281. *Nam injurato scio plus credet mihi, qvàm jurato tibi* Rursus in Curc IV. IV. 10:

Qvod fui juratus, feci. ——

In Pœnul. III. IV. 26. AG. *Extemplo denegabit.* AD. *juratus qvidem.* Et in Pers. III. III. 11. *Qui nos jurato mihi nihil ausus credere.* Lucan. IX. 850.

In gladios jurata manus. ——

Ovid. Epist Heroid. II. 23.

At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina. ——

Cicer. III. Offic. c. X. *Cum verò jurato sententia dicenda sit.* Et Auctor ad Heren. ait, *se non potuisse adesse, ita ut juratus fuerat.* Iterum in principio Bruti Tullius: *Inqvo juratus judicium dignitatis meæ fecerat. Qui juravit, juratus dicitur: qui ad jurandum adigit jurator dici videtur* Turnebo, lib. XIX. Adversar. c XII p. m. 368. a.

** *Se erga priores*] Hoc monitum qvoniam egregiè P. Victorius lib. XIII.

 Var.

amicos suos gesserit: quem enim inveneris illis fuisse, eum tibi quoque promittas licebit. 31 *AMICITIAM* * *cum nemine cito junxeris: sed initam* † *da operam,* *ut*

Var. Lection. c. V. exponit, adscribam totum illud caput. *Epicharmus*, inquit, In p. m. 145. *Siculus*, *afer homo*, *summaque prudentia*, *ut aliis multis praeceptis vitam hominum excoluit*, *ita etiam admonuit*, *oportere nos antequàm aliquem in amicitiam recipiamus*, *attendere*, *quô pactô ille se cum veteribus amicis gesserit: inde namque intelligi posse liquidò putavit*, *an dignus amicitiâ sit*, *hoc enim valent verba illa Graeca ipsius*, *quae Cicero in I. Epistola III. libri ad Qu. fratrem*, *c. VII. posuit.* γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. *da operam inquit*, *in novis amicitiis instituendis*, *ut videas*, *ille ipse*, *quem cogitas tibi conjungere*, *quomodo aliô priùs amicô usus est. id autem significasse verbis illis Epicharmum perspicitur etiam testimoniô Isocratis*, *qui in libro ad Demonicum*, *ubi plurima vera utiliaque praecepta collegit: hoc etiam iisdem verbis protulit: explanatiùs tamen: nimis namque brevi rem complexus est Epicharmus*, *quamvis id apud Poëtam à superioribus verbis meliùs fortasse intelligi potuerit.* *Isocrates igitur inquit.* μηδένα φίλον ποιοῦ πρὶν ἂν ἐξετάσῃς πῶς κέχρηται τοῖς πρότερον φίλοις. *verbô autem hôc uti consuêsse Graecos*, *cum bene*, *aut male quempiam tractare amicos dicerent*, *declaratur etiam exemplô hôc Aristotelis*, *qui in libris de moribus*, *quae vocantur* ἠθικὰ μεγάλα, *inquit*, κακῶς δ' ἐχρήσατο τῷ φίλῳ. *Euripides quoque in Hyppolyto eôdem pactô locutus est*, *cùm purgantem se patri*, *institutaque sua exponentem*, *induxit optimum illum adolescentem.* Ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν θεοὺς σέβειν· φίλοις τε χρῆσθαι μὴ ἀδικεῖν πειρωμένοις. Haec Victorius.

* *Amicitiam cum nemine citò junxeris*] Eleganter Ep. III Annaeus. *Tu omnia cum amico delibera*, *sed de ipso priùs. Post amicitiam credendum est*, *ante amicitiam judicandum. Isti verò praepostere officia permiscent*, *qui contra praecepta Theophrasti*, *cùm amaverint*, *judicant*; *& non amant*, *cùm judicaverint. Diu cogita*, *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri*, *totô illum pectore admitte.* Scilicet qvia proclive & moribus omnium receptum est, qvemlibet dulce amicitiae nomen in ore ferre: qvicumqve enim amicus, sive verus, sive fictus, sive honestus, sive ollaris jactare solet, se qvoqve firmam cum aliis iniisse amicitiam, nec unqvàm culpâ suâ societatis nodum dissolvisse; ideoqve curatè admodùm dispiciendum est volenti cum aliqvo jura contrahere necessitudinis, qvîcum amicitiam copulet, ne fallatur in tanti momenti re, plurimi cùm amici sint, qvi non re, fide vel officiô, sed solô nomine tales sint, id est simulantes amicitiam. Si suô olim seculô non imprudenter Philosophus exclamavit: Ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος: *ô amici*, *nullus amicus*, qvid dicemus de nostro? Profectò amicum sincerum ac verum consideranti debet in mentem venire, ut cum philosophis loqvar, non ens, vel Campi Poetarum Elysii, qvorum locus Utopia. Ut bene puer ille apud Menandrum dixisse existimandus sit, qvi hoc eloqvium protulit auctore Plutarchô in de Amicit: *Praeclarum aestimes optimumque virum*, *cui amici contigit etiam umbra.* Qvare veram qvi praestiterint amicitiam tot in annorum seculis tam pauci eidem numerantur, ut Theseus & Pirithous; Achilles & Patroclus; Orestes & Pilades; Damon & Pithias; Epaminondas & Pelopidas. *Est enim*, inqvit, *amicitia animal minimè gregarium*, *aut graculatim volitans*, *dum amicum alterum se ipsum esse putat*, *mutuô colloqviô se se compellant.* Vide Julii Nigronii Tractat. Spirit. de peculiaribus paucorum amicitiis & Coenobiis exterminandis.

† Ilia

ut tuearis. Pariter enim turpe est, amicum habere nullum, & crebrò mutare familiaritates. 38 *IN amicitia periculum cum damno ne facito, neque tamen non factum periculum velis. Quod tum fiet, si in copia * egestatem aliquando simulaveris.* 39 *DE iis quæ proferri nihil nocuerit communica cum aliis tanquàm de secretis. Si enim illorum te fides fuerit frustrata, sine tuo hoc accidit detrimento: si non fuerit, magis probatos mores eorum habebis.* 40 *DE amicis judicare poteris*

† *Initam da operam ut tuearis*] Isocrates ad Demonicum dicit: *liberos, ut opum, ita paterna amicitia heredes succedere.* Ac Solon apud Diogenem Laërtium, lib. I. c. LX. φίλους μὴ ταχὺ κτῶ· οὓς δ' ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε· *Amicos citò noli parare, quos autem paraveris, ne rejicias.* Cum priori sententia congruit locus Salomonis, Proverb. XXVII. 10. *Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiseris*, id est, utriusque amicum probatum. Benè Plautus, Truc. I. II. 71. *Certè hercle quàm veterrimus homini optumus est amicus.* Et Cicero, c. XIX. in Lælio: *Non amicitiarum esse debent, si ut aliarum rerum, satietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent suavissima.* Lege Martin. Delrionem, Antverpiens. Jesuit. & Professorem Scripturæ S. olim Salmanticensem, part. II. Adag. Sacr. §. CCCLXXX. p. m. 504. b. 505.

* *Si in copia egestatem simulaveris*] Providè monet Ecclesiastic. VI. 7. *Si possides amicum in tentatione posside eum.* Alii vertunt: Si paras amicum, para illum tentando, sive proba illum, & ne facile ei credas, antequam ejus prudentiam, fidem, benevolentiam, taciturnitatem, & alias conditiones veri amici diligenter explores. Siquidem notum est illud: *Delige amicum, priusquàm diligas.* Imitandi in hoc sunt Reges, qui vini tormentum illis adhibent, quos in primam amicorum cohortem adsciscere student, juxta illud Horatii v. 434. de Arte Poet.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero quos perspexisse laborant.

Vatablus Syracid. locum vertit: *Amicum paraturus, experimentò probatum para.* Regia legit cum vulgato, *in tentatione*; hoc est, ut Jansenius, *in rebus minoribus priùs experire, deinde in majoribus.* Bene enim Plutarch. de Amicit. Ut vas experiamur, aquam non vinum infundimus; ita frivolum quiddam committendum amicis, quò silentii fidem experiamur, ut si non effutiant, nihil sit periculi. Ceteri autem expositores, ajunt experimentum de amicis sumendum in tentatione, hoc est, tempore tribulationis. Quod etiam similitudine vasis probabat Aristippus, ut Laërtius, lib. II. c. LXXVIII. auctor est. *In auctionibus* enim, ajebat, *vasa diligenter inspici, priusquàm emerentur, probarique pulsatione*, tinnitu; eâdem ratione inspiciendos amicos, cùm tribulatio adest, & successio temporum malorum incumbit. Id præstabat Namertes, qui, ut Plutarch. in Laconic. ait, interrogatus, quâ ratione probaret, an amicum haberet probum? *per adversam*, respondit, *fortunam.* Bene Thelassius ad Paullum Presbyterum, Hecaton I. I. c. XXI. ut habetur tom. V. Bibliothec. Patrum: *Sinceritas*, inquit, *amici in tentatione ostenditur, quando scilicet in necessitate communicat.* Optima autem est similitudo Plutarchi: namque, ait, navem in tempestate dignosci, num firma sint latera, firmæ compages: si enim fatiscat, & rimas agat, naufragium vectores incurrent.

& cùm res adversæ erunt, & cùm socius periculi quæretur. Nam aurum igne, amicitia vero rebus adversis probatur. [41] *USUS amicitiæ verissimus antevertere amicorum petitiones, & succurrere illis ultro temporibus ipsorum.* [42] *ÆQUE turpe puta vinci inimicorum malefactis, & superari beneficiis amicorum* [43] *FAMILIARITATES tibi eorum placeant, non solum qui malis offendantur, sed etiam qui bonis non invideant.* [44] *Invenire enim multos est, qui graviter ferant fortunam amici esse adversam, sed prosperitati rebusque secundis eorundem invideant.* [45] *ABSENTIUM amicorum mentionem apud præsentes facias, ut illi de se absentibus idem te facturum sperent.* [46] *Vestitu utere eleganti, α non exquisitô, ut velle venustus non comtus esse videâre, quorum alterum magnificentiæ, alterum levitatis est.* [47] *NE quæras infinita β bona possidere, sed mediocribus frui.* [48] *DESPICITO studiô divitiarum flagrantes, cùm ignorent quomodo partis uti conveniat. Perinde enim faciunt ac si quis equum paret sibi equitationis imperitus.* [49] *DIVITIAS fac pro facultatibus tibi sint & pro re. Per facultates autem fructum, rem, usum intellige.* [50] *COPIAS tuas conserva duabus de caussis, ut & damnum ingens sufferre, & dignum amicum in adversis sublevare possis. In reliqua vita non nimium sed modicè rem cole.* [51] *QUÆCUNQUE erunt feres, meliora tamen persequere.* [52] *CAVE cuiquam calamitatem exprobres. Fortuna enim γ est incerta, & quæ futura sint nemo scit.* [53] *BONIS benefacito: eximius enim thesaurus gratia, quæ à bono viro debetur. Si in improbos δ beneficium contuleris, accidet tibi, quod iis, qui alienis canibus cibum præbent, à quibus*

α *Elegante non exquisitô*] De Attico Nepos, XXV. XIII. 5. *Elegans non magnificus*, ait, *splendidus, non sumtuosus; omni diligentiâ munditiem non adfluentem adfectabat.*

β *Infinita bona possidere*] *Benè Pittacus ille* (do iterum verba Nepotis, VIII. IV. 2.) *qui sapientum numero est habitus, cùm ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent*: Nolite rogo vos, inquit, mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. qvare ex istis nolo amplius, qvàm centum jugera, qvæ & meam animi æqvitatem & vestram voluntatem indicent. *Nam parva munera diutina locupletia non propria esse consueverunt.*

γ Vide quæ dixi ad §. 30. hujus cap.

δ *In Improbos beneficium*] Si panem serpenti offeras, & panem perdis. & veneni materiem subministras, qvô ille potentior factus in te ipsum insurgat. At enim & ipsâ pejor aspide improbus est. Hæc enim, licet truculentum, gratum tamen est animal. In Ægypto, Albertô teste in Aspide, lib. XXV. Animal. alebatur aspis, eratqve cicur. Cùm autem ejus catuli domini puerum momordissent, infusôqve occidissent venenô, irata mater aspis in catulos beneficii immemores, omnes ad unum interemit. Improbum autem si beneficiô mactes, duplicia referes in gratiarum actionem; nam beneficii tui non solùm fructum & gratiam perdis, & pro bonis mala recipies. sed etiam tantô amplius in dies tibi nocebit, qvantùm beneficiorum in eum congesseris. Interim tamen expendas qvoqve locum Christi Matth. V. 44. ἐγὼ λέγω ὑμῖν· ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς.

quibus ut pariter illi ac quivis alii allatrantur: Sic improbi non magis injuriam facere bene de se, quam male meritis verentur. 54 *ASSENTATOREM & fallacem ex æquo abominare. Ambo enim malum dant iis, qui ipsis fidem habuêre.* 55 *SI amicorum futilibus in rebus grata tibi obsequia fuerint, utilib. fraudabere offensis.* 56 *IN convictu quotidiano assit ε affabilitas, absit severitas. Nam ille superborum tumor vix servis tollerabilis, hic autem affabilis mos gratus est universis.* 57 *AFFABILITATIS est non rixari, non odiosum esse, fugere contentiones. Non invehi acriter etiam in iratos sine caussa, sed fervente adhuc irâ illis cedere, objurgare autem placata. Non studere ridiculis, neque in re seria jocis delectari. Intempestiva enim omnia ingrata sunt.* 58 *GRATIFICATIONIBUS ne absit ζ promptus animus: multos enim videas amicis obsequi, sed facere omnia contan-*

ε *Adsit affabilitas.* Difficile dictu est, ait Tullius in II. Offic. c. XIV. *quantoperè concilies animos hominum comitate affabilitateque sermonis.* Nam secundum Tragicum veterem.

Ἐν δ' εὐπροσηγόρῳ ἔνεστί τις χάρις.

In comitate magna vis est gratiæ, ut vertit Hugo Grotius. Quia videlicet svavis flexanimaqve oratio & ad animos aliorum sibi devinciendos composita non solum valet ad aliorum sibi benevolentiam comparandam, sed etiam ad eorum comitatem & humanitatem alliciendam. Ut enim verba saxea & horrida qvæ cos iræ acuit, & furoris flamma succendit, animos proritant, ut hi consimilia regerant: ita sermones grati, in qvibus Pitho sedet, prodeuntes, audientis mentem ita emolliunt, ut ex ore melle dulcior fluat oratio; veluti de Nestore canit Homerus, Iliad: α. v. 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Sic [illegible] Gallicus visebatur ex ore c[illegible] s [illegible] re, quibus auditorum aures [illegible] Illi fructus est [illegible] gratiosa venustæ ipsa qvô ab-un[illegible]

ζ *Promptus animus.* Bis dat, qvi citò dat. *Bis [illegible] est, si ultro offeras*, Publ[illegible] pro m[illegible]re Senec. I Benef. [illegible] *Gratiam [illegible] corrumpimus, non tantùm postqvam dedimus beneficia, sed dum damus. Quis enim nostrum contentus fuit, aut leviter rogari, aut semel? quis non, cùm aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, & de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit? In angusto verò comprehensus, aut distulit, id est, timidè negavit, aut promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis & vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe abjecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestiâ careret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassavit, exspectatione torsit. Eôdem animò beneficium debetur, quô datur: & ideo non est negligenter dandum. Sibi enim quis debet, quod à nesciente accepit. Nec tarde quidem: quia cùm in omni officio magni æstimetur dantis voluntas, qui tarde fecit, diu noluit.* Et lib. II. c. V. *Nihil æquè amarum, quàm diu pendere. Æquiore quidam animò ferunt præcidi spem suam, quàm trahi. Plerisque autem hoc vitium est, ambitione pravâ differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum. minusque*

contanter & gravatè. 59 NEQVE *insimulationibus studeas, neque objurgationibus, quarum alterâ offendi, alterâ irritari conjvevère:* 60 FUGE *quantum licet compotationes, sed si quando in has per tempus incideris, fac discedas ante ebrietatem. Ubi enim vinum corruperit mentem, evenit quod curribus spoliatis magistrô. Nam & hi feruntur quòvis temere carentes rectore, & intelligentiâ corruptâ admodum animus ballucinatur.* 61 DIVINO *animô sis, ut excellas, sed humanô, usum rerum moderator.* 62 ERUDITIONEM *tanto meliorem barbariâ esse puta, quantô sæpius indocti pro verborum injuriis re ip.â pœnas luunt, cùm aliæ pravitates lucrosæ esse soleant.* 63 QVIBUSCUM *amicitiam jungere vis, de iis tum commodè loqvere cùm aderunt per quos, benè dicta tua nunciatum iri illis speras. Nam laus amicitiam, vituperatio odium parit.* 64 IN *consiliis compara n futura cum præteritis, incerta enim ad certorum exemplum rectissimè constituuntur.*

65 NON

nusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostenderint. Nihil confestim, nihil semel faciunt. injuriæ illorum præcipites, lenta beneficia sunt. Qvare verissimum existima, quod ille Comicus dixit:

——— Quid? tu non intelligis,
Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis?

Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: Fac, si quid facis: &. Nihil est tanti: Malo mihi jam neges. Ubi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat: potest ob id gratus esse? Quemadmodùm acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam: & misericordiæ genus est, cito occidere. (quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est:) ita major est muneris gratia, quô minus diu pependit. Est enim bonarum etiam rerum solicita exspectatio. & cùm plurima beneficia remedium alicujus rei afferant, qui aut diutiùs torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo manus affert. Omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. tardè velle, nolentis est. Adde Senec. II. Benef. c. I. II. De Cimone Nepos, V. IV. 2. perhibet; *semper eum pedissequos cum nummis esse sequutos, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare.* Sic Tiberius Cæsar, teste Dione Cassiô, lib. LVII. p. m. 608. *si quid alicui largiebatur, id confestim numerari, se inspiciente, jubebat.* Huc faciunt illa Ausonii, Epigr. LXXXII. & LXXXIII. ἁ Χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις Χάρις.

Gratia quæ tarda est, ingrata est. Gratia namqve
Cùm fieri properat gratia grata magis.
Si bene qvid facias, facias citò. nam citò factum
Grat m erit. Ingratum gratia tarda facit.

Qvæ desumta sunt e Distycho illo; qvod lib. I. Epigrammatum Græcor. c. XXX. Luciano tribuitur, & ita habet·

Ὠκεῖαι Χάριτι γλυκερώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα Χάρις κενὴ, μὴ δὲ λέγοιτο Χάρις.

n *Futura cum præteritis*] Senec. Ep. LXXXIII. *Hoc nos pessimos facit, quòd nemo vitam respicit. Q id facturi simus, [illegible]ogitamus. & id raro: quid fecerimus non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito*

[65] *NON cit[illegible] decerne, sed citò perfice decreta.* [66] *NIHIL arbitrare præstantius à Deo tribui felicitate, in nobis inveniri posse consiliò* i *rectô & bonô.* [67] *SI quam*

terito venit. Sic David, Psalm. LXXVII. 6. & CXLIII. 5. *Cogitavi dies antiqvos.* Hieronym. *recogitabam.* Alii *supputavi dies à principio*, vel *reputavi*, *recogitavi*, *recensui*, *reduxi in animum*; qvæ omnia valet Hebr. vox: *Chasabti.*

h *Non citò decerne*] Qvandoqvidem auctore Qvinctilianô, IX. Instit. c. III. *à Græcis translata vel Sallustii plurima sunt*, non dubito, qvin ex hoc nostro loco Isocratis, seqvens hoc suum de promserit, c. I. Belli Catilin. *Priusqvam incipias, consultò: & ubi consulueris, maturè factô opus est.* N[illegible]si fortè respexit hoc Aristotelis in Moralium Eudæmiorum V. & Nicomachiorum VI. c. IX. Καὶ φασὶ, πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. Id est, *Et ajunt, agere qvidem celeriter oportere, de qvibus est consultatum, sed consultare lentè*, ut vertit Anton. Riccobonus, qvem habeo editum Hanoviæ optimè typis Wechelianis, M. DC. X. in 8r. Qvare ad deliberandum sumendum est spatium sed tantum qvantum res patitur. Alioqvin non fine culpa spatium extenditur, dumqve Romæ deliberant perit Saguntum. Enimverò sæpius nobis id evenit, qvod III, Histor. XL. 4. de Fabio Valente ait Tacitus. *Ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit.* Qvô nomine jure Seneca initiô Ep: LXXI. qvemdam his verbis reprehendit: *Subinde me de rebus singulis consulis, oblitus vastô nos mari dividi. Cùm magna pars consilii sit in tempore, necesse est evenire, ut de qvibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, cùm jam contraria potior est. Consilia enim rebus aptantur: res nostra feruntur, imò volvuntur. Ergo consilium sub die nasci debet: & hoc qvoqve tardum est nimis; sub manu, qvod ajunt, sub manu nascatur.* In Datame XIV. VI. 8. laudat Nepos: *Qvô neqve acutius ullius Imperatoris cogitatum, neqve celerius factum usqvam legimus.* Videatur pulcherrimus locus apud Livium, lib. XXXI. c. XXXII. in Oratione Damocriti, ubi de celeritate & tarditate consilii. Item Erasmus in Proverb. *Diu deliberandum* p. m. 682. a; & *Antequàm incipias consultô*, p. 747. b. Ἀλληγορίαν elegantem loci Ciceronis in Bruto: *Magnum opus & arduum, ut sæpe jam diximus: sed ingredientibus considerandum fuit, qvid ageremus, nunc qvidem qvócumqve feremur, danda nimirum vela sunt*; lege apud Lipsium II. Antiqvar. Lection. c. XII. p. m. 59. edit. Lugdun. Plantin. CIↃ IↃ XCVI. in 8r.

i *Consiliô rectô & bonô*] Stoici consilium dicunt esse scientiam inspiciendi; qvæ & qvomodo se qvispiam gerens, benè & utiliter agat. Aristotele auctore, consilium est aliqvid agendi aut non agendi ratio excogitata ab aliqvo vel sibi vel aliis, qvodqve vel decisum est jam, vel adhuc pendens. Thomas Aqvinas (qvem non rarò cum fructu inspicere soleo) describit, qvòd sit inqvisitio eorum qvæ pertinent ad finem πρακτῶν, hoc est rerum agendarum à nobis non inventarum ac determinatarum. Clariùs ac universaliùs Dionys. Carthusianus in Psalm. I. 1. *Consilium est actus prudentiæ, de viis ac mediis ad finem propositum necessariis deliberans.* Istiusmodi bono consilio qvi obtemperat, sapiens est Salomoni, c. XII. 15. Proverb. qvi nimirum propriæ diffidens circumspectioni. suspectumqve habens suum in caussa sua judicium, aliorum, de qvorum sapientia & pietate jam constat, sententiam de re cognoscenda vel agenda priùs explorat,

qvàm rem liberè eloqui vereris, de qva tamen communicare cum amicis cupis, facies, ut de re alterius, verba. Ita enim & illorum sententiam elicueris & te ipsum non prodideris. 68 *DE re tua cùm alterius consilium exqvirere voles, vide qvam ille in suis administrandis rationem tenuerit. Nam qvi ipse sibi malè* [x] *consuluerit nunqvàm rectè alteri consulet.* 69 *DETERRERE te, ne qvid inconsultè agas, inprimis poterit consideratio calamitatum, qvarum inopia consilii caussa fuerit. nam & sanitas majori tum nobis curæ esse incipit, cùm molestias morborum cogitatione repræsentamus.* 70 *REGUM mores imitare & seqvere studia, unde & probare & amari illos videbere, atqve ita & voluntatem erga te ipsorum firmiorem, & admirationem tui majorem apud vulgus efficies.* 71 *LEGIBUS, qvas reges fixerint, pareto. Sic qvidem ut intelligas, validissimam esse legem, morem illorum: At enim ubi rerum populus potitur, ibi vitam agentes captare populi benevolentiam decet, ita in oculis regem ferre debent, qvi in regno vivunt.* 72 *MAGISTRATUM adeptus nullis in ulla functione improbis ministris utere, nam delicta illorum tibi ascribentur.* 73 *IN Republica gerenda ne qværito opes, sed gloriam, laudatio enim populi præstat ingentibus divitiis.* 74 *SCELERIBUS neqve auxilium nec defensionem pares. Ficti enim solere à te cre-*

rat, vel si alius spontè moneat, dehortetur, vel instruat, modestè auscultat & dicto audiens est monenti. Facilius sanè, qvi in littore stat, deprehendit propendere navem in alterutrum latus, qvàm qvi eidem vehitur. Vestis qvàm bene sedeat (utor phrasi Qvinctiliani, è libro non secundo, (ut malè adduxit Jo. Vorstius in de Latinit. falsò suspect. c. XIII. p. 145. extr. seductus ab Henr. Stephani. in p. 142. c. II. Expostulation. de Latinit. suspecta, hunc Fabii locum adducente barbaris numeris hôc modo, lib. 11. c. ult. putans fuisse numerum Romanum binarium, cùm fuerit XI. undenarius barbarus, qvod clarè arguit Vorstium ipsum minimè Qvinctilianum inspexisse;) sed uti dixi libr. XI. c. III. sive extr. ubi bis occurrit illa phrasis. *Pars togæ, qvæ posteà imponitur, sit inferior. nam ita & sedet melius, & continetur.* Et hic est ille locus ab utroqve, Stephano nimirum & Vorstio adductus. Cui nos, qvia statim in Qvinctiliano seqvitur, & hunc subjicimus locum: *Sinistrum brachium eousqve adlevandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat, super qvod ora ex toga duplex æqvaliter sedeat.* Ubi licet *benè* non habeatur, reperitur tamen verbum *sedeat*, de qvo maximè ambigitur, an hôc modò usurpare possimus; qvæ hic ἐξ ἀφορμῆς.) meliùs ab alio, qvàm ab eâ induto cognoscitur. Hinc Moses Jethronis, Augustinus Hieronymi, Ambrosius Sabini, Petrus Paulli monita consiliaqve avidè susceperunt. Bene Scaliger, II. Epidorp. *Ne consiliis alterius regi recuses. Esto illius: atqve esto tuus; tuumqve serva In posse suo velle, modum in velle alieno.* Dici non potest, qvantum consilium bonum prosit mentemqve hominis aperiat. Ut enim, si qvis cordis defectum patiatur, caligant oculi, nec qvod prope se est, intuentur; attamen si odorum suffitu aliôqve medicamentô excitetur, & videt, & mens intelligit, & omnia, ut ante periodum istam, agunt: sic caligans nonnunqvàm animus bonis ad mentem consiliis redit.

[x] *Qvi ipse sibi malè consuluerit*] Ennius apud Ciceron. III. Offic. c. XV. dixit: *Neqvidqvàm sapere sapientem, qvi sibi ipse prodesse non qviret,*

credent quod ab aliis factum defenderis. 75 *PLUS quidem aliis prosis, sed æqualitatem tamen colas, ne necessitate ut imbecillior, sed voluntate tanqvàm vir bonus, justus esse videaris.* 76 *GRATIOR tibi sit inops probitas, qvàm improba opulentia. Nam hæc est melior justicia opibus, qvò minùs illa etiam mortuos cessat ornare, cùm hæ vivos modò augeant. Qvin etiam his mali potiuntur, sed cum illa nullum sceleratis consortium.* 77 *NOLI suspicere eos, qvi per nefas locupletantur, ac damna potiùs justiciæ placeant tibi. Ut enim nullâ aliâ re justus injusto præstet, spe certè meliore sustentatur.* 78 *NIHIL neglige omnium in vita rerum, sed intelligentiam potissimùm excole. Nam in minimo maximum est, mens bona in corpore humano.* 79 *CORPUS* λ *assvefacito ad laborem; animum ad studium sapientiæ, ut illud sufficere conatibus: hic qvæ fieri debeant providere possit:* 80 *CAVE qvidqvam efferas verbis non prius animo perspectum: multis enim accidit, ut* μ *lingva cogitationem antevertat.* 81 *NIHIL firmum esse statue*

λ *Ad laborem*] Celebres sunt veterum sententiæ illæ; πόνοι τοῦ ζῆν ἡδέως ἡγεμόνες, Xenophontis, *labores ad Vitam svavem & jucundam esse duces:* Ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες, *lætitiam verò citra laborem paucos esse consecutos*, Pindari: Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή, *nihil enim boni parit inane otium*, Sophoclis. Qvamobrem ——— *vitanda est improba Siren Desidia*, ut ait Horatius, lib. II. Sat. III. 14.

μ *Lingva cogitationem antevertat*] *In eo*, inqvit desideratissimus Dorscheus noster in p. m. 39. Dissertationis de recta Studii Theologici Conformatione, Theologiæ ejus Zacharianæ præmissæ, *laborant nostri studiosi. ut brevi experiantur an lingvâ sit animô expeditior? &c. an supinam ignorantiam felici loqvacitate tegere possint?* Præposterè ac pessimè. Dicendi Magistri & Professores eloqventiæ nullibi non reperiuntur, at qvem mihi dabis qvi silere ac verba expendere doceat, cùm hoc æqvè necessarium, si non magis, ac illa; adde & utilius; cùm pœnituerit aliqvando loqvutum, tacuisse nunqvàm. Ἀκίνδυνον γάρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας, ut vetus verbum habet, id est, *vacat periculô præmium silentii*, qvod Plutarchus in Apopht. Augusto Cæsari tribuit. Nobilis est illa gnome, qvæ & à Græcis & Latinis celebratur: *Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.* Plutarch: de Sanitate tuenda, Tomô II. Oper. p. m. 125. C. edit. Paris. M. DC. XXIV. & Stobæus, Serm. XXXI. tribuunt Simonidi: Valer. tamen Maximus, VII. II. ext. 6. adscribit Xenocrati. *Qvid?* inqvit, *Xenocratis responsum qvam laudabile! Cùm maledico sermoni qvorumdam summô silentiò interesset; und ex his qværente, cur solus ita lingvam suam cohiberet? quia dixisse me; inqvit, aliqvando pœnituit, tacuisse nunqvàm.* Ut ut sit, Xenocrati non malè tribui puto, qvippe qvi adeò silentio vitam habuit devinctam, ut, sicuti certis negotiis suas horas, ita & eas silentio adsignârit, qvod de eo idonei scriptores tradiderunt. Legitur aliàs & illa sententia in Catonis Distichis, n. XII. p. m. 14. edit. opt. Lugdun. Batav. CIƆ. IƆC. XXXV. in 8t. Consentit Ambrosius, I. Offic. c. II. p. m. 4. edit. opt. Argentorat. CIƆ. IƆC. XLIV. qvam vel ob præfationem eruditiss. Bœcleri, ac loca Scripturæ in margine addita magni facio, plurima Patrum scripta integrè ac incorruptè maximis à viris separatim præclaris cum notis ac observationibus edita possidens: *Complures*, inqviens, *vidi loqvendo peccatum incidisse, vix qvemqvam tacendo.*

 Videte

tua in rebus humanis, ita neque secundis extolleris, neque abjiciêre adversis. 82 *DICENDI duo sunt tempora, Unum de iis rebus, quæ tibi nota sunt, alterum cùm necessitas dicendi tibi imponetur. Tum enim solùm præstat loqui quàm tacere. In reliquis omnibus silentium oratione melius.* 83 *SI quid prosperè ceciderit, sive quid infœliciter, modicum & gaudium sit & tristicia. Nec non utramque fortunam tegas. Nam absurdum videtur, domi rem habere conditam, & animum foris expositum patere.* 84 *ACCURATIUS probrum declines quàm periculum. Metuendus enim esse debet malis finis, bonis* v *infamia vita.* 85 *IN degenda vita tuta seqvere. Sed discrimen si subeundum sit, gloriosa in bello salus, non ignominiosa qværatur. Nam mors fati necessitate opponenda omnibus, sed laudabilis mors naturæ dispensatione fortium virorum propria est,*

XX. *Neque te moveat, quod non omnia hæc quæ diximus ætati tuæ convenire*

Videat Lector totum illud caput. Porro qvemadmodùm sermone à brutis, ita & cogitabundô illô silentiô ab iisdistingvimur, cujus magistrum esse Deum, ut loqvendi homines, veteres ajebant. Prima scilicet παιδείας tum scholasticæ, tum civilis ratio, Pythagoræ & Lycurgo in lingva cohibenda consistere credebatur, ut maturè juvenes, ne in scopulos impingerent, ἵππια illa πλέοντα à cursu revocare, & velut navem à ventus abreptam anchoris firmare discerent, nec Pisonianô illô vitiô, qvòd loqui nesciant & tacere non possint, laborarent. Ipse Musarum eloqventiæqve Parens Apollo ob sermonis parsimoniam λοξίας dictus, & Numa unam è Musarum ordine sub Tacitæ nomine coli voluit. Qvô admonemur, φορτικοὺς illos & loqvaculos longiùs à Musarum sacris abesse, qvàm prudentes illos Silentiarios. Lepida est illius ex Hellesponto amatoris historia, cujus *Cæl. Rhodig.* L. *A. lib.* XXI. *c.* XLVI. meminit. Qvem cùm loqvaciorem ægrè ferret mulier, hôc cavillô percussit, qvòd ex Hellesponto veniens primariam tamen ejus urbem, qvæ à tacendo nomen habet, Sigæum, ignoraret. Adeò multi etiam inter eruditos sunt, qvi cùm orbem omnem disciplinarum percurrerunt, unam tamen illam urbem nunqvàm viderunt.

v *Infamia vita*] Grande malum est, nec parva jactura, obscurationem existimationis & famæ pati. Qvid qvæso rerum humanarum carius est famâ? Vulgus eqvidem πολυχρηλλήτως ait, famam & vitam pari pretiô venire: attamen rectiùs judicantibus vitæ fama videtur anteferenda; cùm illa caduca sit & fluxa, hæc superstes & posthuma. Sanè vita tandem nobiscum abit at fama nobis vitâ defunctis manet, & æternat. Fama solâ cùm nos non erimus in orbe erit. Qvare illud Senecæ non usqveqvaqve probare possum, lib. III. de Ira, c. XLI. *Conscientiæ satisfiat nil in famam laboremus: seqvatur vel mala, dum bene merentes.* Nam *negligere*, ait I. Officior. c. XXVIII. Cicero, *quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.* Plato qvoqve, lib. XII. de Legib. p. 950. *Maximum*, inqvit, *& rectissimum est, ut quum SIS probus reverà, ita velis* VIDERI, *laudemque honesta vita venêris.* Pondus his addit B. Ambrosii sententia: *Duo sunt tibi necessaria, Conscientia & Fama; Conscientia propter DEUM, Fama propter proximum.* Oraculum est illud Taciti, IV. Annal. XXXVIII. 7. *Contemptu famæ contemni virtutes.*

nire videantur, quod & ipsum me non fugit: unâ enim operâ visum est, & præsenti vitæ tuæ institutionem, & secutura præcepta subministrare. Horum enim usum facilè cognosces, sed qui fideliter instituat non citò invenies. [2] *Quæ sequuntur non magis præceptorum sententias, sed hortationes ad virtutem & honestatem ne ipsas quidem omittere placuit.* [3] *Quibus enim non admoverint calcar & quos non incitârint ad decurrendum hoc spacium laudabilis & fortunatæ educationis? Si qui se aspici fortè intelligant, operam dant ut solitò honestiores videantur, & in hac expectatione eorum, quos naturali quisque sententiâ plurimi facit, negligens aliquis esse poterit? Hunc certè non ego magnoperè sperem, ne in multis quidem nomen aliquod habiturum.* [4] *Jacebunt tales semper in turba ignobiles, aut si quando caput exseruerint atque eminuerint, cum ingenti id aliquo malo, aut clade rerumpub. Sed Isocratem audiamus.*

XXI. [1] *Ne tibi, inquit, aliunde. essent, quæ requireres petenda, sed ut hinc quasi de penu posses promere, nihil omnium prætermisi volui, quæ subjicienda tibi putâssem.* [2] *Deo quidem ingentes gratias agam, si me spes de te concepta non fuerit frustrata.* [3] *Nam plerique ut ciborum suavitate potiùs quàm salubritate capiuntur, ita consvetudine amicorum magis delectantur, quos socios habeant peccatorum, quàm quorum monitis castigentur.* [4] *De te verò contrarium mihi persvasum est, quòd in totius eruditionis studio tantum operæ laborisque sumere soleas.* [5] *Qui enim ipse sibi facienda optima imperet, cum non est verisimile aliorum ad virtutem cohortationes aversari.* [6] *Sed maximum incitamentum ad honestatem tibi esse debet, nullas reperiri voluptates alias, quàm honestatis, sinceriores.* [7] *Nam in otio & ventre replendo statim adhærescit voluptas ad molestiam. At virtutis defatigatio & in hac vita disciplinæ sanctitas, delectationis puram integritatem & constantiam complectitur. Ibi post præterita gaudia tristitia subit. Hic verò molestiam voluptas excipit.* [8] *Omnium autem rerum multò magis finem quàm principia meminneris, cùm pleraque non tam suî quam exitus respectu agenda elaborandaque à nobis suscipiantur.* [9] *Sed & hoc cogita: Nihili quidem hominibus non solere quemquam succensere, si temerè videat in vita eos versari, quòd talem ipsi mox ab initio formulam proposuerint. Laudis verò cupidis non esse integrum deserere cultum virtutis, vel in reprehensionem plurimorum incidant necesse est.* [10] *Omnes enim non perinde delinquentes odêre quàm professor honestatem. si à temeritate vulgi non recedant.* [11] *In quo ipso summa mest æquitas, quod cùm verbis tantùm mendaces respuamus, fieri nequeat, quin nihili homines ducamur esse eos, quorum tota vita levis sit & abjecta.* [12] *Neque immeritò hujusmodi non erga se modo delinquere, sed fortunam quoque suam prodere credi possit. Quia cum eis opes, existimationem, amicos conciliârit: horum ipsi omnium se indignos esse demonstrant.* [13] *Quod si mortales cœlestia scrutari fas sit, deprehendi videtur posse in rebus quoque divinis discrimen cupidorum hominum laudis & negligentium.* [14] *Nam Jupiter, ut fabularum historiæ creditur, cùm procreâsset Herculem atque Tantalum, alteri immortalitatem præmium virtutis est largitus, alterum exquisitis suppliciis, quòd improbus fuisset, affecit.* [15] *Hæc exempla intuens, ad honestatem vitæ ac morum contendere*

dere debebis, neqve solùm nostra præcepta custodire, sed ex ° *poëtis deligere optima.*

° *Ex Poëtis deligere*] Cùm *Poëma*, ut Posidonius ait, *dictio numerosa* sit, *optimè juncta, operosa orationis speciem excedens*, Poësisqve divinarum humanarumqve rerum commutationem complectatur: non præter rem, Poëticam Strabo Geographus scribit primam habitam Philosophiam esse, qvæ ad vivendi perducat rationem, mores adfectusqve doceat, & res gerendas cum jucunditate præcipiat. Poëtas etiam solos sapientes & Theologos adpellârunt vetustissimi, qvòd divinarum Institutionum rationem numeris complecterentur, qvod prolixè probat Francisc. Patricius Senensis Pontifex Cajetanus de Institutione Reipubl. lib. II. Titul. VI. p. m. 45. b. edit. Paris. 1569. in 8r. *Plurima* qvoqve *in Philosophorum maximè operibus inveniri, quæ sint in Poëtarum nostrorum libros adscita*, ostendit doctiss. Politianus, c. IV. Miscellaneor. p. m. 480. edit. Lugdunens. Gryphianæ, 1546. in 8r. ubi de interprete Poëtarum præcipit. Qvomodo autem Poëtæ maximè adolescentibus sint legendi, ex Ethnicis Plutarchus, è Christianis Basilius docuerunt pridem. Qvibus addi poterit I. Biblioth. Select. Anton. Possevin. c. XXV. & lib. XVII. c. IV. Inde & legit S. Hieronymus, ut testatur Epistol. CIII. ad Paul. Homero-centonas & Virgilio-centonas, hoc est, poëmata ex integris ac dimidiatis illorum summorum Poëtarum Homeri, Virgiliiqve versibus coagmentata. Viderat ante Hieronymum Tertullianus inde Præscript. c. XXXIX. Medeæ Tragædiam à Geta nescio qvo, Virgilianis versibus expressam; & ab amico Poëta Cebetis Tabulam ejusdem Carminibus concinnatam. Reliqvit similia monumenta posteris ex officina Virgiliana Pomponius ab Isidoro, I. Origin. c. XXXVIII. commemoratus. Æneida sanè Virgilii, cedrô dignissimum opus, cùm alia egregia, tùm multa Ethica & Politica continere, ostendunt Fulgentius de Allegoria librorum Virgilii, Christoph. Landinus in Allegoriis in Virg. Æneida. Cœl. Rhodiginus, VII. Var. Lect. c. I. M. Anton. Majoragius, Præfat. VIII. p. m. 578. edit. opt. Lipsiens. CIↃ.IↃC. VI. in 8r. Item doctiss. noster Nicodemus Frischlinus, Epist. LXXIV. Centuriæ unius Philologicar. Epistolar. à Melch. Goldasto editæ, p. m. 279. f. edit. opt. Lipsiens. M. DC. LXXIV. in 8r. Perfecit, ut nonnullius opinio est, Eudoxia Theodosii minoris Imperatoris uxor centones Homericos à Patricio qvodam inchoatos. Zonar. Tomô III. Annal. in Theodos. min. Floruit & Romæ Proba Falconia nobilissima Poëtria Christiana, qvæ Centones è Marone, memoriæ, ut reor, exercendæ gratiâ, composuit; ut Bergomensis Augustinianus, Tritenhemius Abbas & Lilius Ferrariensis docent. Concinnavit & D. Magnus Ausonius Burdigalensis, elegantissimus ætatis suæ Poëta Centonem Nuptialem, qvi est Edyllion XIII. è Carminibus Virgilianis, Imperatoris Valentiniani, *viri* Ausonii judiciô, *eruditi*, qvi jubere poterat, rogatu; *(quod est potentissimum.* Ausoniô ibidem auctore, *imperandi genus) opus*, ut Auctor ipse profitetur, *frivolum & nullius pretii; quod nec labor excudit, nec cura limavit: sine ingenii acumine & mora maturitate, sola* (pro *solius*, nam nomina illa, qvæ secundùm pronominum declinationem à Grammaticis nostris inflecti dicuntur, veteres plerosqve per primam & secundam nominum inflexionem declinâsse, docet aliqvot exemplis Priscianus in VI. col. 678. & lib. XIII. col. 959. edit. opt. Hanov. M. DC. V.) *memoria negotium, riden-*

ptima, & reliqvorum doctorum libros percensere, & cognoscere bene dicta. [16] *Qvemadmodùm enim cernimus apiculas super quibuslibet frondibus passim considere, sed non assumere nisi fructuosa, ita par fuerit avidos eruditionis nihil relinqvere qvidem intactum, sed undecunqve fructuosa tamen sibi colligere. Nam tali qvoqve ac tantâ diligentiæ curâ vix poterunt naturæ vitia exterminari.* Hactenus Isocrates.

XXII. [1] Nunc hoc reliqvum est, consecuturos omnia pueros, modò eô sint animô, ut discere velint atqve institui, neqve contemnant primùm divinum oculum lustrantem omnia, & in se qvoqve inprimis intentum, deinde exspectationem suorum parentum, cognatorum: propinqvorum, postremò spem & illorum & magistri. [2] In ipsa qvidem re & experiundo hoc pauca perfacilè dilatabuntur, & ea invenientur, qvæ hôc commentariolô parùm fuêre exqvisita. Perscribi enim omnia definiriqve nullis voluminibus possunt. Cum his tamen capitibus singulatim omnia congruent. [3] Qvô autem pleraqve commodiùs etiam memoriâ retineri possent, in versiculos conjecta ea ferè, qvæ exposuimus, subjungere visum, qvos qvondam cùm fabricati essemus, non qvòd elegantes essent, sed qvia huc valde qvadrare putaremus, qvasi agglutinare placuit.

CAPUT XXIII.

THOMÆ VENATORIO

S. P. D.

Dum tu somnia luculenta Thoma,
Scribis de cruce versibus severis:
Inter discipulos ego ociosus
Artem purpurei levem decori,
Mando pondere carmini carenti.

Tales

videndum magis, qvàm laudandum. Enimverò laudabilis erat hic conatus non ad exercitationem tantùm memoriæ, sed etiam ad aliqvod ingenii specimen exhibendum, insimul ostendens, qvanti sint Poëtæ faciendi, qvamqve ex eorum lectione utilitatem nancisci possimus. Qvo de argumento nonnihil memini me dixisse in parte II. Methodor. nostrar. p. 36. s. In præsentia adde Joh. Caselium in Προ- [illegible] c. XXV. p. m. 114. s. Natal. Comit. l. Mythol. c. IV. p. m. 7. lib. VII. c. V. p. m. 728. Geofredum Linocerium Vivariensem, in Mythologiæ Musarum libello, c. X. p. m. 1179. edit. opt. Hanov. M. DC XIX. in 8t. Cum primis verò M. Zuerium Boxhornium in Oratione de Fabulis Poëtarum præmissa Lectionibus ad Metamorphosin Ovidii.

Tales teqve decent tuasqve Musas
Thoma relligiosæ scriptiones :
Talis me decet & meas Camœnas
Susceptæ labor institutionis.
Qvod si conferimus jocationes,
Lusus pervigiles, moras Lyæi,
Et crebras simul ambulationes,
Cur non hæc potiùs probatiora
Nobis ludicra carminis Latini
Sint communia ? sicut esse debent.
Qvare hâc lege meum tibi libellum
Mitto, ut tu mihi plurimos remittas.
Sed jam tristia, si placet, sinamus,
Jam sint omnia plena gaudiorum,
Martinalia festa sunt propinqva,
Martinalia vina cùm bibemus
Martinalia carmina accinamus,
Martinalia, jo ! valete curæ.

Calen. Novemb. An. 1518.

CAPUT XXIV.

PRÆCEPTA HONESTATIS ATQVE DECORIS PUERILIS.

Alea lucrosè si qva ludatur ab arte,
Materiam † talos si qvoqve scriptor habet :
Prælia carminibus veteres si facta latronum,
Siqve duos * scrupos & docuêre decem.
Si legimus præcepta tuæ damnosa Camœnæ,

Traditus

† *Tales*] Habet Cl. Salmas. in c. XIII. Proculi Flavii Vopisci Syracusii, Tom. II. Historiæ Augustæ Scriptor p. m. 741. s. edit. Lugdun. Batav. 1671. *vetustum centonem ex Virgilianis contextum versibus & de alea inscriptum, qvi totam hanc in Tabula, calculis tesserisqve ludendi rationem luculentissimè exponit & elegantissimè*. Vide & Is. Casaubon. ad Sveton. August. c. LXXI. Item Danielem Sauterium in Palamede; & Job. Meursium de Ludis Græcorum in voce Ἀστραγαλισμὸς & Κυβεία.

* *Scrupos*] Lapillos notat, qvorum usus in quodam lusus genere erat. Nimirum auctore, locô cit. Salmasiô, p. m. 744. a. *duodecim capsas habuit Tabula lusoria in quibus calculi collocabantur, &* per

Traditus exilii cui fuit autor † Amor;
Tu qvoqve Calliope, rerum decus, omnia reddens
Diva venustificô nomine pulcra tuô,
Tu qvoqve ades felix, nostroqve faveto labori,
Qvi melius si non, at meliora canam.
Est aliqvid mores pueros servare probatos,
Atqve his ætati conciliare decus.
Qvodque decet, si sint, videantur ut esse modesti,
Omnia & aspectu sint speciosa suô.
Qvid juvat ingenuas didicisse fideliter artes?
Qvàm levis est lingvas gloria scire duas?
Si non accedat vitæ cultura decoræ,
Nescio qvô tantum res placet ista modô.
Vide ego multarum claros qvos gloria rerum,
Virtutisqve bonâ fecerat arte labor:
Ipsos dedecoriqve sibi probroqve fuisse,
In caussa vitium moris inertis erat.
Heu mihi qvàm vulgus generosi fallitur ortus,
Duriciem laudi qvi tenuisse putant.
At tibi Peliden juvenem justissime Chiron,
Non fuit his studiis erudiisse pudor.
Ah qvoties Pindi referentem vertice prædam,
Seu leo seu ferrum tinxerat ursa suum,
Sive erat in dama telis juveniliter usus,
Cùm tibi qvidqvid erat, poneret ante pedes;
Non sivisti epulis agrestem immittere dextram,
Qvantumvis stimulos subjiciente fame.
Sed prior & servare modum & servare decorum
Res erat, & certâ sumere lege cibum.
Qvæqve jocis licitisqve dabas sua tempora ludis,
Namqve nec his rebus tempora nulla dabas,

per quos variè movebantur secundùm tesserarum jactum, duodecim scripta (rectè non *scrupos*) Latini vocârunt. Sic Tabulæ lusus & duodecim scriptorum ludus omnino idem. Tot enim Tabula lusoria capsis distingvebatur & scriptis. Qvinctil. lib. XI. c. II. *Scævola in lusu duodecim scruporum* (ita enim legit editio Antverpiens. M. D. XLVIII. in 8r. cui Camerarii nostri notæ sunt additæ, & idcirco magnifacienda; sed emendatissima Hackiana CIↃ IↃC LXV. p. m. 813. legit rectiùs *scriptorum*) *cùm prior calculum promovisset*. Dixit & Cicero, I. de Orator. c. L. *Duodecim scriptis ludere*, ut habent in utroqve scriptore MS. I. explanante Petrô Victoriô, V. Var. Lection. c. XIII. (non c. L. ut mendosè habetur in notis edition. Oper. Ciceron. Lugdunens. Batav. M. DC. XCII. in 4to) & confirmante Grüterô è Codicib. Palatinis.

† Is est Ovidius de Arte Amandi

Efficere arbitriô moderandô cuncta solebas,
Hæc ut & ipsa forent non vitiosa, tuô.
Qvid? qvòd naturam ut posses frenare ferocem,
Qvæqve sui nullum sciret habere modum:
Flumine Castalii conspersa virescere fontis,
Jussisti, & pulcrum gignere corda decus.
Sic neqve rusticitas te lædit regia virgo,
Nescia fœmineâ veste latere virum.
Hunc etiam arte boni captam Lyrnesida moris,
Credibile est aliqvâ demeruisse sibi.
Illa & præcones inter * duo jussa venire
Ad regem, lentô dicitur isse gradu.
Credite compositi res est pulcerrima moris,
Turpius incultâ rusticitate nihil:
Sed nisi dum tenerum est ævum discuntur & anni,
Postmodò nulla potest cura docere senes.
Qvare ades & si cui placet, hujus percipe laudis
Qvæ præcepta artis nos tibi prima damus.
Principiò qvem vera parum delectat honestas,
Spurcaqve cui potius verbaqve resqve placent,
Iste procul nostris monitis procul esto profanus:
Virtutis cupidis scribimus illa sacræ.
Flagitiis alibi multus patet undiqve ludus,
Balnea, cauponæ, lustra, culina, tori.
Hæc est virtutis schola † primùm dura, sed altæ

Grata

* *Duo*] Pro *duos*. Antiqvos indifferenter dixisse *duos* & *ambos*, itemque *duo* & *ambo*, idqve Græcorum exemplò, qvi *τοὺς δύω, καὶ τοὺς ἄμφω* dicunt, Charisius auctor est. lib. I. Gramm. p. 48. 101. edit. Hanoviens. M. DC. V. Qvod ipsum exemplis firmat Marius Corradus, lib. IV. de LL. p. 155. addens, nescire se, an multo plura inveniantur. At Vossius inveniri scivit. Hac propter compluria, non qvidem omnia, sed tamen qvæ occurrerunt, congessit, II. de Analog. c. VI. p. m. 688. Adde Godesc. Stewech. ad Arnob. lib. III. p. m. 93. Joh. Frider. Gronov. ad Livii lib. XXXV. c. XXI.

† *Primùm dura*] Perqvàm egregiè Hesiodus l. Ἔργ. 285. s. ait, asperam esse ad virtutem viam, cacumen verò molle. Referam hic eximia ejus verba.

Τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως· ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

I. e.

Malitiam quidem cumulatim etiam capere
Facile est: brevis quippe via est, & in proximo habitat.
Ante virtutem verò sudorem dii posuerunt
Immortales: longa verò atque ardua via est ad ipsam.

Pri-

Grata habet ex imis culmina summa viæ.
Hinc etiam es factus qvi post Alcida fuisti,
Qvando tibi Libyci cessit Atlantis onus.
64 * Nam satus Amphitryone puer dum fortè per æstum,
Juxta Asopeas dispatiatur aqvas:
Quà se discerpti tollunt juga conscia Penthei,
Oppida ubi rubrò stant Hysiæa solò:
Virginei geminas facies se protinus ortis,
Contra directô cernit adire gradu.
Qvarum purpureis splendebat vestibus una,
Aurea tota pedes, aurea tota caput.
Vultus perfusum referebat lacte cruorem,
Albave sangvineis lilia mista rosis,
Pendebant digiti gemmarum pondere lassi,
Colli erat in gravido torqve smaragdus onus.
Néve sui cultus alios pars ulla lateret,
Ibat adornatô lentiùs illa gradu.
Ardua ad à tergo reflectens colla seqventes,
Inqve umbram figens lumina sæpe suam.
Alterius crinisqve habitusqve in corpore simplex,
Inqve color vultu non alienus erat.

Primumqve aspera: ubi verò ad summum ventum fuerit,
Facilis deinceps est, quantumvis difficilis fuerit.

Nihil tritius est eô, qvod II. Moralium Nicomachicor. tradit Aristoteles, c. III. Περὶ τὸ χαλεπώτερον ἀεὶ καὶ τέχνη γίνεται καὶ ἀρετή. *In eo, quod difficilius est, semper & ars versatur & virtus.* Plures hujuscemodi sententiae adscripsit in Proverbio: *Difficilia quæ pulchra*, Erasmus, p. m. 168. Oper. Adagior. Vide etiam qvæ in Somnio seu vita Luciani adnotavit Gilbert. Cognatus.

* *Nam satus Amphitryone*] Hic mihi incipit describere Colloqvium Voluptatis & virtutis cum Hercule, qvod jam antè recitavit Xenophon. II. de Dictis & Factis Socratis, statim à principio libri. p m. 429. f. edit. Henr. Stephani. M D.LXXXI. in fol. Elegantibus qvoqve versibus expressit Italicus C. Silius vir Consularis, lib. XV. 18. f. Cujus oculis obversatum crediderim Philostratum, qvi Virtutem & Voluptatem similibus expingit coloribus. Tangit & I. Officiorum Cicero, c. XXXII. Adde B. Joh. Conr. Dietericum in notis ad Hesiodum, p. m. 675. edit. Giessens. 1659. Describit aptè duas qvoqve has vias Lucianus, Tom. II. p. m. 713. 736. edit. Basileens. in 8r. 1563. Adde & Petr. Lauremberg. Cent. I. Acerræ Philolog. n. XI. Huc pertinet deliberatio Lysiteles in Trinummo Plauti. II. II. & III. II. Pythagoricum bivium è Lactantii sexto de vero cultu, c. III. & IV. refert & illustrat Jacob. Wimphelingus de Adolescent. c. XXXIII. fol. 13. 14. Facit & huc maximi Tyrii primordium λόγου δ. Adlata sunt & similia à Philone Judæo in illud Deuteron. XXIII. 18. Οὐ προσοίσεις μίσθωμα πόρνης. *Pretium meretricis ne admiseris.*

Ipſa verecundô decorabant lumina motu
Compoſitum mundô corpore ritè ſtatum.
Qvæqve erat ingenuæ mentis candoribus apta,
Induerat niveâ libera membra ſtolâ.
Illa ut erat verbis audax, vultuqve protervô,
Prima dedit tales ore procace ſonos:
Alcmenæ formoſe puer mea juſſa capeſſe,
Et benè fac vitæ dum licet uſqve tuæ.
Néve tuos ſævis præcerpe laboribus annos,
Utqve diu poſſis vivere, vive bene.
Dux ego diva viam, qvam juſſi incedere, pandam,
Hæc eſt purpureis conſita tota roſis.
Utqve ſcias qvæ ſim, nomen mihi blanda Voluptas,
Omnes me ſanctè diqve hominesqve colunt.
Hæc eſt delicium, famulas monſtrabat, & hæc eſt
Edita ſpumanti Cypria diva mari.
Qvid memorem reliqvas? an cui Cytherea miniſtra eſt
Scilicet, hanc dubitas Hercule parve ſeqvi?
Vive tibi ſpecioſe puer, vitamqve ſvavem,
Redde qvibus poſteris reddere cunqve modis
Sic ait, Alcideqve amplexu colla petivit,
Qvid facis, ô meritis efficiende Deus.
Qvid facis, exclamat, qvæ viderat altera, laudis
Ah qvantas ſegetes proterit iſta tuæ?
Hæc eſt, ſi neſcis, patrantes cujus ocelli
Nullius éſſe diu fortia corda ſinunt.
Perdidit iſta priùs reges urbeſqve beatas,
Vivere ſi non vis hûc periture veni.
Nam ſimul ut vacuas animum exhalârit in auras,
Hanc qviſqvis ſeqvitur, qvid ſuper hujus erit?
Nec te decipiat, qvæ prima eſt ſemita mollis,
Me miſeram qvorſum ſemita mollis abit?
Ad me igitur, mihi care puer, concede, Deuſqve
Incipe pollicitis cœlifer eſſe meis.
Scire cupis qvæ ſim? qvæ ſim tibi nomina dicent,
En aſſum virtus Amphitryoniade,
Qvâ prius innumeris ornavi ſidera divis,
Per qvoqve me regnum Jupiter ipſe tenet:
Sed neqve pelliculam curant mea ſigna ſeqventes,
Delicias metam nec poſuêre ſibi.
Ipſe pater, ſtatuit me durôs ante labores,
Qvôqve petor plenum eſt aſperitatis iter.
Cùm tamen evictis ventum eſt ad ſumma ſalebris,

Jam facilis, qvamvis antè molesta, via est.
Præmia nunc audi, tangunt qvoqve præmia divos,
Te sibi erit generum cùm Jovis uxor emet.
Dixit & adductum modicô conamine dextræ
Alcidem æternò junxit amore sibi.
Is qvoqve non tenues accepit pectore flammas,
Nec nisi virtutis postmodò gessit opus.
Ergo etiam multi, si vera est fama, magistri,
Jussu animos teneros erudiêre patris.
Castorqve Harpalicusqve, Linusque Philammonidesqve
Usque adeò totum fecerat illa suum.
Præ cunctis igitur laudem virtutis amabis,
Qvæ veluti dici, sic facit esse bonos.
Hujus opus primum cæli terræqve parentem
Voce animôqve simul concelebrare Deum.
Qvod sumus, hôc autore sumus, qvi cuncta creavit,
Qvique creata manu cuncta potente regit,
Ille potest nostris successus addere rebus,
Iratusqve potest maxima damna dare.
Ergo hunc, qvidqvid ages, castô venerare timore,
Unde salutiferâ fons fluit ortus aqvâ.
Nec priùs ad tibi propositos accede labores,
Qvàm laudante Dei voce precatus opem.
Formam cuiqve suus poterit dictare magister,
Propositi non est ista docere mei.
Sic tamen exsurgens discussô mane sopore,
Commendare Deo te studiumqve potes:
Nunc iterum nos jucundam das cernere lucem,
Eqve pater tenebris sanctè videre diem.
Mox abiit, splendor circum se tollit Olympum,
Stellaqve vicinæ prævia lucis adest.
Et nunc † rara nitent, Phœbeâ lampade pulsa.
Qvæqve nitent modicum sidera lumen habent:
Jam nos è stratis excivit mollibus ales,
Qvi tacitum nullum tempus abire sinit.
Ergo ad consvetas operas studiumqve redimus,
Nostraqve jam recipit pensa diurna manus.
O pater usqve tuâ præsens ope sanctè guberna,
Qvod sumus & qvod mox aggrediemur opus.
Et fac ingressum nos sic decurrere solem,
Laudis uti simus pars qvotacunqve tuæ.

† *Rara*] valde subtilia. Statius. VI. Theb. v. 640. *Raraqve non fractô vestigia pulvere pendent*; ubi Scholiastes, *valde subtilia, vix visibilia.*

Sic lucem incipiens ſanctum præfare timorem,
Atqve ita, vel ſimili, veſpere claude, modô:
Jam Phaëthonteos ignes pepulêre tenebræ,
Fumanteſqve egit ſub mare Phœbus eqvos.
Umbræ jam faciunt æqvalia cuncta videri,
Omnibus in rebus cum color unus ineſt.
Lucibus exiguis tantùm nox atra niteſcit,
Plurima qva tremulô lumine ſtella micat,
Aurea gemmati temones plauſtra reducunt,
Jamqve moves ſegnes tarde Boota pedes.
Ipſeqve fulgentes humeros oſtendit Orion,
Atqve unô preſſam ſub pede calcat humum.
Ibimus hinc ſolitô capturi tempore ſomnum,
Ut renovet dulcis langvida membra qvies.
O pueri verâ condemur imagine mortis,
Qviſqve Dei caſtâ voce precemur opem.
O pater hanc noctem ne qvô perdamur ab hoſte,
Auxiliô firma præſidiôque tuô.
Cúmque ſopor feſſos ſtudiis recreaverit artus,
Lumina da lætum cernere noſtra diem.
Atqve ita ſeu capient nocturnam membra qvietem,
Sive die juſſum perficiemus opus:
Eſſe tuos ſemper facias ſemperqve manere,
Hæc pater eſt noſtræ ſumma caputqve precis.
Prima Deum res eſt coluiſſe, ſecunda parentes,
Et ſi qvi horum alii pondus & inſtar habent.
His obſervatis meritô veneramine, cunctos
Cana quibus barba eſt, eſſe putato patres.
Illis cede locô & conſvetum defer honorem,
Vertice ſeu nudô ſive cadente genu.
Namqve imbecillis, qvæ per ſe non ſapit, ætas,
Inſtruitur curâ præcipiente ſenum.
Illis confecti jam longi temporis uſus,
Et ſapere & reliqvos poſſe docere dedit.
Deinde tuis ſtudiis æqvales dilige, & illô
Qvô tibi qvos jungit ſangvis habeto locô.
Hos neqve mendaci nec verô lædito dictô,
Irruptamqve tene ſemper amicitiam.
Nec tibi ſint cordi lites, certamina, rixæ,
Sed veneranda qvies, ingenuuſqve pudor
Sæpibus incluſit lingvam natura duabus,
Ne ſit inexpenſi promta loqvela ſoni.
Vix unqvàm tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum,

Eſt ſibi qvi acceſit garrulitate necem.
Scire loqvi laus eſt, laus eſt qvoqve ſcire tacere,
  Illa magis pulcra eſt, hæc qvoqve pulcra magis.
Hinc ne verborum plus fac, qvàm poſtulet uſus,
  Atqve odioſa cave ſint ea, ſi qva facis.
Aëra putant noſci tinnitu, pectora verbis,
  Sic eſt, namqve id ſunt utraqve qvale ſonant.
Qvòd Therſita feris lacerabas dentibus omnes,
  Planxerunt tergum regia ſceptra tuum.
Qviqve luis pœnas fugitivis merſus in undis,
  Incaſtigatæ crimina vocis habes:
In ſtudiis virtus pacis qvos educat almæ
  Jurgia ſit valida tollere voce nefas.
Qvi vis eſſe bonus tales vitato furores,
  Fax parvi ingentis ſæpe fuêre mali.
Hæc eſt carnivorûm triſtis natura ferarum,
  Tene ſtudes ſævis aſſimilare feris?
Præcipuè qvædam cùm dantur tempora ludis,
  Abſint permiſſis dicta cruenta jocis.
Si puer in ludo mentem Patrocle domâſſes,
  Non foret æqvalis cauſſa, pudenda fugæ.
Qvare age forma movet ſenſus, ſi cujus honeſti
  Conſona ſint placidis facta pudica ſonis.
Fœdius at multò eſt abſentum rodere famam,
  Et viridi tinctos ſpargere felle ſales:
Alba qvibus gelidæ circumdant corpora ſtellæ,
  Debuerat ſimilis mentibus eſſe calor.
Sed qvibus illa nitent jam plus qvoqve qvàm ſit honeſtum.
  Ah animis candor, qvòd prope nullus ineſt!
At qvondam dum vita fuit cultuſqve ſeveri,
  Ut memini effœtum dicere ſæpe patrem,
Si qvis in abſentis facere convicia nomen,
  Omnibus inviſus cœtibus exul erat.
Cur tua non priùs inſipiens peccata reviſis,
  Cernere præqve illis cur aliena juvat?
Nec trutinæ potiùs penſas examine juſtæ,
  Qvid tibi ſit factum, qvid tibi præteritum.
Qvidqve domi reſtet propriæ vitiive bonive,
  Ut docuit Samii regula priſca ſenis.
Qvicqvid ages, nolis latuiſſe & qværere noctem,
  Obtendi factis turpibus illa ſolet.
Qvodqve ferunt qvemdam juſſiſſe olim ſapientem,
  Vivere ſic, ut te vivere, nemo putet:

Hoc aliô inveniatqve locô àtqve in tempore laudem,
Tu qvod ages, alios fallere velle, cave.
Nunqvàm animus ſceleris nullius conſcius odit
Ulla ſua in clara facta patere die.
Nunqvàm flagitii ſceleratiqve ullius auſus,
Corda qveunt lucem conſcia ferre ſibi.
Qvod tuâ non refert, ne ſit cognoſcere cura,
Neu percontator ſcire aliena velis.
Præcipuè turpe eſt captanti ſublegere aure,
Non rei dicta tuæ, facta notare oculis.
Sunt, obſcœna loqvi, qvibus haud turpe eſſe videtur,
Inqve jocis aliqvid laudis habere putant.
Crede mihi ſolitô mores ſermone notantur,
Et facere illa juvat, dicere ſi qva juvat.
Qvàm bene ſenſerunt gens veraciſſima Perſæ,
Turpia patratu cùm vetuêre loqvi
Qvàm mala ſunt caſtæ mentis documenta Catulle,
Turpia verſiculis condere facta ſuis.
Nil auſis igitur fari qvod non ſit honeſtum,
Qvodqve animus facinus judicet eſſe malum.
Qvin fieri qvæ rectum eſt, ſed ſine teſte, caveto
Inditiô lingvæ prodere facta tuæ.
Qvid, ſi cui fallax * ſuggurgitet alea nummos,
Aut ſtolidum reddant plurima vina caput?
Talia non noſtris ego caſtigabo libellis,
Talia nec † decoris crimina ludus habet.
Sed nil tam turpe eſt qvod non mendacia vincant,
Mendaces ajunt furibus eſſe pares.
Cujus falſiloqvis lingva eſt exercita verbis,
Innumeras meſſes improbitatis habet.
Nil erit huic nimium dictu, factúve ſceleſtum,
Qvi ſapit hunc morem doctor abire jube.
Atque ita mens primis rudis informetur ab annis
Qvâ ſpes neglectâ qvæ ſupereſſe poteſt?

Corporis

* *Suggurgitet*] Non mihi ſubit lectio illius vocabuli ſcriptores apud Romanos.

† *Decoris*] Adjectivè pro *decorus* non temerè invenitur. *Indecoris* verò apud optimos Latinæ Lingvæ ſcriptores. Virgil. VII. Æn. v. 231:
Non erimus regno indecores ———
& lib. XII. Æn. v. 25.
Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus agris,
Nec genus indecores ———
Item Claudian. in I. Conſulat. Stilichon. v. 145.
——— *Non indecores ærariæ laſſant*
Expenſæ ———
Niſi hìc caſum patrium à *decus* eſſe velis

Corporis accedet tamen huic qvoqve gratia cultu,
Ergo ſit in vultu luminibuſqve decor:
Sive manum profers, geſtu proferto modeſtô,
Sive aſtas, noli ſæpe movere pedes.
Intuitum rectum teneas, oculos niſi ſi qva
Cauſſa verecundos figere coget humi.
Inceſſus neqve ſit properatis greſſibus aſper,
Sit neqve femineô mollis inerſque gradu.
Sic ſedeas curvum ne reddat ſeſſio corpus,
Et tua ne gibbos terga ſupina trahant.
Parva qvidem res eſt veſtis, ſed veſte notari
Qvi dicunt animos, dicere vera ſolent.
Qvare & communi & conſvetô more paretur,
Induſium, tunicæ, pilea, læna, toga.
Oderis & ſordes, placeat ſervata venuſtas,
Sordidus eſt nunqvàm laudis amator homo.
Non ego te mollem jubeo muliebriter eſſe,
Qvæ jubeo forti ſunt qvoqve digna virô.
In verbis igitur pudor inqve modeſtia geſtu
Si ſit, mundiciem convenienter ama.
Pexus ut extrema labatur ab aure capillus,
Oraqve ſuffuſâ mane rigentur aqvâ.
Ut niteant palmæ careant ſqvaloribus ungves:
Unda datur gratis, ſæpe lavato manus.
Ne pituitoſô deſtillent phlegmate nares,
Ergo tuô ſemper lintea ferto ſinu.
Ne madidô rigeat cœnô oblita calcis aluta,
Sint ſine qviſqviliis pilea, labe toga.
Nunc ubi præcipuè qvod pulcrum eſt cernitur, edam,
Inter qvid deceat qvid malè ſacra dapum.
Ac jam dehinc remis fluviôqve aurâqve ſecundâ,
Incita per liqvidas cimba natabit aqvas,
Principiô præſens ſi fert occaſio rerum,
Dic aliqvis clarô taliter ore preces.
Hæc tua ſancte pater divina munera dextræ,
Qvæ das parvo iterum des iterumqve gregi.
Per te ſublimes ſpectamus ſidera vultu,
Per te agit æthereus corpora noſtra vigor.
Per te præteritos feliciter egimus annos,
Qvod ſupereſt per te fac bene tempus eat.
Sic ut præcipuè te caſtâ mente colamus,
Aeternumqve Deum propitiumqve patrem.
Utqve tuum nullus pervertat caſus amorem,

Duret amor, miſtus duret, amore, timor.
O pater igne tuô pueriles ure medullas,
Te præter ſapiat mens nihil ora ſonent.
Excipiat noſtræ curſus tua gloria vitæ,
In laudes ſtudium deſinat omne tuas.
Hæc eſt ſumma pater voti ſanctiſſime noſtri,
Cetera ſollicitos nunqvàm habuêre nimis.
Tu tamen & veſtes nobis victumqve miniſtras:
Et qvibus hæc aliis tempora rebus egent.
Qvæ nondum gnaris qværendi ſuggeris ultro,
Nullus erat nobis illa parare labor.
Néve qvis addubitet promiſſa fideliter addis,
Promiſſa exemplis nobilitata ſuis.
Noſtros ergo animos levis horum cura fatigat,
Stultè ſollicitos de qvibus eſſe vetas.
Hæc dabis, illa preces ut des pater accipe noſtras,
Utiliter tantùm nos ale ſanctè tibi.
At jam ſedatàqve fame menſiſqve remotis,
Fac laudes memori pectore gratus agas.
Has cupiam Iſaidæ ſumi de carmine † regis,
Noſtrum etiam exemplum, cui placet, iſtud habes.
Qviſqvis es in qvacunqve manes regione locoqve
Et qvæcunqve tuæ nomina gentis habes:
Seu tibi primus adeſt redivivô lumine Phœbus,
Lotus ab æqvoreis conſpiciendus aqvis:
Sive vides labi poſtremum in Thetyos undas,
Seqve agere ante diem poſt tenebraſqve ſeqvi:
Aut latere in lævo mundi dextrove locatus,
Inde calore freqvens ureris, inde gelu:
Mente Deo laudes ceſſas qvid dicere voce?
Ore, animô cunctos hunc celebrare decet.
Nam pater eſt, & nos auditqve videtqve benignus,
Et fovet impoſita vulnera noſtrâ manu.
Sublevat iſte graves qvâ manſvetudine, caſus?
Qvicqvid agit nihil hôc mitius eſſe poteſt.
Ecce cibum, qvem nos nunqvàm qvæſivimus, offert,
Et vitæ ignaros veſte domôqve tegit:
Atqve hæc non mutanda Dei ſententia conſtat,
Qvæ ſe huic credentem poſſe perire negat.
Ergo ſimul lenis pater eſt veraxqve bonuſqve
Protegit hic, qvi, nos qvem metuamus, erit?
Nec ſibi pro tantis meritis qvicqvam ille rependi

Qvàm

† Pſ. CXLVII. 1. 9. 10. ſ.

Qvàm benefactorum commeminiſſe, jubet.
Namqve aliud nihil hic unus qvi cuncta creavit,
Qvàm grati laudes cordis & oris amat.
Talia ſi qva negant manifeſtâ dicere voce,
At tacitâ ſecum volvere mente licet.
Nam ſi qvis nugas pueriles hæc modò cenſet,
Fallitur, & veræ nil pietatis habet.
Nunc ſpaciô egreſſos retrahant vaga lora jugales,
Ut teneat currus orbita recta meos.
Primum ſunt qvæ ſumma * putant fugienda locorum,
Non omnes eadem ſumma putare ſolent.
Sed qvæcunqve tene, paucis præfatus honorem,
Seria primorum quæ tibi juſſa dabunt.
Jamqve premes levibus mollita ſedilia plumis,
Ergo fac ut bellè compoſitéqve premas.
Qvæ te ſortita eſt, maneas in ſede qvietus,
Neu ſtolidè dictu membra pudenda move.
Néve caput jacta, non fauces differ edendo,
Néve tibi lingva tonſa palata ſonent.
Ante manus te pone tuas. Ne calcibus infra
Aut ſtrepitum aut fœdum corporis ede ſtatum.
Inprimis qvocunqve manus protenſa feretur,
Illò conveniet lumina ritè ſeqvi.
Non benè directa, planè eſt inſania, dextra,
Verſa per effuſum pocula nare merum.
Qvi ſatis eſt panis frangatur, ni tibi detur
Relliqviis vitio particulata Ceres.
Mergeretur nitido qvoties tibi dextra catillo,
Oppoſitâ verrat fruſtula parte cave.
Dedecus eſt cenſere dapes mutareqve ſumtas,
Palpantiqve diu denituiſſe manu.
Qvare cultrigerâ ne ſubrue fercula dextrâ,
Sicut aper lætos depopulatur agros.
Nec pro te grandes epularum conſtrue moles:
Sed tibi ſorte datas arte decenter ede.
Deqve his reliqvias ſectis impoſito qvadris,
Seu ſint oſſa tibi, ſeu tibi ſpina ſuper.
Vide aliqvem ſtratæ cultellum infligere menſæ,
Et dixi mores non habet iſte bonos.
Vidi etiam madidum cultrô qvi raderet orbem,
Et dixi qvàm non, qvod decet, iſte facit.

* *Summa locorum*] Agit in hoc ſeqventibuſqve verſibus auctor priore de accubitu.

Eſt vitium, in patina longum ſi dextra moretur,
  Dentibus eſt vitium dilaniare cibos.
Turpe qvoqve eſt ultro meliores carpere partes,
  Nec caret hoc fœdæ ſuſpicione gulæ.
At crebrò digitos qvem lambere non pudet udos,
  Debuit in fellis tingere jure manus.
In qvadra multum ſi ſit tibi relliquiarum,
  Urbani credas moris habere parum.
Interdum manſus dentes cibus inter adhæret,
  Si ferrô extimules, dedecus eſſe puta.
Jam primam in patinas vitioſum immittere dextram,
  Matre ſcit, & vitat qviſqve docente ſuâ.
Ad madidum ſputare cibum fœdareqve veſtes,
  Eſſe Scythis probrum Maſſagetiſqve puto.
Eſt cibus in mappam tremulo cui decidit albam,
  Eſt cui ſemihauſtus defluit ore liquor.
Eſt madidum Cereris tergat qvi ſegmine cultrum,
  Hæc nimium exploſæ ruſticitatis habent.
Jus aliqvi & pultem calidam, ſed turpiter afflant,
  Phyllis ut heſternum ruſtica mane focum.
Qvis ferat appoſitas avidum tanqvàm velit omnes
  Deglutire dapes, accumulâſſe dapes:
Qvid? gula qvod non eſt ſic exſaturanda qvibuſdam
  Ut rapiant alios, qvi jacet, ante, cibum.
His ego ne in noſtris ponam præceptâ libellis?
  Ponam, ſi catulos inſtituiſſe velim.
Retro aliqvis curvam cervicem flectit edendo,
  Fauceqve ſublatos captat hiante cibos.
Multi epulas veluti fugitivas ore ſeqvuntur,
  Hæc adverſa ſcias moribus eſſe probis.
Ergo decet tenuiſſe modum, tenuiſſe decorum,
  Nec lentum eſſe nimis nec properare nimis.
Qvi potet tantô videas molimine, fuſô
  Ut præcluſam animam pene liqvore necet.
Sic igitur, poſtqvàm latices exhauſit, anhelat,
  Ut ſolet æſtivô pulvere feſſus eqvus.
Qvid? qvod ego qvoſdam vidi lacrymare bibentes,
  Cùm nihil hôc unô fœdius eſſe qveat.
Non ut edas tacitus jubeo, nec multa loqventem,
  Nemine materiam ſuppeditante, feram.
Nam ſermone forum rabulam complere licebit,
  Eſſe ſilens nocti creditur apta qvies.
Inter utrumqve modum laudis ſtudioſe tenebis,

I4 Pulcrô

Pulcrô res non eſt pulcior ulla modò.
Ad tabulas hilares, ſed non decet eſſe procaces,
Laus etiam ad pulcrum pertinet iſta modum,
Atqve utinam noſtra doctos videamus ab arte,
Non nimiumqve lēves, non nimiumqve graves.
Heu mihi rugoſa ſedeas ſi fronte ſeverus,
Nec fugias ductis cogere labra plicis:
Aut immaturô dentes rictumqve cachinnô,
Diducas rabidi more furente canis.
Spartanô legum narrant latore carere
Suppliciô, inceſtis qvi jacuêre toris:
Qvòd; qvi tale ſcelus facerent, non eſſe putârit,
Nec ſit in ignotum pœna ſtatuta malum.
Nec crepitus ego nec ructus veſanaqve geſta,
Nemine qvis faciat qvæ prohibente ? veto.
Atqve nares intus malè reddunt ſæpe retentum
Spiritum, ut imbrifcris nubila pulſa Notis.
Dicas inflatis exciri follibus ignem,
Sedulus ut cudat nigra metalla faber.
Ut ſemel ergo ſcias, nutus, ſuſpiria, riſus,
Editaqve obſtreperâ murmura voce, tene.
Urbani eſt etiam ne cùm bibit unus, ut alter
Admoveat labris pocula moris. Et hoc:
Non ſuper obtuſum digitos imponere cultrum,
Ne fiat, fac ſit culter acutus. Et hoc:
Ne ſcindens Cereris, ſecet ut ſi robora qvercus
Siſtat in obluctans fragmina pectus. Et hoc:
Ne dextram in liqvido, tenuem dum perluis offam,
Qvæ benè res ſanè eſt ruſtica, jure laves.
Ergo priùs fruſtum panis mucrone refixum
Humecta, ac ori poſtmodò ſubde manu.
Nam qvamqvàm hoc aliqvi faciunt, tamen improbô cultri
Confoſſum ferrô capere dente cibum.
At qvi præmorſum patinæ indit, debuit inter
Cœnivagas bolos furfuris eſſe ſues.
Qvi bibis, inqve cavo retines ſemeſſa palato
Fruſtula, ſcis omni ruſticus eſſe modô.
Sunt alia, & ſunt parva magis qvam ut relligiosè,
Cetera ſi teneas, percipienda putem.
Sic tamen obſervant, ne partas flumine prædas,
Neu leporis pulpam diſſecuiſſe velint.
Qvi malè diviſit captarum terga ferarum,
A tumida riſum nobilitate feret.

Verùm hæc ut faciant operam dent ſingula fas eſt,
Qværitur hâc unâ gloria parte qvibus.
Qvive eſt virgineæ laudis vulgariter auceps,
Occupet indignâ ſe levitate viro.
Hæc verò menſæ & vitæ præcepta probatæ,
Qvi bonus eſſe ſtudes inviolata tene.
Nec tamen in parvo ſunt omnia dicta libello,
Dicta ea ſunt qvæ ſit præteriiſſe nefas.
Eſtqve aliqvid reliqvum tanqvam de divite meſſe,
Spicaqve frugiferô plurima rure manet.
Plura alii tradent , res ipſaqve plura docebit ,
Diſcere fac , ſi qvis vult docuiſſe , velis.
Præcipuéqve tuis fac morigerêre magiſtris,
Qvos tibi cunqve patrum provida cura dedit.
Per ſe nemo ſapit fervens puerilibus annis,
Sed ſe judiciô qviſqve regentis eget.
At malè mercedes hodie grateſqve reportant,
Doctrinam mentis turba profeſſa bonæ.
Qvid ? qvòd ſunt qvidam ſic corde & pectore caſſi,
Ingenii ut cultum ſit didiciſſe pudor ?
Ajebant qvondam fruſtra nunc diſcere qværunt ,
Cùm precium nemo perſolviſſe velit.
At benè nobiſcum qvi jam profitemur agatur ,
Artibus ingenuis ſi modò conſtet honos.
Et ſint qvi cupiant virtutem diſcere gratis ,
Heu mihi virtutem dedecus eſſe putant.
Ergo eſt in precio dives mercator , & audax
Miles , honeſtatis famaqve lauſqve jacet :
Utraqve res integra quidem laudanda videtur ,
Sed qvalis nunc eſt utraqve laude caret.
Diſciplinam utinam veterum teneamus avorum ,
Iis ſolitâ tantùm ſit feritate minus :
Aut datus his fatô doctrinæ accederet uſus ,
Ut foret hâc virtus horrida parte minus.
Qvamqvàm erat immenſô ſatius , ſit ut horrida virtus
Priſtina , qvàm virtus qvòd modò nulla manet.
Vos igitur , Deus , ô pueri qvos lumine dextrô
Reſpicit ac omni proſperitate beat :
Conceſsâ utimini felici tempore ſorte ,
Qvis ſcit an eripiat , qvod dedit ille bonum ?
Cumqve ſit ingeniis juvenilibus inſitus error :
Dum licet , hunc omnis ſit pepuliſſe labor.
Poſt neqve tempus erit , nec erunt fortaſſe magiſtri :

Qvisqve suâ properet commoditate frui.
Qvantò divitiis virtutis gloria præstat?
Sint alii dites, vos bona fama beet.
Auditum non est unqvàm ad saccum esse redactum,
Cordatæ fuerit qvi probitatis amans.
Sed nec eqvus freno indomitus parere recusans,
Tollet Olympiaca præmia victor humô:
Nec præceptoris puerûm impatientia corda,
Virtutis præceps ingredientur iter.
Qvapropter nostris Salomonis † clausula scriptis,
Apposita exiguum terminet ista librum.
Qvi vitæ præcepta puer non discere curat,
Stultus is est, * pœnas stultitiæqve dabit.
Namqve suum poterit nunqvàm oblectare parentem,
Et faciet matri sæpe madere genas.
Ipse sibi tamen in primis damnumqve malumqve
Concilians, mortis scilicet, autor erit.
His eqvidem & qvamdam doctrinæ adjungere qvamqve
Utile discendo sit tenuisse, viam,
Cœperam, & in tenui qvædam præscripta papyro
Post monita hæc morum, convenienter erant.
Sed melius, siqvidem faciendum hoc esse putabo,
Versiculis aliàs exseqvar illa meis.
Intereà his operæ, qvicunqve juvabere lectis,
Ingenuô grates ore fatere, meæ.

I I.

DE ‡ GYMNASIIS.

HOSPES. PUER.

QVID est usitatum vobis facere exercitij? PU. Exercitii qvid reqviris? HO.

† Pròverb. X. 1. XV. 20.
* Proberb. X. 8.
‡ *Gymnasiis*] Qvandoqvidem hoc argumentum nemo tractavit eruditiùs Hieronymô Mercuriali Foroliviensi, cujus sex arte de Gymnastica libri, qvos ex editione nitida Amstelodamensi CIↃ IↃC LXXI. in 4to lego; sunt in manibus omnium, studiosæqve juventuti familiares esse debent, nolui illos cum Camerarii nostri conferre lucubratiuncula; Videri tamen qvoqve poterint Georgii Gumpelzhaimeri Gymnasma de Exercitiis Academicor. Partit. III. Sect. III.

[1] HO. Sic dico, qvia neqve libenter corpora puerilia, * neqve utiliter qviescunt multùm, ideo, qvô genere qvasi Gymnasiorum utamini scire cupio. [3] Nam fuit hoc inter alia veterum instituta laudatissimum, ut publicè etiam tenella corpora formarentur atqve corroborarentur. Qvod quidem intercidisse cum maximo detrimento apparet. [4] PV. Sic nostrum qvoqve magistrum loqvi audimus. HO. Etiam hôc amplius aliqvid, ut opinor. [5] PV. Rectè opinaris. Nam neqve † animum rectè curari atqve fingi neglectô corpore, neqve hoc sine illo posse docet, itaqve aut valere simul aut deficere utramqve disciplinam necesse esse. [6] HO. Ita est profectò. PV. Cùm igitur eruditio animorum, in qva ** Musicam primas tenere

III. p. m. 219. s. Ger. Jo. Vossius de qvatuor Artib. Popularib. c. III. totò. Budæus, Adnotat. in Pandectas ad L. Athletas. Item Jul. Cæs. Scaliger. l. Poëtices, c. XXII. p. m. 91. s. edit. M. D. LXXXVI. in 8t. Item Jo. Meursius de Græcor. Ludis. Cum primis, & in tribus Agonisticon libris Petrus Faber. Adde & omnino Josephi Qverceiani Doctoris Mediciqve regii Diæteticon Polyhistoricon, Sectíon. II. c. XI. totô, p. p. m. 139. s. edit. Paris. M. DC. VI. in 8t. & Laurent. Joubertum virum doctissimum in de Gymnasiis.

* *Corpora puerilia neqve utiliter qviescunt multum*] Cùm corpora omnia præsertim puerilia, mediocri motu firmentur, indurentur, & crescant: prima Gymnasticæ, ut Plato existimat, pueris cura sit. Sunt enim ii vel ab infantia, dum brachiis nutricum gestantur, aut cunis reponuntur, freqventer agitandi: qvoniam nihil corpora magis auget, atqve confirmat, qvàm motus. Gymnastica verò, cujus permagnas utilitates Plato, & Galenus non uno in loco tantùm commemorant, duplex est: Athletica una, altera moderata; & salubris: illa qvidem, qvòd vasta, dura, robustaqve nimiùm corpora faciat, animoqve obsit, valetudinem lædat, ac corporis temperationem vitiet, pueris est perniciosa, ideoqve hôc locô omittenda: hæc autem secunda, qvæ utilis est, duplex esse Platoni eidem dicitur, aut saltatio, aut luctatio: qvibus permultæ aliæ formæ non minùs utiles, atqve exercendo corpori aptæ adjungi possunt, ut eqvitatio, pedestris cursus, pilæ ludus, hastiludia, aliaqve hujusmodi exercitationum cuiqve regioni, aut genti usitatarum genera multa.

† *Neqve animum rectè curari*] Non malè Plato Diogenem apud Laërtium, lib. III. c. LXXVIII. *Virtutem*, inqvit, *sufficere qvidem ad bene beatéqve vivendum, ceterùm instrumentis indigere, corporis bonis, robore, sanitate, integritate sensuum & ceteris id genus.* Qvare animus non sine corpore, nec corpus sine animo debet exerceri, ut utriusqve pariter cura habeatur ac ratio, cùm tanta horum sit adfinitas atqve concordia, ut sicut animus corpore ad functiones obeundas utitur: ita minimè dubium, qvin ad ejus temperaturam animi qvoqve adfectus & actiones se se adcommodent; qvæ licèt inprimis ob acumen agentis informandæ: tamen, qvemadmodùm adsiduâ rerum tractatione, ni qvandoqve instaurentur otiô, facilè conteruntur atqve flaccescunt: ita jugi cessatione marcescunt atqve deficiunt. Videatur Joh. à Chokier de Surlet, lib. V. Thesauri Politicor. Aphorismor. c. XX. p. m. 342. Item Caspar. Ens in Thesaur. Aphorism. Politic. I. c. III.

** *Musicam*] Musicam Plato ad animi exer-

nere ait, oppressa esset barbarie, unà cum illa hanc etiam educationis bonitatem fuisse deletam, ut ubi animi essent inculti atqve horridi, ibi corpora

exercitationem utilem esse affirmat, gymnicam verò ad corporis. Sicut autem assidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingeniô, & langvidiorem corpore efficit, sic continuata musice animum effeminat & vires corporis enervat: interpolata verò animum alacriorem promptioremqve præstat, corpus firmat, fastidium actionum & cogitationum tollit, & ad movendos leniendósve animi affectus plurimum valet. Est sanè tanta ejus vis, in movendis hominum animis, ut Pythagorici, atqve Platonici animam omnem musicô qvôdam concentu factam dixerint, propter vim illam videlicet musicæ, ad cujus concentum nullus tam tetricus est, qvin aliqvando permoveatur. Videmus enim omnes nationes aliqvô semper musicæ genere uti, qvô delectentur: infantes item vix usu lingvæ, & sermonis datô: instrumenta qvædam, tibias, aliave hujus generis facere aut qværere, animalia porro aliqva ex qvadrupedibus, & aviculas, musicæ voluptate vehementer capi, ut mirum non sit, qvosdam existimâsse animum musicô factum concentu: cùm & cunctorum animi musicâ deliniantur, nemoqve tam asper agrestisve sit, ut hâc svavitate aliqvando non afficiatur. Qvo in genere illud maximè mirum est, totidem esse penè musicæ genera, qvot ingenia nationum, nec unam omnibus cantus, soniqve formam placere: aliis enim gravis, subtristis, & qvasi lugubris musica placet, ut Italis, & Hispanis: aliis levior, & jucundior, ut Gallis: aliis obstrepera, & concitata, ut Germanis, aliis denuqve alia. Ex qvo intelligitur, aliqvid musicæ inesse, qvod nostris animis congruat, ejusqve vim esse tantam, ut omnium ingenia, qvantumvis diversa, nonnihil in ea sibi aptum, qvod placeat, inveniant. Qvapropter musica semper cùm aliis nationibus magno in honore fuit, tum Græcis, apud qvos eam nesciri, turpe habebatur. Nam & Themistocles, cùm in epulis lyram recusâsset, indoctior habitus est, & Epaminondas, qvód fidibus canere nôsset, in precio fuit, & qvi musicam forte nesciret, incultus judicabatur. Omitto id, qvod Lacedæmoniis mos erat, Tyrtæi poëtæ versus in bello canere, tibiisqve uti, qvodqve omnes planè nationes aliqvô musicæ genere in bello semper utantur: Qvare nec ipse Socrates se Musices esse expertem voluit, cumqve annum ageret sexagesimum, à Conno fidibus erudiri ac lyrâ non erubuit. Nec aliud caussæ esse puto, cur idem apud Platonem Musices mutationem reipublicæ periculosam esse statuat, & novos cantus execretur, nisi qvòd juvenes novis modulationibus illecti, animô distrahuntur, virtutes negligunt, & à rebus seriis avocantur. Relaxatio animi qvæ fidibus & cantu fit, non est abhorrenda, modò tempori inserviat, & tum agatur, qvum à negotiis rebúsqve seriis ac gravioribus otium fuerit. Musonius philosophus animum relaxandum ac demulcendum esse dicebat, non autem remittendum, cùm remittere animum sit diminuere, & qvasi amittere. Lege qvæ habent de Musica Ger. Joh. Vossius de IV. Artib. Popularib. c. IV. p. 36. s. Francisc. Patricius, lib. II. de Regno, Tit. XV. p. m. 94. s. Foxius lib. I. de Regni Regisqve Institutione, qvi suppressô per fraudem Typographi nomine Dissertationibus Scipionis Amirati in Tacitum est adnexus, p. m. 849. s. edit. Francofurt. M. DC. XVIII. in 8t. Adde Georg. Gumpelzhaimeri Gymnasma de Exercitiis Academicor. Partit. II. Sect. I. p. 134. s. & Theophil. Golium, in Epitome doctrinæ Polit. ex VIII. libris Politic. Aristot. lib. VIII. c. V. p. m. 404. s.

pora qvoqve vasta & immania, aut infirma & muliebria remanerent. 7 HO. Concedit tamen, nisi fallor, etiam priusqvàm eruditio qvasi fruticari denuò cœperit, usurpâsse nostros qvoqve homines, illosqve etiam veteres indoctos atqve bellatores multo magis, ad qvos ne fama qvidem elegantiæ & doctrinæ pervenerit: eos igitur usurpâsse tamen exercitationes, qvarum ad patrum nostrûm memoriam qvædam retinuerint similitudinem, qvô tempore omnis laus & virtus gentis nostræ cœpit collabi. 8 PV. Minimè falleris. Sed illa, ut reliqvam vitam, dura nimis & aspera fuisse existimat. Neqve tempori, neqve locis, neqve hominibus accommodari solita, plena periculi omnia, nonnulla tamen præcipuè & omnino qvædam præsentis, ut credibile valde sit, qvod de Germanis Græci tradiderunt, consvevisse eos primùm natos parvulos filios suos in flumine mergere, aqvæ frigore † durantes cutem, qvò commodiùs adulti aliqvando sub illo cæli tractu experti ferè caloris, vitam degerent. 9 HO. Qvid dicit igitur illos fecisse? PV. Qvid enim nisi vehementia & intempestiva omnia, & impetu qvôdam, penéqve furore animi, eqvitando eoqve inprimis, currendo, saltando, pugnando in eqvis, & pedites, tranando rapidissimos amnes, jaciendis pro disco ponderosissimis saxis: qvid multa? neqve modô nec ratione ab illis qvidqvam esse factitatum, itaqve non habuisse utilitatis multum Gymnasia illa. 10 Qvid qvod à refertis cibô ac potu, qvibus nostri parcè uti nesciunt, decursum ad Gymnasia, atqve inde ad potationes & epulas reditum, ac tum demùm ad somnum deventum esse scimus, qvô qvid perversius fieri posset. 11 Neqve dubium est, qvin si qvi tali in vita valetudine bonâ fuerint & sanô corpore, ii longè hôc nomine celeberrimos apud veteres antecesserint, qvales Milones & Polydamantas fuisse memorant. 12 HO. Mirum hoc videtur. PV. Ita enim bonam fuisse naturam putat, ut etiam contraria & inimica sibi assumeret, & in bonum converteret. Qvod cùm fiat, nihil posteà illam admodùm lædere, ut de Mythridate rege traditum sit, venenô illum nutriri ad ostentationem consvevisse. Sed de his non multum nobis narrat, diligentior in cura veræ ac rectæ institutionis. 13 HO. Qvid igitur rationis inivit ipse, aut qvomodo priora mutat? 14 PV. Audies. Primùm omnium tempus modumqve præfinit.

† *Aqva frigore durantes cutem*] Observat If. Casaubon. in Svetonii August. c. LXXXI. Veteres in exercendo corpore etiam extra morbi necessitatem volutâsse se super candente harena, ut corpus ferendo calori adsvefacerent: contra ut ad tolerandum frigus præpararent, vel in nive se versabant, vel statuas nive obductas nudi amplexabantur. Laërtius lib. V. de Diogene Cane: c. XXIII. *Καὶ θέρους μὲν ἐπὶ ψάμμου ζεστῆς ἐκυλινδεῖτο· χειμῶνος δὲ ἀνδριάντας κεχιονισμένους περιελάμβανε, πανταχόθεν ἑαυτὸν συνασκῶν.* Suidas de Antiocho Cilice philosopho Cynico, qvi castra Severi Imp. aliqvando est secutus: *Ἐπαλγοῦντας τοὺς στρατιώτας ὑπὸ τοῦ πολλοῦ ῥίγους, ἐκρίπτων εἰς τε τὴν χιόνα ῥιπτῶν καὶ ἐν αὐτῇ καλινδούμενος.* Hanc stultam consvetudinem reprehendit gravissimus auctor Epictetus apud Arianum, lib. III. Dissertationum, c. XII. *Τούτου ἕνεκα δεῖ καὶ ἡμᾶς μελετᾶν ἐπὶ ψυχροῦ περιπατεῖν, ἢ φάρμακα ἐκπίνειν, ἢ ἀνδριάντας περιλαμβάνειν ὑδαρεῖς.*

finit. De tempore hoc monet. Exercitationes ut ante fiant qvàm cibus capiatur. Modus autem pro ætate nostra constituitur. [15] HO. De tempore videor intelligere. Nam ante cœnam maximè vult exerceri vos [16] PV. Intelligis. Sed & aliud est genus exercitationis corporibus teneris utilissimum, qvod ipse dicit rectiùs post cibum capessi, itaqve prandiô cœnâqve perfunctis proponit. [17] HO. Aveo qvid id sit cognoscere. [18] PV. Magis memini certò qvàm planè intelligo. [19] HO. Dic igitur qvod meministi. [20] PV. Caloris ait fieri beneficiô ut cibus concoqvatur, ad bene autem & commodè digerendum subtilitate & tenuitate cùm ipsius humoris tum spirituum opus esse. [21] HO. Omnes hoc fatentur. [22] PV. Cantare igitur nos jubet, & à cibo voce contendere, aut clarum legere, aut recitare qvæ memoriæ mandaverimus. [23] HO. Eaqve efficere qvod dixisti? qvô tandem modô? [24] PV. Eôdem qvidem omnia sed non similiter, propetereà qvòd alia intenta sint magis ac vehementia aliis. [25] Nam vocem esse dicit qvamdam spiritus agitationem, ventilante aërem lingvâ, qvasi flabellô, illum autem motum non esse levem, neqve in ipso palato nascentem, sed tanqvàm de fonte ex imis existere visceribus, atqve ut auras matutinas progressu suô crescere, atqve ita pervadentem per totum ab ipsis pulmonibus corpus cùm ipsum calorem qvasi inflammare, tùm verò, sangvinis liqvidum & purum incitare flumen. [26] Itaqve & venas limpida omnia tùm vehere, neqve in arteriis qvicqvam velut obicem colligere, qvô vitales flatus retusi in corpore, ut solet, tumultuentur. [27] Ex his omnibus hoc commodi conseqvi docet, ut illis in partibus corporis, qvæ conceptacula & à Græcis vasa dicuntur, alimoniæ ipsius & nutritionis instrumenta, nihil spissitudinis, & superfluæ qvasi fecis insideat atqve adhærescat. [28] HO. Laudo memoriam tuam, qvæ etiam ipsa intelligentiam tuam mihi probat. [29] PV. Alias rationes absolutæ exercitationis magis memini deplorare eum solere, qvàm nobis exponere atqve ostendere: frustra enim se facturum autumat. [30] HO. Omnia mihi qvæ narras, vehementer placent. Sed ad modum redi. Qvis igitur modus servatur? [31] PV. Vides, qvantulus ego sim meiqve æqvales, tenera & parvula corpuscula, ad qvæ respicit cùm jubet, qvibus nos qvasi fatigationibus exerceamus. [32] Et jam hoc considerat, qvibus rectè liceat in hac ædium angustia, ubi neqve palæstra apparari, neqve arena spargi possit, sed ubiqve suppactum subsit & durum solum. [33] Etsi educimur sæpe qvidem numero cœlô serenô extra portam in campum, ubi luctationes qvoqve aggredimur, & digladiationes, & pilam jacimus, & spacia decurrimus. [34] HO. Sed nunc umbratica percense. PV. Qvæ neqve palæstram neqve pulverem desiderent? [35] HO. Ita inqvam. PV. Horum est qvòd suspensos apprehendimus funes, tignis impactam perticam, tenemusqve qvam diu possumus. [36] Aut in demissum funem insertis pedibus, progredi qvàm longissimè manibus conamur. [37] Qvàm solet ipse rem perantiqvam utilemqve esse visam dicere, ac nomen nuper pædagogo nostro Græcum illius memorabat. [38] Præterea consistit aliqvis in medio, & brachia

aut diltendit ulnamqve aperit, aut jungit ad pectus atqve implectit, alterumqve qvi velit jubet vi illa inflectere aut explicare. [39] Inter hæc linea præfiniuntur spacia, qvatenus retro cedere, aut in obliqvum abire concessum sit. [40] Item unus alterum medium complectitur, jubetqve vinculum eum dissolvere. [41] Nec non manum aliqvis comprimit ut pugnus fit, jubetqve alterum explanare, ut fiat palma. [42] Jam & hoc solemus, designatâ post utrumqve lineâ conserto pectore alter conari ad suam alterum adigere retro lineam. [43] Solemus & mediocre pondus, uno in loco stantes, vel remotiùs attollere, vel aliqvo usqve deponere. [44] Huc pertinent & ludicra, qvæ hanc ætatem dicit sedentaria decere nulla. Qvalia qvidem totius aleæ fuerint, etsi ex his qvoqve aliqvid nobis permittitur. [45] HO. Metuit credo ne juvenes aliqvando ignoretis, nisi pueri didiceritis. [46] PV. Vis rationes illius cognoscere: HO. Pervolo. [47] PV. Inter jocationes & ludos hoc qvoqve genus ponit. [48] HO. Sed pars hæc dedecus habet. [49] PV. Ipse sæpe dicit, sed hæc tempora consvetudinis vi vincere, & obtinere, ut pro flagitiosis aleatores non habeantur, itaqve aleæ usum necesse esse valde increbescere. [50] HO. Indulget igitur vobis in vitio? [51] PV. Minimè. Verùm fieri non posse existimat, ut qvod omnes concessum sibi putent, id nobis totum eripiat, & tentare cum magno discrimine non vult. [52] HO. Qvid discriminis mihi narras? PV. Scis qvid fieri soleat illô tempore, qvod autumnum antecedit proximè, cùm fructus omnis generis maturuêre? [53] HO. Qvid ni sciam? Tum enim illi carpuntur eduntùrqve avidè. [54] PV. Fitne hoc utiliter? [55] HO. Profluvia ventris & febres & regium malum docent. [56] PV. Qvid igitur tùm matres faciunt? cùm metuunt pueris suis. [57] HO. Qvid? certô tempore diei aliqvid præbent illorum, qvô palàm modicè potiùs vescantur, qvàm clanculum cum magno detrimento valetudinis si prorsus negentur, sese illis repleant. [58] PV. Ad eundem modum permittendum puerulis cùm alias jocationes atqve ludos, tùm aleam ipsam censet, ut concessis liberè utentes, negatis faciliùs abstineant. [59] Ita fruituros studiorum relaxatione, & copiâ factâ hilaritatis, eâqve contentos, non tam repletos qvàm recreatos, omnes alias usurpationes ludorum atqve jocorum vitaturos esse existimat. [60] HO. De hac parte, & generibus concessorum ludorum, aliàs te audiam. Nunc perge motoria ludrica exseqvi. [61] PV. Veteris ea sunt moris Græci, consentanea ferè cum nostro, qvalibus ille se dicit potissimùm delectari. [62] Ludimus cæcum igitur musculum: sic enim vocant: cùm unus in medio occlusis oculis: circumcursitantes & vellicantes alios captat. Veteribus fuisse æneam muscam dicit. [63] Solet & aliqvis in tergo manus constringere, & insidentem genibus aliqvo usqve gestare. [64] Habemus & pilulas fictiles qvibus certamus, configentes qviqve suis aliorum, & in fossulas certis spaciis inter se distantes, impellentes, in qvo est certæ manus laus. [65] Etiam æneis numismatis projectis ad lineam, & in sese, simile est certamen. [66] Ludimus & qvod nostrâ lingvâ Vaccæ latebras nominamus, veteres dicit vocâsse diffugium. [67] HO. Non agnosco. PV. Uni

qvi

qvi primùm fortitò constituitur, stanti præfinito in loco comprimuntur oculi. Qvô factô discursitamus omnes & latebras qværimus. At ille priùs ter se venturum minari debet qvàm oculos aperiat. Ubi ter dixit: Venio. Circumit & vestigat omnia loca, si qvem conspexit, recurrit in suum locûm clamans: Inveni, & ubi, & qvem explicat. Omnibus igitur studium hoc est, illum latentes antevertere, & in ipsius locum subire, qvod si qvis effecit, & occupavit priùs locum qvàm ille, indicat adhuc delitescentibus provocatione suâ, jubetqve adesse, ita illi iterum oculi ut antè concluduntur: Sin ipse inventô aliqvô recurrit primus in locum suum, is qvi inventus est pro ipso connivet. [68] Est & hujusmodi qvædam nobis in usu discursio: In duas partes distribuimur, Tum forte ducitur, qvi in medio stans circum agat orbiculum, cujus una nigella sit, altera candida facies. Sortitò autem proprius fit alteruter color alteriusutrius partis. Tum ille qvi orbiculum intorqvet acclamat: vel dies vel nox. Utrius igitur partis color apparuerit post vertiginem orbiculi, ea fugit, alteri sectantur, dum comprehendant aliqvem. Atqve is posteà orbiculum versat, & Asinus nuncupatur. [69] HO. Sed inter hæc, non enim adesse aliqvis semper qvasi gubernator potest, videre mihi videor freqventes incursiones, lapsus, allisiones: tum autem in dictis & factis peccata animadvertenda. Qvid igitur fit? [70] PV. Fateor offensiones non absunt, neqve ipse tamen qvicqvid omittit qvô interverti posse videantur. [71] In ipso verò & exercitationum motu & ludorum qviete, ignosci nobis solet, si qvid admissum sit & delictum, modò absqve procacitate, furore, flagitio. His enim veniam negat dari oportere, cujus qvidem in aliis locum sibi esse apud magistrum notum exploratumqve pueros habere valde prodesse arbitratur. [72] HO. Ut Contemtores & negligentes reddantur. [73] PV. Minimè verò. Ac multò curare ait atqve metuere magis, qvàm si plagis tanqvàm asini obtundantur. [74] Durari enim adsiduitate cùm animos tum corpora, ad verbera & objurgationes qvotidianas magistrorum, neqve in magno tum poni discrimine, fiat ne qvod illi placeat, an qvô offendantur, destinatô animô ad malum perpetiendum. [75] Itaqve in hoc proposito non solùm non vitari delicta, sed ne cælari qvidem tandem studiosè solere. [76] Aut si qvi sint molliores, eorum frangi atqve debilitari mentes, & qvôdam servili timore imbui, unde vel illud, qvod modò dixi, incommodum etiam existat, aut contrarium perpetuæ trepidationis & formidinis, in qva nihil laudabiliter geri posse affirmat, cùm ulla in re, tùm maximè literarum atqve artium studiô, qvòd voluntate promtâ & alacritate contineatur universum. [77] HO. Deducis tu qvidem me ad aliam scholam magistri tui, qvam recordari habitam ab illo videre. [78] PV. Ita est, ut dicis. [79] HO. Vin' igitur mihi gratificari? [80] PV. Si qveam. Qvod enim non rectum sit, te non esse imperaturum scio. [81] HO. Nunc qvidem qvia satis verborum factum videtur, hunc finem statuamus colloqvio nostro, proximè autem cùm otium utriqve erit, explicabis mihi hanc partem, vel animadversionis ob delicta,

vel veniæ, & qvid de verberibus atqve plagis tuo magistro probetur, aut improbetur: nam de his qvæ exposuisti, judicium illius & sententiam magni facere incipio. [82] PV. Faciam ut vis. [83] HO. Vale. [84] PV. Et tu vale. Sed qvo nunc abis? [85] HO. Ad cives meos qvi mecum advenêre, qvibus hanc me operam daturum esse constitui. [86] PV. Benè ambula.

THEOPHILUS GOLIUS

In Epitome doctrinæ Politicæ ex Octo libris Politicor. Aristotelis, libr. VIII. c. IV. p. m. 400. s. edit. Argentor. M. DC. XXIII. in 8t. seqventia tradit.

I. Qvid est Gymnastica?

Γυμναστικὴ ἐστὶ τέχνη, ἡ τελειοῦσα τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ἕκαστ. Gymnastica est ars, qvæ habitum corporis qvalitate aliqvâ affectum reddit: hoc est, per qvam habitus corporis corroboratur, & ad labores atqve exercitia præparatur.

II. Qvot sunt ejus species?

Tres: Una dicitur ἀθλητικὴ, Athletica, hoc est, publicis certaminibus adcommodata: qvæ est immoderata, dura & aspera exercendi ratio: iis athletis seu certatoribus præscripta, qvi ad publica certamina, victoriæ caussâ, descendere volebant. Altera species nominatur ἀνειμένη, quasi Remissa seu langvida. Tertia species est μέση, moderata: & qvasi media inter duram & langvidam exercitationem corporis.

III. Qvod est Aristotelis de his tribus Gymnasticæ speciebus judicium?

Aristoteles priores duas species improbat, eò quòd partim in excessu, partim in defectu peccant: Tertiam autem, qvia modum servat, admittit.

IV. Quare athleticam exercendi corpora rationem improbat?

Primùm, qvia ejusmodi dura & immoderata exercitia deformant corpora: reddunt enim ea crassa, distorta, dura, lacertosa, & ut Columella, lib. VII. * loqvitur, compacta: qvalia sunt plerumqve corpora servorum, bajulorum, rusticorum, & opificum. Deinde, qvia ejusmodi violenta exercitia impediunt operationem naturæ, in incremento corporum: ne possint ad justam suam magnitudinem & proceritatem crescere: ut testatur etiam Qvintil. lib. XII. Tertiò, qvia per talia exercitia homines feroces potiùs & immanes efficiuntur, qvàm fortes & cordati, in periculis adeundis aut perferendis. Quartò ab exemplo Lacedæmoniorum: qvilicèt in hoc genere exercitiorum suos adolescentes diligentissimè exercebant: tamen non semper hoc illis profuit ad victoriam, qvando cum aliis Græcis, qvibus moderata exercitia magis placuerunt, ipsis pugnandum fuit: qvi tandem eorum potentiam fregerunt, & se ab eorum dominatu

* De hoc loco Columellæ vehementer dubito, nec tamen integrum librum perlegere operæ pretium puto

minatu liberârunt. Qvintò ab exemplo Olympiorum victorum, qvorum pauci reperti sunt: qvi licèt in adolescentia & juventute semel atqve iterum celebres victores extitissent, tamen postqvàm ad virilem ætatem pervenissent, idem præstare non potuerunt: propterea qvòd per dura illa & violenta exercitia, corpora eorum fuissent nimium debilitata, & qvasi enervata & fracta. Sextò, qvia ista adsidua & dura corporis circa talia exercitia fatigatio impedimento est, quò minus intereà animus ad reliqvarum virtutum actiones possit exerceri.

V. Qvare alteram speciem improbat?

Qvoniam nulla aut nimis remissa & langvida exercitia plurimùm nocent corporibus: propterea qvòd nimiò ociò humores in corporibus putrescunt: undè necesse est multos tandem generari morbos. Reddunt etiam homines molles & ignavos, ut sint inutiles ad labores perferendos.

VI. Qvare improbat tertiam speciem?

Qvia moderata exercitia plurimùm conferunt & ad robur, & ad valetudinem corporum. Excitant enim & augent calorem † nativum, juvant concoctionem & digestionem ciborum: consumunt & expellunt vitiosos humores: resistunt putredini: corpori præbent vividum calorem: & plura alia in se habent commoda, de qvibus in præcedente capite etiam qvædam dicta fuerunt.

VII. Quò pactò igitur utendum est exercitiis?

Tria de hac re ab Aristotele traduntur præcepta: qvorum primum pertinet ad postremos annos pueritiæ, usqve ad initium pubertatis. In qvibus præcipit pueris usqve ad pubertatem præscribenda esse leviora exercitia: neqve eos cogendos esse ad ἀναγκοφαγίαν, hoc est, ad nimium cibum adsumendum, qvalis solebat athletis præscribi: neqve cogendos esse ad violentos labores, qvibus corpora nimium fatigantur: qvoniam hæc omnia impediunt τὴν τοῦ σώματος αὔξησιν, id est, corporis incrementum: qvod in hac maximè fieri debet.

Alterum præceptum. Tres anni post pubertatem tribuendi sunt aliis artibus & disciplinis, in qvibus ingenia adolescentum sunt exercenda.

Tertium præceptum. Elapsò trienniò post pubertatem, paulatim labores illis sunt augendi, & graviora exercitia cum illis suscipienda: ad qvæ etiam necesse fuerit, ut copiosiore cibò utantur, ad augendas & confirmandas vires corporis, ut qvantitas cibi correspondeat exercitiis corporis.

VIII. Qvare aliqvi anni solis exercitiis ingenii, & non etiam simul corporis sunt tribuendi?

Qvia non possunt simul & animò & corpore vehementer laborare: hi enim labores se mutuò impediunt. Labores enim corporis impediunt mentem, qvò minùs possit commodè suis contemplationibus, vacare. Et contrà, Labores ingenii impediunt naturales corporis operationes, in eo nutriendo & augendo: sicuti videre licet in iis, qvi perpetuò libris incumbunt, qvòd sunt plerumqve pallidi, macilenti, pituosi, & valetudinarii. Qvia spiritus animales, qvi debeant juvare concoctionem ciborum, impediuntur in suo munere ab animi operationibus, qvæ circa alia objecta occupantur.

† Ita enim emendavi, pro *malorum*, qvod hic planè nihil facit.

III.

PRÆCEPTA VITÆ,

SEU SEPTEM † SAPIENTES.

PRO-

† *Septem Sapientes*] Obſervandùm hîc omnino venit, viginti cumprimis tota in antiqvitate ſapientes fuiſſe habitos; cùm ſic fuerint qvatuor adpellati in Æthiopia, nimirum Cepheus Rex: Caſſiopæa uxor: Andromeda filia: Perſeus gener, propter cognitionem rerum cæleſtium. Unus in Aſſyria Prometheus, qvi adfixus Caucaſo Aſtrologiam indicavit Aſſyriis. Unus in Mauritania Atlas Rex, qvi Sphæram invenit, & curſum Solis ac Lunæ, ſiderumqve omnium docuit. Duo Heroicis temporibus, Ulyſſes verſutum ob ingenium πολύτροπος dictus, & Neſtor, cujus ſapiens eloqventia melle dulcior exſtitiſſe dicitur. Unus temporibus Homeri Lycurgus, qvi leges tulit Lacedæmoniis. Septem ſeqventibus temporibus celeberrimi virtutis magiſtri, ἄνθρωποι τελέως πεπαιδευμένοι, qvos Plato in Protagora, p. 238. c. & in Phocicis, ſive lib. X. Pauſanias Platonem ſeqvutus, hôc ordine recenſent. Thales Mileſius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prieneus, Solon Athenienſis, Cleobulus Lyndius, Myſon Chenæus; & Chilon Lacedæmonius. Confer & Ciceron. V. Tuſculanar. c. III. Lactant. IV. c. I. Joann. Tzetzen, Chiliad. II. Auguſtin. XVIII. de Civ. DEI, c. XXIV. Prophyr. lib. I. Abſtin. p. 35. edit. Fogeroll. Proclum ad Heſiod. p. 19. In Gloſſis autem Stephani legas: *Reſponſa novem ſapientum*, ἀποφθέγματα ἐννέα σοφῶν Qvos tamen Plutarchus περὶ τῦ EI, ad qvinqve redigit. *Chilonem, Thaletem, Solonem, Bianta, Pittacum*, qvaſi reliqvi duo, *Cleobulus* ſcil. & *Periander* magis propter potentiam & opes additi illis eſſent, qvàm qvòd verè fuerint ſapientes. Unus oraculò Apollinis judicatus Socrates, ut etiam apud Tullium legitur. Deniqve tres apud Romanos, de qvibus in Lælio Ciceronis, c. II. ſcilicet L. Atilius propter Juriſprudentiam; M. Cato, qvia multarum rerum uſum habebat; C. Lælius non ſolùm ob naturam & mores, verùm etiam ſtudium & doctrinam. Adeò infinitis è mortalium millibus exſtitêre rari tantò cognomine digni. Nec hi qvidem ipſi, qvi nominati ſunt, ut inqvit M. Tullius, ſapientes fuerunt, ſed ſimilitudinem qvamdam gerebant, ſpeciemqve ſapientum. *Hi omnes*, pergit cit. locò Plató, *Laconica breviloqventia ſtudioſi fuerunt. & è communi conſenſu* ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα, *verba brevia memorabilia ab unoqvoqve dicta, ſapientiæ primitias, Apollini Delphico dedicârunt, qva Templo inſcripta ab omnibus celebrantur.* Γνῶθι σεαυτόν, *noſce te ipſum;* Μηδὲν ἄγαν; *ne qvid nimis.* Apud Græcos, *ſeptem*, inqvit Cicero. III. de Oratore, c. XXXIV. *fuiſſe dicuntur unò tempore, qvi Sapientes & haberentur, & vocarentur. Hi omnes, præter Mileſium Thalem, civitatibus ſuis præfuerunt.* Clem. Alexandrin. I. Stromat. p. 300. *Solon*, inqvit, *qvidem Athenienſibus, Pittacus verò Mitylenæis* ἐνομοθέτησαν, *leges tulerunt.*

Chilon

PROLOGUS.

Salvete spectatores optimi viri,
Et artium atqve virtutis amantissimi.

Si

Chilon Ephorus erat Lacedæmone, Olymp. LVI: ut apud Laertium Diogenem est I. c. LXVIII. Γέγονε δὲ Ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα· Ubi rectè doctiss. Casaubonus πέμπτην scribendum putat, vertitqve ita sive Ambrosius Calmaldulensis, sive Vir summus Marcus Meibomius, qvi infinita penè loca ista in versione restituit: *Fuit autem Ephorus circa qvinqvagesimam & qvintam Olympiadem.* Sunt, qvi Periandrum inter VII. numerant locô Mysonis, aut hunc illius locô, διὰ τὴν ἀδοξίαν αὐτοῦ *propter obscuritatem ejus. Erat autem Myso Maliensis in pago degens, cui Chena nomen, in agro ut plurimum versabatur hominibus ferè ignotus.* Vide dictum Diogenem I. c. XLI. CVI. CVII. Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesian. p. 235. Malienses ad Oetam montem positi erant: Κώμη δὲ οἱ τῇ Οἴτῃ τῷ ὄρει ᾠκεῖτο αἱ Χῆναι. *Incelebatur autem in Oeta monte vicus Chena,* inqvit Pausanias, lib. X. p. m. 655. v. 37. edit. opt. Hanov. MDCXIII. in fol. Mysonis & Anacharsidis (qvi ut & Epimenides, Pherecydes & alii in Sapientum numerum, non autem septenarium conscripti sunt) meminit initiô Dissertat. XV. his verbis Maximus Tyrius: *E Scythia in Graciam venit Barbarus qvidam (qvales ibi sunt) Sapientiam professus non verbosam aut loqvacem; sed cujus finis erat accurata vita ratio, mens sana, ferme brevis, sed acutus; non peltatis illis similis, qvi in exercitu sine ordine, discurrunt, sed militi cataphracto, qvi lentè & cum cura incedit. Hic cùm venisset Athenas, tales nullos invenit; non tales, multos; qvorum discursus & tumultus Anacharsis nullo modô probare poterat. Qvare totam Graciam lustrare statuit, sicubi videret stabilem fixamqve Sapientiam: an alibi id potuerit invenire, nescio. Invenit autem in Chenis, parvo & ignobili oppidulo, virum bonum, cui nomen erat Myson. Hic nihil aliud noverat quàm familiam rectè administrare, terram peritè colere, cum uxore castè vivere, liberos liberaliter educare. Suffecit hoc Scytha, nec sapientiam verbosam sibi qvarendam putavit, cùm invenisset Opera; in qvorum contemplatione aliqvamdiu defixus hasit: cúmqve jam satu perspexisset singula, Myson illi dixit: Hac sunt, mi Anacharsi, qvorum causâ (nescio qvàm verè) homines nos Sapientes vocant: qvòd si his Sapientis nomen mereor, non video qvid non sapiens dici debeat. Anacharsis utrumqve in homine Graco valde miratus est, & abundantiam operum, & paucitatem verborum.* Tanta verò septem horum fuit sapientum apud priscos auctoritas, ut ob vitæ integritatem, & sententiarum qvarumdam paucis verbis comprehensarum pondus & gravitatem, soli omnium σοφοὶ dicerentur; qvo de videndus in c. III. Tusculan. Qvæstion. V. Cicero. Vitæ qvidem institutô ac moribus differebant ab aliis, at seriis qvibusdam sententiis & apophthegmatibus informabant aliorum mores. S. Augustinus, postqvàm VIII. de Civit. DEI, c. II. Sapientum horum Septem mentionem injecisset, libr. XVIII. c. XXV. ait, eos *claruisse post Poëtas Theologos, & vita genere laudabilia qvadam hominibus prastitisse ceteris, & morum nonnulla pracepta sententiarum brevitate complexos esse. Nihil autem monimentorum, qvod ad litteras attineat, posteris reliqvisse, nisi qvòd Solon qvasdam*

Si multa ſæpe ſpectaviſtis ludrica
Veſtris libenter oculis, in qvibus ſenem
Deciperet ſervus, amaret adoleſcentulus,
Edax paraſitus irrideret militem,
Hæc etiam, agite, videte, qvæ mores probos
Excolere poſſint & juvare animi decus,
Ad ſcenicum apparata modum non ſcenica,
Sed plena præceptis bonis vitæ bonæ.
Dedit hos eoſdem jam ante ludos verſibus,
Qvi nomen à veteri ſibi ſumſit * Auſone,
Factos rotundis ut ſcitis, ſed nos tamen
Actam nihil vetat referre fabulam.
Adeſte, noſtram alite favore induſtriam
Veſtrô, ſtudiaqve bonâ ornate benevolentiâ.

* *i. e. Auſonius, quo de dixi.*

II. P R Æ C O.

Tace, ſileto, qviſqvis es. Sile, tace.
Aures apertas, fauces compreſſas habe.
Manus teneto, pedes ſuo ſtent in ſtatu.
Deniqve ſui omnes qviſqve partes corporis
Summas, imas, tranſverſas & medioxumas
Claudat, premat, componat demtis auribus,
Qvas & patere & arrectas eſſe volumus,
Præconium dum fit, dum res ea geritur,
Præconium cujus fit hoc cauſsâ rei.

Non

leges Athenienſibus dediſſe perhibeatur. Thaletem verò fuiſſe Phyſicum, & ſuorum dogmatum reliqviſſe libros. At nonnulli eorum carmina dicuntur reliqviſſe ut Solon & Bias. qvorum omnium propoſitum, ut antiqvi Poëtæ verbis utar, εἰπεῖν πρὸς ζωὴν χρήσιμα· qvæ ſtudiorum pars diutiùs Poëtarum fuit, qvàm Comicorum; qvia priùs fuit Poëtæ nomen, qvàm Comici. Ac Poëtæ docuerant τὰ πρὸς ζωὴν χρήσιμα, priuſqvàm extaret apud Siculos Comœdia, ad qvos τὰ δραματικὰ & eorum inventionem, ex voce δρᾶν, qvæ κατὰ διάλεκτον illorum eſt aut vicinorum, propriè ſpectare probat Ariſtoteles. Atqve hæc cauſſa eſt, qvare priſci, & præſertim ſeptem illi Græciæ Philoſophi, neglectâ ut plurimum (non ſemper tamen) τῇ Μελοποιΐᾳ, id eſt, numeris & ſimilibus (ita enim illam vocem qvâ de Muſica plerumqve Plato utitur, nunc ſumimus) ſententias in qvibus de moribus, de Deo, de virtute agebant, qvæ ad hanc παιδείας ſpectabant, ᾄσματα καὶ ᾀδόμενα dixerint. Unde & Thaletis & aliorum ferè omnium ᾄσματα à Laërtio citantur: qvæ & *Carmina* veteribus Latinis dicta ſunt. Hinc illud apud Dionyſium Catonem:

Si DEUS *eſt animus, nobis ut Carmina dicunt.*

Carmina, id eſt dicta Philoſophorum. Cauſſa eſt, qvia dicta illa brevia, qvibus ſententias ſuas, de Deo, deqve reliqvis includebant, ᾀδόμενα dicebant, id eſt, *Carmina*. Sic ᾀδόμενον Thaletis illud extat:

Οὔτι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο δόξαν.

Chilonis:

Ἐν λιθίναις ἀκόναις χρυσὸς ἐξετάζεται.

Ho-

Non auctionem huc indicturus aut forum,

Pro-

Hodieqve, ᾀδόμενα, sive ᾄσματα habemus, in libello illo, qvi à moribus nunc Cato inscribitur. Primò enim in ᾀδομένοις de Deo agebatur, qvod & secutus est ille: qvi, ut propositi sui rationem occultè redderet, citat continuò τὰ ᾀδόμενα, additqve, *nobis ut Carmina dicunt*, id est, ὥσπερ ἐν τοῖς ᾀδομένοις τῶν φιλοσόφων τῶν πάλαι γράφεται. Atqve hæc caussa est, qvare breves sententias præmittat: ut, Aleam fuge, & similia. In prioribus enim illis filium suum instruit, sicut in Hypothecis Hesiodi alumnum suum Chiron. Sanè, ut nemo nascitur sapiens, ait Carol. Paschalius, V. Coronar. c. IX. p. m. 310. edit. Lugdunens. Batav. CIↃ IↃC LXXI. in 8t. sed fit; ita prudentissima antiqvitas præcipuò cultu habuit eos homines, qvibus præcipua, imò una cura est, ut sapientiæ præceptis eam ætatem erudiant, qvæ tali alimentò destituta omnium minimè sapit. Ut pueris apertus erat ludus Grammaticæ & ceterarum artium, ita adultioribus patebat schola sapientiæ. Ibi sermo, hic mores formabantur. Illic loqvi, hic vivere, hoc est, vitæ officia discebant. Litterarum finis est eruditio. At sapientiæ privatim sanctitas, publicè æqvitas. Qvi illa docebant, artium & litterarum. Qvi hæc, sapientiæ professores dicebantur. Ergo omnium operum maximum & præstantissimum existimàrunt, formare ingenium & mores juventutis, hoc est illorum, qvi aliqvando accessuri sunt ad Rempub. ad qvorum, scilicet, munus futurum est, ut aliqvando publicæ consultationes, judicia, imperia, maxima qvæqve pertineant. Nemo, qvod hodie fit, à ludo literario rectà perrumpebat Senatum. Sed priùs totos sese formandos tradebant hisce, qvos dico, sapientiæ doctoribus; qvi qvidem ore diserti, moribus & castitate sancti, ingenii dotibus eximii, prudentiâ conspicui fœtus sui similes formabant. Hæc fuit secta illa & Pythagorica, & Socratica, & Zenonis, & aliorum, è qvorum scholis prodierunt tot, tantaqve lumina, qvibus admirabilis illa antiqvitas etiamnum tota collucet. Non ridebantur illi ut amentes; non hoc totum, tantumqve negotium spernebatur ut supervacuum. Nulla laus ex inscitia nascebatur; non mores incompti, insulsi, absurdi, pessimi erant pro titulo & insigni præcipuo nobilitatis. Nulla ferocia, aut etiam feritas illudebat fortitudini. Nulla calliditas, nulla fraus se jactabat pro solertia & prudentia. Talis institutionis statò tempore uberrimi proventus apparebant. Qvod in tales tantæ rei professores impendebatur, fœneratò redibat. Hinc res privata, hinc publica sua præsidia, sua decora, sua columina promebat. Qvi inde prodibant, ubi loqvendum, sapientes; ubi consultandum, prudentes; ubi factò opus erat, manu prompti aspiciebantur. Non togatus sagato, non paludatus prætextato illudebat. Consiliò, brachiis, re qvisqve qvoties expediret, Rempub. promovebat. Veluti autem horum Sapientum apophthegmata permulti doctè copiosèqve sermonibus inlustràrunt; ita qvæqve cui sententia tribuenda sit, non conveniunt Auctores. Vide Clement. Alexandrin. in I. Stromat. p. 300. Apud Ausonium aliqvantò pleniùs eorum Apophthegmata Græcè reperies ac Latinè apud qvem etiam Ludum eorumdem sapientum videre est, in p. m. 264. s. edit. Amstelod. CIↃ IↃC LXXI. in 8t. Adde, si videbitur, Philippi Beroaldi Bononiensis Heptalogum; sive libellum de septem Sapientium sententiis, judiciò Eliæ Vineti in notis ad Auson. Prologum Ludi Septem Sapient. *non indoctum*, qvem lego in principio Variorum Philippi Beroaldi Opusculorum, in 4to, sine adjectione anni & loci, editorum: Jac. Pontan. I. Progymn. XXIX. p. 71.

O 2

Prodire jussus sum, qvanqvàm auctio & forum
Hæc illi erunt, sibi esse qvi ipsus voluerit.
Venibit utilis doctrina, haud litium
Sed veritatis judicia, & fient boni.
Nunc concionem, dum sapientum concio,
Et nominatim singulos hûc evoco,
Vobis meis danda opera erit sermonibus.
Mox audietis ipsos divinos viros,
Ut arbitrata omnis verè est antiqvitas.
Sed hi viri divini si peccaverint
Personâ positâ flagris cædentur probè:
Sin dignitatem acceptam custodiêrint,
Vinô cibisqve laudis atqve laudibus
Affecti, discedent probatiqve omnibus.

III. SOLON † PRIMUS.

Nunc heus tu qvi istic cogitabundus tuum
Labrum videre velle circumrodere,
Ne sit nihil tibi posteà oris, huc ades.
Et qvid velis mox dicito, & qvid afferas.
Nam qvos hic cernis, non gaudent inanibus.
Hic ille magnus, spectatores, est Solon,
Qvi jactitavit in aulis, in conclavibus,
In angiportis, via, agro, ubiqve gentium,
Illud suum * τέλος μακροῦ ὁρᾶν βίου.
Assiste dum socios una hic statuo tuos.

* *Finem longa videre vitæ*

IV. THALES, †† [illegible]

Ubi est Thales? Hic est Thales Milesius,

Qvi

† Hoc de Solone tradit Philocles Tragicus (qvo de dictum à nobis in notis ad lib. I. Casauboni, c. V. de Satyrica Poësi) filium eum fuisse Phocionis, qvod è Didymi Grammatici τῇ περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην refert Plutarch. in Solone, princip. p. m. 78. Peculiari tamen librô de Solone eum egisse, adfirmare nolim.

†† Hoc de Thalete ita Pausanias in Atticis, p. m. 26. Θαλῆς δὲ, ὁ Λακεδαιμονίοις τὴν νόσον παύσας, οὔτε ἄλλως προσήκων, οὔτε πόλεως ἦν Ἐπιμενίδῃ τῆς αὐτῆς. ἀλλ᾽ ὁ μὲν Κνώσσιος, Θάλητα δὲ εἶναί φησι Γορτύνιον Πολύμναστος Κολοφώνιος. *Thales verò qui Lacedæmoniis morbum sedavit, neque aliàs Epimenidem contingebat, neque etiam ex eâdem urbe erat. nam hic quidem Gnossius erat: at Thaletem, Polymnastus Colophonius Gortynium dicit.* Ubi observa, pestem eum Lacedæmone sedâsse. Meminit ejus etiam Sextus Empiricus, Adversus Mathematicos, lib. II. Ὁ δὲ Σπαρτιάτης Λυκοῦργος, ὡς ἂν ζηλωτὴς Θάλητος τοῦ

Κρητὸς

Qvi principatum esse voluit dudum suum,
Et anteponi legum scriptori Attico.

Nam

Κρητὸς γενόμενος, τὸν αὐτὸν τοῖς Σπαρτιάταις νόμον εἰσηγήσατο. *Lycurgus verò Spartanus, tanqvàm æmulator Thaletis Cretensis, eamdem legem Spartanis introduxit.* Hic ipse est intelligendus apud Diogenem Laërtium; qvem is, qvanqvàm patriæ omissô nomine, tertium in ordine eorum ponit, qvi Thaletis olim nomen habuerunt; coætaneum Hesiodi, & Homeri, & Lycurgi. Verba ejus ita habent, in Thalete, lib. I. c. XXXVIII. Τρίτος, (Θαλῆς,) ἀρχαῖος πάνυ, κατὰ Ἡσίοδον, καὶ Ὅμηρον, καὶ Λυκοῦργον. *Tertius, (Thales,) antiqvus admodùm, Hesiodi, Homeri, & Lycurgi tempore.* Scripsit autem rhythmis, qvos vocabant Creticos, pæanas, carminaqve in hac ipsa regione usitata; tum eidem multa etiam instituta tribuuntur. Strabo, lib. X. Ὥς δ' αὔτως καὶ τοῖς ῥυθμοῖς Κρητικοῖς χρῆσθαι, κατὰ τὰς ᾠδὰς συντονωτάτοις οὖσιν, οὓς Θάλητα ἀνευρεῖν· ᾧ καὶ τοὺς παιᾶνας, καὶ τὰς ἄλλας τὰς ἐπιχωρίους ᾠδὰς ἀνατιθέασι, καὶ πολλὰ τῶν νομίμων. *Ita quoque rhythmis Creticis uti, qui in carminibus contentissimi essent, quosqve Thales invenisset: cui etiam pæanes, aliáqve ejus regionis carmina, tum & multa instituta, tribuuntur.* Et paulò post. Ἀπῆρεν (ὁ Λυκοῦργος) εἰς Κρήτην. ταύτην μὲν δὴ λέγεσθαι τῆς ἀποδημίας αἰτίαν. ἐλθόντα δὲ, πλησιάσαι Θάλητι, μελοποιῷ ἀνδρὶ, καὶ νομοθετικῷ. *Discessit (Lycurgus) in Cretam. atqve hanc quidem peregrinationis caussam dici: cùm autem illuc venisset, ad Thaletem se adjunxisse, virum qui & carmina & leges conderet.* Qvalia verò ista ejus carmina fuerint, licet discere ex Plutarcho: qvi de illis ita scribit, in Lycurgo. p.m. 41. D. Λόγοι γὰρ ἦσαν αἱ ᾠδαὶ πρὸς εὐπείθειαν, καὶ ὁμόνοιαν. ἀνακλητικοὶ, διὰ μελῶν ἅμα καὶ ῥυθμῶν, πολὺ τὸ κόσμιον ἐχόντων, καὶ καταστατικόν· ὧν ἀκροώμενοι κατεπραΰνοντο λεληθότως τὰ ἤθη, καὶ συνῳκειοῦντο τῷ ζήλῳ τῶν καλῶν ἐκ τῆς ἐπιχωριαζούσης τότε πρὸς ἀλλήλους κακοθυμίας. ὥστε τρόπον τινὰ τῷ Λυκούργῳ προοδοποιεῖν τὴν παίδευσιν αὐτῶν ἐκεῖνον. *Carmina ejus erant sermones, qui ad obseqvium, & concordiam, revocarent, modis pariter & numeris, in quibus multa erat gravitas, & delinimentum: quibus auditores sensim reddebantur placidiores, coalescebantqve inter se ex æmulatione honesti concordiâ, exuentes grassantem tunc illic intestinam discordiam. ita ut quodammodo Lycurgo viam præmuniverit ad instituendos eos.* Aliis *Thaletas*, dicitur; & secundæ Musices constitutionis auctor. Plutarchus, lib. De Musica. p. m. 1134. B. Ἡ μὲν οὖν πρώτη κατάστασις τῶν περὶ τὴν μουσικὴν ἐν τῇ Σπάρτῃ, Τερπάνδρου καταστήσαντος γεγένηται· τῆς δευτέρας δὲ, Θαλήτας ὁ Γορτύνιος, καὶ Ξενόδαμος ὁ Κυθήριος, καὶ Ξενόκριτος ὁ Λοκρὸς, καὶ Πολύμνηστος ὁ Κολοφώνιος, καὶ Σακάδας ὁ Ἀργεῖος, μάλιστα αἰτίαν ἔχουσιν ἡγεμόνες γενέσθαι. *Ac prima quidem Musica constitutio Spartæ facta est à Terpandro: secundæ auctores hi potissimùm memorantur; Thaletas Gortynius, Xenodamus Cytherius, Xenocritus Locrensis, Polymnastus Colophonius, & Sacadas Argivus.* De pæanibus, qvos adscribit ei Strabo, in citatis antè verbis, mox subjungit. Ἦσαν δὲ οἱ περὶ Θαλήταντι καὶ Ξενόδαμον, καὶ Ξενόκριτον, ποιηταὶ παιάνων. *Erant verò Thaletas, Xenodamus, & Xenocritus, pæanum scriptores.* Paullo post, in dubium vocatum tradit, an pæanes ipse scripserit. Καὶ περὶ Θαλήτα δὲ τοῦ Κρητὸς, εἰ παιάνων γεγένηται ποιητὴς, ἀμφισβητεῖται. Γλαῦκος γὰρ, μετ' Ἀρχίλοχον φάσκων γεγενῆσθαι Θαλήταν, μεμιμῆσθαι μὲν αὐτόν φησι τὰ Ἀρχιλόχου μέλη, ἐπὶ δὲ τὸ μακρότερον ἐκτεῖναι, καὶ Μάρωνα, καὶ Κρητικὸν ῥυθμὸν, εἰς τὴν μελοποιΐαν θεῖναι. *At verò de Thaleta Cretense, an pæanas ipse scripserit, dubitatur, Nam Glaucus, qui Thaletam post Archi-*

Nam siderum hic & leges novit ætheris.
Hic multum dixit breviter, omnes id sciunt
Qvi non obediisse post factum dolent.
† Ἐγγύα πάρα δ' ἄτα. falsum est? nemo ait.

† *Sponde, prope est damnum.*

V. CHILON, III.

Lacon adesto cum Scytala Laconica.
Chilona, Spectatores, hunc Sparte tulit.
Hujus * γνῶθι illud σεαυτὸν verbum est nobile,

Qvod

lochum fuisse dicit, carmina Archilochi eum imitatum quidem ait, sed prolixiùs extendisse. & Maronem, ac rhythmum Creticum. versibus inseruisse. Qvidam tradunt, cantilenas etiam composuisse, qvæ saltationi pyrrichæ accinerentur. Schol. Pindari. Pythionic. Od. II. Ἔνιοι δέ φασι, πρῶτον Κούρητας τὴν ἔνοπλον ὀρχήσασθαι ὄρχησιν, αὖθις δὲ Πύῤῥιχον Κρῆτα συντάξασθαι· Θάλητα δὲ πρῶτον τὰ εἰς αὐτὴν ὑπορχήματα. *Qvidam autem dicunt. primos armatam saltationem saltâsse Curetas; rursum verò, Pyrrichum Cretensem: ac Thaletem primum cantilenas composuisse qvæ saltantibus accinerentur.* Qvod sedatam ab eo pestem, ex Pausania memoravi, id per musicam factum esse, ex Apollinis oraculo, refert etiam Plutarchus, in ejusdem libri fine. Καὶ Θαλήταν τὸν Κρῆτα, ὅν φασι κατά τι πυθόχρηστον Λακεδαιμονίοις παραγενόμενον, διὰ μουσικῆς ἰάσασθαι, ἀπαλλάξαι τε τοῦ κατασχόντος λοιμοῦ τὴν Σπάρτην, καθάπερ φησὶ Πρατίνας. *Et Thaletam Cretensem, qvem, Apollinis Pythii oraculô accitum à Lacedæmoniis, musicâ pestem tum grassantem Spartæ, sedâsse Pratinas refert.* Elogium illi, non exiguum, tribuit idem, in Lycurgo. p. m. 41. C. Πρῶτον μὲν εἰς Κρήτην ἀφίκετο, καὶ τὰς αὐτόθι πολιτείας καταμαθὼν, καὶ συγγενόμενος τοῖς πρωτεύουσι κατὰ δόξαν ἀνδράσι, τοὺς μὲν ἐζήλωσε καὶ παρέλαβε τῶν νόμων, οὓς οἴκαδε μετοίσων, καὶ χρησόμενος, ἐστὶ δ' ὧν κατεφρόνησεν. ἕνα δὲ τῶν νομιζομένων ἐκεῖ σοφῶν καὶ πολιτικῶν, χάριτι καὶ φιλίᾳ πείσας, ἀπέστειλεν εἰς τὴν Σπάρτην, Θαλήταν, ποιητὴν μὲν δοκοῦντα λυρικῶν μελῶν, καὶ πρόσχημα τὴν τέχνην ταύτην πεποιημένον, ἔργῳ δὲ, ἅπερ οἱ κράτιστοι τῶν νομοθετῶν διαπραττόμενον. *Primùm qvidem in Cretam abiit, cognitisqve resp. institutis, ac virorum dignitate eminentium consvetudine illic usus, legesqvasdam & probavit, & accepit, tanqvàm domum translaturus, & usurus quoque iis, qvasdam verò insuper habuit. Unum autem inter istos, qvi excellere sapientiâ, ac civilium rerum peritiâ, putabantur, Thaletam nomine, gratiâ & amicitiâ persvasum, Spartam misit, poëtam qvidem lyricorum carminum existimatum, & hanc artem prætexentem, sed re ipsâ efficientem, qvæ legislatores præstantissimi solent.* Errat Suidas, qvi Thaletas duos facit; unum Elyrium, poëtam lyricum: alterum Cnossium, rhapsodum, qvi poëmata qvædam fabulosa scripserit. Θαλήτας, Κρὴς, Ἐλύριος, (ita enim emendandum monet Meursius. lib. I. Cretæ. c. IX. extr.) λυρικὸς, γεγονὼς πρὸ Ὁμήρου. μέλη. Θαλήτας, Κνώσσιος, ῥαψῳδὸς. ποιήματά τινα μυθικά. *Thaletas, Cretensis, Elyrius, lyricus, Homerô antiqvior. Scripsit Carmina. Thaletas, Cnossius, rhapsodus: poëmata qvædam fabulosa.* Hæc dictus Joann. Meursius in Creta lib. IV. c. XII. p. m. 242.

* *Nosce teipsum*] Tria ejus dicta Delphis in Apollinis templo fuisse, testatur Plinius in VII. c. XXXII. *Nôsse se qvemqve*

Qvod poste qvondam est consecratum Delphicô.

VI. BIAS,

que, & nibil nimium cupere: Comitemque aris alieni atque litis esse miseriam. Mediam sententiam Chiloni qvoqve tribuunt Pindarus qvidem & Critias: Sisypho Theophrastus: qvidam Thaletj. Sodamo vetustum hoc distichon, ταῦτ' ἔλεγε Σώδαμος Ἐπηράτου: ὅς μ' ἀνέθηκεν, Μηδὲν ἄγαν· καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά. Varro apud Nonium in dictione Medioximum, *Quid aliud est quod Delphica canat columna literis suis, μηδὲν ἄγαν, quàm nos facere mortalium modum medioxume, ut quondam patres nostri loquebantur?* Plautus in Pœnulo, I. II. 29. 30.

Modus omnibus in rebus soror optimu'st habitus:
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.

Dalecamp. in h. l. Vide Casaub. in PersI Sat. III. p. m. 275. edit. opt. Londinens. M DC XLVII. in 8t. & Erasm. in incomparabili. Adagior. Opere, p. m. 507. b. edit. Francof. M DC XLVI. Adjicio de Cognitione sui locùm è Cicerone dignum hic adscribi è I. Tusculan. QQ. c. XXII. *Est quidem illud vel maximum, animô ipsô animum videre: & nimirum hanc habet vim praceptum Apollinis, quô monet, ut se quisque noscat. non enim, credo, id pracipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico, cùm igitur, nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. ab animo tuo quidqvid agitur, id agitur à te. hunc igitur nôsse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praceptum, sic, ut tributum deo sit. hoc est, se ipsum posse cognoscere.* Nimirum, hanc vocem, *Nosce te ipsum*, principium & consummationem sapientiæ continere jure dixeris. Simplicius: τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ τοῦ θεοῦ παράγγελμα καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας καὶ εὐζωίας. Inter Stoicos autem & ceteros philosophos conveniebat, ex cognitione nostri eliciendum esse finem illum cujus notitiam tantoperè omnes qvidem, sed tamen Stoici maximè commendabant. Cicero in v. de finibus, c. XV. *Si simul atque ortus esset se quisque cognosceret, judicaréque posset qua vis & totius esset natura & partium singularum, continuò videret quid esset hoc quod quarimus, omnium rerum quas expetimus summum & ultimum, nec ulla in re peccare posset.* Librô autem IV. inter ea, de qvibus conveniebat Stoicis & Academicis hæc ponit Cicero, c. X. *Sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oporteat esse, servemus. Sumus igitur* HOMINES; *ex animo constamus & corpore; qua sunt cujusdammodi; nósque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, hac diligere, constituereque ex his finem illum summi boni, atque ultimi.* Ex eodem fonte etiam, officiorum notitiam derivandam Stoici docebant. Seneca, epistolâ XCV. *Quando omnia qua prastanda sunt ac vitanda dicam, cùm possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quô divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem & in eadem gigneret. Hac nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa aequum justumque composuit: Ex illius constitutione miserius est nocere quàm lædi, & illius imperiô parata sunt ad juvandum manus. Iste versus, & in pectore & in ore sit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Habes in secunda Dissertationum Arriani caput eximium, qvô docetur qvomodo invenienda sint officia ex ipsis nominibus: Σκέψαι τίς εἶ. inqvit, τὸ πρῶτον ΑΝΘΡΩΠΟΣ, τοῦτο δ' ἔστιν οὐδὲν ἔχων κυριώτερον προαιρέσεως· ἀλλὰ ταύτῃ τὰ ἄλλα ὑποτεταγμένα. (*Reputa quis sis. Homo utique; hoc primum. hominem*

VI. BIAS, IV.

Maneto tu. Tu accedito huc Ionice
Cum codice, hic caussas oravit optimè.

Bias

minem autem cùm dicis, illud dicis, cui nihil magis proprium, vel eximium, qv àm jus arbitrii proprii. cui reliqva subjecta sunt.) Studiosi cetera legant: pulcherrima enim sunt. Jam verò cùm in dubio sit, præstantiane major sit hominis an vanitas, prorsus necessaria ad benè instituendam vitam, utriusqve accurata cognitio & adsidua meditatio. Eò igitur Stojci sæpè nos vocant: unum alterúmqve locum subjiciam ut studiosis præeam ad similium observationem diligentem. Qvid ergo est homo? Platoni φυτὸν est οὐράνιον οὐκ ἔγγειον. ὃ τῶν κτημάτων τοῦ Θεοῦ. *(planta cælestis, non terrena: Dei peculium.)* sic enim ait in Phædro: sed nos porticum Stoicorum ne emigremus. Stoicorum est illud scitum: τὸν ἄνθρωπον οὐσιῶσθαι κατὰ τὴν λογικὴν ζωὴν, σώματι δὲ χρῆσθαι ὡς ὀργάνῳ: qvod multis locis illustrat Simplicius in Enchridium sapientissimi senis. Summa hæc: esse hominis, ídqve adeò omne per qvod homo censeatur, in animo & recta ratione situm esse: hanc esse illius essentiam, & illius τὸ πᾶν: corpus verò & cetera omnia, pro instrumentis vitæ istius habenda. Apud Arrianum, librò 11. in hunc modum disserit Epictetus. Omnia qvidem animantium genera Dei esse opera: sed unum hominem opus illius esse præcipuum, & cujus gratiâ cetera sint creata. illa Deum intra se non habere, hominem divinæ naturæ particulam esse: & intra se illum circumferre. non debere igitur suæ nobilitatis oblivisci: sed qvicqvid dicat, faciatve, meminisse, Deum præsentem esse: non illum ex auro vel argento, qvem fortè gestabit: sed qvem intus atqve in animo suo qvisqve hominum circumfert. pessimè vero illos sibi consulere, qvi impuris cogitationibus, & actionibus sordidis illum polluant. hæc ita ille: οὐκ ἔστι θεῶν ἔργα καὶ τὰ ἄλογα; ἔστιν. ἀλλ' οὐ προηγούμενα, οὐδὲ μέρη θεῶν. σὺ δὲ προηγούμενον εἶ. σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ· ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου· τί οὖν ἀγνοεῖς σου τὴν συγγένειαν; τί οὐκ οἶδας πόθεν ἐλήλυθας; οὐ θέλεις μεμνῆσθαι ὅταν ἐσθίῃς, τίς ὢν ἐσθίεις; καὶ τίνα τρέφεις; ὅταν συνουσίᾳ χρῇ τίς ὢν χρῇ; ὅταν ὁμιλίᾳ; ὅταν γυμνάζῃ; ὅταν διαλέγῃ; οὐκ οἶδας ὅτι θεὸν τρέφεις; θεὸν γυμνάζεις; θεὸν περιφέρεις, τάλας, ἀγνοεῖς, δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν; ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτὸν, καὶ μολύνων οὐκ αἰσθάνῃ, ἀκαθάρτοις μὲν διανοήμασι, ῥυπαραῖς δὲ πράξεσι. dextrè accipe, qvod naturæ divinæ partem in homine vult esse: qvem errorem Stoici errârunt cum plerisqve veterum sapientum: cetera qvàm divina? Sed rursus, *Qvid est homo?* Senecæ verba sunt ad Marciam, c. XI. *imbecillum corpus, & fragile, nudum, suâpte naturâ inerme aliena opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* sed apud ipsum cetera legantur: est enim locus prolixior: cui & alii multorum scriptorum pulcherrimi possent adjungi, nisi brevitati esset consulendum. Spectat eodem sapientissimi Marci præceptum hoc: Cogita, inqvit, continuò universum ævum, & universam rerum naturam: ac memento partes singulas (in his homo est,) ad istam esse, ut unum è ficus granis: ad illud, ut terebræ conversionem, τοῦ ὅλου αἰῶνος καὶ τῆς ὅλης οὐσίας συνεχῶς φαντασία· καὶ ὅτι πάντα τὰ κατὰ μέρος, ὡς μὲν πρὸς οὐσίαν κεγχραμίς. ὡς δὲ πρὸς χρόνον τρυπάνου περιστροφή. de corporis

Bias Prienarum ortus orbe in Ionia.
Verbum hujus est qvod dixit, † οἱ πλεῦνες κακοί. † *Plures sunt mali.*

VII. PITTACUS, V.

Sta jam illicò. Heus tu Mytilenæ qvid ades
Cum scipione, apta senectæ lancea.
Hic illud verbum protulit pulcherrimum
Qvod & Terentio †† placuit, * μηδὲν ἄγαν. * *Ne quid nimis.*

VIII.

poris ac naturæ humanæ fragilitate verè ista: qvid dicemus, si depravationem animi spectemus? hoc nempe qvod Chrysostomus: *μάθωμεν*, ait, *τίνες ἐσμὲν, καὶ ἀρκεῖ τοῦτο εἰς ταπεινοφροσύνης ὑπόθεσιν. discamus qui sumus, & sufficiet id ad humilitatis rudimentum.*) & est ita omnino: neqve fieri potest, ut superbia vel arrogantia tumeat, cui fuerit aliqvando curæ, hoc seriò cogitare, QUID SUMUS. Cum fructu hæc & similia his qvæ solius naturæ ductum secuti, scriptores οἱ ἔξωθεν ἀπεφθέγξαντο, (*profani pronuntiârunt:*) contulerint studiosi cum iis qvæ meliori luce inlustrati patres facundissimè disputant: Joannes præsertim Chrysostomus, & Magnus Basilius cùm alibi, tum integris aliqvot in Sex dierum opus homiliis. Cetera ejus Apophthegmata sic exposuit Joannes Stobæus, Serm. XXVIII.

Πίνων μὴ πολλὰ λάλει, ἁμαρτήσεις γάρ.
Inter pocula ne multum loqvere delinqves enim.

Μὴ κακολόγει τοὺς πλησίον, εἰ δὲ μὴ, ἀκούσῃ ἐφ' οἷς λυπηθήσῃ. Ne sis maledicus in proximos, sin minus, audies qva tibi molesta erunt. Ἐπὶ τὰ δεῖπνα τῶν φίλων βραδέως πορεύου, ἐπὶ ἀτυχίας ταχέως. Ad convivia amicorum tardus eas, ad calamitates autem citò.

Ἡ γλῶσσά σου μὴ προτρεχέτω τοῦ νοῦ.
Fac ne lingva tibi mentem præcurrat.
Ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον, ἢ κέρδος αἰσχρόν.
Damnum potiùs elige qvàm turpe lucrum.
Ἐν ὁδῷ μὴ σπεῦδε προάγειν, μηδὲ τὴν χεῖρα κινεῖν, μανικὸν γάρ. In via non acceleres pergendo, neqve manum moveas, insanientis enim indicium est. Tria ejus, qvæ difficilia dixit esse, commemorat Laërtius, in I. c. LXIX. primum qvidem *ἀπόρρητα σιωπῆσαι, arcana reticere,* alterum *σχολὴν εὖ διαθέσθαι otium rectè disponere,* tertium *ἀδικούμενον δύνασθαι φέρειν, injurias tolerare posse.* Nomen accepisse videtur ἀπὸ τῶν χειλῶν, ut *Labeones*, & *Labieni* apud Romanos à labris, & labiis. Lucretius nominat *Labiosos*, in IV. v. 1162. Sosipater Charisius, lib. I. col. 78. CILONES, inqvit, *dicuntur, quorum capita oblonga & compressa sunt: CHILONES autem cum aspiratione ex Græca à labris improbioribus, qvæ illi χείλη. Unde CHILONES improbiùs labrati.* Qvæ procul dubio Velius Longus respexit, cùm in de Orthographia, col. 2234. scriberet. *Item alium esse* CILONEM, *alium* CHILONEM [subaudi, voluerunt Grammatici] *&* CILONES *homines vocari angusti capitis & oblongi:* CHILONES *verò improbioribus labris homines, à Græco, παρὰ τὰ χείλη. Improbiora labra* sunt majora: *improbiùs labrati*, plus qvàm decet labrati: *Improbum* enim, qvod modum excedit. De CILONIBUS & CHILONIBUS paria Festus.

†† In Andr. I. I. 34.

VIII. CLEOBULUS. VI.

Cleobule cessas? adveni huc ænigmatum
Poëta. Sed hic planè qvid velis tibi?
Nos non sumus Oedipi *a ἄριστον* hujus est *μέτρον*.

a Modus est optimus.

IX. PERIANDER. VII.

Adsiste tu cum sceptro coram hic septimus.
Qvid indignare qvassabundis gressibus?
Te regulum omnium ultimum excitarier:
Sapientia nunc spectatur non potentia.
Hic cùm uxorem ipse necâsset iratus suam,
Tum sic cœpit monere alios, *b ὀργῆς κρατεῖν*.
Valete, ego abeo. Nunc vos isthinc singuli
Dehinc singulatim singulas sententias
Ut vultis utqve jussi estis, proponite,
Egressi paulum qviqve suô in medium huc locô.

b Ira dominari.

X. SOLON ATHENIENSIS.

Mihi principatum primum tribuit patria.
Deinde legum scita sanctarum optima,
Tum, si qvis hoc magni qvoqve facit, qvod duos
Instruxerim reges, conservârim alterum.
Nam nota certè est Lydia vobis fabula.
Itaqve in prôscenium princeps hoc prodeo,
Solon Athenis natus, altusqve Atticis,
Communicaturus sapientiam meam
Humanitate cum vestra, optimi viri.
Nam nullus occultarum est usus artium.
Sed * optimarum legum præcepta optima
Memorare longum, & fortè supervacaneum.
Erga illa mitto, & monita doctrinæ exseqvar,
Meoque animo qvæ placuerunt, sententias,
Ut Atticam perspiciatis sapientiam.
† Diem ante suum, beatum dicas neminem.

Par

* *Optimarum legum*] Vide de Solonis legibus Justin. II. VII. 4. Diogen. Laërt. I. c. XLV. Obert. Giphanium, Philosophum & JCtum Clariss. Commentár. in c. X. lib. II. Politic. Aristotel. p. m. 281. s. D. Joh. Marshamum Anglum, Eqvitem Auratum in Canone Chronico, p. m. 646. edit. Lipsiens. MDCLXXVI. in 4to.

† *Diem ante suum*] Nôrat superbum

&

Par jungito pari, æqvalitas res optima eſt.
Caſtiga clanculum amicum, laudato palam.
Non naſci ſed re fieri laus eſt nobilem.
Stultum dolere damnis eſt fatalibus,
Sed rebus in * dubiis timere ſtultius.

Nulli

& ventoſum genus hominum, qvod rupturam metuit niſi cum Atreo in hanc mundi ſcenam prodeat & reſupinum dicat:

En impero Argis. regna mihi liqvit Pelops
Qva ponto ab Helles atqve ab Ionio mari
Urgetur Iſthmos

Certè talem in *Craſo* invenerat, divitiis ſuis nimium ſuperbiente. Hos igitur ſapiente cachinnô refutans, Exceſſus, inqvit, veſter teſtabitur, qvàm beati ſitis? Tu Cræſe, etſi per magna camporum ſpatia porrigas exercitum & divitias tuas, Pactolus aurum vehat, nunqvàm adhuc lugubria ſumſeris, perpetuitatem & conſtantiam fortunæ ne tibi promittas. Segetem nimia ſternit ubertas: rami onere franguntur. Idem tibi accidet, & mox apparebit, unam vel alteram horam interfuiſſe inter ſceptrum tuum & hoſtis tui genua. Hanc puto mentem Solonis fuiſſe, atqve eadem ſemper fuit omnium ſapientum. *Seneca*, de provid. c. VI. *Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas: Cruſta eſt & qvidem tenuis.* Idem hoc illuſtrans exemplis, epiſt. IV. *De Pompeji capite pupillus & ſpado tulêre ſententiam: de Craſſo crudelis & inſolens Parthus. Cajus Cæſar juſſit Lepidum Decimo Tribuno præbere cervicem; ipſe Charea præſtitit.*

* *Dubiis*] Facit huc Senecæ Ep. XXIV. initium: *Solicitum te eſſe ſcribis de judicii eventu, qvod tibi furor inimici denuntiat, & exiſtimas me ſvaſurum ut meliora tibi ipſi proponas, & acqvieſcas ſpei blandæ. Qvid enim neceſſe eſt mala arceſſere, & ſatis citò patienda cùm venerint, præſumere, ac præſens tempus futuri metu perdere? Eſt ſine dubio ſtultum, qvia qvandoqve ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum: ſed ego aliâ te ad ſecuritatem viâ ducam. Si vis omnem ſolicitudinem exuere, qvidqvid vereris ne eveniat, eventurum utiqve propone: & qvodcumqve illud eſt malum, tecum ipſe metire, ac timorem tuum taxa. intelliges profectò, aut non magnum, aut non longum eſſe, qvod metuis.* Adde ejus Ep. XIII. Ubi ita Romanus ſapiens *Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus: cùm illa qvæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunqvàm ventura ſint, certè nondum venerint. Qvædam ergo nos magis torqvent, qvàm debeant: qvædam ante torqvent, qvàm debeant: qvædam torqvent, cùm omnino non debeant. Videbimus quid futurum ſit. hodie nihil negotii habet. At enim futurum eſt. Primum diſpice, an certa argumenta ſint venturi mali. plerumqve enim ſuſpicionibus laboramus, & illudit nobis illa, qvæ conficere bellum ſolet, fama: multo autem magis ſingulos conficit. Ita eſt, mi Lucili. citò accedimus opinioni: non coarguimus illa, qvæ nos in metum adducunt: nec excutimus, ſed trepidamus: & ſic vertimus terga, qvemadmodum illi, qvos pulvis motus fugâ pecorum, exuit caſtris, aut qvos aliqva fabula ſine auctore ſparſa conterruit. Neſcio qvomodo magis vana perturbant. vera enim modum ſuum habent: qvidqvid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Nulli itaqve tam pernicioſi, tam irrevocabiles qvàm lymphatici metus ſunt. ceteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt. Inqviramus itaqve in rem diligenter. Veriſimile eſt, aliqvid futurum mali? non ſtatim verum eſt. Qvàm multa non exſpectata venerunt, qvàm multa exſpectata nunqvàm*

Nulli fac habeas † temere in ulla re fidem.

Men-

comparuerunt? Etiam si futurum est, quid juvat dolori suo occurrere? satis citò dolebis, cùm venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? tempus. Multa intervenient, quibus vicinum periculum vel prope admotum, aut subsistat, aut desinat, aut in alienum caput transeat. Incendium ad fugam patuit: quosdam molliter ruina deposuit: aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est: aliquis carnifici suo superstes fuit. Habet etiam mala fortuna levitatem. fortasse erit, fortasse non erit: interim dum non est, meliora propone. Nonnunquam nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid pronuncient, animus sibi falsas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ significationis detorquet in pejus, aut majorem sibi offensam proponit alicujus quàm est, & cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. Nulla autem caussa vitæ est, nullus miseriarum modus, si timetur quantum potest. Hic prudentia prosit, hic robore animi evidentem quoque metum respue: si minus, vitiò vitium repelle, spe metum tempera. Nihil tàm certum est ex his quæ timentur, ut non certius sit, & formidata subsidere, & sperata decipere. Ergo & spem ac metum examina: & quoties incerta erunt omnia, tibi fave, crede quod mavis. si plures habebis sententias metus, nihilominus in hanc partem potiùs inclina, & perturbare te desine. Ac subinde hoc in animo volve, majorem partem mortalium, cùm illi nec sit quidquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi, cum cœperit impelli, nec timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit, Vanus auctor est, vanus: aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expavescimus dubia pro certis, non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus.

† *Temerè habeas*] Unde vulgò: *Commune munimentum bonum omnibus & salutare diffidentia est.* Demosthenis est, κοινὸν φυλακτήριον, πᾶσι μὲν ἀγαθὸν, ϗ σωτήριον, ἀπιστία· Euripides in Helena: Σώφρονος δ' ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς. *Prudente diffidentiâ utilius* (malè enim apud Erasm. in Adag. p. m. 179. b. redditum est *Difficilius*) *nihil est mortalibus.* Cicero de Petit. Consulat. c. X. *Fraudis atque insidiarum, & perfidiæ plena sunt omnia. Summa tua virtus eosdem homines & simulare tibi se esse amicos, & invidere coëgit. Quamobrem* Ἐπιχάρμειον *illud teneto, nervos atque artus esse sapientiæ non temerè credere.* Quamqvam & hoc Senecæ in III. Ep. probandum sit: *Quidam quæ tantùm amicis committenda sunt, obviis narrant, & in quaslibet aures, quidquid illos urit, exonerant: quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, &, si possent, ne sibi quidem credituri, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est. utrumque enim vitium est, & omnibus credere, & nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius.* Idem, II. de Ira, c. XXIII. extr. ait: *Plurimum mali credulitas facit. Sæpe ne audiendum quidem est: quoniam in quibusdam rebus satius est decipi, quàm diffidere.* Notum est illud Hesiodeum in ἔργ. v. 370. πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς ϗ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας. *Ipsa fides homines, & diffidentia perdit;* nempe cùm sine modo. Adsentit Phædr. III. Fab. XI. 1. *Periculosum est credere, & non credere.* & v. 51.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim

Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes:

Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Circum-

Mentiri * qvisqvis audet, audet omnia.
Vita improborum semper consvetudinem.
Latere numen posse nil speres Dei.
Contra Deum loqvi, misera res & mala est.
Nemo nocebit illi qvem tegit Deus.
Sed nunc apophthegma, usus qvô sum maximè,
Dictum breve & rotundum, paullò spissiùs
Lingvæ sonô peregrinæ vobis exprimam,
Qvod dudum verbis præco Græcis protulit:
Durantis ævi terminum considera.
Dixi, Valete, & monita facite sedulo.

XI. THALES † MILESIUS.

ADSUM Mileti genitus urbe nobili,

Sapien-

Circumspectione itaqve opus ut neqve declinetur ad plus, neqve ad minus, ne fidem habendo & credendo nimis rem amittamus; sicut ait Theognis, se credulitate opes perdidisse, diffidendo autem conservâsse, qvi versus 825. huc facit egregiè.

Πίςει Χρήματ᾽ ὤλεσα, ἀπιςίῃ δ᾽ ἐσάωσα·

Venit in mentem, qvod Plancus Ciceroni, X. Famil. Ep. XXIII. scribit: *Credulitas error est magis qvàm culpa, & qvidem in optimi cujusqve mentem facillimè irrepit.* Vide & Erasmum in Incomparabili Adagiorum opere, Titulò *Diffidentia*, p. m. 179. s. edit. Francof. CIↃ.IↃC.XLVI. in fol. Tu memento veteris dicti: *Bonitatis verba imitari major malitia est.* Et illius: *Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus.* Non certiùs virus suum, qvàm in incautos, dolosi mittunt hi scorpii, qvibus unicum studium de cauda nocere, & de postumo corporis improvidos verberare. Cave. qvà vulnus figunt, virus ostendunt. In remediis plurima. mihi diffidentia præsidium. Vicit, qvi diffidit; qvi nec se, nec sua credidit.

* *Mentiri qvisqvis audet*] Prudentem atqve honestum virum nunqvàm puto debere mentiri, nunqvàm posse. Sanè mendacium omne liberô ac ingenuô indignum Romani putabant, servileqve vitium esse, nec cadere in generosum pectus posse, nec debere: qvòd antè vitam projiciet, qvàm illam mendaciô commaculet. O qvis mihi Deus largiatur omnes tales! qvàm vereor, ne de raritate sua audiant. procul, & de ultimis terrarum finibus pretium eorum. Illud verò qvàm fatuum in hac mentiendi licentia, nolle videri mentiri cùm palàm mentiaris? mentiri volumus, dici nolumus. erubescimus audire, facere pro decoro est. in opere gloria. in audito probrum est. nam & gloriamur de subdolè, per mendacium, hoste, aut etiam ejusdem contubernii socio, circumvento; & ridemus, qvòd se passus sit circumveniri. & simplex deinde audit, qvi mendaciô lusus est: audire non vult mendax, qvi dolô malô lusit. dicis? exsurgit in ensem, ut mendacium suum sangvine tuô lavet. Qvid orbe stolidius totô? gloriari de mendacio, & laudari etiam velle de æmulo per mendacium everso; nolle tamen audire magnum hoc verbum *Mendacium*, nolle audire, *Mentiris*.

† De hujus ætate, studiis, scriptis

Sapientiæ inter principes primus Thales.
Qvamqvàm Solon me hic gloriosus Atticus
Repressit, aut secundò huc exirem locô.
Sed adjuvat me omnis judicium Græciæ,
Qvæ si qvis scitè qvid faceret aut diceret,
Hominem meo de nomine vocavit Thalem.
Permulta possem de inventis loqvi meis.
Et commemorare qvæ præclarè gesserim.
Sed tempus hoc referendis in sententiis
Consumere utilibus malo vitæ, & bonis,
Qvas nunc deinceps percensebo singulas.
* Te maximè omnium omni in facinore metue.
Vita est caduca, gloria æternùm viget.
Adprimè in vita est utile, ut † ne qvid nimis.
* Non facta modò sed cogitata videt Deus.

Ne

& obitu multa congessit Cl. Salmas. in Exercitat. Plinian. p. m. 454. b. D. p. 462. b. E. F. p. 518. a. A. p. 592. a. C. E. G. & f. 593. a. D. b. E.

* *Te maximè omnium*] Polybius in Fragmentis. οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ συνεσις ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς. *Nullus neque testis tàm formidabilis, neque judex tàm gravis, qvàm conscientia, qvæ mentibus cujusqve insidet & inhabitat.* Pulchrè Seneca. Ep. XLIII. *Tunc felicem*, inqvit, *te esse judica, cùm poteris in publico vivere. cùm te parietes tui tegent, non abscondent: qvibus plerumqve circumdatos nobis judicamus, non ut tutiùs vivamus, sed ut peccemus occultiùs. Rem dicam, ex qva mores æstimes nostros, vix qvemqvam invenies, qvi possit apertô ostiô vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi sit, subito adspici. Qvid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresqve vitare? Bona conscientia turbam advocat. mala etiam in solitudine anxia atqve solicita est. Si honesta sunt, qvæ facis, omnes sciant: si turpia, qvid refert neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem.* Et in fine Ep. XCVII. *Illic dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit, nihil justum esse naturâ, & crimina vitanda esse, qvia vitari metus non possit. Hìc consentiàmus, mala facinora conscientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eò qvòd perpetua illam solicitudo urget ac verberat, qvod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, naturâ nos à scelere abhorrere, qvod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat pœnâ, metu neminem. Qvare? qvia infixa nobis ejus rei aversatio est, qvam natura damnavit. Ideo numqvam fides latendi fit etiam latentibus: qvia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium, trepidare. Malè de nobis actum erat, qvòd multa scelera legem & judicem effugiunt, & scripta supplicia: nisi illa naturalia [illegible]via de præsentibus solverent, & in [illegible] patientia timor cederet.*

† *Ne qvid nimis*] Rogatus aliqvando Socrates, auctore Laërtiô, lib. II. c. XXXII. Τίς ἀρετὴ νέου, *qvænam sit virtus juvenis?* Τὸ μηδὲν ἄγαν, εἶπεν· *Nihil nimis, inqvit.* Sanè nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

* *Non facta modò sed cogitata*] Memorat hoc de Thalete Maximus Valer. VII. II.

Ne forma, sed animus ut niteat, ftude tuus.
Se nôffe maximus eft mortalibus labor.
Qvæ facta carpis aliorum, ne feceris.
Patri qvod feceris, à natis fpera tuis.
Honore dignos femper afficito fenes.
Is qvi magiftratum colit, paret Deo.
Qvô verbô fum brevi & acutô ufus, plurimùm,
Memorem vobis, uti Solon dudum fuum,
Nifi memoràffem inter priùs fententias.
Sed aliud Græcâ mihi præco voce tribuit,
Id tale, fi Latinè audire vultis, eft:
DAMNOSA femper pro aliis oppofita eft fides.
Valete, & ftudia bonarum colito artium.
Neqve ornamentum his aliud majus ducite,
Neqve lucrum his aliud dicite luculentius.

XVI. CHILON LACEDÆMONIUS.

Non multa verba facere didici, fed magis
Probare rebus doctus fum fapientiam,
Patria hunc fuum morem Sparta indidit mihi.
Laudis cupido qvanta animo fuerit meo:
Cognofcite ex hoc, nati me jugulat decus
Cùm cernerem victoriam juvenis fenex,
Et debilem ingens gaudium animam excluderet,
Sed non tamen prudenter nulla ego monui,
Qvæ nunc exponere lubet, fi per vos licet.
Ne metuat me impotens, neu difpiciat potens.
Beneficii ftatim oblivifcaris dati.
Pofternit ardua, erigit humilia Deus.

Lin-

II. ext. 8. & eft planè Theologicum ac à S. Patribus Bafilio Magno, Ifidoro, lib. IV. Ep. XLVII. & CLI. S. Ambrofio, lib. I. Offic. c. XIV. item ab Imp. Leone & Alexandro Conftitut. de judicib. ibi: *feu forte nos effugerit; pervigilem tamen & infomnem oculum, cui nihil non, quamlibet occultum, effugere non poterit*; deniqve à *Prudentio* Hymnô II. extr. his verfibus prolatum,

Speculator adftat defuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque noftros profpicit
A luce prima in vefperum.
Hic teftis, hic eft arbiter,
Hic intuetur, quidquid eft.
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

Thaletis illud, ex Ethnicis præter alios etiam enunciat *Salluftius*, Orat. II. ad Cæfarem circa finem: *Namque mihi pro vero conftat, omnium mortalium vitam divinô Numine invifi: neque bonum, neque malum facinus cujufquam pro nihilo haberi, fed ex natura diverfa præmia bonos, malosque fequi.*

Lingva maledica ipsa aurem inprimis lædit suam.
† Vitâ maledicere functo facinus pessimum.
Aurum est coticula, animus aurô explorabilis,
Caveto semper ne lingva ante animum volet.
Occidit hominem fraudulenta calumnia.
Non lingva lingva est maledica, qvid ergo? gladius.
Nunc meum apophthegma Latinæ edam vocis sonô.
Ipse * intus te studeto & in cute noscere.
Valete. Factis exprimite sapientiam.
Frustra sapit qvi verbis, non rebus sapit.

XIII. BIAS PRIENENSIS.

Priene me tulêre Ionica civitas,
Eripere qvam mihi hostis vi potuit suâ.
Cumqve hac facultatum etiam qvicqvid habueram.
Sed qvod reconditum sapienti animo fuit,
Mecum †† omne deportavi, itaqve dives adeô
Remansi.

† *Vitâ maledicere functo*] Notum est illud, de mortuis & absentibus nil nisi benè. Sophocles in Ajace Flagell. v. 1366. *Non hunc* (mortuum) *sed divinas leges violas: neqve justum est, mortuum lædere virum præstantem, ne si qvidem ei infensus sis.* Lysias, Orat. XXXI. *Athenienses judicabant, strenuorum quidem virorum esse, viventes inimicos ulcisci: sibi verò diffidentium esse, in mortuorum corporibus suam magnanimitatem declarare velle.* Plato, lib. V. de Republ. *Annon illiberale quiddam cogitationisqve avaræ, muliebris ac vilis esse videtur, cadaver expoliare, hostemqve putare mortui corpus, cùm adversarius ipse ex evolârit, eô, quod pugnabat, relictô? num censes eos, qui hoc agunt, differre à canibus adversus jactos lapides irascentibus, eô, qui jacet, dimisso? nihil equidem differt.* Qvod repetit etiam Aristoteles, lib. III. Rhet. c. IV. Crato insuper apud Clementem Alexandrinum, lib. VI. Stomatum: *Terribile est hominibus, de mortuis hominibus se valdè jactare.* Et Philostratus in vita Æliani: *Mortuo insultare vel temerarii est, vel insani.* Virgilius, XI. Æneid. v. 104. *Nullum cum victis certamen & æthere cassis.* Qvibus addi possunt, qvæ Stobæus ex Euripide qvoqve, Archilocho, & Æschylo adducit. Sic enim Euripides apud illum: *Mors hominibus contentionum finem facit. Qvid enim inter mortales morte majus esse potest? qvis durum saxum hastâ vulnerans dolore afficiet? & qvis in mortuos contumeliosus dolorem ejus ciet, cùm nullam sentiant adfectionem?* Archilochus autem: *Non decet convitiis persequi defunctos.* Æschylus deniqve: *Injuriam illis* (mortuis) *inferre facile quidem factu est.* ——— *Verùm Nemesis superior nobis est, & ipsa justitia vindicat defunctum.*

* *Ipse intus*] *Tria*, inqvit Plinius in VII. c. XXXII. *præcepta Chilonis Delphis consecrando, aureis litteris, Mortales oraculorum societatem ei dedêre, quæ sunt hæc. Nôsse se quemque, & nihil nimium cupere, Comitemque æris alieni atque litis, esse miseriam. Quin & funus ejus, cùm victore filiô Olympia expirâsset gaudiô, tota Græcia prosequuta est.*

†† *Mecum omne deportavi.*] Hoc Biantis,

Remansi, ut impertire aliis sit copia,
Pulcerrimorum claras præceptorum opes.
Sed multi non curant, ac potiùs plurimi.
Nam qvis non ætatem stultus suam & improbus
Multò esse malit, aurô argentôqve affluens,
Qvàm vir sine illis optimus & doctissimus?
Hoc me malè, ut verum loqvar, profectò habet.
Itaqve hoc ego clamo, hoc ego semper prædico,
PLURES ubiqve reperiri semper malos.
Sed & has docui morum & vitæ sententias.
NIL conscientia optabilius est bonâ.
Maxima hominum pestis sunt ipsi homines sibi.
a Qvi nil cupit dis est, pauper cui nil satis.
Mens est, nocere nolle, cùm possis, bona,
Nocere velle, cùm neqveas, mens est mala.
Beneficiorum omnium autorem facito Deum.
Puer ad senectam artis *b* viaticum para.
Pudicitia *c* omnium est dos preciosissima.

antis, ut auctor est Maximus Valerius VII. II. ext. 3. dictum, Stilponi tribuit, consentiente Laertiô in II. c. CXV. Seneca, Ep. IX. *Stilpon captâ Patriâ, amissis liberis, amissâ uxore, cùm ex incendio publico solus & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, Numqvid perdidisset? Omnia, inqvit, bona mea mecum sunt.* *Ibidemqve* hujus dicti explicationem subjicit: *Omnia mea mecum sunt, Justitia, Virtus, Temperantia, Prudentia.* Hoc ipsum, *Nihil bonum* putare, *qvod eripi possit.* Et fusiùs in lib. de Constant. Sap. c. V. & VI. qvæ commentarii locô hic legisse non pœnitebit. Altera, qvam adfert Claudius Minos ad Alciati Emblema XXXVII. p. m. 157. s. intellexisse sive Biantem sive Stilponem, paupertatem ubiqve terrarum esse tutam & securam, de longinqvo admodùm huc tracta est. Huc verò pertinet sententia, C. Cottæ apud Sallust. in fragm. incert. lib. c. III. §. 2. *Qvirites, multa mihi pericula domi, militiæ multa adversa fuêre; quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis & virtute meâ: in queis omnibus, neqve animus negotio defuit, neqve decretis labos. Malæ secundæqve res opes non ingenium mihi mutabant.*

a *Qvi nil cupit*] Benè Senec. Thyeste, Actu II. v. 388.

Rex est, qvi metuit nihil,
Rex est, qvi cupiet nihil.

b *Ad Senectam artis*] Consentit I. Distich. XXVIII. Cato:

Qvùm tibi sint nati, nec opes, tunc artibus illos
Instrue, qvò possint inopem defendere vitam.

c *Pudicitia*] Apud Livium, I. c. LVIII. Lucretia sese jam confossura *Qvid*, inqvit, *salvi est mulieri amissâ pudicitiâ?* Ex Bacchylide Lyrico Poeta, qvem legebat jucundè, Julianus apud Ammianum, lib. XXV. c. IV. *Ut egregius pictor vultum speciosum effingit: ita pudicitia celsiùs consurgentem vitam exornat.* Videndus & Grotius, II. Jur. Belli & Pacis, c. XIX. §. V. 5. p. m. 344. edit. Hagens. M. DC. LXXX. in 8r.

Ne statue citò, verùm statuta perfice.
Sortis cave unqvàm admiratus sis munera.
Furtum scelestum mentis est, mendacium.
Tantum est, Valete, & virtutis colite bonum.

XIV. PITTACUS MYTILENÆUS.

Lesbô genitus huc Pittacus ad vos prodeo.
Cui Thraciam qvidam attribuêre patriam.
Qvid est in hoc verò discriminis obsecro?
Certè omnium est communis hominum natio.
Non barbarum natura, sed studium facit.
Et elegantes fiunt, nemo gignitur.
Emendavisse patriæ, laus est, dedecus.
Sed Pittacum seu Thrace, seu Lesbos, tulit.
Celebrant prolatæ, qvas dicam, sententiæ.
Tacere discat, ritè qvi loqvi cupit.
Multi improbent mali, unus dum probet bonus.
Si qvam tulisti legem, ne violes *d* cave.
e Bonum esse, res est difficilis & ardua.

Malis

d Ne violes] Legum observationem ad Legislatorem, Regem, Principem ac Magistratum pertinere: sicuti ad reliqvos item cives & subjectos, dubium non est. Cùm, si secundum legem vivere, est juxta rationem agere virtutemqve, & hoc ipsum Legislatori, Regi, Principi ac Magistratui congruit, iidem non seqvi legem non debeant, cùm eâdem neglectâ & rationis judicium & virtus deseratur. Neqve enim aliud est lex, qvàm recta ratio præscribens, qvæ agenda è virtute sint, prohibensqve contraria. Et hoc ipsum, qvod consiliis virtus docet monitisqve, lex jubendo ac vetando, vi adhibitâ, statuit. Qva de re nemo dubitat, qvandoqvidem nullus tam est à sensu abhorrens, qvin legem vivendi aliqvam latam patet à Legislatore, rege ac Principe servandam esse.

e Bonum esse] Qvandoqvidem *boni* adpellantur, in qvibus nihil mali, sive vitii, & ita consummata virtus inest, qvæ in justitia maximè posita: qvippe qvæ ceteras virtutes omnes ideo continet, qvòd ad aliorum commoda refert. unde & *ἀλλότριον ἀγαθὸν* adpellata. Ciceroneqve in V Tuscul. c. X. auctore, *omnibus virtutibus instructos & ornatos, cum sapientes, tum viros bonos* [illegible] vi cujus *boni* sunt, qvi vitæ integritatem tuentur perpetuò, nec cuiqvam sponte ac de industria nocent, qvin contra prodesse omnibus & cupiunt, & student, benefici, [illegible] ac sine fraude: perspicuum est, [illegible] *bonum* esse, tam ardua sit ac [illegible] res. Audiamus rursus Tu[illegible] III. Offic. c. XV. extr. *Si e*[illegible] *est is, qui prodest, quibus potest,* [illegible] *nemini, certè istum virum bonum non facilè reperiemus. Numqvam igitur est utile peccare, qvia semper est turpe; & qvia semper est honestum, virum bonum esse, semper est utile.* Item Senec. Ep. LXXVI. [illegible] *in quo vir bonus* [illegible] *in*

qv-

Malis cave invideas, derideas bonos.
Fortuna amicitias adversa examinat.
Ingenia maximè hominum *f*, honores indicant.
Prudentis est cavere malum, fortis pati.
Aptissima *g* omnium res, rerum occasio.

Rebus

quo vir bonus dicitur, paucissimi sedent. & hi plerisqve videntur nihil boni negotii habere, quod agant: inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus. Nimirum animus reqviritur, virtute informatus, qvi id agat, ut, qvod honestum & intelligitur & eligitur, constanter exseqvamur. Tantum enim is, qvi virtute præditus est, nullâ re sive adversâ, sive prosperâ, à viri boni officio discedit: illâ enim non frangi, hâc verò non insolescere solet. Unde virum bonum Latini in seipso teretem & rotundum, id est, æqvalem, ex sese aptum nexumqve esse dixerunt. Græci verò inlustri & venustâ metaphorâ τετράγωνον adpellârunt, hoc est, hominem ex sese firmum, pollentemqve suis viribus, & undiqvaqve adeò virtutis præsidiô fultum, & qvasi fundamentô adeò firmô & inconcussô statu innitentem, ut vix, ac ne vix qvidem locô cedat, & ea, qvæ vel reprehensionem vel odium incurrant, peragat. Qvâ ratione eumdem similiter Ὀρθὸν, qvasi Rectum dicas, nuncupârunt: Unde Stoicorum κατορθώματα, qvod omnes perfectionis partes ac numeros complectitur, freqventatur. Qvemadmodum enim in linea recta [illegible] etiam in viro bono omnia sint æqvalia. Vide B. Rupertum in Val. Max. lib. VI. c. II. p. m. 417. §. 3.

f [illegible]] Rarum decus, qvod P[illegible]æ [illegible] Statius, V. Sylv. I. [illegible]

——— [illegible] *mo* [illegible]
Fortuna [illegible] ———

Pulchre Charidemus [illegible] Orator apud Curt. III. II. 18. ad Darium. *Tu licentiâ regni subitò mutatus documentum eris posteris: homines, cum se permisêre fortunæ, etiam naturam dedidicere.* Sic L. Arruntio apud Tacit. VI. Annal. XLVIII. 3. *Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis convulsus & mutatus dicitur.*

g Aptissima omnium res occasio] Sæpe haut eveniunt, qvæ eventura credas. Est, ubi timidè tentata ac vix post successum credita, occasione solâ provehuntur. *In multis caussis occasio se immergit, quæ difficultatem contrariæ legis benè [illegible]tu meliorem* reddit, ait Aymoinus Floriacensis in Vita S. Abbonis Martyris, qvæ exstat in Johannis de Bosco Bibliothec. Floriacens. part. I. f. 326. Hinc Arausionum Princeps interprete Daniele Heinsiô in p. m. 117. Historiæ rerum ad Sylvam --- Ducis atqve alibi gestarum, lib. II. edit. Lugdunens. Batav. CIↃ IↃC XXXI. in fol. *crebro compellatus aut consultus, circumspectè quidam præproperè agendum ratus, rem, ambigui successus magis quam momenti, callidè differri, nec omitti, suaserat. Præsidio in caussa, numerô atqve armis validô, nec temere tentando, & occasione opus ad eventum, sine qua opinari magis magna quàm sperari.* Scilicet ad instar avium volare solet occasio, qvæ subitò, ut veniunt, sic citò avolant. *Nolite, si quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, fastidire. Non quemadmodum hodie utrumqve vobis licet, sic semper liciturum est. Nec sæpe, nec diu eadem occasio erit*, ait Aristhenus Prætor apud Livium, lib. XXXII. c. XXI. extr. *Nunqvam habiturum recuperandi sua oc-*

 casio-

b Rebus parem & generi uxorem eligas tuo.

10 Res

casionem, si eam, quæ tum esset, prætermisisset, prudenter dicebat Tyranno Lacedæmonio Democritus, eumdem apud Livium, lib. XXXV. c. XII. Turpe judicavit prudens ac fortis Dux, dum adfulgebat, non uti occasione, frustra qvæsiturus amissam, Liviô eôdem auctore, Decad. III. libr. V. & Isocrate in Panegyr. Nimirum plura negotia opportunitate occasionum, qvàm viribus confecta fuisse, qvia adparente rapienda, non qværenda esse consilia, qvis qvæso est, qvi nescit? Nam *ad perficienda quæ animô destinaveris, plurimum occasionem valere, cùm omnibus in rebus, tùm in bellicis maximè* jam olim monuit in X. Historiar. Polybius, c. XXXIX p. m. 855. edit. Amstelodam. CIƆ IƆC LXX. in 8. Et *plura opportunitate occasionum negotia, qvàm viribus fuisse confecta*, testatur Dio Cassius, lib. XLV. Historiæ Romanæ, p. m. 293. edit. opt. Hanov. Wechelian. M.DC.VI in fol. Item Portius Latro Declamatione in Sallustium col. m. 1122. extr. edit. Basil. 1564. in fol. (pag. verò 142. edit Francofurt. M. DC. VII. in 8. qvam Gruterus cognovit; qvod addo, ne frustra qværas in Lugdunensi Hackiana Sallustii CIƆ IƆC LXXVII. ubi enim ista Declamatio neglecta & omissa est) *Num in gerendis negotiis ignoras, sequendas esse temporum opportunitates, & in occasione rerum desidiam ac tarditatem omnem qvam diligentissimè fugiendam? Mutabilissimæ qvidem sunt deorum [illegible] Gen[illegible]um voluntates, & Fortunam, cùm abire permiseris, frustra postmodùm discedentem ac fugientem sis imploraturus* Facit huc & Catonis Distichon XXVI. lib. II.

Rem, tibi qvam [illegible] aptam, dimittere noli,
Fronte capillata, post est Occasio calva.

Phædrus, V. Fab. IX.

Cursu volucri pendens in novacula,
Calvus, comosâ fronte, nudô corpore,
Qvem si occuparis, teneas: elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere;
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxére antiqui talem effigiem temporis.

Vide & Occasionis typum apud Ausonium, Epigr. XII. Legeqve omnino egregium Jacobi le Bleu Juris Doctoris & Professoris olim Gissensis Discursum Militarem & Politicum de Opportunitatis Occasione, Gissæ 1664. in 12. editum. Item ejus Libetum novis florum Politicorum accessionibus consitum, ad inlustrationem Operis, cui Titulus, Ministerium Cardinalis Richelii & Mazarini, p. m. 60. s. edit. Gissens. M. DC. LXIV. in 12. Hinc, qvi in negotiis inservire occasionibus noverunt, earum virtutum famam sibi comparârunt apud posteros, qvi donari aliis [illegible] nunqvam, veluti si tempore annonæ, inundationis [illegible] incendii necessi[illegible] subveniant Principes, [illegible] ac misericordiæ n[illegible]. Vide Philipp. Cau[illegible] Mantuan. in C[illegible]mm[illegible] V. [illegible]. Taciti. De T[illegible] VI [illegible] XLV 2 Tacitus [illegible] *Urbem afficit, deu[illegible], [illegible] Aventina [illegible] gen, [illegible] o. quod damnum Cæsar [illegible] vertit, exsolutis [illegible] [illegible] arum pretiis.* Et II Annal. LXXXIV 2. *Cuncta etiam fortuita ad [illegible] rtebat.* Sic de Druso idem, I. Annal. XXVIII. 5 *[illegible] Cæsar, & quæ casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus.* Dupli[illegible] [illegible] ærumna [illegible]qve omni-

Res nulla honestô & castô dulcior torô.
Qvô sum freqventer verbô usus, Tempus monet
Esse observandum, ut absit importunitas.
Sed præco nostrum esse aliud haud pejus putat.
Neqve ego rejicio, ut illum audistis dicere.
Hoc si Latinè dixero, ut Terentius *i*,
Dixisse sat Latinè puto: NE qvid nimis.
Valete & virtutem colite in vita ac decus,
Nam præter laudem qvicqvid ortum est, occidit.

XV. CLEOBULUS LYNDIUS EX RHODO.

Non ut generis exponam clari originem,
Qvod ad Herculem referatur, advenio, in Rhodo
Natus Cleobulus urbe patria Lyndius
Neqve enim operæ esse audire vobis hæc scio:
Sed ut fecère alii, meam sapientiam
Paucis comprehensam dictis hic edisseram,
Instructionem vitæ habituris haud malam.
k Qvo eris potentior, hôc superbias minus.
Aliis libenter ignosce, gravatè tibi.
l Dare veniam peccatis virtuti nocet.

Hære-

omnibus adversis ingruentibus, admirandis portentis liberandi Hebræos occasionem arripuit Moses, Exodi v. Incendium Romæ immisisse Neronem, nonnulli autumant, ut civibus benefaciendi occasionem nancisceretur, credituqve impossibile esse, ob simplex spectaculum, tam nefandô conspurcari voluisse flagitiô. Fabium omnes accusâsse, eiqve graviter succensuisse, ut qvi parum audendo occasiones rei gerendæ [illegible], scribit Polybius. Histor. lib. III. [illegible] p. m. 3[illegible]1. 352.

h [illegible] et Ovidius qvoqve Ep[illegible] v. 32.

[illegible] *nube pari.*

i Andr. I. I. 14.

k [illegible] fortunæ nitore [illegible] vi[illegible]emus qvo[illegible] magni enim verò animi argumentum est. *Pleriqve sanè insperatâ evecti similes esse videntur servo recens locupleti facto, qui dominæ nuper in bonis successit, qui neqve vestem novit, quô pactô induere debeat: neqve cœnam è more ac legitime capere: sed sæpenumero irruens, gallinis & suillis & leporinis adpositis, pro iis pulmentô aliqvô aut sesamento oppletur adeo, dum ingurgitando rumpatur;* ut salsè, qvod solet, ac urbanè in de scribenda Historia libro Lucianus tradit. Præclarè Camillus apud Livium, VI. c. VII. *Dictatura mihi nunqvàm animos fecit, ut ne exilium qvidem ademit.*

l Dare veniam peccatis] Seneca hoc considerans in III de Ira c. XXXVI. scribit: [illegible] *tidie apud me* [illegible] *eum* [illegible] *&* [illegible] *mei co*[illegible] *tum* [illegible] *facta ac dicta mea remetior.* [illegible]

mihi

Hæreditas bonorum non decoris venit.
Amici insidias. hostis vita injurias.
m Audire multa mavelis qvàm dicere.

Virtu-

mihi transeo: qvare enim qvicqvam ex erroribus meis timeam, cùm [illegible]m dicere vide, ne illud ampliùs facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnaciùs loqvutus es: noli posteà congredi cum imperitis. nolunt discere, qvi nunqvàm didicerunt. Illum liberiùs admonuisti, qvàm debebas. itaqve non emendâsti, sed offendisti. de cetero vide, non tantùm an verum sit qvod dicis, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit.

m *Audire multa mavelis*] Convenit cum illo trito sed falso mimimè.

Dic pauca, audi multa, tace abdita, disce minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.

Sanè omni in multiloqvio non obscurè vaniloqventia deprehenditur; unde Philonidis senarios adducit Stobæus, Serm. CXXX.

Οὐκ ἄν τις εἴπῃ πολλά, θαυμασθήσεται.
Ὁ μικρὰ εἰπὼν μᾶλλον, ἂν ᾖ χρήσιμα.

Non enim ideo, qvòd multa qvis vana effutierit verba, admirationi est prudentibus, sed potius, qvi pauca & utilia in medium protulerit. Idem qvoqve refert Euripidis versus è Penthea, Serm. CXXXIII. qvos & ipsos adscribam.

Σὺ δ' εὔτροχον μὲν γλῶσσαν, ὡς φρονῶν, ἔχεις,
Ἐν τοῖς λόγοισι δ' οὐκ ἔνεισί σοι φρένες.

i e.

Volubilem & versatiliorem rotâ figuli lingvam habe[illegible], at c[illegible]m multa videaris dicere, nihil d[illegible] nihil solidi subest [illegible] tuis. Huc refe[illegible] P[illegible]emonis, qvæ seqvuntur.

Τὸν μὲν λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἕν,
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
Τὸν δ' εὖ λέγοντα, μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλά, καὶ πολὺν χρόνον.

Rotundi admodum hi sunt versus. Notam dignoscendi claros viros tradit Apollonius ad Familiares: *οἱ κράτιστοι*, inqviens, *τῶν ἀνθρώπων, βραχυλογώτατοι.* Tantum prudentibus displicet *ἡ ἀκρασία τοῦ λόγου, ἤγουν τῆς γλώσσης*, *lingva profluvium, & qvasi diluvium.* Notam meretur parænesis Bernhardi: *Alliga*, inqvit, *moneo sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & in multiloqvio peccatum sibi colligas. Sit restrictior, & ripis suis coërceatur, citò lutum colligit amnis exundans.* Peculiaris erat Lacedæmoniis verborum paucitas, unde & ab ea regione breviloqventia Laconismus dicitur. Qvum igitur Abderitarum Legatus apud Agidem multa loqvutus, vix tandem dicendi finem fecisset, rogaretqve qvid civibus suis renunciaturus esset? Agis, illud, inqvit apud Erasm[illegible] Apophthegm. c. I. n. XCV p[illegible]: qvantum temporis [illegible] op[illegible] ad dicendum, tantu[illegible] su[illegible]sse. Qvò dictò ex[illegible] Oratori inanem loq[illegible] responsô indignam. C[illegible] hoc, qvod idem narrat E[illegible] in p. m. 44. [illegible]. II. n. I de P[illegible] Oratore Lacedæmonem [illegible] is enim qvum apud Agide[illegible]um prolixè dixisset, ubi p[illegible]r-o[illegible], rogavit eum: qvid P[illegible] renu[illegible]andum esset? Qvid aliud, [illegible] Agi[illegible], nisi qvòd tu vix dicendi [illegible] feceris, ego verò tacuerim. [illegible]

Virtutis opus eſt primum, vitiorum fuga.
Nunqvàm voluptati indulgere bonum putes.
Libidinem frenare laus eſt maxima.
» Nullæ eruditione meliores opes.
Nil perfidô eſſe deteſtabiliùs poteſt,
Qvod præco verbum eſſe proprium autumat meum.
Græcè audiſtis dictum, nunc cognoſcite
Verbis Latinis optimam ſententiam:
MODUM tenere in rebus optimum omnibus.
Valete. Sat dictum eſt, qvi facere voluerit.

XVI. PERIANDER CORINTHIUS.

Ephyræ vetuſtô Periander natus ſolô,
Ubi mare cogens terram in arctum, nobilem.
Utrinqve vidit & potentem urbem priùs,
Nunc vaſta ſunt, ut alia, & hæc loca Græciæ.
Ad vos venire nunc etiam placuit mihi,
Ut intelligeretis qvid eſſet, Mortuos
Prodeſſe vivis, abſentes præſentibus.
Nam qvâ juvare qvondam re conſveveram
Mortalium vitam, cùm vixi & florui,
Eâdem, niſi non vultis, & vos juvero,

Præ-

ſito nota ſatis ac celebrata Athenienſium loqvacitas, qvos cum alias ob cauſſas, tùm ob garrulitatem maximè Τέττιγας i.e. *Cicadas* appellatos fuiſſe, opinatur Gvilielmus Bailliusde accent. Græcorum. Cur iidem τεττιγοφόροι, vide Heſych. in Lex. & Suidam, Thucydidem, lib. I. haud procul initiô, Ariſtophanem in Nubibus, & ibi Scholiaſt. Clement. Alexandrin. lib II. Pædag. è Junioribus Budæum Comment. L. Græc. p. 667. Natal. Com. lib IV Mythol. c. X. p. m. 352. L. Cælium Rhodigin. Lect. Antiq. lib. XII. c. VI. Scaligerum in Cirim, p. 56. Adde priori & Ælian. IV. Var. Hiſtor. c. XXII. Philoſtratum in Inſulis, Iconum, lib. II. Tertullian. de Veland. Virgin. c. X. Item Sopatrem in Hermogenem. E poſterioribus Joh. Meurſium, I. de Fortuna Athenarum, c. I. p. m. 5.

» *Nullæ eruditione.* Inde Glycon qviſpiam, Maximô referente, eruditionem ἱερὸν ἄσυλον, *ſacrum aſylum* dixit. Et Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς ll IV. 5. παιδεία, inqvit, τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἐστὶν ἀθάνατον καὶ θεῖον. i.e. *Doctrina omnium, qvæ nobis adſunt bonorum, ſola immortalis eſt & divina.* Verè immortalis eſt, qvia ut laurus tota viret perpetuò: ita doctrinæ fama non ſeneſcit, neqve marceſcit. Vide Plin. lib. XV. c. XXX. Unde Menander dixit: ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς. Et verè divina, qvia non tantùm humanarum, ſed etiam divinarum rerum ſcientia eſt, qvæqve per divinam potentiam, qvæ in ratione eſt, ut Chryſippus ait in II. de Nat. deor. acqviritur: nec non animos à terrenis avocat, divinisqve mentibus jungit. Rectè Iſocrates in Parænesi: Σοφίαν μόνην τῶν κτημάτων ἀθάνατον.

Præcepta veræ commemorans ſapientiæ.
Qvid qværitis ? Corinthius ne ſim ille ego
Tyrannus, ortus è parente Cypſelo ?
An verò eodem, Ambraciotes, nomine,
Tyrannidem utilitas invenit publica.
Ita improbum humanum eſt ingenium liberum,
Cogi, regi, premiqve & affligi volunt.
Sed hæc ſupervacanea diſputatio.
Adeſte qvæſo, & qvæ dicam cognoſcite,
INSANIT, o utile qvi de recto ſeparat.
Mortem nec unqvàm optes, nec unqvàm exhorreas.
Qvod perpeti neceſſe eſt, perpeti velis.
Qvem qviſqve metuit, odit & perire vult.
Ne tollere ſecundis, ne adverſis mergere.
Perit voluptas, virtus immortalis eſt.

Pro-

o *Utile qvi de recto ſeparat*] Conſtans Platonis ac Ariſtotelis ſententia fuit: nihil utile habendum, niſi qvod honeſtum eſſet. Qvod confirmat Cicero pleràqve parte libri Officior. III. *Ut qvod turpe eſt*, inqvit extr. c. XIX. *id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullò modo poteſt: ſic qvod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, adverſante & repugnante naturâ.* Non qvòd honeſtatis ratio, ab utilitatis ratione plane non differat: ſed qvod opponi ſibi invicem aut disjungi non debeant, qvæ fine & ſerie qvâpiam naturali humani actus conjunctiſſima ſunt. *Rectè Socrates* (ſunt verba Tullii lib. I. de Legib. c. XII.) *execrari eum ſolebat, qvi primus utilitatem à natura ſejunxiſſet. id enim qverebatur eſſe caput exitiorum omnium.* Et II. Officior. c. III. idem Cicero ait: *Hoc, de qvo nunc agimus, id ipſum eſt, qvod utile appellatur. in qvo lapſa conſvetudo deflexit de via, ſenſimqve eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens, & conſtitueret honeſtum eſſe aliqvid, qvod utile non eſſet, & utile, qvod non honeſtum, qva nulla pernicies major hominum vita potuit afferri. Summa qvidem auctoritate philoſophi ſeverè ſanè atqve honeſtè hæc tria genera confuſâ cogitatione diſtingvunt. qvidqvid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemqve qvod honeſtum, idem juſtum. ex qvo efficitur, ut, qvidqvid honeſtum ſit, idem ſit utile. Qvod qvi parum perſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines, & callidos admirantes, malitiam ſapientiam judicant; qvorum error eripiendus eſt, opinioqve omnis ad eam ſpem traducenda, ut honeſtis conſiliis, juſtiſqve factis, non fraude & malitiâ ſe intelligant ea, qvæ velint, conſeqvi poſſe.* Hactenus Tullius. Ex oppoſito dicunt nonnulli, nihil eſſe injuſtum aut inhoneſtum, qvod utile. alii. qvoties pugnant iſta, fas eſſe, ut vincat utilitas. alii moderatius: utilitati non qvidem plane cedere, ſed ſervire interdum debere honeſtatem. Vide omnino Hug. Grot. prolegom. in libros de Jure B. & P. Atqve utinam Gentilium intra ſcholas iſta ſubſtitiſſent. Sed inter Chriſtianos qvoqve venenum blandi ejus erroris peperit Machiavelli Politicum, qvam plurimi ſeqvuntur opere, qvi ore deteſtantur. Sed de hac re alibi. Vide B. Boecler. in Procem. Politicar. [illegible] p. 2. 3. 4. 5.

Promissa *p* facito, si careat scelere fides.
Nihil est inexpugnabile *q* diligentiæ.
Oculos, manus, mentem, ab alienis contine.
Fons est malorum cupiditas mala omnium.
Non est manus, sed cordis, innocentia.
Meum esse dictum retur præco: Iram tene.
Sed mihi magis cordi alterum est qvod eloqvar:
In omni re *r* meditatio plurimum prodest.
Valete & hoc tenete atqve meditamini,
Possitis ut multum omnibus in rebus bonis.

p Promissa facito] Vide verò, utrum possis præstare promissa. Theagenes, cùm pauper esset, multa pollicebatur, qvare etiam dictus est κάπνος, id est, fumus; ad instar enim fumi tumescebat promissis, cùm nihil tamen posset, in Adagiis, Manutio auctore. Qvare Pythagoras, *age*, inqvit, *res placidas, nihil magnifici interim promittens*. sic Stobæus, serm. de virtute, & sermone de prudentia refert dictum Phocionis, qvi non magna hominibus promittenda, sed facienda dicebat. Sed invertunt hoc dictum pleriqve, magna enim promittunt, parva exseqvuntur. Ad qvos commune illud adagium adplices:

Λόγους γὰρ Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται
hoc est.

Sunt Hermodori verba mercimonium.
Jactabatur autem in eos, qvi verba tantùm adferebant, præterea nihil. Benè igitur Stobæus, lib. de moribus. *Priusqvàm promittas*, inqvit, *delibera, & qvæ promiseris facies.*

q Diligentia] Plutarch. de libr. educand. I. III. 9. *Multarum rerum contemplatione addiscere possis, quantum efficacitatis atque ad perficiendas res virium habeat industria atque labor. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cavat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteruntur: & rotas curruum magnô labore curvatas nullô possis conatu in pristinam restituere rectitudinem. Et quæ sequuntur.* Seneca item, epistol. L. *Nihil est, quod non expugnat pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum quamvis flexa revocabis, curvatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur, quod usus noster exigit. Quanto faciliùs animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obsequentior?* Qvinctil. lib. I. c. I. *Præstat ingeniô alius alium, Concedo: sed ut plus efficiat aut minus. Nemo tamen reperitur, qui sit studiô nihil consecutus.*

r Meditatio] Μελέτη τὸ πᾶν δύναται. Cicer. II. Divinat. c. XLVI. *Multi natura vitium meditatione sustulerunt.* Et cùm II. Tuscul. c. XVII. multis de hac egisset, concludit tandem: *Tantum exercitatio, meditatio, consvetudo valet.* Senec. II. de Ira c. XII. *Nihil*, inqvit, *est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nulliqve sunt tam feri & sui juris affectus, ut non disciplinâ perdomentur. Quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquàm riderent, consecuti sunt: vinô quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus. Alius contentus brevi somnô, vigiliam indefatigabilem extendit: didicerunt tenuissimis & adversis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi vice perpeti maria.* Vide Erasmum in Adagiis, p. m. 75. b. 76. a.

XVII. CLAUSULA.

ISTI hinc abiverunt oppletis auribus
Vestris, suâ præceptioniloqventiâ.
Dixêre multa illi qvidem egregia & bona,
Sed qvæ dixêre, qvamvis egregia & bona,
Leviora multò plumâ & sunt foliô aridô,
Nisi illa in animos vos vestros dimittitis,
Et penitus pectori atqve cordi infigitis,
Ac mox factis rebusqve ipsis studueritis,
Qvasi ad vivum qvemdam exprimere vitæ modum.
Sed hæc monere vos neqvaqvàm me decet
Rerum peritos, optimarum & artium,
Præstare factis non inaniloqventiâ
Virtutis esse, qvi scitis decorisqve opus.
Valete, literasqve bonas defendite,
Et literis bonis patrocinamini.
Sic undiqve omnia vobis adveniant bona.

I V.

EXPOSITIO VERSUUM SOLONIS ET ALIORUM QVORUMDAM VETERUM, LATINA.

E T

COMMENTATIO DE HIS

JOACHIMI † CAMERARII PABEPERG.

AD

† Audit hic Camerarius Hadr. Junio in Proverb. p. m. 689. a. edit. Francof. M. DC. XLVI. in fol. *summæ eruditionis vir & Germaniæ φωστήρ*. Jacobo Monavio Uratislaviensi in præfat. Aristotelis libris X. ad Nicomach. à Victorino Strigelio conversis Latinè, præmissa: *vir doctrinâ & sapientiâ clariss. præceptorque singulariter observandus*. Joh. Sauberto. c. XXII. p. 543. de Sacrificiis, *Vir impensè doctus*; & c. XXV. extr. *Vir immensi studii & dignus me hercle! nunqvàm sine encomiis præfamine nominari*.

AD

INCLITUM PRINCIPEM

JOANNEM ALBERTUM,

Ducem Hegalopurgensem, Principem Illustrissimum, Joachimi Camerarii Pabeperg. prooemium.

[1] Sæpe recordor non tàm humanissimorum sermonum qvàm eruditæ orationis tuæ, Princeps Joannes Alberte, qvam nuper hàc transiens mecum accersito ad te, familiarissimè & prudentissimè habuisti. [2] Et qvia intellexi te disputationibus sapientiæ atqve doctrinæ delectari, putavi esse faciendum, ut in hoc genere aliqvid commentationum ad te mearum mitterem. [3] Itaqve visum fuit instituta qvædam ante annum, qvæ seposita nuper fortè incidissent in manus meas, absolvere, & hàc compellatione, qvam tuæ Illustriss. Humanitati & virtuti non ingratam futuram esse sperabam, augere. [4] Qvoniam autem scribebantur hæc ad prudentem & literis eruditum Principem, non dubitavi formam etiam orationis propriam in suo genere usurpare, ne corrumperem verborum sententiarumqve conseqventiam, inculcando debitos qvidem illos Illustriss. præstantiæ tuæ titulos, & vera laudis nomina, sed aliena ab lingvæ Latinæ consvetudine ac usu. [5] Hoc in qvamcumqve partem alii accepturi essent, non laborabam, si uni tibi, ut mihi persvadebam, probaretur. [6] Arrisit autem mihi hujus commentationis descriptio, de memoria eorum, qvæ tu, princeps Joannes Alberte, præclarè tum disseruisti inter qvasdam, ut fit, familiares contentiones: de caussis & consiliis & fortuna belli civilis, qvod C. Cæsar cum genero suo gessit: [7] Cùm tamen eam commemorares, qvæ sapientissimorum illius ætatis hominum judicia & cogitationes conturbârunt, de eventu rerum illarum. [8] Itaqve indignans Cicero ob hunc exitum Attico * scripsit de Pompejo, *malas caussas semper obtinuit, in bona concidit.* [9] Non enim explicat hæc humanæ intelligentiæ sagacitas, & consideratio inter ista adhæret, & animus irascitur. [10] Qvi motus, qvò naturæ excellentiores sunt, eò existunt vehementiores, usqve adeò, ut confusô judiciô & sententiâ depravatâ, in desperatione extrema aliqvi à seipsis manus non abstinuerint. [11] Sic Brutus, sic Cassius, Viri magni & docti, sic Antonius homo bellator & furiosus interière. [12] Qvòd si intueatur aliqvis in ea, qvæ ab Anno Christi Jesu M. D. XLVI. hôc, ut ita dicam, lustrô acciderunt, non poterit non ipse, nisi planè demens sit,

* Lib. VII. Ep. XXV.

aut fatuus, diversis variisqve cogitationibus conflictari, & multiplices sententias versari animô suô. [13] Ego verò malo hæc tanqvàm in speculo alienorum casuum contemplari, qvàm nostri temporis & popularibus eventis aspicere. [14] Est autem, si qvis fructus percipi inde potest, æqvalis, cùm illinc tamen minus afferat tristiciæ consideratio. [15] Homines enim atqve negocia mutantur, consilia actionesqve re verâ eædem sunt. [16] Expedit autem & laudatur, ex alienis lapsibus atqve delictis, non gloriam qvidem sibi qværere, sed capere documentum: ut non premere jacentes, sed exemplô instrui studeamus. [17] De his igitur qvid in mentem mihi venerit, convertenti versus qvosdam sapientum veterum, in Latinos, Tua Illustriss. virtus & sapientia cognoscat. [18] Neqve ducat principe indignam harum rerum cognitionem, neqve studium alienum literarum, neqve occupationem doctrinæ & respectum, illiberalem. [19] Non deteritur hàc curâ aliqvid de laude fortitudinis, qvæ in armis nunc sola conspici, & ferociâ contineri creditur, Sed inter tales cogitationes & actiones illa ipsa qvoqve augetur & confirmatur. [20] Id qvod & sapientissimus poëta Homerus indicat, cùm fortissimum Heroa Achillem carminibus & historiâ priscâ oblectâsse scribit ocium suum. Nimirum illâ se consideratione instruentem & excitantem ad facta laudabilia & facinora virtutis. [21] Sed id qvod tua Illustriss. sapientia & virtus facit, præposterè moneo, ut facias, nisi ita accipiantur hæc, ut non monitio ista sed approbatio & testimonium judicii voluntatisqve & studii tui esse videatur, secundùm Poëtæ sententiam:

Qvi monet, ut facias, qvod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suô.

[22] De his igitur satis, ac nunc ad expositionem versuum procedat descriptio, qvam commentatio nostra, qvasi explicatio seqvetur.

I. VERSUS * SOLONIS ATHENIENSIS.

Mnemosynes summiqve Jovis clarissima proles,
Musæ Pierides, vota mea accipite:

A diis

* *Suidas in Lexico.*

Σόλων Ἀθηναῖος φιλόσοφος, νομοθέτης καὶ δημαγωγός, γέγονε δὲ ἐπὶ τῆς μζʹ Ὀλυμπιάδος. οἱ δὲ νςʹ. ἔγραψε νόμους, οἵτινες ἄξονες ὠνομάσθησαν· ποίημα δὲ δι' ἐλεγείων, ὃ Σαλαμὶς ἐπιγράφεται: ὑποθήκας δι' ἐλεγείας, καὶ ἄλλα· ἔστι δὲ καὶ οὗτος εἷς τῶν ἑπτὰ ὀνομαζομένων σοφῶν. i.e. Solon, Philosophus Atheniensis, legislator & Actor popularis. Vixit Olympiade XLVII: ut alii tradunt, LVI. Scripsit Leges: qvi AXONES nominati sunt: Carmen item versibus elegiacis, qvod SALAMIS inscribitur: *Præcepta* qvoqve versibus elegiacis, & alia. Est vero & hic unus è Septem, qvi nominantur, Sapientibus.

Michaël

A diis prosperitas per vos mihi detur, & inter
Sint homines famæ nomina clara meæ.
Iis sim, qvi me odêre, gravis, jucundus amicis,
Illi me metuant, hi coluisse velint:

Contin-

Michaël Neander Soraviensis in p. 64. Commentatiunculæ de Auctorib. quorum Testimonia in Gnomologia sua Græco-Latina citat; edit. Basileens. CIↃ IↃ LVII.

Solon Athenienfium Legiflator, philofophus & poëta præftantiffimus, cujus vitam copiosè fcribunt Plutarchus, Diogenes, & Suidas, vixit tempore Crœfi regis Lydorum potentiffimi & opulentiffimi, qvemadmodùm meminit Herodotus, lib. I. fuæ hiftoriæ. Ejus verfus Plato adeò celebrat, ut eos publicè recitari à pueris in deorum celebritatibus præcipiat. Ariftoteles qvoqve Solonis elegias laudat. Eafdem Paufanias qvoqve ita vehementes & incitatas fuiffe prodidit, ut eô carminis genere Athenienfes fint aliqvando ad bella inflammati. Ejus elogia & verfus citantur à Platone, Ariftotele, Ariftide rhetore, Demofthene rhetore, Plutarcho, Ulpiano rhetore, Clemente Alexandrino, Philone qvoqve, ubi extat elegia de decem hominum ætatibus, Stobæo & aliqvot aliis.

Victorin. Strigelius in p. 42. Commentarii in Justinum, edit. Argentorat. M. DC. XXVII. in 8t.

Cùm hiftoria Solonis infignes atqve illuftres virtutum imagines proponat, qvibus ad vitam moderandam nihil utilius eft, magnoperè hortator fum ftudiofis, ut univerfum hujus viri curriculum luculentè à Plutarcho expofitũm cognofcant. Intereà tamen.

Floriferis ut apes in faltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depafcimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ femper digniffima vitâ.

Libet enim uti veteris Poëtæ verbis, & ea, qvæ maximè neceffaria & ad imitationem futura videntur, ex hiftoria Solonis decepere. Primùm igitur confideranda eft hujus viri φιλομάθεια, qvâ impulfus adiit multas regiones longinqvas, Ægyptum & alias, ut de religione & de republica fuas fententias cum aliis doctis conferret, ac fuiffe in eo incredibilem difcendi cupiditatem, celeberrima ipfius vox teftatur; qvam femper in ore habuit,

Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

Id eft, *Qvotidie aliqvid addifcens fio fenex.* Hæc virtus Solonis nobis, qvi verfamur in ftudiis doctrinæ, præcipuè imitanda eft, cùm nulla major peftis fit, qvàm immatura & inanis * perfvafio fcientiæ, qvam Jurifconfultus taxans inqvit: *Se adeo cupidum effe difcendi, ut, fi alterum pedem in fepulchro teneret, non tamen propterea defiftere vellet de propofito per-*

* *Immatura & inanis perfvafio*] Enimverò fcientia noftra qvid qværfo eft & eruditio aliud, qvàm umbra in Sole? Ut verè nobis hìc exclamare liceat; *Heu quantum eft quod nefcimus!* & cum magno illo Hippocrate; *Ars longa, vita brevis.* Qvare definant vanitatis fuæ nugaculi illi fcioli, qvi in doctorum numero, tan-

 tùm

Contingant mihi opes. Sed vis cum fraudibus absit,
Pœna solet semper facta nefanda seqvi.

Nam

perseverandi in studiis doctrinæ. Exemplò Solonis taxanda est multorum ignavia, vel, ut veriùs dicam stulta admiratio & fiducia suæ sapientiæ, qvi cùm paululùm progressi sunt ultra primas literas, statim rubore & verecundiâ à discendo retardantur, & somniant nihil minus decere suam personam, qvàm ab aliis ea discere, qvæ aut prorsus ignorantur, aut nondum satis cognita sunt. Talium stultorum infinita est multitudo. Sed hanc opinionem pernitiosam corrigamus intuentes in exemplum Solonis, qvi non modò longinqvas regiones adiit, videlicet Asiam minorem & alias, sed etiam qvotidie hâc voce usus est, *se qvotidie aliquid addiscentem senescere.* Deinde admiratione dignissima est hæc virtus Solonis, qvâ injustas opes præclarè contemsit. Hujus Philosophicæ *αὐταρκείας* testes sunt versiculi, qvos Plutarchus recitat, qvorum hæc est sententia. *Cupio qvidem mediocres opes possidere, sed injustè partas repudio, cùm sciam neminem posse effugere scelerum pœnas. Etsi enim mali plerumqve abundant iis rebus, qvæ ad victum cultumqve pertinent & justissimi exiguas opes habent: tamen nos ad hunc modum discernamus genera bonorum, ut alia omnia incerta, caduca, mobilia, solam*

tum munerus, pene dixeram nihil; & qvod non sunt, nec esse se putent, nec putentur. Maxima enim pars eorum qvæ scimus, minima pars est eorum, qvæ ignoramus: imò pura est & puta ignorantia, præ illa artium & scientiarum perfectione, qvam seqvi qvidem datur in hac vita, non conseqvi; deperire, non amplecti. Semper enim hic in via sumus; & nulla ætas, nullum ingenium, ad ultima Scientiæ, aut Sapientiæ perducet. In DEO hæc perfectio. Sed enim nihil æqvè litteraturæ dignitatem adulterat, qvàm fatalis illa imperitiæ pedissequa, *animi elatio*, qvâ qvod videri qvisqve vult, hoc & esse se credit, & fidem aliis facit. Hunc tamen adfectum, seu potiùs animi morbum, ægrè multi adduci possunt, ut ejurent, etiam qvi sapientiæ studium profitentur: ita ferè melioribus ingeniis svaviter obrepere solet amabilis hæc insania, qvam ridere scio cordatos omnes. Qvid enim *scire* nostrum, secretum à sapientia, nisi scientiæ deliqvium, & umbra? qvid eruditionis nostræ splendor, qvid literarum? nisi eam dux & imperatrix vitæ mortalium *bona mens* fulciat? qvæ si desit, desit *Colosso* basis, ædificio fundamentum; & omnis doctrinæ moles, arrogantiæ, & fastus turbine, tantò fœdiùs corruit, qvantò celsiùs se attollit. At contrà humilitati & modestiæ superstructa perennat; qvia fundus illa, & fundamentum est omnis veræ litteraturæ; qvæ non qvid adsit, sed qvid desit, attendit: nec de qvæsito secura, sed de qværendo sollicita est. Qvidqvid intervertit opinio, & arrogans de se persvasio (dum ætatis, & annorum legitima spacia, virium fiducia antevertit) nunqvàm adseqvitur industria. Contrà verò facile omnia conseqvitur, & qvidem suprà qvam ab illa ætate exspectetur, qvi omnia deesse sibi videt: non facilè qvi se jam consecutum credit; & sapere plus multò, qvàm *Thalem* olim *Melesium*. Parum enim proficit, qvi sibi sufficit, *nec facilè discere incipit, qvi nescire se, priùs non didicit, imò scientiam excludit, qvi non priùs opinionem. Audi verum verbum, eruditio nasci non potest, nisi ejus persvasio pereat.* Vide J. Crucium, lib. IV. Epistol. p. m. 410. 411.

Nam qvas divitias confert Deus, has qvoqve firmas
Præstat, & ad summum funditùs accumulat.
Sed qvarum cupidis caussa est injuria, pravos
Progressusqve malæ turpeqve crimen habent.

Atqve

iam virtutem altissimis defixam radicibus nullâ vi labefactari, nunquàm locô dimoveri posse existimemus.

(Versiculi Solonis de neglectione injustarum opum.

Χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν: ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω· πάντως ὕστερον ἦλθε δίκη.
Πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοί; ἀγαθοὶ δὲ πένονται,
Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον; ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι;
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Hoc est.

Cupio qvidem haberepecuniam, sed injustè parare non volo. Justitia, id est, justa pœna venit ubiqve & semper paullò pòst, id est, seqvitur à tergo pœna sceleratos, vel

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.)

Neqve verò minorem laudem modestia ipsius meretur, qvâ soli Deo sapientiæ gloriam tribuit. Cùm enim Apollo tripodem aureum extractum à piscatoribus Milesiis illi jussisset dari, cujus vinceret sapientia cunctos, Solon ad se delatum Delphico Apollini consecravit, solum Deum & præmiô & opinione summæ sapientiæ dignum judicans. Porrò singulare Dei donum est in gubernatore auctoritas, qvæ tribus rebus constat; virtute, felicitate, & inclinatione animorum ad populum. Talis auctoritas fuit in Solone. Primum lucebat in eo eximia virtus, & adparebat, eum juvari divinitus. Incenduntur autem animi hominum admiratione virtutis & opinione præsentiæ Dei seu auxilii divini. Hæcqvamqvàm multum conducunt ad auctoritatem parandam & tuendam, tamen & tertium munus Dei accedere oportet, videlicet inclinationes animorum divinitùs factas in ipso populo. Qvare qvod Solon valuit consiliô & virtute & populus Atheniensis non excussit recta monentem, utrumqve Dei opus & donum fuit. Qvis enim non jure miretur, populum Atheniensem factiosè tumultuantem, propter immoderatas usuras & asperitatem legum Draconis, nemini præterqvàm Soloni arbitrium utriusqve rei permisisse, ut & modum præfiniret usuris & legibus Rempub. temperaret. Itaqve Solon animadvertens civitatem usuris exhauriri & multos redactos esse ad inopiam, multos etiam coactos vendere filios & filias, sic moderatus est usuras, ne plus qvàm centesima solveretur, id est, quæ centesimô mense æqvat sortem, & ne qvisqvam propter æs alienum in servitutem traderetur. Hæc adstrictio usurarum σεισάχθεια appellata est. Ante Solonem fuit legislator Atheniensium *Draco*, cujus adpellatio cum ipsa re consentit. Verè enim ipsius leges fuerunt leges Draconis, id est, non atramentô sed sangvine scriptæ. Hæc durities non potuit diu tolerari ab hac infirma natura. Debent enim leges Politicæ adcommodatæ esse ad vires hujus imbecillæ naturæ. Deinde usuræ adeò creverant, ut aliqvot centesimæ de centum solverentur atqve exigerentur ab injustis fœneratoribus: eo usqve creverant usuræ, ut ferè totam civitatem Atticam exhausissent. Ex hac re exstiterunt magni motus, & populus in tres factiones distrahebatur. Hæ seditio-

Atque trahens vis invitas in damna retorquet,
Estque harum flammæ principium simile.
Desinit inque oriens levis acres noxa dolores,
Ausa etenim durant impia nulla diu.

Nam

tiones & motus non potuerunt ullius hominis sapientiâ sedari, nisi unius Solonis auctoritate. Tanta fuit benevolentia civium erga Solonem, ut nemini de tantis rebus decernendi potestatem facerent, nisi unico Soloni. Deinde *Draconis* leges, exceptis iis, quæ de cæde erant latæ, propter asperitatem magnitudinemque pœnarum abrogavit. Nam omnia delicta sine discrimine leges *Draconis* morte multabant, quamobrem illud è *Demade* venustissimè dictum est. *Draconem non atramento sed sanguine leges scripsisse.* Etsi autem longum est leges Solonis recensere: tamen duæ inprimis laudantur, quarum una vetat in dissensionibus Reipublicæ esse neutralem, altera prohibet ignavum otium. Sanxit enim Solon, ut is, qui non exerceret agriculturam aut artem certam, infamis esset, tertiò damnatus de otio. Est autem probabilis ratio utriusque legis: voluit enim unumquemque sensu publicorum periculorum adfici, nec tantum privatis commodis studere. Nôrat etiam, ad disciplinam utilissimum esse prohibere ignavum otium, cùm verissimè à Catone majore dictum sit: *Nihil agendo discunt homines malè agere.* Meminerint autem studiosi præconium, quod Cicero de legibus duodecim tabularum fecit, in primo de Oratore c. XLIV. *Fremant omnes licèt: dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium Philosophorum unus mihi videtur* XII. *tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.* Postremò laudanda est Solonis Politica fortitudo, quæ est constantia in proposito honesto juxta vocationem rectè suscepto, quâ confirmatus animus nihil facit pugnans cum officio boni viri, & mavult cruciatus perferre, quam discedere à norma justorum operum. Sic Solon tyrannicam potestatem ad se delatam consensu populi modestè recusavit, adfirmans tyrannidem similem labyrintho amœno, è quo nullus patet exitus. Et à Crœso interrogatus, videreturne ipsi beatus esse, non ἥδιστα sed κάλλιστα respondit. Quemadmodùm decursoribus non potest fieri certum præconium priusquàm ad metam pervenerint, cùm multi lapsus in stadio decurrentibus accidere possint: Sic ante postremum exitum vitæ nemo pronunciandus est beatus, quia sæpe fit, ut hi, qui lætissima initia habuerunt, (ut Saul) in ipso cursu opprimantur, priusquàm metam videre potuerunt. Fuit igitur Solon vir verè bonus, qualem nasci difficile est, qui manibus, pedibus & mente sit τετράγωνος id est, quadratus. Considerate in historiis dissimilitudinem naturarum & ingeniorum, ut subeat animos deliberatio necessaria, quorum velitis esse similes aut dissimiles. Solonis natura, de qua modò diximus, fuit verè Philosophica, remota ab omni ambitione, cupiditate regendi, mercatura privatarum utilitatum, candida, benefica, amans patriæ, studiosa optimarum artium, amans justitiæ & æqualitatis. Pisistrati natura, qui fuit coætaneus Solonis in Republica Atheniensi, imo cognatus ejus maternô genere, omnino fuit dissimilis, videlicet ambitiosa, cupida regendi, mercatrix suarum utilitatum, adcommodata ad simulationes, callida, & tamen præ se

ferens

Nam Jovis ante oculos finis ſtat, qvi ſubitò illa
Diſſipat, ut nubes Africus aërias.
Cùm pelagô vernas commotô perculit undas,
Frugiferamqve furens depopulatus humum:
Cæleſtem repetit ſedem ſolvitqve tenebras,
Et Phœbum pulsâ nube redire facit.
Hæc Jovis eſt vindicta, ſed iræ non ſubitò ille,
Sicut homo, laxat concita frena ſuæ.
Nec qvoties peccare videt ſua fulmina mittit,
Et nunqvàm tamen huic impia corda latent.
Tandem igitur res fit manifeſta, & debita factis
Turpibus, ad pœnas ultio progreditur.
Qvæ ſi qvando moram nectens ceſſaverit, ut ſe
Contineant fati damna dolorifici:
Poſt tamen erumpit. Sæpè & facinus luit inſons
Illorum ſoboles, totaqve poſteritas.
At nos mortalis, ſic omnes, turba putamus,
Tàm gravitate boni, qvàm levitate mali:
Optima qvod ſit, qvæ cuiqve eſt ſententia cordi,
Qvam dum fortuna eſt proſpera, qviſqve tenet.

Ac

ferens humanitatis ſpeciem. Tales ſunt pleræqve tyrannorum naturæ.

Baſilius Faber Soranus in Theſauro Lingvæ Latinæ à Buchnero ac Cellario recognito & aucto, voce, SOLON.

SOLON, Σόλων, Salaminius fuit genere, unus è ſeptem ſapientibus, tempore Crœſi, poſt Homerum annis circiter trecentis. Auctor legum fuit Atheniensibus, annum ordinavit ac menſes. Piſiſtrati tyrannidem fugiens profectiones in terras diverſas multas ſuſcepit, ut in Ægyptum, ubi à Sacerdote qvodam objectum ipſi eſt. *Græcos ſemper eſſe pueros, nec qvemqvam è Græcia ſenem:* qvemadmodùm Plato & Juſtinus in Parænetico retulerunt: inde in Lydiam ad Crœſum, in Ciliciam, ubi Solon urbem condidiſſe creditur; in Cyprum, ubi annum agens LXIII. mortuus eſt. Epitaphium ejus recitat Cicero, extremo lib. I. Tuſcul.

Mors mea ne careat lacrymis: linqvamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Solonis præcepta ſunt: Μηδὲν ἄγαν, *Ne quid nimis.* Ἡδονὴν φεῦγε, αὕτη γὰρ λύπην τίκτει, *Voluptatem fuge, parit enim triſtitiam.* Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, οὓς δ' ἂν κτήσῃ, μὴ ταχὺ ἀποδοκίμαζε, *Amicos non citò comparabis, quos autem comparaveris, non ſtatim rejicies.* Ἄρχεσθαι μαθὼν, ἄρχειν ἐπιστήσῃ, *Parere cùm didiceris, imperare ſcies.* Μὴ κακοῖς ὁμίλει, *Cum malis ne converſator.* Ἃ δ' ἂν ἴδῃς, μὴ λέγε, *Quod noveris, non ſtatim dices.* Τρόπου καλοκἀγαθίαν, ὅρκου πιστοτέραν ἔχε, *Probitatem morum, quæ plus meretur fidei, quàm jusjurandum, habere ſtude.* Ex Stobæo. Ex Auſonio in Sapientibus:

Dico tunc beatam vitam, cùm peracta fata ſint.

Ac vice versâ animos qveruli mutamus, & inter
Hæc volitat pennâ spes agitata levi:
Huic inhiant omnes. Morbis jacet obruta vita,
Cura salutiferam provida qværit opem.
Alter qvem metus exercet, fortem perhiberi,
Se cupit, & reperit qvi timidum esse negent.
Deformis formæ sibi confert alter honorem,
Undiqve inops famam colligit alter opum.
Ut grave paupertatis onus probrumqve repellat,
Nec tamen unum omnes ingrediuntur iter.
Namqve alius pelagi per fluctus navibus errat,
Inqve procellosis lucra reqvirit aqvis,
Ventorumqve minas undæque pericula spernens,
Est etiam vitæ prodigus ipse suæ.
Hic findit sola terrarum, servire paratus
Iis, qvi multa boni jugera ruris arant.
Ille, Minerva tuis & Mulciber artibus, instat,
Et qværit durâ pabula rara manu.
Alter Olympiadum Musarum munera doctus,
Ingenium studiis dedicat omne bonis.

Est

Par pari jugator conjux, quidquid impar, dissidet.
Non erunt honores unquàm fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, sed palam laudaveris.
Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Historiam de Solone & Crœso, qvi ab illo qvæsierat, *ecquem beatiorem meminisset videre?* Solon autem respondit, *vitæ finem exspectandum: nam ante, felicem neminem pronunciandum*, vide apud Herodot. lib. I. Perstringit & Juvenal. Satyr. X. v. 274. & Ausonius ludô septem sapientum. Ipsam sententiam suam fecit, & eleganter expressit Ovidius, lib. III. Metam. his versibus [à v. 135.]

——— *Sed scilicet ultima semper*
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaqve funera debet.

Utrum verò etiam rectè id à Solone dictum sit, disqvirit Aristoteles l. I. Ethic. ad Nicomach. c. X. principiô.

Petr. *Victorius*, *lib.* XXXVI. *Variar. Lection.* c. XIII. *p. m.* 426.

Solon non ita grandis Poëta fuit, ut contendere de summo loco potuerit cum Homero: & prætereà Poëmata ipsius levia plerumqve: & aliqvando etiam mollia lascivaqve erant.

Gerb. Joh. Vossius de Poët. Græc. c. *III. p. m.* 17.

Olympiade XLVI. Solon viguit: Legislator idem ac Poëta, cujus vita ex Laërtio, & Plutarcho, petere licet.

Olaus

Est cui scire dedit fatorum arcana, maliqve
 Tristia venturi tempora nôsse, Deus:
Qvô comite hæc fiunt. Sed fati victima cursum
 Nulla tenet, nullum præpetis omen avis.
Sunt artem Medici edocti Pæone magistrô,
 Fineqve deficiens ars caret illa suô.
Sæpe etenim est parvus dolor acris caussa laboris,
 Nec medicina potest ferre salutis opem.
Ast alium in morbi cruciatu membra solutum,
 Fida levat curæ dextra Machaöniæ.
Parca bonum tamen atqve malum mortalibus addit,
 Nec fuga divini muneris ulla patet.
Nullaqve res expers discriminis est, neqve finem
 Cœpta homines qvalem sint habitura vident.
Atqve aliqvid præclarè agere hic aggressus, aberrat,
 Invenit & studiô damna malumqve suô.
Ille nihil rectè facit: at successibus auget
 Hunc tamen, & præbet commoda multa, Deus,
Divitiæ certum nec habent finémve modúmve,
 Magnaqve res hôc est tempore parta qvibus,

Bis

Olaus Borrichius, Dissertat. I. de Poëtis, §. XLVII. p. m. 19.

Circa Olymp. XLVII. aliis LVI. Solon non tantùm leges Atheniensibus scripsit ἄξονας, hoc est, in ligneis tabulis, sed & ποίημα scripsit δι' ἐλεγείων, & ὑποθήκας δι' ἐλεγείων, quod ex Suida *discimus. Quin & circa eadem tempora* Chilo *elegiam reliquit, &* Pittacus Mitylenæus *ἐλεγεῖα ἔπη, docente* Suidâ, *quum &* Periander *ἐλεγοποιὸς* Athenæo *dicitur, cùm* Thales *de meteoris scripserit ἐν ἔπεσι.* Solonis *elegias morales, quæ supersunt, collegit* H. Stephanus, *ex quibus illud:*

Μοῖρα δέ τοι θνητοῖσι κακὸν φέρει, ἠδὲ καὶ ἐσθλόν,
Δῶρα δ' ἄφυκτα θεῶν γίγνεται ἀθανάτων.

Hæc Borrichius. Legem qvamdam Solonis de confiniis & interstitiis depravatam apud Harmenopulum emendat Herald. c. XLI. Observat. p. 127. f. sicuti & aliam ejusdem Solonis legem, c. XLII. p. 129. f. edit. Paris. M. DCXL. in 8r. Scripsit autem leges suas Solon versibus, cujus operis, ut Plutarchus in Vita Solonis p. m. 80. B. edit. Parisinæ M. DC. XXIV. indicat, hi primi versus erant:

Πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ,
Θεσμοῖς τοῖσδε τύχην ἀγαθὴν, καὶ κῦδος ὀπάσσαι.

Hos primùm oremus, Rex ut Saturnius hisce
Legibus adspiret, velit & concedere laudem.

Etiam huc refer Terpandrum: de qvo sic Clemens Alexand. Stromatéon primo: *Μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε, Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος. Modos poëmatibus primus adjecit, & Lacedamoniorum leges numerosis versibus scripsit, Terpander Antissaus.* Nec soli is mos Spartæ. Nam ab Hermippo, in sexto

Bis tantum hi qværunt. Sed qvis satiaverit omnes?
Larga dat unius dextera lucra Dei.
Ex his noxa oritur tamen, hæc missa à Jove nunc hos
Afflictura petit, mox aliosqve petit.

de legislatoribus, proditum est, Charondæ etiam leges in conviviis cani à Thuriis solere. Imò, ut ait Martianus Capella, lib. IX. *Græcarum urbium multa, ad lyram leges, decretáqve publica, recitabant. Ad civilem etiam*, inqvit in VI. capite, de Artis Poëticæ natura ac constitutione, p. m. 34. §. 6. edit. Amstelodam. CIↃ IↃC. XLVII. in 4to. Ger. Joh. Vossius, *prudentiam refer*, qvòd, *ut unum addam juniorum, vir à lustris compluribus in toto orbe illustris Hugo Grotius, tum adhuc adolescens, paraphrasin Tituli Institutionum Justinianearum Dererum divisione, & acqvirendo earum dominio, carmine heroicô elegantissimè expressit.* Reliqvit & vitam Solonis Joh. Meursius, Antiqvitatis Græcæ, Atticæ tamen inprimis, peritissimus. Uter magis Reipubl. profuerit: Themistocles an Solon? disputant M. Anton. Majoragius & Jacob. Grifolus Lucinianensis apud Cœlium Calcagninum in Disqvisitionib. in Ciceronis de Officiis libros, p. m. 225. s. edit. Amstelodam. 1688. in 8t.



FREDERICUS SYLBURGIUS

*seqventes nobis è Solonis * Elegiis versus cum his suis in eos notis reliqvit.*

Μνημοσύνης κ̀ Ζηνὸς Ὀλυμπίου [a] ἀγλαὰ τέκνα,
Μοῦσαι Πιερίδες, κλῦτέ μοι εὐχομένῳ.
Ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε, κ̀ πρὸς ἁπάντων

Ἀν-

Memoriæ & Jovis Olympii inclytæ filiæ,
Musæ Pierides, audite me precantem.
Felicitatem mihi à Diis beatis præbere, & ab omnibus

Ho-

* *Solonis ὑποθῆκαι δι᾽ ἐλεγείας* si exstarent integræ, primum sibi locum antiqvitatis jure vindicarent: qvippe qvòd Solon XII. circiter olympiadibus ante Phocylidem & Theognidem floruisse perhibeatur; nunc cùm pauca tantùm fragmenta supersint, qvartam eis sedem adsignare libuit post Theognidem, præsertim cùm multa legantur apud Theognidem qvæ à Plutarcho, Basilio, & aliis, Soloni adscribuntur, ut partim supra in Theognide dictum est, partim in seqventibus suô locô indicabitur plenius.

a V. 1. pro ἀγλαὰ τέκνα qvidam libri habent ἐννέα κοῦραι, *novem Jovis filiæ.*

Ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν.
ᵇΕἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν·
Τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.
Χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω· πάντως ὕστερον ἦλθε δίκη.
Πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοί, παραγίγνεται ἀνδρὶ
Ἔμπεδος, ἐκ νεάτου πυθμένος ἐς κορυφήν·
Ὃν δ' ἄνδρες τιμῶσιν, ὑφ' ὕβριος, οὐ κατὰ κόσμον
Ἔρχεται, ἀλλ' ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενος,
Οὐκ ἐθέλων ἕπεται, ταχέως δ' ἀναμίσγεται ἄτῃ.
Ἀρχὴ δ' ἐξ ὀλίγου γίγνεται, ὥστε πυρός·
Φλαυρὴ μὲν τὸ πρῶτον, ἀνιηρὴ δὲ τελευτᾷ·
Οὐ γὰρ δὴν θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει·
Ἀλλὰ Ζεὺς πάντων ἐφορᾷ τέλος· ἐξαπίνης δὲ
Ὥστ' ἄνεμος νεφέλας αἶψα διεσκέδασεν
Ἠρινός, ὃς πόντου πολυκύμονος ἀτρυγέτοιο
Πυθμένα κινήσας, γῆν κατὰ πυροφόρον
Δῃώσας καλὰ ἔργα, θεῶν ἕδος αἰπὺν ἱκάνει
Οὐρανόν, αἰθρίην δ' αὖθις ἔθηκεν ἰδεῖν·
Λάμπει δ' ἠελίοιο μένος κατὰ πίονα γαῖαν
Καλόν, ἀτὰρ νεφέων οὐδὲν ἔτ' ἐστὶν ἰδεῖν.

Τοιαύ-

Hominibus semper bonam habere existimationem;
Et jucundum hic amicis esse, inimicis autem acerbum;
Illis qvidem venerandum, his autem formidabilem aspectu.
Pecunias porro desidero qvidem habere; injustè verò possidere
Nolo; omnino ENIM vindicta tandem venit.
Ac divitiæ qvidem qvas Dii tribuerint, manent homini
Stabiles, ab imo fundo ad verticem usqve:
Qvas verò colunt homines, ab injuria, non ritè
Proveniunt; sed injustis operibus pellectæ
Seqvuntur invitæ, statimqve permiscentur calamitati:
Initium autem à parvo MOMENTO fit, tanqvam ignis:
Leve qvidem primum, sed desinit dolorificum:
Non enim diu mortalibus injuriæ opera durant:
Sed Jupiter finem inspicit omnium; atqve repente
Ut ventus nubes illico dissipat
Vernus, qvi fluctuosi maris immensi
Agitans fundum, Et per terram triticiferam
Lætas vastans segetes, ad Deorum sedem In altum pervenit
Cælum, & rursus serenitatem spectandam exhibet:
Relucetqve vis solis per terram opimam
Pulcrè, nubium verò nihil amplius est videre.

Ta-

ᵇ Cum 5. versu aliqva ex parte consonat Theognidis versus 305.

Τοιαύτη Ζηνὸς πέλεται τίσις, οὐδ' ἐφ' ἑκάστῳ
Ὥσπερ θνητὸς ἀνὴρ γίγνεται ὀξύχολος·
c Αἰεὶ δ' οὔ τι λέληθε διαμπερὲς ὅστις ἀλιτρὸν
Θυμὸν ἔχει, πάντως δ' ἐς τέλος ἐξεφάνη.
Ἀλλ' ὁ μὲν αὐτίκ' ἔτισεν, ὁ δ' ὕστερον. οἱ δὲ φύγωσιν
d Αὐτοὶ, μηδὲ θεῶν μοῖρ' ἐπιοῦσα κίχῃ.
e Ἤλυθε πάντως, αὐτίκ' ἀναίτια ἔργα τίνουσιν
Οἱ παῖδες τούτων ἡγεμόνων ὀπίσω.
Θνητοὶ δ' ὧδε νοοῦμεν, Ὁμῶς ἀγαθός τε κακός τε
Ἐσθλὼ ἣν αὐτὸς δόξαν ἕκαστος ἔχει,
Πρίν τι παθεῖν τότε δ' αὖτις ὀδύρεται. ἄχρι δὲ τούτου
Χάσκοντες, κούφαις ἐλπίσι τερπόμεθα.
Χ' ὡς τις μὲν νούσοισιν ὑπ' ἀργαλέῃσι πιεσθῇ,
Ὡς ὑγιὴς ἔσται, τοῦτο κατεφράσατο.
Ἄλλος, δειλὸς ἐὼν, ἀγαθὸς δοκεῖ ἔμμεναι ἀνήρ·
Καὶ καλὸς, μορφὴν οὐ χαρίεσσαν ἔχων·
Εἰ δέ τις ἀχρήμων, πενίης δέ μιν ἔργα βιᾶται,
f Κτήσεσθαι πάντως χρήματα πολλὰ δοκεῖ.

Σπδί-

Talis est QVOQVE vindicta Jovis: neqve ob qvodlibet,
Ut mortalis homo, est citus in iram,
Ceterum non semper latet in perpetuum, qvicumqve scelerosum
Pectus habet; sed omnino tandem detectus adparuit.
At hic qvidem statim luit, ille post, qvod si fugerint
Ipsi, nec Deorum fatum insecutum eos corripuerit:
Omnino tandem venit, atqve immeriti facinora luunt
Liberi auctorum ISTORUM in posterum,
Nos verò mortales ita cogitamus;
Idem valet bonus & malus.
Qvam opinionem, UT bonam qvisqve habet
Anteqvàm aliqvid patiatur; tunc RURSUS lamentatur; cousqve autem
Oscitantes levi spe fovemur.
Ac si qvis morbis difficilibus implicetur:
Id cogitat qvomodo sanus sit futurus.
Alius timidus cùm sit, fortis vir SIBI esse videtur;
Et pulcher SIBI videtur qvi formæ gratiam non habet.
Si qvis caret pecuniis, & paupertas eum onus premit,
Omnino TAMEN multas opes acqvisiturus videtur

Acce-

c Fortasse rectius οὔ τι λέληθε, *haud quaquàm latet.*

d Qvasi μοῖρα ἕπουσα κίχοι. sed verbum ἕπεσθαι activâ formâ usitatum non est.

e Hôc versu legi etiam posset, ἤλυθε πάντως αὐτίκ', ἀναίτια δ' ἔργα τίνουσι Παῖδες, ut αὐτίκα pro *exinde* seu *tandem* accipiatur: qvod mox v. 104. τῷ χρόνῳ dicitur. Sed cùm αὐτίκα & ὕστερον diserte opponantur. v. 29. convenientius hic ante αὐτίκα subaudiemus copulativam καὶ, ut alibi haud infreqventer.

f Forsan aptius κτήσεσθαι futuri temporis.

Σπεύδει δ' ἄλλοθεν ἄλλος· ὁ μὲν, κατὰ πόντον ἀλᾶται
Ἐν νηυσὶ, χρήζων οἴκαδε κέρδος ἄγειν,
Ἰχθυόεντ', ἀνέμοισι φορεύμενος ἀργαλέοισι,
Φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν θέμενος.
Ἄλλος γῆν τέμνων πολυδένδρεον, εἰς ἐνιαυτὸν
Λατρεύει, τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει.
Ἄλλος Ἀθηναίης τε καὶ Ἡφαίστου πολυτέχνεω
Ἀργαλέοις χερσὶν ξυλλέγεται βίοτον.
Ἄλλος, Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθεὶς,
Ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος.
Ἄλλον μάντιν ἔθηκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων·
Ἔγνωσ' ἀνδρὶ κακὸν τηλόθεν ἐρχόμενον,
Οἷ συνομαρτήσωσι θεοί. τὰ δὲ μόρσιμα πάντως
Οὔτε τις οἰωνὸς ῥύσεται, οὐθ' ἱερά.
Ἄλλοι, g Παιῶνος πολυφαρμάκου ἔργα ἔχοντες,
Ἰητροί· καὶ τοῖς οὐδὲν ἔπεστι τέλος.
Πολλάκι δ' ἐξ ὀλίγης ὀδύνης μέγα γίγνεται ἄλγος,
Κοὐκ ἄν τις λύσαιτ' ἂν ἤπια φάρμακα δούς·
Τὸν δὲ κακαῖς νούσοισι κυκώμενον ἀργαλέαις τε,
Ἁψάμενος χειρὸς αἶψα τίθησ' ὑγιῆ.
Μοῖρα δέ τοι θνητοῖσι κακὸν φέρει, ἠδὲ καὶ ἐσθλόν·

Δῶρα

Accelerat alius aliunde, hic qvidem per mare vagatur
In navibus, cupiens lucra referre domum,
PER MARE INQUAM piscosum, ventis agitatus periculosis,
Nihil penitus animæ, i. e. VITÆ suæ parcens.
Alius terram scindens arborosam in annum
Famulatur; qvibus SCILICET curva aratra curæ sunt.
Alius ex Minerva multasqve artes callente Vulcano
Operosis manibus colligit victum.
Alius, Olympiadum Musarum munera edoctus,
Amabilis sapientiæ modum adseqvitur.
Alium rex longè conficiens Apollo vatem effecit;
Qvi malum homini veniens de longe prænovit.
Cui scil. Dii secundi fuerint, verùm fatalia prorsus
Nec ullum averruncabit augurium, neqve sacrificia.
Alii Pæonis multa pharmaca tenentis, opera exercent,
Medici, hos qvoqve nullus conseqvitur finis.
Sed sæpe ex modico dolore morbus fit magnus;
Nec qvisqvam solverit licet mitia remedia præbens:
Alium TAMEN malis ægritudinibus & molestis agitatum,
Manibus contingens, illico sanum reddit.
Fatum porro mortalibus adducit mala, sed & bona:

Dona

g v. 57. Quasi Παιῶνες, usitatius.

Δῶρα δ' ἄφυκτα θεῶν γίγνεται ἀθανάτων·
Πᾶσι δέ τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν, οὐδέ τις οἶδεν
Ηἷ χρήσει μέλλει χρήματος ἀρχομένου.
Ἀλλ' ὁ μὲν εὖ ἔρδειν πειρώμενος, οὐ προνοήσας,
Εἰς μεγάλην ἄτην καὶ χαλεπὴν ἔπεσε·
b Τῷ δὲ κακῶς ἔρδοντι θεὸς περὶ πάντα δίδωσι
Συντυχίην ἀγαθὴν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης.
i Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται,
Οἳ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον,
Διπλασίως σπεύδουσι. τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;
Κέρδεά τοι θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι·
Ἄτη δ' ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται ἣν ὁπότε Ζεὺς
Πέμψῃ τισομένην, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος *k* μένος, ἠδὲ χαλάζης·
Βροντὴ δ' ἐκ λαμπρῆς γίγνεται ἀστεροπῆς·
Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται ἢν δέ τις αὐτὴν
Μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.
Ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται. εἰς δὲ μονάρχου
Δῆμος ἀϊδρείῃ δουλοσύνην ἔπεσε.

Δῆμος

Donaqve Deorum immortalium sunt inevitabilia
Omnibus sanè factis periculum inest: neqve qvis novit
Qvò adpulsurus sit à negotii principio.
Alius bene REM gerere aggrediens, nec SATIS prospiciens,
In magnam noxam difficilemqve ruit:
Alii malè rem tractanti Deus in omnibus largitur
Successum bonum, liberationem ab insipientia.
At divitiarum nullus hominibus constitutus est terminus.
Nam qvi nunc inter nos plurimum possident victum,
Bis tantum qværunt. Qvisnam satiaverit omnes?
Lucra qvidem certè mortalibus dederunt immortales:
At noxa è nobis exsistit: qvam cùm Jupiter
Miserit ut pœnas sumat, aliàs alius EAM habet.

Ex nube exsistit vis nivis & grandinis;
Tonitruqve ex corusco nascitur fulgure.
A ventis autem mare turbatur, qvod si qvis
Non moveat, omnium est justissimum.
Per magnos viros perditur civitas. & in monarchæ
Servitutem populus incidit per inscitiam,

Popu-

b V. 69. inter Theognideos exstat, num. 589. sed verbis paulum mutatis.

i Itidemqve v. 71. apud Theognidem est 227. cui Theognidi etiam à S. Basilio Theologo adscribitur.

k v. 77. Pro μένος apud Diog. Laërt. est βίης qvi Pisistratum hic notari scribit.

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ,
Τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν, οὔτ' ἐπορεξάμενος.
Οἳ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν.
Ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι,
Νικᾶν δ' οὐκ εἴασ' *l* ἀμφοτέρους ἀδίκως.

Ἡμετέρη δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται
Αἴσαν, καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων.
Τοίη γὰρ μεγάθυμος ἐπίσκοπος ὀβριμοπάτρη
Παλλὰς Ἀθηναίη χεῖρας ὕπερθεν ἔχει.
Αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἀφραδίῃσιν
Ἀστοὶ βούλονται χρήμασι πειθόμενοι.
Δήμου θ' ἡγεμόνων ἄδικος νόος, οἷσιν ἑτοῖμον
Ὕβριος ἐκ μεγάλης ἄλγεα πολλὰ παθεῖν.
Οὐ γὰρ ἐπίστανται κατέχειν κόρον, οὐδὲ παρούσας
Εὐφροσύνας κοσμεῖν δαιτὸς ἐν ἡσυχίῃ.
m Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται.
Οὔθ' ἱερῶν κτεάνων οὔτε τι δημοσίων

Φει-

Populo enim dedi tantum imperii qvantum sufficit,
Honoris ei nec auferens QVIDQVAM nec præbens.
Qui verò potentiam habebant, opibusqve erant spectabiles,
Etiam iis prospexi ne qvid haberent qvod non conveniret.
Stetiqve validum utrisqve scutum circumponens;
Neutrosqve injustè Vincere sivi.

Nostra verò urbs nunqvàm ex Jovis occidit
Fato, & beatorum Deorum sententia.
Talis enim magnanima inspectrix potente patre nata
Pallas Minerva, manus desuper tenet.
Ipsi autem magnam urbem perdere imprudentiâ
Cives volunt, pecuniis illecti.
Populique Ducum mens injusta; qvibus promtum est
Ex magna injuria multos dolores pati,
Non sciunt enim satietatem cohibere, nec præsentes
Lætitias epuli in qviete moderari.
Parit utiqve satietas petulantiam, cùm multæ ILLAM opes seqvuntur.
Neqve sacris possessionibus, neqve publicis

Par-

l Pro ἀμφοτέρους apud Plutarchum est οὐδετέρους, *neutros*; concinniùs.

m V. 99. vacabat hexametri spatium, ego igitur, cùm hic versus in fine seorsum Soloni tribueretur à ceteris editionibus: hic potiùs eum inserendum existimavi: qvippe qvòd & cum præcedentibus & cum seqventibus satis aptè congruat. Non ignoro tamen & apud Theognidem eum legi, v. 153. qvamqvàm unô verbô mutatô. Pindari Scholiastes Olympiāa ode XIII. Homero eum tribuit.

T

Φειδόμενοι, κλέπτουσιν ἐφ' ἁρπαγῇ ἄλλοθεν ἄλλος·
Οὐδὲ φυλάσσονται σεμνὰ δίκης θέμεθλα·
Ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα, πρό τ' ἐόντα·
Τῷ δὲ χρόνῳ πάντως ἦλθ' n ἀποτεισομένη.
o Ταῦτ' ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον;
Εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην.
Ἣ στάσιν ἔμφυλον πόλεμόν θ' εὕδοντ' ἐπεγείρει,
Ὃς πολλῶν ἐρατὴν ὤλεσεν ἡλικίην.
Ἐκ γὰρ δυσμενέων ταχέως πολυήρατον ἄστυ
Τρύχεται ἐν συνόδοις τοῖς ἀδικοῦσι φίλους·
Ταῦτα μὲν ἐν δήμῳ στρέφεται κακά, τῶν δὲ πενιχρῶν
Ἱκνοῦνται πολλοὶ γαῖαν ἐς ἀλλοδαπὴν
Πραθέντες, δεσμοῖσι τ' ἀεικελίοισι δεθέντες
. . . .
Οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ,
Αὔλειοι δέ τ' ἴσχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι·
Ὑψηλὸν δ' ὑπὲρ ἕρκος ὑπέρθορεν, εὗρε δὲ πάντως
Εἴ γέ τις ἢ φεύγῃ ἐν μυχῷ ἢ θαλάμῳ.
Ταῦτα διδάξαι θυμὸς Ἀθηναίους με κελεύει,
Ὡς κακὰ πλεῖστα πόλει δυσνομία παρέχει.

Εὐ-

Parcentes, furantur direptionibus aliunde alius:
Neqve veneranda Justitiæ statuta observant:
Qvæ tacens, conscia eorum qvæ fiunt, qvæqve ante fuerunt
Suô tempore omnino venit ut pœnas exigat.
Hinc ergo universæ urbi venit inevitabile ulcus,
Inqve malam repente servitutem incidit;
Vel civilem seditionem dormiensve bellum excitat:
Qvod multorum amabilem perdidit ætatem,
Ab hostibus enim cito urbs amabilis
Atteritur prœliis qvæ amicos injuria afficiunt.
Hæc qvidem in populo obversantur mala: pauperum verò
Multi in pereginam terram deveniunt
Venditi, vinculisqve indignis constricti
. . . .
Sic publicum malum cuiqve domum venit,
Nec atrienses inhibere ILLUD volunt januæ,
Sed alios super muros transcendit, & omnino invenit
Sive qvis in penetrale fugiat, sive in thalamum,
Hæc docere animus me jubet Athenienses,
Qvòd plurima SCILICET mala urbi conciliet legum neglectus:

Le-

n V. 104. Forsan aptiùs ἀποτεισομένη, futur. tempor.

o Hôc etiam versu 100. legi posset ταύτῃ δή; *hac igitur ratione, hac igitur ex caussa.*

Εὐνομίη δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει,
Καὶ θαμὰ τοῖς [p] ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας·
Τραχέα λειαίνει, παύει κόρον, ὕβριν ἀμαυροῖ,
[q] Αὐαίνει δ' ἄτης ἄνθεα φυόμενα·
Εὐθύνει δὲ δίκας σκολιάς, ὑπερήφανά τ' ἔργα
Πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης.
Παύει δ' ἀργαλέης ἔριδος χόλον· ἔστι δ' ὑπ' αὐτῆς
Πάντα κατ' ἀνθρώπους ἄρτια καὶ πινυτά.

Εἰ δὲ πεπόνθατε [r] λυγρὰ δι' ὑμετέρην κακότητα,
Μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε.
Αὐτοὶ γὰρ [s] τούτους ηὐξήσατε, ῥύσια δόντες·
Καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.
Ὑμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος [t] ἴχνεσι βαίνει.
Σύμ-

Legum autem observatio, decentia & recta reddit omnia:
Et subinde injustis compedes injicit
Aspera lævigat, satietatem compescit, injuriam abolet,
Noxæqve nascentia exstingvit semina:
Lites pravas corrigit, elata facta
Mansvefacit, seditionisqve opera compescit:
Compescit etiam gravis contentionis bilem: suntqve sub ea
Omnia inter homines integra & cauta.

Si verò mala passi estis ob malitiam vestram,
Ne Diis horum caussam aliqvam imputetis.
Ipsi enim istos auxistis, præmia ceu liberatoribus dantes;
Et propterea malam adepti estis servitutem.
Vestrum autem qvisqve vulpis incedit vestigiis,
Omni-

p V. 120. Qvasi τοῖς ἀδικοῦσι φίλοις: ut sensus sit, *in congressibus cum amicis injuriam facientibus.*

q V. 123. pentameter talis qvispiam deesse videtur. Ἄλλους δ' ἐν αὐτοῖς δουλοσύνην κατέχει. Apud Plutarchum sanè & apud Aristidem oratorem his jambis gloriatur Solon.

Πολλοὺς δ' Ἀθήνας πατρίδ' εἰς θεόκτιτον
Ἀνήγαγον πραθέντας ἄλλον ἐκδίκως,
Ἄλλον δικαίως, τοὺς δ' ἀναγκαίης ὕπο
Χρησμὸν λέγοντας, γλῶσσαν οὐκέτ' Ἀττικὴν
Ἱέντας, ὡς ἂν πολλαχῇ πλανωμένους
Τοὺς δ' ἐνθάδ' αὐτοῦ δουλείην ἀεικέα
Ἔχοντας, ἤδη δεσπότας τρομευμένους,
Ἐλευθέρους ἔθηκα. Qvorum jamborum restitutionem debemus Gulielmo Cantero, Nov. Lectionum lib. V. c. IX.

r V. 128. pro λυγρὰ apud Diog. Laert. est δεινὰ, eódem sensu.

s V. 130. Τούτους: qvasi τούτοις referentes ad participium δόντες, minùs commodè. Ibidem mox apud Plutarchum est ηὐξήσατ' ἐρύματα δόντες, *auxistis, datis tutaminibus.* Præcedenti versu apud eumdem Plutarchum est μῆνιν ἐπαμφέρετε, *eó nomine iram adversus Deos gerite.*

t V. 132. Apud Diogenem Laertium ἴχνεσι βαίνει,

Σύμπασιν δ' ὑμῖν χαῦνος ἔνεστι νόος.
Εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε, καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός.
Εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε.

Πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ,

Θεσμοῖς τοῖσδε τύχην ἀγαθὴν καὶ κῦδος ὀπάσσαι·
Πάντη δ' ἀθανάτων ἀφανὴς νόος ἀνθρώποισι.

Οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βροτὸς, ἀλλὰ πονηροὶ
Πάντες ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ.

Ἴομεν ἐς Σαλαμῖνα, μαχησόμενοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσόμενοι.

Δείξει δὴ μανίην μὲν ἐμὴν βαιὸς χρόνος ἀστοῖς.
Δείξει, ἀληθείης ἐς μέσον ἐρχομένης.

Γνωμοσύνης δ' ἀφανὲς χαλεπώτατόν ἐστι νοῆσαι
Μέτρον· ὃ δὴ πάντων πείρατα μοῦνον ἔχει.

Ἔργα

Omnibusqve vobis laxa ineſt mens.
Lingvam enim hominis inſpicitis, & verſuta verba,
In res verò qvæ fiant nullas intuemini,

Primum qvidem Jovem Saturnium regem precemur.
Ut legibus hic proſperum ſucceſſum & gloriam largiatur.

Omnino autem hominibus obſcura EST mens Deorum,

Nec beatus eſt ullus mortalis, ſed ærumnoſi
Omnes qvotqvot mortales ſol aſpicit.

Eamus in Salaminem, pugnaturi pro inſula
Deſiderata, graveqve probrum depulſuri.

Oſtendet ſanè inſaniam meam breve tempus civibus.
Oſtendet, inqvam, veritate in medium prodeunte,

Cognitionis verò obſcuram difficillimum eſt cognoſcere
Menſuram: qvæ ſane omnium fines ſola continet

Opera

βαίνει, (itemqve apud Plutarchum) & ſeq. v. 133. κοῦφος ἔνεστι νόος, ac rurſum v. 134. εἰς ἔπη αἱμύλα ἀνδρὸς apud Plutarchum; nec non & apud Clementem Alexandrinum, p. 28. teſte Hœſchelio. in Piſiſtratum verò hæc qvoqve à Solone ſcripta eſſe, adnotat idem Diogenes Laërtius & Plutarchus. V. 136. & 137. leguntur apud Plutarchum, itemqve 147. 148. & 151. Eidem Soloni à Plutarcho tribuitur tetraſtichon, qvod inter Theognidea legitur v. 315. & hexaſtichon, qvod apud eumdem Theognidem eſt v. 719. item hexaſtichon, qvod apud eumdem V. 227. qvod ipſum etiam à S. Baſilio ad Solonem referri, ſupra docui.

Ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα, καὶ Διονύσου,
Καὶ Μουσῶν. ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας.
Μὴ δέ μοι ἄκλαυστος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς·

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν ἔτι νήπιος, ἕρκος ὀδόντων
Φύσας ἐκβάλλει πρῶτον ἐν ἕπτ' ἔτεσιν.
Τοὺς δ' ἑτέρους ὅτε δὴ τελέσῃ θεὸς ἕπτ' ἐνιαυτοὺς,
Ἥβης ἐκφαίνει σήματα γινομένης.
Τῇ τριτάτῃ δὲ γένειον ἀεξομένων ἐπὶ γυίων
Λαχνοῦται, χροιῆς ἄνθος ἀμειβομένης.
Τῇ δὲ τετάρτῃ πᾶς ἐν ἑβδομάδ' ἐστὶν ἄριστος
Ἰσχύν, οἱ τ' ἄνδρες σήματ' ἔχουσ' ἀρετῆς.
Πέμπτῃ δ' ὥριον ἄνδρα μεμνημένον ἂρ γάμου εἶναι,
Καὶ παίδων ζητεῖν εἰσοπίσω γενεήν.
Τῇ δ' ἕκτῃ περὶ πάντα καταρτύεται νόος ἀνδρὸς,
Οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὁμῶς ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει.
Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ' ἄριστος.
Ὀκτὼ δ', ἀμφότερα, τέσσαρα καὶ δέκ' ἔτη.
Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ

Opera verò Cyprigenæ nunc mihi grata, & Bacchi
Ac Musarum: qvæ hominibus afferunt lætitias.
Ne mihi mors indefleta veniat; sed amicis
Linqvam defunctus dolores & gemitus.

Senescoqve multa semper discens.

Puer impubis adhuc infans, septum dentium
Emittit primis septem annis.
Postqvàm verò alteros septem Deus absolverit annos,
Pubis indicia generationi aptæ apparent.
Tertiâ HEBDOMADE mentum augescentibus jam membris,
Lanugine obducitur, colore florem mutante,
Qvartô septenariô qvisqve præstantissimus est
Robore, ipsiqve viri signa virtutis edunt,
Qvintô, maturum jam virum nuptias meminisse oportet,
Et liberorum procreationem in futurum qværere,
Sextô, in omnibus absolvitur viri mens,
Nec amplius æqvè ineluctabilia peragere opera vult,
Septimô septenariô mente & lingvâ fiet optimus,
Et octavô, ambobus illis, annis qvatuordecim.
Nonô adhuc aliqvid potest; verùm remissior est ipsius

Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τι καὶ σοφίη.
Τῇ δεκάτῃ δ' εἴ τις τελέσας κατὰ μέτρον ἵκοιτο,
Οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

Ad magnam virtutem tàm lingva qvàm sapientia
Decimô, si qvis mensurâ completâ eò pervenerit,
Jam non immaturus mortis fatum subeat.

II. VERSUS * RHIANI.

Scilicet omnibus est mortalibus insitus error.
Qvæqve dat ipse Deus non æqvâ munera lance

Acci-

* Hoc de Rhiano ita nos docet Lilius Gregor. Gyraldus, Tom. II. Oper. Dialog. III. de Poëtar. Histor. col. m. 165. D. edit. opt. Lugdunens. Batav. CIϽ DC. XCVI. in fol. *Rhianus eâ, quâ Eratosthenes ætate claruit. Rhiani versus cùm alibi, tùm in iis, quæ in Apollonium scripta sunt commentaria, non semel in medium allatos invenietis. Stephanus verò* Thessalica *illum scripsisse prodit, unde & sunt Thessalia in iis, quæ modò dixi commentariis, cognomina collecta. Scripsit item eôdem ipsô Stephanô autore* Phamam, *unde & carmina in testimonium vocat. De Rhiano præterea in Græcorum monumentis sic invenimus: Rhianus, ajunt, Cretensis fuit, ex Bena civitate, à qua ipse Benæus cognominatus est, id qvod etiam Stephanus tradit: alii autem, ut Suidas scribit, Ceraitem dixêre, alii ex Messena Ithaca, qvô virisimile nobis videri facit Pausanias, qui à Rhiano Messeniacum bellum carmine scriptum ait, qvod xx. annis Messenii cum Lacedæmoniis gessêre: qvod Rhiani qvidem carmen commendat Pausanias supra historiam, qvam eadem de re scripsit Pireneus* (Prieneus) *Myron. Fuit verò Rhianus primùm qvidem palæstræ custos & servus: mox literas edoctus non incelebris factus est Grammaticus & poëta. Scripsit præterea, quæ suprà memoravimus,* Thessalica & Messeniaca, Heracleada *libris quatuor: nec de Rhiano plura adhuc didici.* Seqvitur Lilium pro more Gerard. Joh. Vossius, cujus in I. de Historic. Græcis c. XVII. p. m. 111. edit. Lugdunens. Batav. M. IϽC. LI. in 4to. hæc sunt verba. *Eratostheni æqvalis erat Rhianus Benæus, Suidâ teste. Est autem βῆνα Cretæ civitas. Nobilis fuit Grammaticus, & Poëta; Athenæo etiam memoratus,* lib. XI. *& Stobæo, serm. de imprudentia. Stephanus citat ejus Eliaca, Thessalica, Iliaca, Achaica, & Messeniaca. Pausanias in Messeniacis magis commendat Rhiani Messeniaca, licet carmine scripta, quàm historiam ejusdem argumenti contextam à Myrone Prienensi. Unde, Rhianum hunc poëtam historicum fuisse, cognoscimus. Pausaniam ipsum vide. Heracleida qvoqve edidit. Opus id constitisse* βιβλίοις τέσσαρσι, *(libris quatuor) ait Suidas. Qvem seqvitur Lilius Gyraldus in poëtarum hist. dial. III. Sed apud Etymologum in* Ἀσίλημα *citatur* Ῥιανὸς ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ἡρακλείας. *(Rhianus in decimoqvarto Heraclea.) Unde Suidas, denariô adjectô, emendandus. Meminit & Rhiani Euripidis scholiastes in initium Alcestidis: ubi ex eo commemorat,*

Accipimus ſtultis animis. Hic pauper & expers
Errat, & impurô magnis convitia divis
Ore facit, ſeſe affliĉtans, neqve peĉtore conſtat
Virtutis ſenſus. Nec qvſdve loqvatur agátve

Reppe-

merat, Apollinem volentem ſerviiſſe amori Admeti. Item è Latinis Tranqvillus in Tiberio, c. LXX. Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium. Qvibus poëtis admodùm delectatus, ſcripta eorum, & imagines, publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores, dedicavit. Hæc Voſſius. Locus Pauſaniæ dignus eſt, qvi adponatur: *Hoc ipſum*, inqvit lib. IV. p. m. 226. v. 26. edit. optimæ Hanovienſ. M. DC. XII. in ſol. *Meſſenicum bellum perſcripſére, Rhianus Benæus verſibus, ſolutâ oratione Prienenſis Myron: ſed eorum neuter à belli initio ad finem perpetuâ ſerie eſt omnia perſecutus. nam arbitratu uterqve ſuô partem ejus belli ſibi qvam voluit aſſumpſit. Myron ab Amphea everſione exorſus, omnia deinceps conſcripſit qvæ uſqve ad Ariſtodemi mortem conſecuta ſunt: atqve eum hiſtoria ſua finem præſcripſit. At Rhianus primum bellum prorſus non attigit, verùm ea duntaxat qvæ Meſſeniis poſt defectionem à Lacedæmoniis, evenerunt. Sed neqve hæc omnia ſingillatim literis mandavit: verùm de poſtrema tantummodò pugna, qvæ ad foſſam, cui Magna nomen, commiſſa eſt, deqve Meſſenio Ariſtomene, cujus maximè cauſſâ hanc feci de Rhiano & Myrone mentionem, qvod is ſcilicet primus, & omnium maximè, Meſſeniorum nomen virtute ſuâ illuſtrârit: de eo, inqvam*, non ſatis accuratè *egit in commentariis ſuis Prienenſis Myron, cùm Rhianus nihilo minus Ariſtomenem ſuis verſibus, qvàm Achillem in Iliade Homerus, exornaverit.* Item p. 243. v. 43. *Qvi autem eſſent Spartæ reges, eos Tyrtæus non nominavit. At Rhianus verſibus mandavit, Leotychide regnante bellum hoc alterum geſtum. At enim Rhiano in hac ego re neutiqvàm aſſentior: Tyrtæum verò id ipſum qvod apertè non dixit, ſignificâſſe tamen facilè videri poſſit.* Adducit qvoqve loca qvædam Rhiani ſub principium qvarti citati, p. m. 217. v. 30. Pauſanias dictus, ſicuti & p. m. 249. v. ult. Joannes Meurſius, IV. Cretæ, c. XII. p. m. 242. edit. Amſtelod. 1675. in 4to. *Qvidam*, inqvit, Rhianum *Benæum eſſe, qvidam autem Cereaten voluerunt. Vide ſupra, ubi de urbe Cereâ egi*, lib. I. c. VII. p. 23. ubi Meurſius hæc habet: Bena *erat* Rhiani Poëtæ *patria, ex ſententia quorundam*: & *Gortyniis ſubjecta. Stephanus*: Βήνη, πόλις Κρήτης, ὑπὸ Γορτύνην τεταγμένη. τὸ ἐθνικὸν, Βηναῖος. Ῥιανὸς γὰρ ὁ Ποιητὴς Βηναῖος ἦν. Bena, urbs Cretæ, Gortynæ ſubjecta. Gentile, Benæus. Rhianus enim Poëta Benæus erat. *Ac de Rhiano, etiam teſtatur Suidas*: Ῥιανὸς, ὁ καὶ Κρὴς, ὡς Βηναῖος. Βήνη δὲ, πόλις Κρήτης. Rhianus, Cretenſis erat, urbe Benæus. Bena enim, urbs Cretæ eſt. Et p. 24. *Qvidam Rhianum non Benæum, ſed Cereaten, memorabant. Stephanus*: Ῥιανὸς ὁ ποιητὴς Βηναῖος ἦν, ἢ Κερεάτης. Rhianus Poëta Benæus erat, aut Cereates. *Suidas*: Ῥιανὸς, Κρὴς, Βηναῖος. τινὲς δὲ, Κερεάτην. Rhianus, Cretenſis, Benæus. qvidam verò, Cereaten tradunt. *Ita enim ibi ſcribendum; non*, Κεραίτην. Cerætem. *Scripſit verò*, pergit ibid. Meurſius, p. 242. *poëmata; & in illis Heracleadem*, libris IV. *Suidas*. Ῥιανός. ἔγραψεν ἔμμετρα ποιήματα· Ἡρακλειάδα, ἐν βιβλίοις τέσσαρσι. *Rhianus*. Scripſit poëmata verſibus comprehenſa: Heracliadem, libris qvatuor. *Sed non*

poteſt

Repperit, aspiciens opibusqve & honore potentes.
Intereà insanis roduntur pectora curis,
Et mens tristificô consumitur ægra dolore.
Ille sed in lauta vehitur qvi parte beatus,
Auctus & à divis opulenti munere regni,
Non sibi jam terram pedibus calcare videtur,
Oblitusqve suos mortales esse parentes.
Stulticiâ fastuqve fremens sese ipse Tonanti
Comparat, & caput in cervicibus erigit altum,
Ulteriusqve effert de torto corpore parvus,
Conjugiumqve deæ votis audacibus ambit
Cecropiæ: in summum & qvæ ducat semita cælum
Vestigat, qværens epulis allidere divûm.
At pedibus teneris affectans noxa, supernè
Verticibus calcem impingit, neqve cernitur ulli,
Ac specie juvenes interdum fallit anili,
Interdum senibus juvenilia damna refundit:
Lætificansqve Jovem dea pœnis justiciamqve.

potest qvin sit mendum; nam plures ejus Operis libri exstiterunt: Et Etymologici Auctor decimum quartum nobis citat, in Ἀσίλωνα. Ὡς Ῥιανὸς ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ἡρακλείας. Ut Rhianus librô decimoqvartô Heracleæ. *Scripsit etiam Historiam belli Messenici. Pausanias in Messenicis.* Τοῦτον δὲ τὸν τῶν Μεσσηνίων τὸν πόλεμον Ῥιανός τε ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν ὁ Βηναῖος, καὶ ὁ Πριηνεὺς Μύρων. Hoc Messeniorum bellum versibus conscripsit & Rhianus Benæus, & Myron Prienensis. *Citatque ibi hunc Auctorem pluribus locis. Ejus* Ἐπιγράμματα *citat Athenæus*, lib. XI. *Insigne ejus ex incerto Opere fragmentum exstat apud Stobæum*, serm. IV. *Citatur quoque iste versus à Scholiaste Apollonii*, lib. III.

Πᾶσαι δ' εἰσαΐουσι, μιῆς ὅτε τοὔνομα λέξεις.

Omnes exaudiunt, unius cùm nomen dices.

Adde & Vossium de Poët. Græc. c. VIII. p. m. 67. edit. Amstelædam cIↄ Iↄc LXII. in 4to. uti Borrichium de Poëtis, cujus è Dissert. I. §. XXXIII. p. 14. hæc verba juvat adponere. *Rhianus*, inqvit, *bellum, quod Lacones inter & Messenios exarsit, complexus est versibus. Heroicum quoddam* Rhiani *fragmentum adhuc superest apud* H. Stephanum, *cujus initium:*

Ἦ ἄρα δὴ μάλα πάντες ἁμαρτίνοοι πελόμεσθα.
Ἄνθρωποι, φέρομεν δὲ θεῶν ἑτερόῤῥοπα δῶρα.

Adrian. Turneb. lib. XIV. Advers. c. XVII. extr. p. m. 266. a. edit. Aureliopol. MDCIV. in 4to. Rhianus. inqvit. *Poëta nominatur à Suida, ejusqve hodie multi exstant versus in Stobæo.* Salmasio. p. m. 601. b. D. Exercitat. in Solin. Rhianus *heroici carminis auctor, est raræ ac reconditæ lectionis, nec omnibus protrita, qui profanum vulgus arcebat obscuritate suâ.*

Hos

Hos Rhiani versus nobis ita exhibet Fred. Sylburg.

Ἦ ἄρα δὴ μάλα πάντες ἁμαρτίνοοι πελόμεσθα
Ἄνθρωποι· φέρομεν δὲ θεῶν ἑτερόρροπα δῶρα
Ἀφραδέι κραδίῃ· βιότοιο μὲν ὅς κ' ἐπιδευὴς
Στρωφᾶται, μακάρεσσιν ἐπὶ ψόγον αἰνὸν ἰάπτει
Ἀχνύμενος, σφετέρην δ' ἀρετὴν καὶ θυμὸν ἀτίζει.
Οὐδέ τι θαρσαλέος νοέειν ἔπος, οὐδέ τι ῥέξαι,
Ἐρριγὼς ὅθι τ' ἄνδρες ἐχεκτέανοι παρέωσι,
Καί οἱ θυμὸν ἔδουσι κατηφείη καὶ ὀιζύς.
Ὅς δέ κεν εὐοχθῇσι, θεὸς δ' ἐπὶ ὄλβον ὀπάζῃ
Καὶ πολυκοιρανίην, ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν
Ποσσὶν ἐπιστείβει, θνητοὶ δέ οἱ εἰσὶ τοκῆες·
Ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἁμαρτωλῇσι νόοιο
Ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει,
Καί περ ἐὼν ὀλίγος, μνᾶται δ' εὔπηχυν Ἀθήνην·
Ἠέ τιν' ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται Οὔλυμπόνδε,
Ὥς κε μετ' * ἀθανάτοισιν ἀρίθμιος εἰλαπινάζῃ,
Ἡ δ' Ἄτη ἁπαλοῖσι μετατροχόωσα πόδεσσιν,
Ἄκρῃς ἐν κεφαλῇσιν ἀνώιστος καὶ ἄφαντος,
Ἄλλοτε μὲν γραίῃσι νεωτέρη, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὁπλοτέρῃσι γρηὺς ἐφίσταται ἀμπλακίῃσι.
Ζηνὶ θεῶν κρείοντι Δίκῃ τ' ἐπίηρα φέρουσα.

Profectò igitur omnes omnino erramus animis
Homines, ferimusqve Deorum alterutrâ lance tributa dona
Pectore inconsultò. Nam qvi victus inops
Obversatur, Diis gravem impingit culpam
Mœstus, suam verò virtutem animumqve negligit.
Nec dicere qvidqvam neqve facere audet,
Exhorrescens ubi viri locupletes adfuerint:
Sed animum ei rodunt mœstitia & ærumna.
Ac qvi prosperè agit, & cui opes Deus tribuit,
Ac dominium in multos, hic oblivíscitur cujus gratia telluri
Pedibus insistat, & mortales ei sunt parentes,
Sed superbiâ & vitiosâ elatione animi
Instar Jovis tonat, & caput supra cervicem tollit;
Qvamvis parvus pulchrisqve decoram cubitis Minervam ambit.
Aut semitam aliqvam rimatur ad Olympum.
Ut Diis immortalibus adnumeratus epulis eorum fruatur.
At noxa teneris accurrens pedibus,
In summis capitibus nec exspectata, nec visa,
Aliàs qvidem vetulis ipsa juvenili formâ; aliàs contra,
Jovi Deorum principi & Justitiæ gratum faciens.

* V. 16. rectiùs fortassis ἀθανάτοις ἐναρίθμιος.

III. * MIMNERMI VERSUS.

Conspicua ut foliis sunt florida tempora Veris,
Qvando novâ gestit crescere luce dies:
Sic, qvantum est cubiti spacium, nos tam breve vitæ
Et teneræ ætatis gaudia percipimus.

* Michaël Neander Soraviensis in p. 40. Commentatiunculæ de Autoribus, qvorum Testimonia sua in Gnomologia Græco-Latina citat.

Mimnerus, alii etiam Mimernum, alii rursum Mimmermium legunt, cùm sit à memoria & interpretatione nomen deductum ut Mnemernus dicatur. Is nunc Mnemetnus poëta fuit elegiographus Smyrnæus, Ligyastades propter carminis suavitatem cognominatus. Nihil in vita suave esse censebat sine amore & jocis. Citant ejus versus Athenæus, Plutarchus, Stobæus & alii. Meminit. qvoqve ejus Pausanias.

Lil. Greg. Gyraldus, Dialog. III. de Poëtarum Historia, col. m. 161. D. Tom. II. Oper. edit. noviss.

Mnimermi poëtæ nomen Græcis pariter & Latinis variè profertur; qvidam enim Mimernum, *alii* Mimermum, *alii* Mimnermum, *ut ferè Latini semper & Athenæus vocant, cùm sit à memoria & interpretatione nomen deductum, ut* Mnemermus *dicatur. Fuit Lyrgitiadæ Colophonii filius, & tibicen, ut testatur Strabo: ut verò alii, Smyrnæus: ut alii, Astypalæus, unde ipse de se in elegia, qvæ* Nanno *inscribitur:*

Tum Pylon excelsam Neleida linqvimus urbem,
Optatamqve Asiam navibus attigimus.
Et primum ad Colophonem instructis viribus urbem,
Et gravis hic cladis sedimus usqve duces.
Inde per Astyenta egressi protinus amnem
(Cura deûm) Smyrnam vidimus Æolida.

Fuit verò Nanno tibicina qvapiam à Mimnermo adamata, cujus & mentio est apud, qvem modo nominavimus, Hermesianactem, in ea elegia, qvam de qvorumdam poëtarum amoribus scriptam reliqvit. Natus qvidem Mimnermus dicitur duodeqvadragesima Olympiade, *eâ, qvâ sapientes, ætate floruisse traduntur: unde & à Solone increpitum ait* Laërtius, *qvòd sexagesimum annum fatalem homini statuisset, octogesimumqve potiùs statuendum monuit, qva de re Græca adhuc carmina leguntur.* Ligyastades *propter carminis suavitatem cognominatus est. Eorum sectatus est sententiam, qvi indolentiam & animi tranqvillitatem induxerunt: nihil enim, ut ait Horatius in* Epistolis (VI. lib. I. v. 65.) *suave esse censebat sine amore jocisqve, & ut scribit Pomponius Porphyrion, ἀναλγησίαν Hieronymi commendavit. Meminit ejus & Propertius, librô primô,* El. IX. 11.

Plus in amore valet Mimnermi versus Homerô.

Meminêre & Solinus & Censorinus, item & Stobæus, apud qvem & ipsius multa leguntur

Ignari pravi atqve boni. Sed fata propinqvant
Intereà, cultu tristia fata nigrô.
Et gravis alterius comes est inamœna senectus,
Alterius stipat mors violenta latus.

Æta-

leguntur carmina, & inprimis in ea oratione, qua de vitæ brevitate *inscribitur. Meminit qvoqve Pausanias & in* Bœoticis *inprimis, quò locô illum in elegiis de Smyrnaeorum bello, quod adversus Gygen* Lydorum *regem gestum est, dixisse ait; antiquiores Musas Cœli filias fuisse, juniores verò Jovis, id quod in* Musis *etiam retulimus.*

Andr. Schottus in Procli Chrestomathiam, p. 28.

Μίμνερμος Κολοφώνιος *Lyrgitiade Colophonii F. fuit, & tibicen, Auctore Strabone.* lib. XIV. ἄνδρες δ' ἐγένοντο κολοφώνιοι τῶν μνημονευομένων, Μίμνερμος αὐλητὴς ἅμα καὶ ποιητὴς ἐλεγεῖος. *Nam sunt qui Smyrnaeum faciant: à quibus stare Pausanias videtur, cujus hac in Bœoticis,* p. 584. *sunt, Smyrnaeorum bellum conscripsisse (quod & Strabo ibidem significat) elegiacô carmine:* Μίμνερμος δὲ ἐλεγεῖα ἐς τὴν μάχην ποιήσας τὴν Σμυρναίων πρὸς Γύγην τε καὶ Λυδοὺς, φησὶν ἐν τῷ προοιμίῳ θυγατέρας οὐρανοῦ τὰς ἀρχαιοτέρας Μούσας, τούτων δὲ ἄλλας νεωτέρας εἶναι Διὸς παῖδας. *Astypaliensem quidam faciunt. Vocatus etiam* Λιγυαστάδης *paullum deflexô nomine paternô* Λιγυρτιάδου, διὰ τὸ ἐμμελὲς καὶ λιγὺ, *ob singularem ejus industriam & suavitatem, auctore Suidâ. Laudat plenas amoris elegias Horatius, Propertius, Solinus, & Stobaeus, sermone de vita brevitate.*

Ger. Joan. Vossius de Poëtis Græc. c. III. ext. p. m. 18. edit. Amstelæd. CIↃ IↃC LXII.

Paullò ante Solonem, ac Solonis etiam temporibus, claruit Mimnermus Colophonius, vel Smyrnaeus. Elegiacis Poëtis accenset Censorinus in Fragmento, c. IX. *Apud Pausaniam quoque in Bœoticis, legas elegiacô versu tradidisse pugnam Smyrnaeorum contra Gygen, & Lydos. Etiam* Ἐρωτικὰ *scripsisse indicat illud Propertii,* lib. I.

Plus in amore valet Mimnermi versus
Homerô.

Supersunt hodieque ejus versus, adversus Solonis sententiam annum septuagesimum (Sexagesimum) *homini supremum statuentis. Nam ille octogesimum potiùs fatalem arbitrabatur.* Idem Vossius, III. Institution. Poëticar. c. XI. §. 4. p. m. 51. *Mimnermus,* inqvit, *Olympiade claruit XXXVII.* (at in IV. de Historic. Græc. c. I. extr. p. 432. Olympiade XXXVIII. Mimnermum natum scribit) *ut septem sapientibus antiquior sit: quemadmodùm auctor Suidas; ubi malè editum* Μίμνερμος. *De eo sic Strabo,* lib. XIV. Ἄνδρες δ' ἐγένοντο Κολοφώνιοι τῶν μνημονευομένων, Μίμνερμος, αὐλητὴς ἅμα, καὶ ποιητὴς ἐλεγεῖος. Fuère celebres Colophonii; ut Mimnermus, tibicen simul, & poëta elegiacus. *Celebrant eum quoque Ælianus,* lib. X. (lib. XII.) Var. Hist. c. XXXVI. *Pausanias in Bœoticis. Athenaeus,* lib. XIV. & XV. *& ante tres istos Plutarchus lib. de Musica, item de facie Lunæ, nec non de virtute morali: ubi distichon ejus adducit de amore, sine quo nec vivere se velle ait. Unde Horatius,* lib. I. Epist. VI. *ad Numicium,* v. 65.

Si, Mimnermus uti censet, sine amore, jocisque,
Nil est jucundum; vivas in amore, jocisque.

Nempe tota penè ejus poësis fuit amatoria. Unde Propertius, lib. I. eleg. IX. v. 11.

Ætatisqve perit citò flos, instarqve diei
Durat ab exorto lumine ad occiduum.
Hoc ubi præteriit mersum caligine tempus,
Qvàm vixisse, mori rectiùs esse putes,
Nam mala multa animus tum sentit, sive domi res
Deficiens inopis corda fatigat heri:
Sive hæredis egens opulentia, dum cupit illas
Linqvere opes natis sic obit orba diem.
Jamqve aliqvis morbis crudelibus excruciatur,
Nec qvisqvam est, cui non det mala multa Deus.

IV. COM-

Plus in amore valet Mimnermi versus Homerô.

Carmina mansvetus levia qværit amor.

Solinus eumdem, c. XLIII. *inter inclyta Asiaticorum ingenia reponit.* Olympiade XXXVII. *claruit; ut est apud Suidam. Sed corruptè apud eum vocatur* Μίμνερμος. *Qvæ ex elegiis ejus colligi potuêre, edidit cum illustrium feminarum, &* Lyricorum *carminibus, Fulvius Ursinus.* Hæc Vossius. Ceterùm ad intelligendos adductos Flacci versus facem adlucebit fragmentum *Mimnermi*, qvod exstât apud *Stobæum, Serm.* CLXXXIV. *Porphyrius* in h. l. *Mimnermus*, inqvit, *elegans scriptor fuit qvidam, eclogâ Hieronymi sectam commendans, qvi summum bonum indolentiam, qvam Græcè* ἀναλγησίαν *nominant, molestias amores plus qvàm gaudii habere demonstrat.* Locus corruptus, si qvisqvam alius. Salvô κριτικωτέρων jûdiciô, inqvit, doctiss. Dn. Joachimus Kühnius in notis ad adductum Æliani locum, p. m. 601. legerem: M. e. s. f. qvi qvâdam eclogâ (vel, elegiâ) H. s. c. q. s. b. i. ait, qvam Græcè ἀναλγησίαν nominant, amores plus gaudii qvam molestiarum h. d. De *Hieronymo Rhodio*, *Cicero* lib. II. de *Fin. Bon. & Mal.* & passim in *Tusc. Qvæst.* Mimnermi sententia de amore apud *Stobæum* l. c. satis manifesta est. ad lib. II. *Epist. Horat.* iterum *Porphyrius*, *Mimnermus*, inqvit, *duos luculentos libros scripsit.*

Olaus Borrichius, Dissert. I. de Poëtis, §. ult. p. m. 19. 20. edit. Francofurt. 1683. in 4to.

Mimermus (lege hic & posteà in Borrichio *Mimnermus.*) *Elegiarum scriptor, Solone qvidem senior, sed ita ut simul aliqvamdiu vixerint*, ex Suida; *delitium antiqvitatis, à cantus svavitate* λιγυαστάδης *dictus, varia & præsertim amatoria versibus illigavit. Extant apud* H. Stephanum *fragmenta ejus de Vita brevitate, de vituperiis senectutis, de amore, fortitudine, &c. ex qvibus illud:*

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς
Ἀφροδίτης;
Τεθναίην ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.

Qvò respexisse videri potest Horatius, *cùm* lib. I. Ep. VI. 65. *ita disserit:*

Si, Mimermnus uti censet, sine amore, jocisqve
Nil est jucundum: vivas in amore, jocisqve.

Qvin & ἐρωτικὰ *scripsisse testatur illud* Propertii, lib. I. El. IX. 11.

Plus in amore valet Mimermni versus Homerô.

Notat hunc Cl. Salmas. in Solin. p. m. 878. b. A.

IV. COMMENTATIO

JOACHIMI CAMERARII.

[1] Solonis versus excerpti sunt de Poëmatis illius, & conservati à collectoribus sententiarum veterum. [2] Fuit autem Solon & sapiens unus ex septem, & legum scriptor solus ex septem, ut ait Cicero *; Cujus ætas incidit in id tempus, qvô Crœsus Rex Lydorum imperium amisit victus & captus à Cyro. Floruisse eum tradunt Olympiade XLVI. [3] Composuit autem Solon multos versus, de moribus & vita maximè, deqve Republica. Suas etiam leges conatus versibus comprehendere. [4] Hôc enim tùm scriptores genere utebantur, orationis inqvam definitæ numeris & certarum conversionum, qvas demetientes ex eo, illam formam μέτρα, & versus contrariam prosæ appellarunt. [5] Est autem veterum omnium oratio simplex & communis modi, ideoqve cura & artis exqvisitio illa qvidem scripta non commendat, sed naturalis fluxus & facilitas gratiam venustatemqve his summam adjungit. [6] Itaqve neqve talibus versibus neqve veterum solutâ oratione, qvalis est Herodoti, svavius fieri possit qvidqvam. [7] Nos conversionem etiam anxiè elaborare noluimus, sententiam autem Græcorum diligenter studuimus exprimere. De hoc igitur hactenus.

V. [1] Mimnermus attigit ætatem septem sapientum. Et exstant apud Laërtium, lib. I. c. LX. LXI. versus illius, & ad ipsum Solonis, de longissimo spacio vitæ humanæ. [2] Nam cùm Mimnermus fecisset,

Expertem me utinam morborum tristitiæqve
Post sexaginta tempora parca necet.

Scribit Laërtius, Solonem petiisse, ut moneri se pateretur, & corrigeret votum illud, versumqve sic mutaret.

Post octoginta tempora parca necet.

[3] Qvòd vita humana ad octogesimum annum rectè produci posset, cujus tamen finem idem apud Herodotum facit septuagesimum annum. [4] Facit hujus mentionem Horatius qvoqve in lib. I. epistola VI. ad Numicum, v. 65.

Si, Mimnermus uti censet, sine amore, jocisqve
Nil est jucundum, vivas in amore jocisqve.

[5] Exstant autem Mimnermi versus apud Plutarchum in libello de virtute morali, (p m. 445. F. edit. Paris. M.DC.XXIV.)

* Ep. XV. ad Brutum. in qvem locum vide P. Victorium, lib. non XXIV. (ut habetur in notis Gruteri novissimæ Lugdun. Batav. Cicer. Oper. editioni subjunctis, part. III. p. m. 1043.) sed XXIII. c. VII. p. m. 275. s. edit. Florentinæ CIↃ IↃ LXXXII.

Τίς δὲ χάρις, τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς ἀφροδίτης;
Τεθναίην ὅτι μοι μηκέτι † ταῦτα μέλοι.

6 Rhianus posterior fuit satis longô tempore. Nam æqvalem faciunt hunc Eratostheni, qvi vixit Olympiade CXXXIII.

VI. 1 Qvod attinet ad doctrinam horum versuum, ea est sapientiæ & cogitationum atqve rationis hominum. 2 Nam miseriam esse generis sui maximam, & omnia plena peccatis ac erroribus, & conatus honesti atqve recti frustrari eventum, & esse voluntatem pravam, neqve ullum in terris stabile bonum, cognoscit atqve videt mens humana: Et dolet & circumspicit ac qværit consolationem, & in his sese variè versat, modò hoc, modò illud arripiens, planè aliud, qvemadmodùm dicitur, ut ex alio incidit. 3 De qvibus ratiocinantes tandem concludunt id qvod inter Theognidis gnomas legitur:

Non nasci [*] *esse bonum, aut natum citò morte potiri.*

Sicut interpretatus fuit Ausonius breviter, Edyll. XV. v. ult. 4 Fit autem ut tùm audaces eousqve efferantur, ut omnia temerè atqve fortuitò, nemine vel movente vel gubernante fieri perhibeant: 5 ad qvod concursus illos minutissimorum corporum Democriti assumserunt, qvibus qvô magis fortuiti casus essent, Epicuros posteà declinationem dissentaneam addidit, disputationibus non admodùm †† eruditis. 6 Alii callidiores fatali necessitate devinciunt universa, ad qvam Stoici [**] conseqventiam caussarum, & auream Homeri catenam accommodârunt. 7 Alii sibi qvemqve relinqventes, divinitatem attribuêre animis, id est, omnem effectionem & vim tam boni qvàm mali. 8 Ut ille, de cujus sententia Ovidius, VIII. Metam. v. 72. fecit,

---- ---- *sibi qvisqve profectò*
Fit Deus ---- ----

9 Et

† *Ταῦτα μέλοι.* i.e. *Gratia quænam sit sine Cypride, quæve Voluptas? Hæc mihi cùm cura non erit, emoriar.*

* *Non nasci*] Prolixus est in explicatione hujus sententiæ Erasmus, qvem vide in p. 713. Adagior. edit. Francof. MDCXLVI. Adde & Jac. Tollii notas dictum in Ausonii locum, p. m. 528. b. edit. Amstelod. MDCLXXI. in 8t.

†† *Non admodùm eruditis*] Vide tamen qvæ de Epicuro scripsi Tom. I. Methodor. nostrar. p. m. 621. Adde, si videbitur, & Jacobum Rondellum in de Vita & Moribus Epicuri libro, Amstelod. 1693. in 12. edito.

** *Stoici*] Philosophi à *Στοᾶ porticu* dicti. In porticum enim variis picturis illustratam & amœnam convenire solebant. Sic similiter à loco Peripato, adpellantur Peripatetici: ab Academia Academici: à Cynosarge Cynici. Stoicorum princeps Zeno fuit, à qvo & Zenonii aliqvando nominati fuerunt. Ante Zenonem Poëtæ in Stoa illa docuerunt, qvi Stoici inde itidem sunt dicti, juxta Eratosthenem; post Zenona verò, qvi Stoam cum discipulis suis occupaverat. per Stoicos intelliguntur Philosophi Zenonii. Huic obtrectabat Arcesilaus sive (ut Latinum nomen servem)

Arce-

9 Et Euripides, Qvi animum Deum eſſe pronunciavit. [10] Qvi tamen idem alibi dubitat, utrum Deus neceſſitas naturæ, an mortalium mens perhibendus eſſe videatur? Sic enim Hecuba ait in Troadibus. ζεὺς εἴτ' ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν. [11] Hoc dogma Anaxagoræ putatur eſſe. Sed ſpectat tamen

Arceſilas Academicus, qvòd nihil novi reperiret, emendaret ſuperiores ſecundùm Ciceronem, lib. IV. Acad. Qvæſt. c. VI. *Polemonem audiverunt aſſiduè Zeno & Arceſilas. Sed Zeno cùm Arceſilam anteiret ætate valdéqve ſubtiliter diſſereret, & peracutè moveretur: corrigere conatus eſt diſciplinam*, ait idem, lib. I. Acad. Qvæſt. c. IX. *Sanè habuit quidem hoc philoſophantium genus non pauca, quæ deteſtanda meritò veniant (& quid mirum hoc in hominibus veræ religionis ignaris?) ſed quia generosè ſublimiterqve philoſophabantur, & plus, qvàm alii, virtutis inculcabant ſtudium, cetera omnia, quæ vulgus mirari ſectarique ſolet, ſpernentes calcanteſque: idcircò Patres veteres iis tribuerunt plurimum, dogmataqve eorum poſt Platonis, unde duxerunt originem, receperunt inprimis, obliqvi plerumqve in ceteros, & Peripateticos maximè, quod ex Clemente Alexandrino, Origene adverſus Celſum, Tertulliano item Auguſtinoqve ac aliis, ſi opus, adprobari facilè poſſet. Eorum inſignes de providentia ſententiæ reperiuntur.* Hieronymus in c. XL. Jeſaiæ: *Hi* (Stoici) inqvit, *noſtro dogmati in plerisqve concordant; nihil adpellant bonum, niſi ſolam honeſtatem, nihil malum, niſi turpitudinem.* Juſtus Lipſius præ ceteris hujus in Philoſophiæ diffundit ſe laudes, judiciòqve nonnullorum plus nimiò. In I. de Conſtantia, c. XVIII. extr. p. m. 51. edition. Francofurt. CIϽ IϽLXXXX. in 8t. qvam ob manum & notas margini additas ſummi olim Theologi noſtri B. Paulli Tarnovii caram habeo, ita ſcribit. *Illud Elogium ferò Stoicorum genti do, non aliam ſectam majeſtatem ſuam & providentiam dei magis adſeruiſſe: non aliam homines ad ætherea illa & æterna traxiſſe magis. Et in fatalis hujus ſtadii decurſu ſiqvid lapſi: à laudabili bonoqve ſtudio fuit, cæcos mortales à cæca Dea revocandi. Fortunam inqvit, cujus non ſolùm numen ab iis fortiter exploſum, ſed & nomen.* Uti ab Auguſtino, lib. I. Retract. c. I. Idem, Centur. I. Miſcellan. Epiſt. XXXIII. p. m. 39. 40. edit. opt. Antverp. CIϽ IϽC V. in 4to. *Ad nos redeamus, & ad eum, quem dicis τετράγωνον λίθον: i. e. lapidem quadratum. in qvo ſolo qvies & tranqvillitas firma:* cetera fluminis ritu feruntur, *ut canit Poëta ille inter verè ſapientes. Senecam noſtrum tibi placere ex animo gaudeo. Sciò non alios è priſcis magis conſentire cum Chriſtiana pietate, qvàm eos, qvi è Stoica domo. In qvo numero etiam Arrianus eſt, qui digeſſit Græcè diſſertationes Epicteti, mihi valdè probatas. Qvare, moneo & lego.* Et ibid. Epiſt. XCVII. p. m. 114. *Aptare*, inqvit, *veterem Philoſophiam ad Chriſtianam veritatem volui: & incogitatione ea totus dum ſum, illapſa & elapſa mihi quædam fortaſſe, quæ illam magis ſapiant qvàm iſtam. Non purgo. correctionem imò polliceor. & effecturum me ut ad culmen illud veniam, à primo iſto velut gradu. Ego enim feriò ſcio & ſentio, in uno Deo & Filio ejus Chriſto, qui nos benignè redemit, liberavit, ſpem omnem poſitam humanæ ſalutis. Vias ad eam perveniendi, expreſſas in Sacris litteris. nec hæc externa omnia, & Philologa ſive Philoſopha, aliud eſſe qvàm acceſſiones quaſdam & ornamenta: folia inquam, non fructus. Qvod judicium meum in iſto ipſo de Conſtantia libro in fronte apparebit: qui jam iterùm ſub Plantiniano prælo. At*

Sene-

tamen horum etiam iste Deus aliud potentius & augustius numen, seqve & accusat saepe, & poenitentiâ ducitur & se damnat. [12] Redit igitur consideratio ad aliqvid, in qvo absoluta sit divinitas, id est, qvod ipsum nullâ aliâ extrinsecus vi impellatur, neqve caussâ aliâ moveatur, sed prin-

Senecam & Stoicos admiratus sum. Certè, sed non ut qvi verum, me judice, viderint: sed qvi paullò magis tamen in ustenebris oculos aperuerint, qvàm ceterum vulgus. De immortalitate nostra aut malè aut timidè senserunt, & scripserunt: esto. (etsi disputari ea de re potest) deum tamen adspice: qva secta aut illum magis apertuis & homini inseruit, aut ea, qva ad ipsum? majestatem dico ejus, providentiàm, gubernationem, & curam nostri. Qvem primum limitem esse ad cognitionem & amorem veri dei, nemo negat. Hae mihi sectam illam non probam prorsus fecerunt (absit:) sed probabilem tamen supra ceteras, qva magis humi & circa hominem repunt. Jam de moribus & animorum lustratione, qvis Seneca, Epicteto, Arriano (qvamqvàm ille, Epictetus alter est, & loqvitur ferè ejus verbis) hàc parte praeponendus? Multa & praeclara Plato, confiteor, multa Aristoteles: sed non robore eòdem aut nervis. Spirat nescio qvis calor in Seneca aut Epicteti scriptis, qui ad lectorem qvoqve pervenit. nec differere illi magis de virtute videntur, qvàm inserere & inculcare. Qvòd si vitâ eam & factis non expressère: qvid miramur? Vera fidei & vera lucis fulcrum illud defuit: cui qvi non innixus, necessum est in partem aliqvam ruat. Et tamen hic qvoqve facilè peccari sentio, si qvis eos nimis apud lubricam juventutem hanc mire tur & laudet. Abstrahat enim à veris & legitimis illis animorum medicis, alliget ad agyrtas istos. qvod cùm aliis, tum mihi qvoqve deinceps censeo cavendum. Non enim satis, ne ipse errem: sed ne alteri sim erroris caussa. Itaqve, ut illuc redeam, jure qvadam in scripto illo meo desideras: & praesertim magis expressam pietatem. Qvam ego, te hortatore & duce, non animo meo deinceps geram inclusam, sed proferam & praeferam clarè in scriptis. Factum antè à me parciùs, (si veram caussam vis) in hoc ancipiti statu rerum & varietate judiciorum, metu offensionum. At ego te seqvor: nec invitus in placidum illud mare rapior ab hoc Torrente. An his Laevino, cui scripserat, Torrentio satisfecerit Lipsius verbis, dicere non habeo. Est in medio doctissimi de Lipsio Boecleri judicium, qvod in c. VI. p. m. 52. Dissertationis rarae ac doctae de Politicis Lipsianis edit. Argentorat. CIↃ IↃC XLII. in 12. his aperit: Cui satisfaciant qvae de Fato tradit c. IV. Certè qui non aliter fatum cognoverit, nihilô plus sciet qvàm Stoici veteres, qvorum dictis nimis religiosè & ἀπαραβάτως attendit Lipsius. Et qvàm caeca est illa Patientia, qva, ut fructus Notitia fati, ab ipso ponitur? qvàm hebes illa Scientia, qva observari jubet, qvemadmodùm omnia sursum ac deorsum ferantur. Qvâ occasione, cùm Hispanis Monarchiam polliceretur, statim monet, qvò fatorum inclinet favor & potentia rerum transeat, eodem animos esse inclinandos cum consiliis & obseqviis. (vid. Not. ad l. IV. 33. & l. de Const. c. XVI.) Hic mihi idem videtur dicere, qvod apud Lucanum Pothinus, lib. VIII. v. 487?

Tu cole felices, miseros fuge.

nisi qvod ille de negotio certo & praesenti, callidè; Lipsius de re, qvam futuram esse, nescio in qvibus fati tabulis legerit, temerariè etiam pronuntiat. qvid pronuntiat? imò verò, palam posteà deseris priores partes, & ad novum illum Solem orientem,

principium sit & caussa agitationis aliorum omnium. [13] Ad hunc igitur omnipotentem Deum, auctorem & gubernatorem omnium, qvidqvid conetur humana cogitatio, tandem relabitur.

VII. [1] Sed hanc eximiam naturam rursum, in ipsa natura hujus mundi universa principem vim qvasi vagari & includi qvidam voluerunt, ut Aristoteles. Etsi interdum idem qvasi vaticinans de Deo loqvitur splendidiùs.

tem, qvem speculatione fati augurabatur, animô, moribus, religione desciscit (vide Petr. Denaisii dissert. de Idol. Hall. Qvem auctorem notari velim, cùm Dissertatio illa sine nomine prodierit Auctoris annô M. VJC. (ita enim DC. malè expresserunt) V. in 4to. elegans profectò ac erudita, novâqve editione omnino digna, qvippe qvæ Lipsii ingenium ipsis ex illius scriptis non obscurè manifestat. Est oppidò rara ac in paucorum manibus. Nec temerè offendes Justi ipsius Lipsii Orationes VIII. Jenæ potissimum habitas & Darmbstadii editas annô M. DC. VII. in 8r. Sicuti nec VI. ejus Lipsii Epistolarum prætermissarum Decades, qvæ exierunt Offenbaci CIↃ IↃC X. in 8r. Curavit Hardervici 1621. in 8r. Joh. Isacius Pontanus Justi Lipsii Epistolarum, qvæ in Centuriis non exstant, Decades XIIX. Qvibus accedunt Poëmatia ejusdem Lipsii. Qvæ omnia in Lipsii junctim editis operibus fortè frustra qværes; ego enim illa non habeo, nec curo, cùm separatim omnia Lipsiana optimis ex editionibus jam pridem legerim & usurpârim.) *non jam memor fati, qvod temporarios homines aversatur & punit. Eqvidem hujus magistri vocem & exemplum si attenderent homines, mora nulla est, qvin fidem erga superiores multi passim exuerent, versòqve ad increscentem alterius potentiam adfectu, egregiâ scilicet pietate fatum seqverentur. Non possum, qvin hôc locô diligentissimè moneam Civilis Prudentiæ studiosos, ut* Doctrinam Fati *sibi qvàm commendatissimam esse patiantur. Verè* fundamentalis *est, respectu totius Prudentiæ, illa cognitio. Qvæ consiliis profunditatem, actui rectitudinem suppeditat. Certè in Majoribus illis, qvæ statum publicum concernunt provisionibus, nisi hanc normam singula seqvantur, universa vacillabunt. Sed petenda est ea informatio,* nòn è gentilium scriptis, *qvæ tenebris & ambiguitate omnem hanc philosophiam implicant:* sed è purissimis clarissimisqve oraculis divinis, gravissimorumqve Theologorum declarationibus; *qvæ non patientur qvemqvam hæsitare ad scopulos* necessitatis, *aut cæcutire ad tam perspicuam seriem caussarum eventuumqve, qvibus ordinariè suprema illa vis non intercedit cogendo, sed disponendo intervenit. Sunt qvidem (nec diffiteor) multa in hoc argumento, qvæ nec possunt captu humanô comprehendi, nec debent curiositate humanâ investigari. Sed hôc prætextu ignaviam velare nefas fuerit, ad ea etiam ignoranda, qvæ cognitioni nostræ Divina Bonitas exposita pariter & commendata voluit. Qva in parte, forsan erit, ut & nos aliqvid elaboremus: qvi pridem* Theatrum Fati *delineavimus.* Hæc Boeclerus. Ceterùm absurda non pauca Stoicorum dogmata multis ac eleganter è Cicerone, Laërtio, Musonio, Plutarcho recensuit Daniel Heinsius, lib. II. de Satyra Horatiana, p. m. 242. s. - 254. edit. Lugdunens. Batav. CIↃ IↃC XXIX. in 12. qvippe in qva divisio in libros duos offenditur, omissa in editione Lugdun. Batav. anni CIↃ IↃC XII. in 8r. qvam tamen ob dedicationem & præfatio-

dibs. [2] Qvidam Æthera, id eſt, lucem & fulgorem ambientem totum mundum Deum fecerunt. Unde etiam qvaſi decerpi animi divinitatem tradiderunt. [3] Hoc & Euripidi placuit, & ipſum Anaxagoreum eſſe apparet. Sic enim ille in Helena:

Mens mortuorum non qvidem vivit magis,
Sententiâ ſed immortali prædita eſt,
In æthera immortalem ubi prorupetit.

[4] Ad hanc ſententiam mutando ſententiam & Ariſtoteles alicubi defertur. De cujus inconſtantia Cicero hæc ſcripſit in primo libro de Natura Deor. c. XIII. *Ariſtoteles qvoqve in tertio de Philoſophia libro multa turbat à magiſtro Platone uno diſſentiens. Modo enim menti tribuit omnem divinitatem: modò mundum ipſum Deum dicit eſſe, modò qvemdam alium præficit mundo, eiqve eas partes tribuit, ut replicatione qvâdam mundi, motum regat atqve tueatur. Tum cæli ardorem Deum dicit eſſe, non intelligens, cælum mundi eſſe partem, qvem aliò locô ipſe deſignaverit eſſe deum.* [5] Plato qvidem planè extra mundum & ſupra naturam rerum Deum collocat, ſive re ipsâ, ſeu cogitatione & verbis. [6] Hoc enim certè vult ille in Timæo fabricator mundi.

fationem in iſta recentiore neglectas ſervo. Sicuti & illam, aliam ob Dedicationem & præfationem præmiſſam parti Ariſtotelis libelli de Re Poëtica & notis in illum. qvæ prodiit ex Officina Plantiniana Raphelengii CIↃ IↃC X. in 8t. Habeo exemplum hujus editionis manu ipſius Heinſii ornatum. Ipſum verò Ariſtotelis librum memoratum integrum cum dictis Heinſii notis invenies qvoqve in calce libri Danielis Heinſii de Tragœdiæ Conſtitutione. Lugd. Batav. CIↃIↃC XLIII. editi in 12. Sed ut ad Stoicos redeam, *Ptolemai Auleta temporibus*, ait Cl. Joannes Jonſius Holſatus in II. de Scriptorib. Hiſtoriæ Philoſophicæ, c. XVIII. p. m. 208. ſ. edit. Francofurt. MDCLIX. in 4to. *floruit* APOLLONIUS *Tyrius, qvi Stoicorum Philoſophorum eorumque librorum hiſtoriam texuit. Teſtis eſt Strabo.* lib. XVI. ἐν Τύρῳ δὲ Ἀντίπατρος καὶ μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων. Tyrô oriundi ſunt Antipater & qvi paullò ante nos vixit Apollonius, qvi indicem fecit Philoſophorum Zenoniorum eorumdemqve librorum. *Librum hujus operis primum bis citat Laërtius*, lib. VII. Zen. *Ex iſto opere omnino ſunt qvæ de Zenone tradit Laërtius*, lib. VII. *Zen.* ὁ δ᾽ Ἀπολλώνιός φησιν ἀφηγήσασθαι τῆς σχολῆς αὐτὸν ἔτη δυοῖν δέοντα ἑξήκοντα. Apollonius verò dicit, eum Scholæ annos LVIII. præfuiſſe. *Hujus, credo, Apollonii Tyrii hiſtoria extat Manuſcripta Pariſiis in Regia Bibliotheca teſte Labbæô bibl. nova Manuſ. libr. Græc. fol. LXXI. & Oxonia in biblioth. Mertonenſi, notante Jameſiô: confer Voſſium.* lib. III. *de Hiſtor. Lat. fol.* DCCXXIX. *Qvòd ſi Apollonii illud opus de Stoicis Philoſophis ſupereſſet, de iſtorum præ cæteris Philoſophis frequentia conſtaret. Nos damnum illud aliqvando reſarcire conantes, Stoicorum in Scriptoribus priſcis occurrentium hiſtoriam notabamus, qvorum hæc ferè ſunt nomina: Agathocles, Alcinous, Alexander, Annæus Cornutus, Antibius & Antiochus Aſcalonita. Antipater Tarſenſis. Antipater Tyrius. Apollodorus Athenienſis. Apollonides, Apollonius Chalcedonius, Apollonius Niſæus,*

mundi. [7] Nam qvi opus condit, is in ſua illud habet manu & poteſtate, non inhæret huic qvaſi teſtæ cochlea, aut concretus eſt, ut radix cum arbore. [8] Hæc igitur Socratis doctrina eſt, plena ſecundùm captum hominum pietatis, qvamvis ille ut *a* parum ſanctus deorum cultor, pœnâ capitis à ſuis civibus affectus fuerit. [9] Ex qvo apparet à ſuperſtitioſis qvoqve diſputationes iſtas ſuperſtitioſas fuiſſe habitas. [10] Neqve obſcurum eſt.

Niſaus, Apollophanes Aſibenus, Archedemus Tarſenſis, Ariſto Chius, Ariſtocreon, Arrhianus Nicomedienſis, Aſclepiades, Athenodorus Solenſis, Athenodori duo Tarſenſes. Attalus, Balbus, Baſilides, Baſſus, Boethus, Callippus Corinthius, Cato Uticenſis, Charemon Alexandrinus, Chryſippus Solenſis, Cinna, Claudius Maximus, Cleanthes Aſſius, Crates Mallotes, Crinis, Criſpinus, Damaſcius Damaſcenus, Damaſippus, Dardanus, Demetrius Bithynus, Diodotus, Diogenes Babylonius, Dionyſius, Diotimus, Diphilus, Epictetus Hierapolita Phryx, Eteocles, Eubius Aſcalonita, Eudromus, Euphrates. Fabianus Papirius, Favonius alius Fannius, Hecato Rhodius, Heliodorus, Helvidius Priſcus, Herillus Carthaginienſis, Hermotimus, Hierocles Alexandrinus, Iſiderus, Julius Canus, Junius Ruſticus, Leonidas Rhodius, Lyſimachus, Mneſarchus, Muſonius Rufus, Nauclerus Ponticus, Neſtor Tarſenſis, Panætius Rhodius, Pantænus, Pericles Lydus, Perſæus Cittieus, Perſius, Phanias, Philippus Pruſienſis, Philonides Thebanus, Plancus, Polemo, Poſidonius Alexandrinus, Poſidonius Apameenſis ſive Rhodius, Procli Mallota bini, Protagoras, Publius Hierapolita, Publius Rutilius, Qvintus Sextius, Scævola, Semius, Seneca, Serapion Hierapolita, Sextus Charoneus, Sextus Herus. Sextus Pompejus, Soſus Aſcalonita, Sotio Alexandrinus, Sphærus Boſphoranus, Spurius, Strabo Amaſenus, Themiſtocles duo, Theo Alexandrinus, Theo Antiochenus, Theo Tithoreus, Theodori tres, Thraſeas Pœtus, Timocles, Tubero, Zeno Cittieus, Zeno Sidonius, Zeno Tarſenſis, Zenodotus, Zenothemis. Minimè verò dubitamus longè plures extitiſſe, quorum & libri & nomina pariter interierunt, qvorum hiſtoria ex Apollonio noſtro petenda fuiſſet. Adde & Georg. Hornii Hiſtor. Philoſophic. lib. III. c. XVI. p. m. 198. ſ. edit. Lugdun. Batav. cIↃ IↃC LV. in 4to. Cumprimis verò B. Jacob. Thomaſium. in Diſſertationib. de Philoſophia Stoica & Stoica Mundi exuſtione, Lipſ. MDCLXXVI. in 4to. & Dan. Heinſ. Orat. XXIV. p. 275. ſ. edit. opt. Amſtelod. cIↃ IↃC LVII. in 12.

a Ut parum ſanctus deorum cultor] Hic etſi ab Anyto, Melito, & Lycone Oratore impietatis accuſatus, ac poſteà ab Athenienſibus ducentis & octoginta ſententiis pluribus, qvàm abſolveretur, condemnatus ſit: ut id Cicero in primo de Oratore, c. LIV. & Laërtius in ejus vita, lib. II. c. XXXVIII. XXXIX. XL. ſ. docent; falſum tamen fuit, & ab accuſatoribus confictum crimen, qvi optimum ſenem circumventum volebant. Vide Gerh. Joh. Voſſium 1. de Origine & Progreſſu Idololatr. c. I. & B. Joh. Meiſnerum, lib. de Theologia Naturali, Diſp. I. Q. I. §. XVIII. p. m. 19. edit. ſecundæ Wittebergenſ. cIↃ IↃC LXVII. in 4to. Qvod verò Maximus Valerius, l. I. ex. ext. 7. *Athenienſes* ſcribit *Socratem* ideò *damnâſſe, quòd novam religionem introducere videbatur*, ſciendum eſt, illum non agnoviſſe deos, qvi ederent, biberent, pugnarent, riderent, plorarent, deniqve & cælum

est, Socraticos plerosqve nimiô religionis studiô, falsis per se cultibus absurditatem aliqvam adjunxisse: Cùm omnes divinationis susurrus aucuparentur, & nulla fana ac sigilla non venerarentur.

VIII. [1] Per-

deferrent, abnoctarent, virgines imminuerent; (vide huc facientia multa præclara apud *Hemsium*, lib. *de Satyra Horat.* p. 26. 27. & 28.) qvam tamen sententiam non solus amplectebatur, cùm & *Euripides Poëta* ulcus hoc pressiùs tetigerit in Ione

——— monendus, si tamen fas est mihi,
Apollo per vim virginum minuit decus,
Quosqve ipse sevit liberos, interficit
Clam patitur: an ne tu ista? sed quando imperas
Honesta seqvere, si qvis est mortalium
Qui scelera patrat, exiguas pœnam Dii.
At nonne iniquum est, vos, suas leges quibus
Gens debet hominum, jure nullô vivere?

Qvid? qvod & concubitus marium cum maribus Deorum exemplis defendebantur? qva de re videre potes *Clementem in Protreptico*, *Theodoretum*, *ser.* III. Idem Maximus prædictus Valerius, VII. II. ex. ext. I. ultimum Socratis dictum memorat, qvod jam jam venenum hausturos uxori Xantippæ inter fletum & lamentationem vociferanti, innocentem eum perimi, responderit. *Quid ergo? nocenti mihi mori satius esse duxisti?* Valerio convenientia scribit *Diogenes Laërtius in Socrate*, p.m. 111. *edit. Gracolat. Casaub.* Sed *Xenophon* ipsius Socratis auditor *in Apolog. pro Socrate*, p. 706. *edit. Gracolat. Leuncl.* dictum ait ad *Apollodorum*, ibi aderat, inqvit, *Apollodorus qvidam, mirificè studiosus Socratis, ceteroqvi vir simplex. Is ad eum: Ego verò mi Socrates, inqvit, molestissimè fero, qvòd injustè necari te video. Tum Socrates caput ejus demulcens, dixisse perhibetur, Tune, carissime Apollodore, videre me malles jure qvam injustè occidi?* Caussam verò cur sapiens Atheniensis maluerit injustè occidi, sanè qvàm prægnantem idem reddit apud eumdem discipulum suum, lib. IV. memorab. p. 817. *Enimverò si interficiar injustè, turpitudo ea in autores mortis mea redundabit. Contra, studia hominum, tametsi jam neci tradar, erga me futura scio longè alia, qvàm erga interfectores meos, semper enim testimonio mihi futuros scio*, qvòd nullum unqvàm hominem *læserim*, *neqve deteriorem reddiderim; Sed potiùs operam perpetuò dederim, ut familiares meos meliores efficerem.* Impie ipitur *Otho* apud Tac. I. Hist. XXI. 5. *Nocentem innocentemqve eumdem exitum manere.* Distingvitur enim hic ab illo posteritatis judiciô. Joh. Francisci Pici, Mirandulæ Domini in libro II. eruditi de Humanæ pariter ac divinæ Philosophiæ studio Tractatus, c. VI. hoc de Socrate judicium est: *Socrates postqvàm Oraculi sententiâ sapientissimus judicatus est, tantam in se conflavit calumniam ab eis, qvi sapientes se credebant, ut hâc etiam caussâ morti addictus sit. Aristophanes in ipsum invexit, Melitus accusavit de impietate, deqve corruptela adolescentum, postea adjudicatus est morti. Zeno scurram Atticum vocavit, usus Latinô verbô.* Cur verò dictus *scurra*, ut testatur in l. de Natura Deor. Cicero, c. XXXIV. & Lactantius, III. c. XX. & in Octavio M. Minucius Felix, p. m. 349. docet præter Ger. Jo. Vossium, IV. Institution. Orator. c. IX. n. I. p. m. 152. edit. qvintæ Marpurgens. MDC. LXXXI. in 4to. Nobiliss. Caspar Barthius ad Scriptores Venatic. p. 163. Ceterùm hic Socratis Præceptoris casus, sine dubio ita turbavit Platonem, ut qvod intus de vero Deo sentiret, eloqvi non

VIII. [1] Permansit tamen hoc inconvulsum in varia ingeniorum astutia & sagacitate, qvippe consentaneum cum naturæ judicio ac lege, qvæ omnium *b* gentium consensione firmatur, ut statuerent civitates ac populi, Esse

non auderet, unde ad Dionysium, Epist. XIII. scribit: *Hinc disces tu, scribam ego serio nec ne. Cum serio, ordior epistolam ab uno Deo: Cùm secus, à pluribus.* Unde non dicit, *si Diis placuerit*, *si Dii adfuerint*, sed *qvod Deo placuerit*, *Deo juvante*, *Deus novit*, *Deus fecit*, qvemadmodùm Theodoret. lib. II. de curand. Græc. affect. Bellarm. lib. IV. de grat. & lib. arbitr. c. II. Mornæus, c. III. de Veritate Christ. Relig. p m. 41. edit. Plantin. M. D. LXXXIII. in 8t. observant. Et sanè multitudo & absurditas Deorum gentilium non risu tantùm, sed omni detestatione digna erant. Ecqvid enim absurdius, qvàm homines pro Diis colere, eosqve non tantùm bonos ac benè meritos, sed pessimos etiam, adulteros, fures, homicidas, ipsa etiam bruta animantia, sidera deniqve lapides & ligna? Nec absurdiora unqvàm excogitari poterant, nisi etiam vitia animi & morbos corporis adorâssent: nam febri Romæ templum exstructum legimus, & Lavernæ furum deæ. Hæc sunt illa sacra & Dii paganorum, qvos cùm amplecti nollent philosophi, qvicumqve paullò cordatiores erant, pro atheis & Numinis contemptoribus habiti sunt & ad cicutam damnati. Sic de Theodoro refert Epiphan. in hæres. Massilian. qvòd dixerit, λήρους εἶναι τοὺς περὶ θεοῦ λόγους *nugas esse, qvæ de Diis suis ethnici fabulantur*, unde & Herculem ligneum, cùm alia ligna deessent, exurebat, per ludibrium subinde ingeminans, *Age Hercules, decimum tertium laborem subiturus adesto, obsonium nobis cocturus.* De Diagora qvoqve Suidas docet, ideò eum urbe ejectum, qvòd Initia, Atheniensium sacra, narraret omnibus ac evulgaret, aliosqve, si qvi initiari vellent, dehortaretur. Eumdem qvoqve poëma suum ita ordiri: *Qvod à Numine summo reguntur omnia*, Morn. c. I. de verit. Christ. relig. p. 16. testatur.

b Omnium gentium consensione] Scilicet nulla gens est tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit aliqva deorum opinio. Natura enim homines humô excitatos, celsos & erectos constituit, ut Dei cognitionem cælum intuentes capere possent. Nam & ii ipsi qvi hâc miserrimâ tempestate cælo bellum indixerunt, ambitionem perfidiámqve suam specie religionis adumbrant, & verbô qvidem fatentur esse Deum, qvem reapse non agnoscunt. Cùm enim pulcri nihil fortuitò ac temerè fiat, fiat autem adhibitâ arte qvâdam concinnatrice, ut eleganter à Plutarcho disputatur, esse præstantem aliqvam æternamqve naturam, & eam suspiciendam admirandamqve hominum generi, pulchritudo mundi, ordoqve ac descriptio rerum cælestium cogit confiteri. Qvi verò contemptô religionis imperiô à cupiditatibus velut mancipiô nexuqve possidentur, atqve volentes & animi propositô numinis offensionem incurrunt, non ii qvidem Deum esse negant, sed votis, precibus, sacrificiis, & id genus illecebris eum demulceri putant, & intempestivâ ac serâ pœnitentiâ qvidvis sceleris ac flagitii impune sibi fore confidunt. Qvod genus hominum in repub. pessimum, & ἀθέοις proximum, ut ait Plato, describit lepidè Satyricus, Juvenal. Sat. XIII. v. 90 s. cùm sibi ad peccandum animos addunt,

Eſſe Numen [c] divinum, efficiens omnium qvæ in mundo acciderent, à qvo ſalus ac conſervatio, & averſio interitus atqve perniciei petenda eſſet. [2] Eſt & hoc perſvaſum, hoc ipſum numen aliqvô erga homines reſpectu moveri, & conciliari favorem ipſius bonis, iram ſentire malos. [3] Ex hoc conſtituitur, eorum, qvæ laudem & præmia, & contrà qvæ vituperationem ac pœnas mereantur, qvæ virtutes dicuntur & vitia, cauſſas non extrinſecùs advenire, ſed eſſe in nobis. id eſt, τὴν ἀρχὴν τούτων εἶναι ἐφ' ἡμῖν. [4] Itaqve tàm Dei qvàm hominum favorem ac odium ab unoqvoqve propriis conſiliis actionibuſqve commoveri ſentimus. [5] Neqve enim qviſqvam amari à Deo credit improbos & injuſtos atqve ſceleratos, ſed ſemper diligi [d] pios & innocentes & probos, (Qvamvis ſæpe hominum judicia de his, & voluntates erga hos varientur) ſecundùm hoc Sophocleum, [e] τοὺς δὲ σώφρονας θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς. [6] Itaqve celebrationes numinis divini, & expiationes delictorum humanorum, & placationes iræ divinæ, in omnium gentium religione inveniuntur. [7] Etſi Plato, flecti Deum ad miſericordiam

& mentes mali conſcias, ac formidine culpæ trepidas confirmant.

Eſt alius metuens, ne crimen pœna ſequatur:
Hic putat eſſe deos, & pejerat, atqve ita ſecum:
Decernat qvodcumqve volet de corpore noſtro
Iſis, & iratô feriat mea lumina ſiſtrô,
Dummodò vel cæcus teneam, qvos abnego, nummos.
Ut ſit magna, tamen certè lenta ira deorum eſt.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Qvando ad me venient? ſed & exorabile numen
Fortaſſe experiar: ſolet his ignoſcere: multi
Committunt eadem diverſô crimina fatô.

Adde B. Jac. Martini, lib. II. Exercitat. Metaphyſ. IV. p. m. 589. ſ.

c Eſſe numen divinum] Vide D. Jacob. Martini lib. II. Exercitat. Metaph. IV. Theor. I. p. m. 582. ſ. 876.

d Diligi pios & innocentes] Hoc antiqvis Philoſophis, à Chriſtiana licet veritate remotis, exploratum fuit, qvum futuro Philoſopho docerent neceſſarias eſſe qvaſdam virtutes expurgatrices (ſic loqvuntur) de qvibus præ aliis conſulendi ſunt Plotinus, Proclus Comm. in Timæum, Maximus Tyrius, Macrobius, aliiqve. Huc referendum, qvod Ammonius & Simplicius inter conditiones, qvas reqvirunt in Philoſophiæ Ariſtotelicæ conſulto, primò reponunt ut ſit juſtus, & temperans.

e Sophocleum] Philippus Melanchthon, referente Victorinô Strigeliô in p. 27. partis I. Locor. Theologic. Neapoli Nemetum editorum in 4to. CIↃIↃ LXXXII. dicere ſolebat: *Poſt lectionem Bibliorum nulla lectio utilior eſt, qvàm Tragœdiarum Aeſchyli, Euripidis, Sophoclis & Senecæ: In tragœdiis ſunt conciones legales de pœnis atrocium ſcelerum, & ſumma omnium tragœdiarum hæc eſt: Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos. Hæ verò conciones legales ita ornantur & illuſtrantur theſibus, αὐξήσει, & illo affectuum genere, quod dicitur πάθος, ut nihil poſſit ad ſummam eloqventiam addi. Poſt Catecheſin & Biblia proponendæ ſunt tragœdiæ principibus, propter exempla pœnarum immodeſtiæ & tyrannidis.*

diam posse precibus *f* ac votis & sacrificiis, & his impetrabilem esse veniam peccatorum, persvaderi hominibus non oportere putavit, qvòd hæc opinio multorum scelerum occasionem præbitura esse videatur: [8] Sed hanc tamen omnium hominum consensus approbavit, Ideoqve oratur *g* Deus, ut &

f Precibus ac votis & sacrificiis] Gentes opinioni huic adfines fuisse, satis indicant Homeri Carmina, Iliad. ι. v. 493. 495. f.

——— στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.
Καὶ μὲν τοὺς θυέεσσι καὶ εὐχωλαῖς ἀγανῇσι,
Λοιβῇ τε, κνίσσῃ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι
Λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.
——— *Flexibiles autem sunt & dii ipsi*
Nam & hos qvidem suffimentis & votis benignis,
Libamineqve nidoreqve flectunt homines
Precantes, postqvàm aliqvis prævaricatus fuerit, aut peccaverit.

Ovidius, lib. III. Artis, v. 653.
Munera (crede mihi) capiunt hominesqve: deosqve
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Parœmia Græca ipsum apud Platonem III. de Republ. legitur: Δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας. Euripides in Medea. Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

Qvid? qvòd ipsis hominum mactationibus Gentes deos suos coluisse in qvarto Geographiæ apud Strabonem videre est. Apud Pausaniam in Achaicis, p. m. 434. v. 31. edit. Hanoviens. MDCXIII. in fol: *indicavit Delphici oraculi vox, Melanippi & Comæthus libidinem, summa terra sterilitatis, & miseranda hominum luis caussam fuisse: & simul Dianam placari posse docuit, si qvotannis virgo & puer, qui formâ essent præstantissimâ, dea mactarentur.* Promittitur etiam *ibi* victoria Thebanis contra Orchomenios, si sibi inferat manum, qvi dignitate generis inter cives sit nobilissimus. Apud *Homerum* qvoqve & *Calabrum* mactati & sacrificati leguntur homines. Apud *Euripidem* etiam in Hecuba, & *Sophoclem* in Oedipo tyranno. Alii etiam Ethnici multis sumtibus suos celebrabant Deos. *Trojani* in publica lætitia & solenni festivitate, qvam peragebant introductô eqvô, qvasi jam libertate recuperatâ, bellôqve profligatô, hecatombas immolabant, hoc est, centum boum sacrificia; qvæ vox sæpe extat apud *Homerum*, qvòd usitatum fuerat gentibus tam magnificè Diis suis sacrificare, sicut & apud *Plutarchum, Suidam,* & Latinos etiam Romanæ historiæ scriptores tam sumtuosorum sacrificiorum multa exstant exempla. Testantur etiam cultum suum eô, qvòd fuit id veteribus usitatissimum, ut Regum & Heroum liberi, in omni cyclopædia instituti (ut *Plato* testatur cum *Herodoto & Pindaro*) vates & sacerdotes essent: qvemadmodùm sacerdotalis dignitas regiæ par habebatur. Veluti etiam id aliqvoties *Plutarchus* meminit in Vitis & Moralibus. *Aristoteles* qvoqve in Politicis adnotat, qvòd in heroica hominum ætate pleriqve reges simul & sacerdotes fuerint: Ideò etiam *Plato* in suo Politico scriptum reliqvit, cautum fuisse apud Ægyptios legibus, ut Rex vel ipse sacerdotiô fungeretur; vel, si id præstare nollet, aut non posset, sacerdotes sibi semper additos haberet: Atqve non adeò ignotus est *Virgilii* versus, III. Æneid. v. 80. qvô Anium prædicat Deli insulæ: Regem, ut nec *Ovidii*, lib. XIII. *Metamorphos.* Fab. IV. v. 632.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiqve sacerdos.

g Oratur DEUS] Cùm intelligat homo

& bona tribuat & avertat mala. [6] Et qvoniam fieri posse creditur, ut præceptis & monitis homines meliores reddantur, (Qvod enim de fortitudine Euripides dicit, hanc à doctrina inseri, siqvidem docere pueros qvoqve, ea loqvi ac audire qvæ non didicerint, id de aliis qvoqve virtutibus accipiendum.) [10] Similiter qvia existimantur vel ipsi aliqvi castigatione & pœnis coherceri, vel alii horum exemplô deterreri à malefaciendo: Ideo & leges promulgantur ac sanciuntur, & parentes præcepta vitæ ac morum dant liberis suis, & magistri bonarum artium conducuntur, & sapientes componunt libros de honestis & turpibus, docentes illa fieri & expeti, hæc vitari ac fugi oportere. [11] His etiam inseruntur atqve admiscentur deplorationes miseriæ hominum & qverelæ de pravitate, & præconia virtutis, & vota commodorum, qvorum illa mentio ea sæpissimè accidere qvæ nolumus declarat, hæc qvasi exculta de prosperitate aut spe.

IX. [1] Etsi autem in summa, hominum (cujus semel jam atqve iterum meminimus) consensio & ratio, hæc convenire & concordare vult, tamen de bonis & malis, qvorum illa natura seqvitur, hæc refugit, non est omnium eadem sententia. [2] Eo fit ut inter professores sapientiæ controversiæ sint, & qvasi simultates, ut ita dicam, exerceantur. [3] Qvin etiam in unius ejusdemqve disciplinæ tractatione, diversa doctrina reperitur. [4] Sed vita hominum ita degitur, ut tota inter læta atqve tristia, seu jucunda & molesta traducatur. [5] Est autem utrorumqve sensus naturalis, ut illa non accuratâ exqvisitione calliditatis, sed simplici judiciô veritatis constituantur. [6] Nam & sensibus contraria, qvæqve hos pungunt, dolorem afferre solent, & qvicqvid est ejusmodi, ut saluti ac vitæ itemqve prospero atqve secundo cuidam cursui hujus adversari videatur, id animum vel præsentis mali qvasi morsu vel impendentis metu percellit. [7] Qvæ verò his contraria sunt & bona vocantur, id est, qvæ salutem tuentur & vitam commodis augent, ea igitur naturaliter expetimus, & his præsentibus gaudemus. [8] Cùm autem in unaqvaqve natura id optimum sit qvod illi naturæ est convenientissimum, Nihil melius homini esse potest cultu *b* virtutis, cùm sola peculiaris hominis natura, id est, mens & intelligentia hanc probet & admiretur.

X. [1] Hic

mo Numinis Providentiâ conservari cuncta regi ac gubernari, non modò illud sanctissimum, optimum, omnisqve boni fontem perpetuò prædicat, laudat, celebrat: sed etiam confidenter reverenterqve auxilium & omnis generis bona ab eodem petit, eaqve confidenter reverenter & constanter petenda censet. Unde cultus adorationis & invocationis menti & rectæ rationi fit cognitus. Qvia enim felicitatem suam ex summo bono provenire sentit, in illud solùm se debere convertere, eaqve, qvæ optat, petere, optatisqve se fruituram filiali fiduciâ & amoris igne ardente certò statuendum, & pro beneficiis Deo gratias agendas esse, animadvertit.

b Cultu virtutis] Hinc Ethnicis Scriptoribus tot præcepta de pietate, virtute, & honestate, vitæ deniqve ac morum honesta

X. [1] Hic jam campus aperitur virtutis & vitiorum, id est, laudis ac decoris, infamiæqve & reprehensionis, qvæ appellantur honesta, recta,

honesta gubernatione nata sunt, qvæ brevibus qvibusdam sententiis, tanqvàm axiomatis & oraculis qvibusdam, inclusa complectebantur, idqvod tum aliæ ostendunt veterum narrationes; tum id maximè confirmant ejus generis libelli, qvi in Græca atqve Latina Lingva sapienter & erudite à sapientibus viris conscripti adhuc exstant. Hujus generis sunt *Isocratis* ad Demonicum παραινέσεις: *Epicteti* sapientissimi philosophi enchiridion: *Theophrasti* etiam philosophi eloqventissimi & eruditissimi characterum libellus: *Aristotelis* similiter philosophorum principis, aureiqve fluminis, ut cum Cicerone loqvar, ac *Gemisti Plethonis*; *Platonis* qvoqve divini de virtutibus libelli. Tum etiam *Xysti* philosophi & *Theoctisti* Gnomæ: Senariorum qvoqve libellus, ex Comicorum & Tragicorum scriptis confectus, eò referatur. Qvò pertinent etiam ea, qvæ de animæ immortalitate & corporum resurrectione *Æneas Platonicus* Philosophus, & *Athenagoras*, (qvi tamen Christiani fuerunt) scripserunt: & *Xenocratis* de morte, de vita æterna, de reproborum suppliciis, de vitæ miseria, libellus, qvem tamen alii *Platoni* ascribere maluerunt. Ex Poëtis sententias elegantissimas conscripsit Poëtarum antiqvissimus *Hesiodus*, qvas, ut & *Æsopi* fabulas apud veteres pueri ediscebant, ut de omnibus, qvæ in vita honestè, qvæ inhonestè fierent, admonerentur: ut & ob eamdem caussam, tum etiam ut ad virtutis studium inflammarentur homines, certò statôqve tempore, maximè verò in publicis congressibus & solemnibus, ut in Olympiis *Homeri* & *Tyrtæi Atheniensis* scripta recitabantur, & ediscebantur, ut ex *Lycurgo* in oratione contra Leocratem, *Athenæo*, lib. XIV. & *Xenophonte* in Sympofio, manifestum est. *Theognis* qvoqve Megarensis poëta præter elegiam, qvæ adhuc exstat, & γνῶμαι inscribitur, Parænefes etiam versibus scripsisse proditur, qvibus omnis de moribus doctrina fuit comprehensa; unde hujus *Theognidis* honestè probèqve fit mentio à *Platone*, *Basilio*, *Isocrate*, & *Aphthonio* in progymnasmatis. Et qvot scripta temporis injuriâ sunt deperdita? ut *Draconis* legislatoris, cujus meminêre *Aristoteles*, *Plutarchus*, *Pausanias*, & *Gellius*, qvi tribus versuum millibus præcepta de vitæ institutione conscripsisse dicitur. Sic *Plato* Elegias composuit, ut & *Aristoteles* librum Elegiarum scripsisse fertur ad Eudemum: & ante hos *Solon Salaminius*, cujus vitam *Plutarchus* & *Laërtius* luculenter scripserunt, multa de moribus post se reliqvit, qvæ tanti fecit *Plato*, ut ea publicè recitari à pueris in Deorum celebritatibus præciperet. *Thaletis* qvoqve Milesii laudantur versus: & *Chilonis* Lacedæmonii celebratur elegia ducentorum versuum: ita *Pittaci Mitylenæi* sexcenti elegi, qvibus civium suorum leges complexus est, sunt sapientibus præ aliis ejus carminibus probati. Ad eumdem modum *Anacharsis* Scytha, præter leges suis Scythis versibus descriptas, alia permulta scripsit, qvæ ad humanæ vitæ cultum pertinebant: & *Periander* Corinthius consimiliter Hypothecas duobus versuum millibus scripsit. Sapientes qvoqve & doctrinarum plenas conscripsisse Elegias *Mimnermum* Smyrnæum indicant versus, qvi à Plutarcho & aliis citantur: qviqve ob carminis svavitatem Ligyastades nominatus est, fuitqve celeberrimus:

cta, *i* officium, & contrà, turpis, prava, officii neglectio. Atque hic est cursus vitæ humanæ in terris. ² Omnis autem virtus in modo *k* seu mediocritate, & vitium in eo positum est, quod dicitur nimium & parum quæ

rimus: ejus enim mentionem faciunt *Laërtius*, *Pausanias* in Bœoticis: & Latini poëtæ, *Horatius*, lib. I. Ep. VI. v. 65. lib. II. Ep. II. v. 101. ac *Propertius* lib. I. Eleg. IX. v. 11. ut vidimus, p. 154. *Xenophanes* quoque multa, præter alia philosophica, de moribus scripsit, ut hujus carmina & fragmenta leguntur tum apud *Athenæum*, *Suidam*, *Eusebium*, & alios: tum verò maximè apud *Simplicium*, Aristotelis interpretem. Sic castissimi carminis de puellarum institutione *Naumachii* fragmenta quædam habentur apud *Stobæum*, & *Arsenium* Monembasiæ Archiepiscopum. Et quis potest brevi synopsi veterum Philosophos, Oratores, Poëtas omnes complecti, qui id obnixè studuerunt, ut optimis præceptis, monitis, atque exemplis suam juventutem, suos liberos, suos cives ad amorem studii virtutis; à primis mox annis adsvefactos, ad actiones honestas & laudandas excitarent.

i Officium] *Officia* ipse noster Camerarius aureis in Prolegomenis in Officia Ciceronis, p. m. 7. edit. Lipsiens. MDLXIII. in 8t. scribit, *actiones esse laudabiles in vita, in consvetudine, societateque & convictu hominum, prore, loco, tempore, persona; id est κατὰ πάσας περιστάσεις*. Vide Clariss. Joh. Ravium in Corn. Nepot. I. II. 3. Breviter & absolutè: Officium est id, quod quemque facere decet.

k Virtus in modo seu mediocritate] Sciendum hic est, de sententia Conradi Horneji, unius sanè ex iis, qui plurimum philosophiæ contulerunt, lib. III. c. I. Philosophiæ Moralis, §. XIV. p. m. 185. s. edit. Francofurt. MDCLIII. in 8t. dupliciter quid dici posse mediocre, absolutè & respectu nostri, sive duplex esse medium, aliud rei, aliud rationis. Absolutè mediocre, seu medium rei dicitur, quod simpliciter inter excessum & defectum interjacet, nullô habitô respectu personæ, loci, temporis & ceterarum circumstantiarum. Mediocre respectu nostri, vel medium rationis, adpellatur quod ratio determinat & ideo respectu omnium circumstantiarum tale est. Plutarchus lib. de Virt. Morali, mediocre hoc ei maximè simile esse dicit, quod in musicis & sonorum harmonia consistit: sicut enim ibi concinna vox fit, quæ nec acuta nec gravis nimis est, ita in virtute mediocre dici, quô id, quod ultra vel citra modum adpetitionis est, aufertur, & motus unusquisque veram mensuram & rectitudinem consequitor. Posse autem absolutè aliquid mediocre dici quod respectu circumstantiarum & consideratâ re non in se sed ad aliud tale non est, facile liquet. Sic cibus, qui ceteris hominibus omnibus nimius est, vix modicus fuerit Herculi, aut athletæ alicui, puta Miloni Crotoniatæ, aut Theragenì, quorum uterque die unô taurum quadrimum integrum solus comedit, ut testatur Athenæus, lib. X. c. II. Solinus, c. IV. extr. aut phagoni illi, quem unô die ante mensam Aureliani Imperat. aprom integrum, centum panes, vervecem & porcellum comedisse scribit Flav. Vopiscus in Aureliano extremo. Ad eumdem modum erogare in rem familiarem quotidie sex aureos prodigum est, si quis tenuis fortunæ id faciat, sordidum si princeps: & alio in loco, in aliam rem, duos aureos impendere nimium est, aliô locô & in rem aliam vel

qvæ ſunt μεσότητες *l* & ὑπερβολαὶ *m* ac ἐλλείψεις *n*. 3 Eximia tamen eſt virtus, id eſt, ἀκρότης *o* propter excellentiam, & qvia deficientiæ eſt expers. 4 Et in hac eſt id qvod decorum appellamus, cui neqve addi neqve detrahi ſine depravatione qvidqvam poteſt. 5 Hæc dijudicantur qvâdam viâ & ratione cogitationum, id eſt, λογισμῷ & intelligentiæ ac mentis, qvi eſt νοῦς. Ubi inſunt deliberationes, conſilia, judicium, qvibus propoſitum eſt ad inveniendum & comprehendendum verum. 7 Atqve hæc niſi tanqvàm ager diligenti curâ exerceantur, fructus proferri neqvit. 8 Ideoqve iis neglectis exiſtunt errores & mendacia, & vita depravatur, & judiciorum vanitas corruptionem morum producit.

XI. 1 Eſt autem cultura duplex, doctrinæ, qvæ ſunt μαθήματα, ac θεωρίᾳ, & πείρας *p*, qvâ continentur omnia, qvæ ætate atqve tempore longô, & ſtudiô diuturnô, qvaſi exempla qvædam præceptionum, colliguntur, ſive ea oculis percipiantur, ſeu audiendo legendóve cognoſcantur. 2 Qvare χρεῖαι hæc vocàrunt λόγοι καὶ πράξεις, de qvibus aliàs copioſiùs diſſerere animus eſt. 3 Neqve ſatis eſt ad veritatem, verſatum eſſe in intelligendo & cogitando & perſpiciendo, & diſciplinis ſcientiæ excoluiſſe ingenium, ſed accedere oportet cùm noticiam, tùm uſum rerum atqve negociorum: qvæ *q* tamen ipſe (*ipſa* fortè) deſtituta fundamentô ſcientiæ fluxa ſunt & cadu-

vel decem parum. Atqve hoc accuratè obſervandum eſt: non tam enim in medio rei qvàm rationis virtus conſiſtit, & hic eſt modus ille, qvem ipſa affectibus ponit, ne plus minusve gaudeas aut doleas, qvàm qvod cuiqve perſonæ, loco, tempori, &c. convenit. Imò mediocritas aliqva rei ſeu abſolutè ita dicta etiam in ipſis vitiis eſſe poteſt, rationis non item.

l i. e. mediocritates

m exceſſus

n defectus

o Summitas, faſtigium; qvod prius vocabulum, ne qvis temerè rejiciat, intercedit Palladius, apud qvem, lib. I. c. VI. *ſummitas vitis* legitur, & c. XI. *ſummitas parietum, qva trabibus ſubjacet.*

p Experientiæ.

q *Qva tamen*]. Malim hæc ita poni: *Qvi tamen ipſe deſtitutus fundamentô ſcientiæ fluxus eſt & caducus.* Qvi ſæpiùs in Theoria ſive rerum Politicarum contemplatione & cognitione præ ceteris videtur excellere, ubi jam ad ipſum devolvetur Imperii cura immane qvantum mutabitur. *Sunt*, inqvit, Joan. Caſelius in c. XXIII. p. m. 106. Προπολιτικοί, *qvi in hoc mirè ſibi placeant, qvòd de omnibus, qvacumqve in vita hominum rationes incurrant, acutè & copiosè diſſerant & imperitis facilè perſvadeant, penes ſe fontes eſſe ſalutis publicæ. Verùm, ſi de luce ſubtiliter cæcus diſputet, &, ut fiat viſio, penitiſſimè intelligat, nihilô magis ipſe videat: qvòd ſi fieri non poſſit, ex eo & aliis ejus generis videre liceat, qvemadmodùm & hoc ſeſe habeat. Si qvis in arte muſica non exercitatus de ſonis, de fidibus, deqve omni citharistica diſputet, non eò fidibus ſciet. Ita fit, ut qvi de officio acutiſſimè diſſerere putetur, interdum longiſſimè abſit ab officio: etſi, qvi vir bonus non ſit, virtutis dignitatem nec intelligere nec oratione ſatis explicare poſſit: qvi eam penitus intelligat & explicet pro dignitate, non vir bonus eſſe non poſſe videa-*

 tur.

caduca, ut alterutrum ſine altero inſcitiam imperitorum complectatur: [4] rem unam omnium nocentiſſimam, & malorum cauſſam in terris, de qva Comicus, Adelph. I. II. 18.

Homine imperitô nunqvàm qvidqvam injuſtius,
Qvi niſi qvod ipſe facit, nihil rectum putat.

[5] Hæc ſunt ſtudia humanitatis: qvibus qvoniam ad ſpem virtutis ac laudis à primis ſtatim annis pueros inſtitui Græci voluerunt, ideò *παιδείαν r* & *ὀρθὴν παιδείαν*, & aliter educatos *ἀπαιδεύτους* appellaverunt, id eſt, illiberales *ſ* & indoctos. [6] Qvi eſt jam ortus *t*, & perverſitatis animorum, & inani-

tur. Sanè vitiis obſiti ſermonem de virtute & mancum & frigidum eſſe oportet: tamen fit, qvod diximus, ut de virtute multa aliqvis cognoverit, cujus ſit nihilominus expers, ut avarus interdum vel fœnerator de munificentia & humanitate, de parcimonia prodigus, ignavus de factis fortis viri diſſerat. Prorſus enim non ſatis eſt, vel uberrimâ doctrinâ de virtute inſtructum eſſe, ſed huc animi nervos omnes intendere unumqvemqve oportet, ut virtutem poſſideamus & eâ qvotidie utamur. Nam ſi doctrinæ vis tanta foret, ut ſola viros bonos efficeret, non injuriâ homines docti ſummis præmiis cumularentur. Qvòd ſi (inqvit Theognis) Aſclepiadis hoc Deus conceſſiſſet, ut vitiis & perverſis hominum animis medicinam facerent, mercedem multam magnamqve non injuriâ, & laudem inſuper maximam reportarent. Verſus Poëtæ hi ſunt:

Εἰ δ᾽ Ἀισκληπιάδαις τοῦτο ἔδωκε Θεὸς,
Ἰᾶσθαι κακότητα καὶ ἀτηρὰς φρένας ἀνδρῶν,
Πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον.

r Παιδείαν] Dicti nonnulla ſunt hac de voce parte noſtrar. Methodorum I. n. XI. c. I. 9. p. 424. ſ. In præſentia adde Giſanium in Comment. in Ariſtotel. c. III. Ethic. lib. I. p. m. 24. & Anton. Muretum in eumdem Philoſophorum, p. m. 34.

ſ Illiberales & indoctos) Veriſſimum eſt, qvod eruditionis, tàm ſacræ, qvàm ſecularis corculum Nazianzenus, cùm Baſilium funebri Oratione laudaret, publicè protulit, & Latinè hanc habet ſententiam: *Illud, inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror,* ERUDITIONEM *inter humana bona primarium locum tenere. Non de hac noſtrate ſolùm, ac nobiliore loqvor, qvæ contemptô omni ſermonis lepore, atqve ornamentô, ſalutem unam, earumqve rerum, qvæ ratione, atqve animô intelliguntur, pulchritudinem arctiſſimè complectitur: ſed etiam de externa, qvam plerique Chriſtiani* PRAVO *qvôdam* JUDICIO, *ut inſidioſam, ac periculoſam, & procul à Deo avertentem repudiant.* Et mox: *Qvamobrem non idcircò contemnenda eſt* ERUDITIO, *qvòd ita quibuſdam videatur; qvin potius* INSULSI, *& præpoſteri habendi ſunt, qvi hoc exiſtimant; omneſqve ſui ſimiles eſſe optarent, ut privata eorum ignorantia, communis ignorationis tenebris obtegatur: nec qviſqvam ipſorum inſcitiam prodat, & coarguat.* Tanti ergo Doctoris cenſurâ INSULSI ſunt habendi, qvi ſatius duxerint, nullis ſtudiis admoveri, qvàm Eruditioni Litterariæ implicari.

t Ortus & perverſitatis animorum] Graviter & planè, qvod ſolet, è veritatis Republica, ſcribit communis Germaniæ Præceptor Philippus Melanchthon, Tomô I. Declamation. p. m. 443. edit. Argentoratenſ. MDXLVI. in 8r. *Qvòd perſpexiſtis vim & utilitatem litterarum ignotam vulgò, longiſſimèqve à conſpectu multitudinis poſitam, conſervandas eſſe, & aſſerendas ab interitu judicâſtis, præſertim hôc tempore, cùm ubiqve periclitamur, id profectò divinæ cujuſdam ſapi-*

pie tia

inanitatis judiciorum, & cumulus errorum, unde vitam hominum in terris tandem conturbari, & societatem dirimi & qvietem tolli, necesse est. 7 Ita miseriis & malis in audacia vel etiam furore hominum complentur universa.

XII. 1 Sed de his nunc differendum non putavimus. 2 Redeo igitur ad dissensiones judiciorum & controversias doctrinæ. 3 Aberrantes enim animi hominum callidorum & versutorum à vero, ita qværunt semitas qvasdam ad similitudinem veri, & in pertinacia defendendi, id qvod arripuerunt assensione, pergunt turbare porro, ut ait servulus in Comœdia, se facturum esse, cum semel turbellas dare incœpisset. 4 Disputatur *v* enim tùm non ut veritas exqviratur, sed ut id, qvod qvisqve vult, probetur, neqve ut

pientia est. Qva enim alia res majores utilitates toti generi humano adfert, qvàm literæ? Nullâ arte, nullô opificiô, non hercule frugibus ipsis terra natis, non deniqve hoc sole, qvem vitæ auctorem multi crediderunt, tantoperè opus est, atqve scientiâ literarum. Nam cùm sine legibus, ac judiciis, & sine religionibus, nec teneri Respub. nec congregari cœtus hominum, gubernarique possint, hominum genus ferarum ritu vagabitur, si hæ occiderint, unde bona leges procreata sunt, nati boni mores & humanitas, per qvas propagata religio, ad nostram memoriam durat.

v Disputatur, non ut veritas] Explicat hoc nobis eleganter & verè doctiss. Hispanus Jo Ludovicus Vives his verbis: *Nemen ipsum qvidem*, inqvit, lib. I. de Caussis Corrupt. art. Tomô I. Operum, f. 344. *testatur dici disputationes, qvòd per eas veritas ceu putaretur ac purgaretur, posteà verò qvàm ab auditoribus profecta est laus & pretium ad eum, qvi optimè videretur sensisse, ex laude sæpè numero divitiæ, ac opes; prava vel honoris vel pecuniæ cupiditas animos disputantium invasit, ut tanqvàm in pugna sola spectaretur victoria, non elucidatio veritatis: ut & ipsi qvicqvid semel dixissent, strenuè tuerentur: & adversarium prosternerent ac conculcarent. Humilibus & sordidis ingeniis, qviqve dejectô capite hæc sola intuerentur levia & momentanea, parum est visum magnum pretium ab studiis probitas aut veri intelligentia, qva duo illi qvòd non satis acutè cernerent, nec qvanta essent æstimatione assequebantur, præsentem mercedem qvæsierunt pecunia, vel aura popularis. Ideò qvò majus esset operæ pretium, populum ad sua certamina admiserunt, tanqvàm spectatores fabulæ in theatrum producta: tum qvod fieri ac concessum par erat, Philosophus depositâ illâ tam gravi & venerandâ personâ, HISTRICAM induit, ut commodius saltaret; factus est populus spectator, arbiter, judex, & qvod non facit auladus in scena, facit PHILOSOPHUS in schola, ut tibias non sibi & Musis aptaret, qvod monet vetus Magister, sed omninò coronæ ac multitudini, à qva rediturus erat ad actores honor & qvæstus. Indagandi veri una & simplex via est relicta, faciendi fuci apertæ sexcentæ, qvâ qvisqve ut commodum sibi esset grassaretur, præsertim cùm nihil sit tam deforme, qvin amatorem inveniat. Nec solùm in hanc opinionem populus cucurrit, finem dicendi esse disputare, ut militia conflictum, verùm publicus consensus permultos veteranos & qvasi triarios scholastica militia rapuit, sed qvi ingeniô & judiciô non plus valent, qvàm plebs infima, ut supervacaneum esse ac stultum censeant, si qvis ad mentem & mores, & qvietum illud inqvirendi genus philosophiam revocet, nullum esse alium studiorum fructum,* qvàm

ut ratio, sed ut cujusqve oratio vincat. [5] Hæ sunt Νῆσαι illæ in philosophia

qvàm præsenti animò NON CEDERE ADVERSARIO, intrepidè eum vel aggredi, vel sustinere, & callere, qvô robore, qvâ arte, qvâ supplantatione sit subvertendus. Ergò in re pulcherrima, & omnium præstantissima, consultum fuit statim assvefacere puerum, & eum perpetuò exercere. altercandi statim natis initium, finis nullus, nisi cum morte. Puer ad scholam deductus, primò confestim die jubetur disputare, & docetur jam rixari, qui fari nondum potest, idem in Grammatica, in Poëtis, in Historicis, in Dialectica, in Rhetorica, in omni prorsum disciplina. Nec *una* (ita Ludovicus pergit) *disputatio unô sufficit die, aut gemina, sicut refectio, sub prandium altercantur, pransi altercantur, sub cœnam altercantur. Agunt hæc, ut discant, an ut concoqvant? Domi altercantur, foris altercantur, in convivio, in balneo, in vaperario, templo, urbe, agro, in publico, in privato, omni locô, omni tempore altercantur, non toties sub lenone rixantur meretriculæ, aut sub lanista dimicant gladiatores appetentes munera, qvoties isti sub Magistro Philosophiæ. Populus non ille moderatus & gravis, sed levis, barbarus, bellax, hâc velut pugnæ specie mirificè delectatur. Ita ut sint imperitissimi homines permulti, & omnis literaturæ penitus expertes, qui hanc spectaculi hujus voluptatem reliqvis omnibus antoponant. Qvanta nascitur hinc corruptela & moribus & disciplinis, inflammatis animis & ad pertinaciam obfirmatis? Clamores primùm ad ravim, hinc improbitas, sanna, minæ, convicia, dum luctantur, & uterqve alterum tentat prosternere; consumptis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta & simulata ——— Estne hæc exercitatio sapientiæ? Est hæc professio veneranda disciplina? egressi illinc, qvæ scripta, maledicta, invectiva mutua, & odium inexstingvibile? Victoris gloria & arrogantia, tanqvàm in cruente bello, & victi pudor atqve invidentia, &c. Estne hæc exercitatio sapientiæ,* (dico rursus cum ante laudato Vive, l. c. p. 346.) *estne hæc professio veneranda disciplina? Qvid non inveniant* (scribit paullò interiùs; *homines contra homines, si in hoc penitus & semper incumbant, si nihil relinqvant intentatum dum imponant, & fallant, præsertim cùm vitiô nostrorum oculorum, qvædam aliter multò videntur qvàm sunt, & ut Aristoteles ait, falsa qvædam majorem habent similitudinem veri qvàm vera ipsa: Ergo aliqvas præstigias excogitat, qvæ posita ob aciem nostræ mentis, illam ad veri lucem non sinunt penetrare. Qvumqve minus multò potest dare operam, ut an tenebræ ac præstigiæ sint, dijudicet intenta & occupata, vel dum alium ferit, vel dum se tuetur; non vacat in se redire, & lucem ingenii ac judicii offusis nebulis qvietè admovere, plus nimiò occupata qvæstiunculis ad disputationem armandis atqve exarmandis: semper in agitatione volvuntur ac motu, nunqvàm sinunt aqvam fieri limpidam, qvam sint bibituri. Qvô fit ut moderata qvâdam collatione studiorum enitescat veritas, tanqvàm attritu, nimium autem altercando amittatur, ut Publius Mimographus dixit, tantô sapientiùs Poëta in scena, qvàm Philosophus in Schola.* Adponamus memorabile Jo. Pici Mirandulæ Illustris & consummatissimi viri judicium. *Prosunt*, inqvit, *disputationes, qvæ placidê animô ad vestigandam veritatem privatis in locis exercentur, at illæ obsunt plurimùm, qvæ in propatulo sine ordine fiunt, ad captandam populi auram & imperitorum applausum, vixqve potest fieri ut honoris cupidini, qvâ FRONTIVAGI illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo*

phia explicationes, ut esse nivem *x* nigram, qvod posuit Anaxagoras, converti

cule annexum non sit lethale vulnus animæ venenumqve charitatu mortiferum. Placet omninò Petri Cunæi, summi ac eloqventissimi qvondam hac in Academia viri, singularis modestia, in p. 248. Prolegomen. in III. de Republ. Hebræor. scribentis hôc pactô: *Non sumus tàm superbæ impotentisqve arrogantiæ, ut in tanta communis naturæ imbecillitate solos nos supeesse existimemus, qvibus interdum opus veniâ non sit. Hallucinamur omnes, alii gravia, alii leviora, nec est qvispiam, qvi tam benè animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum possit ampliùs, aut fallere,* item p. 253. *Pertinaciam pro opinione induere haud est nostrum, Ipsi nos, si qvando errores qvosdam nostros odorati fuerimus, sponte hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne qvis fortè studiè nostri aut amore deceptus, vitia nostra cæcis oculis prætereat.* Laudabile hoc Viri egregii exemplum ac institutum si omnes seqverentur eruditi, tot tantæqve litium & rixarum materiæ, tot de minimi momenti rebus pudendæ altercationes paullatim penè interciderent, saltem vix aliqvo in Orbis eruditi angulo illarum exiguæ qvædam reliqviæ superessent.

x Esse nivem nigram] Qvod probare voluit hôc argumentô: *Nix aqva est: Aqva autem nigra est: ergo & nix nigra. Ingeniorum hi lusus sunt*, subjicit Ampliss. eruditissimusqve Thomas Bartholinus *in polisissimo*, ut Schefferus in Phædr. V. VIII. 36. p. m. 244. b. laudat, *opusculo* de Nive, c. IV. p. m. 26. edit. Hafniensis CIↃ IↃC LXI. in 8t. *rationi sensum postponere. Qvò errore teneremur, si, qvas hisce diebus fuligine obsitas nives vidimus, nigras ex se diceremus.* Vide Sextum Empiricum, lib. I. Pyrrhon. Hypotyp. c. XIII. Lactantium, lib. V. c. III. Institut. divin. & lib. III. c. XXIII. ibiqve notas Xysti Betuleji Augustani. Adde Desiderium Erasmum in opere Proverbior. p. m. 15. b. in Adagio: *Nil intra est oleam.* Nivem aliàs vetustate rubescere, prodidit Aristoteles, lib. V. Hist. Anim. c. XIX. Plinius, lib. XI. c. XXXV. qvia progressu temporis partes aëreæ in nive extabescunt, si credimus *Conimbricensibus* Philosophis in Meteor. Arist. tr. VII. c. V. Siccitate id fieri autumat M. Ant. Alaymus, Medicus Siculus Consult. de Ulc. Syriac. c. IV. sicut eadem siccitas vetustam carnem nitrosam & rubicundam reddit. Cur non intensius lumen fingimus, qvemadmodùm pallida luna subinde in rubicundam vaporum interjectu mutatur? Cabeus, lib. I. Meteor. §. 50. qvæst. IV. spiritibus magis opacis id adscribit, postqvàm subtiles & tenues evanuerant. In Armenia purpureæ sunt. Sed caussam aliam reddit Eustathius, Il. λ. qvòd vapor è terra miniatula simili colore nivem imbuat. Loca illa sunt μιλτώδη, h. e. miltô scatent seu miniô. approbante Cœliô Rhodiginô, lib. XVIII. Ant. Lect. c. XXIX. Eustathio non assentitur Moufetus, lib. II. Insect. c. XL. qvia in locis miniô destitutis nivem rubescere concedendum. De Scythia id refert Alex. ab Alexandro, sed sine teste, qvi mos illius est, lib. IV. Gen. dier. c. IX. In montibus, inqvit, ubi minium effoditur, ex terræ contagione & cœli moderamine exstare rubras nives in Scythia authores tradunt. Minium cum nive confert Propertius, lib. II. Eleg. III. v. 11.

Et Mæotica nix miniô si certet Heberô.

Summi Viri Gerard. Jo. Vossius, lib. IV. Instit. Orat. c. XIII. n. VIII. p. 243. Cl. Dausqveius Comm. in lib. VII. Sil. Ital.

verti orbem terrarum *y*, cælum ſtare, qvod qvidam Syracuſius Niceta: Vinum

Ital. v. 446. p. 314. purpuream nivem de eleganti & pulchra explicant. Qvid ſi bolus Armenus pro minio nives montium, unde eruitur, ſimili colore rubrô tingat? Euſtathius enim rerum naturalium non valdè gnarus, facilè hæc potuit confundere. Juxta fretum Magalianum, videri nives cæruleas affirmant, in altiſſimis montibus. De qvo qvamqvàm dubitet Cardanus, lib. I. de Rer. Var. c. IV. probabilem tamen rationem reddit, ſolam nempe ſuperficiem ita affici, qvia in Italia nonnunqvàm crocea aut rubra conſpicitur: antiqvior igitur ubi evaſerit, cæruleam fieri, non ſolùm ob vetuſtatem ipſam, ſed qvod ad glaciei naturam accedat, & proſpectus e longinqvo, qvemadmodùm & in aere, cæruleum oſtendit. Nive liqvatâ & iterum gelatâ, ſæpiuſqve iteratâ, cæruleum colorem in glacie videri, in Danico mari obſervavit Iſaacus Peirerius in Relat. Gallic. de Groenland. p. 14. 15. cùm qvadrigis tranſiret fretum Oreſundicum. Unde nomen Inſulæ inter Iſlandiam & Grönlandiam mediæ, vocatur vernaculâ Norwegorum lingvâ *Blaaſercken*, vel *Huidſercken*, ut teſtatur Snorro Sturleſon in Chron. Norweg. & Petrus Claudii, c. XXXIV. qvòd interdum à nive candicet, indufii inſtar, interdum cærulea adpareat. Virgilius, lib. I. Georg. v. 235. de Zona frigida:

Cærulea glacie concreta, atqve imbribus atris.

Incertus Author Annalium Francorum, editus ex Bibliotheca P. Pithœi, refert, p. m. 60. A. C. 860. hyeme aſperrimâ nivem ſangvinulentam in pleriſqve locis cecidiſſe, cujus eadem cauſſa, qvam de pluvia ſangvinolenta naturæ interpretes afferunt. Aliô ſenſu Silius, lib. III. v. 547. de Alpino Annibalis itinere:

——— *hic ſangvine multô*
Infecta rubuêre nives, hic neſcia vinci
Paulatim glacies cedit tepefacta cruore.

y Converti orbem terrarum, cælum ſtare] Non ſolùm jam olim terræ tracta fuit immobilitas in dubium veteribus à Philoſophis, Pythagora, Heraclide Pontio, Ariſtarcho Samio, Niceta (qvem Noſter adducit) Syracuſano, Philolao & Ecphanto Pythagoræis, de qvibus in III. de Philoſophorum placitis recitat Plutarchus, c. XIII. p. m. 896. A. edit. Pariſ. M DC XXIV. Sed etiam ſuperiore, qvin & noſtrô trahitur in dubium ſeculô, à plurimis terræ motum ſive in gyrum ſive trepidationis adfirmantibus poſt Nicolaum Copernicum, Varmienſem Canonicum, Aſtronomum inluſtrem, cujus vitam nobis dedit Petrus Gaſſendus, Dinienſis qvondam Eccleſiæ Præpoſitus: Habeo illam Hagæ-Comitum publicatam M DC LV. in 4to. qvæ editio ſecunda auctior & correctior eſt. Qvamvis & Cardinalis Cuſanus, lib. II. de Ignorant. c. XII. ut & ante illum Maricurtius Gallus eam ſententiam tradidiſſe dicatur; dictô certè à Copernico VI. in libris, qvos de Orbium Cæleſtium revolutionibus inſcripſit, qvibuſqve eſt, inſtar Ptolemæi, ſingula docendo Geometricâ Methodô, totam Aſtronomiam complexus, annô CIↃ IↃ XL. editis, ſubtiliùs ea interpolata non paucos in adſenſum abripuit nec indoctos Mathematicos, Mæſtlinum comprimis, Keplerum, Origanum, Longomontanum, Eraſmum Reinoldum, Raimarum Urſum, Rhottmannum, Joh. Anton. Maginum, Galilæum de Galilæis, Ambroſium Rhodium, Petrum Crugerum, Gilbertum, Eichſtadium,

Vinum frigorificum, Febrem z qvartanam laudabilem, Calvitium honestum

dium. Linemannum, Philippum & Jacobum Lansbergios, Hortensium, Gassendum, Francisc. Patricium, Campanellam, Bilibaldum, Renatum Cartesium, Wilhelm. Schickhardum, Matthiam Berneggerum, Christophor. Wittichium, Danielem Lipstorpium, Henric. Nicolai in Exercitat. de Revolut. Tellur. Didacum Astunicam, Commentar. in c. IX. Jobi, Foscarinum Carmelitam in epistola, annô 1635. Neapoli Systemati Cosmico Galilæi adjecta; Francisc. Mariam Ferrarium. Colanton. Stelliolam, Jacob. Böhmium de Tripl. vita, c. IX. Wendelinum, Mathematicum Lovaniensem, & alios fortè. At contra ea, terram scilicet in gyrum minimè volvi, neqve rotatione suâ, ut loqvuntur, tempus conficere, sive annuum, sive diurnum, ut Platonis, Hipparchi, Ptolemæi, Aristotelis, Senecæ, Lactantii, Basilii, Hieronymi, Nazianzeni, Augustini, ceterorumqve taceam testimonia ab aliis magnô numerô adducta, probârunt Tycho Brahe, Eqves Danus, Astronomorum Coryphæus, Georgius Peurbachius & Joh. Müllerus Regiomontani Astronomi celebres, qvorum vitas dictus exposuit Gassendus Regius Matheseos Professor. Adde & Clavium ac Kircher. de Magnete in III. Nicol. Fullerum, I. Miscellaneor. Sacror. c. XV. p. m. 94. edit. opt. Argentoratensis M DC L. in 8t. ubi tandem concludit, monendos esse Astronomos a Copernico stantes iam latè vagantes, ut memores sint veteris dicti: *ne sutor ultra crepidam*, &: *Qvod Medicorum est, promittant Medici.* *Opinatus scilicet*, auctore celeberrimô Gisb. Voetiô in p. 256. Thersit. Heautontimor. ubi hoc argumentum pluribus exseqvitur, veluti & parte I. Selectar. Disputat. p. m. 637. s. *illos alienæ scientiæ limites invadere, qvi in gratiam probabilium verisimiliumve suarum hypotheseon sacræ Scripturæ vim faciunt.* Qvæ auctor Gymnasii Ultrajectini contra ea disputat, legi possunt, fortè tamen non cum operæ pretio, apud eum, c. XLIX. p. m. 352. edit. Ultraject. MDCXXXVIII. Adde Christophor. Pelargum contra Copernicum in Damasceo. lib. II. c. X. p. m. 56. a. b. edit. Francofurt. 1607. in 4to. Item B. Davidem Christiani, Professorem Mathematicum Marpurgensem, lib. I. Systemat. Geographici, c. VIII. p. 116. Joh. Conr. Dietericum in Antiqvitat. Bibl. p. m. 53. s. Ad Henric. Nicolai non vanè disputat pro more B. D. noster Abrab. Calovius, Tomô III. Systemat. Articul. V. c. II. Q. VII. p. m. 1036. edit. Witeberg. cIↃ IↃC LIX. in 4to. Mersennus in c. I. Genes. sententiam alteram *temerariam* vocat. Libertus Fromondus, qvi de qviete terræ ex professo egit, ac præterea contra Jac. Lansbergium Apologiam edidit, *altero pede hæreseos limen intrantem* dicit. Nicol. Serarius Rambervillanus, Lotharingus Jesuita in c. X. Josuæ *hæreticam* pronunciat, qvod mihi non mirum in illo homine, qvem novi qvàm soleat esse impotens. Instituta Romæ Cardinalium annô MDCXVI. Congregatio damnavit illam sententiam, omniaqve prohibuit scripta ac suspendit. Verùm sicuti hos homines non rarò de incognitis judicare, ut cæcos de coloribus, neminem latet: ita nec illorum judicio multum Romanam extra Ecclesiam tribuunt eruditi amantesqve veri. Galilæus cùm Bellarmini monita sperneret, ab Urbano VIII. annô cIↃ IↃC XXXIII. per Congregationem Cardinalium voce ac scriptô sententiam suam ejurare,

ſtum eſſe. [6] Huc pertinent † Cynicæ impudentiæ, & academicæ dubitationes,

carceriqve mancipatus qvâvis ſeptimanâ VII. Pſalmos Pœnitentiales recitare coactus fuit. *Utinam*, inqvit Janus Nicius Erythræus, Pinacothec. I. n. CLIII. p. m. 279. *cùm res tantas, tantôqve intervallô ab aſpectus judicio remotas contemplaretur, imbecillitatem oculorum, qvi in rebus propinqvis atqve perſpicuis ſæpenumero hallucinantur, in conſilium adhibere voluiſſet; nunqvàm profectò, ſe vidiſſe ea qva non vidiſſet, affirmâſſet, neqve ea, qva ſacrarum literarum teſtimoniis, ſanctorum Patrum conſenſu, ac fidei catholica veritate nituntur, libris editis convellere ac labefactare conatus eſſet; prætereà non habuiſſet neceſſe, à Qvaſitoribus fidei. Romam evocatus, palinodiam canere, ac calum moveri, terram autem ſtare, contra id, qvod docuerat multis audientibus, palam aſſerere: qvamqvàm non id tum primùm ab eo excogitatum & inventum ſit; nam alii multò antè, fortaſsè ingenii acuendi declarandiqve causâ, ſe in hac hareſi eſſe aſſimulârunt.* Damnatus etiam illam ob ſententiam fuit Foſcarinus, annô M DC XLVI. à Congregatione Cardinalium. Vide Joh. Baptiſtam Ricciolum, lib. IX. Almag. Nov. Eſt & in medio non contemnendum Famoſæ, de Solis vel Tellnris motu, controverſiæ Examen Theologico-Philoſophicum ad Scripturæ ſanctam normam inſtitutum à M. Joh. Herbinio. Bicina Sileſio, edit. Ultraject. M DC LV. in 12. An intelligentiæ ſint orbium cæli motrices? diſqvirit B. Jac. Martini, unus ex iis, qvi plurimum philoſophiæ contulerunt, lib. II. Exercit. Metaphyſicar. n III. Theorem I. p. m. 537. ſ. edit. MDCXI. in 8t. De Niceta Syracuſio, Camerario noſtro laudato, ita Tullius in c. XXXIX. qvarti Academicarum Qvæſtionum libri: *Nicetas*, inqvit, *Syracuſius, ut ait Theophraſtus, calum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera deniqve omnia ſtare cenſet: neqve prater terram, rem ullam in mundo moveri: qva cùm circum axem ſe ſummâ celeritate convertat, & torqveat, eadem effici omnia, qvaſi ſtante terrâ calum moveretur. Atqve hoc etiam Platonem in Timao dicere qvidam arbitrantur, ſed paullò obſcuriùs.*

2. *Febrem qvartanam laudabilem, calvitium honeſtum*] Illam è Gellio, lib. XVII. c. XII. producente Platonem, laudat Tomô II. hoc verò, calvitium volo, è Syneſio, Epiſcopo Ptolemaidis ipſo calvo, Tomô I. Amphitheatri Socratici ſui Dornavius, ubi & invenies encomium cæcitatis è Cicerone, Podagræ è Luciano, qvi eam feſtiviſſimâ fabulâ acerbè vituperat, cujus index Tragopodagra. Ferrntur & Pirckhaimeri, Hieronymi Cardani, Loſeliiqve libelli de illius (Podagræ) laude editi Lugdunl Batav. CIↃ IↃC XXXIX. in 8t. Habeo & ejuſdem Cardani encomia Neronis & Geometriæ initiô edita Baſileæ per Henric. Petri annô M. D. LXII. in 4to. poſteà fuerunt inſerta ſecundæ parti Amphitheatri ſapientiæ Socraticæ Joco-ſeriæ Caſparis Dornavii; primum verò in notis etiam Lotichii ad Petronium tomô II. reperiri, & ſeparatim Lugduni Batavor. in exiguo & elegantiſſimo volumine prodiiſſe, teſtatur Gabriel Naudæus in judicio de Cardano, præmiſſo Cardani libro de propria vita, Amſtelædami vulgato CIↃ IↃC LIV. in 12. Eſt mihi ad manus Johannis Petri Lotichii Commentarius cum notis univerſalibus ac perpetuis in Petroninm, Francof. MDCXXIX. in 4to. at Cardani encomium fruſtra ibi qvæſivi Neronis, licèt obiter & non cum cura, cùm in præ-

ſentia

tiones, & Stoica qvasi γοητείας cujusdam dogmata: 7 ut enim præstigiatorum

sentia non vacet. Isocrates in exordio orationis, qvâ Helenam commendat, Protagoram ceterosqve Sophistas illius æqvales exagitat, qvòd materias humiles, infames, inopinabiles, παραδόξους καὶ ἀτόπους θέσεις à Græcis vocatas, omninoqve alienas ad disputandum pertractandumqve sumserint. Exempli caussâ. Non posse qvemqvam mentiri, aut contradicere. De iisdem rebus duas contrarias orationes haberi non posse. Id est, ut ego intelligo, non posse idem laudari & vituperari, svaderi & dissvaderi, accusari & defendi. Idem esse justitiam, fortitudinem, & sapientiam. Perstringit nominatim Gorgiam, qvi docuit nihil esse in rerum natura. Zenonem, qvi adserere ausus est, idem posse fieri, & non posse. Melissum, qvi connixus est probare, omnia esse unum. Et videtur hic postremus ita prorsus sensisse: nam eum lib. I. Φυσικῆς ἀκροάσεως Aristoteles confutavit. In illo eodem exordio testis est Isocrates, nonnullos mendicitatem & exilium aliis vitæ generibus anteponenda disseruisse: & qvosdam apiculas, similiaqve laudavisse. Horum institutum contemnendum non fuit, qvia non Sophistæ modò, verùm & Philosophi, ut scribit Gellius, lib. XVII. c. XII. oppidò libentes hujusmodi materias suscipiebant vel ad acuendum ingenium, vel ad exercendas argutias, vel ad edomandas difficultates, vel (qvæ nos adjicere possumus) ad ludum & jocum, vel ad ostentationem ingenii & eloqventiæ. Attamen Isocrates contemnit eos & insectatur: ne videlicet Helenam infamem mulierem prædicaturus, paria cum iis facere judicetur, cùm tamen faciat, crimen adulterii egregiâ venustatis ejus exornatione, digressionibus de rebus gestis Thesei, de consilio Paridis in ea rapienda, ac demum de pulchritudine qvasi obvelans. Est ergo totum illud procemium per insinuationem artificiô non vulgari compositum, & ipsa oratio nihil aliud, qvàm ingenii & facundiæ Isocrateæ illustre documentum: uti altera qvoqve deinceps, qvâ Busyris tyrannus importunissimus celebratur. Nunc ab Isocrate ad alios veniamus. Libanius commendavit Thersiten, qvod encomium in Progymnasmatis ejus exstat, qvem & laudavit Phavorinus. Ex adverso Achillem, Hectorem, Philippum, Æschinem idem vituperat Libanius ibidem. Philippum Amyntidam, sive Magnum exagitat Aphthonius. Sui vituperationem, sed εἰρωνικὴν reliqvit Julianus librô eô, qvi μισοπώγων ἢ Ἀντιοχικὸς inscribitur. Glauco apud Platonem in libris de Republica injustitiam laudat: Gorgias, ut Isocrates, Helenam, qvæ exstat oratiuncula. Qvis ignorat encomium muscæ apud Lucianum mirâ edolantem id venustate? qvis ab eodem descriptum judicium 7. vocalium, in qvo Sigma cum T. injuriarum agit? Qvem ego ludum Andream Salernitanum inprimis excitâsse ad bellum Grammaticum tam facetè & ingeniosè conscribendum auguror. De Alcidamante Eleate Rhetore in extrema I. Tusculan. Cicero, eum scripsisse laudationem mortis: qvæ constat, inqvit, ex enumeratione malorum humanorum. Polycrates scripsit vituperationem Socratis, & laudationem murium. Ita teredinem ludavit Clitarchus; Dio Chrysostomus à patria Prusæensis dictus, Comam, Oratione XXXV. Agrippinus Senecæ æqvalis, Exilium; qvod & Ciceroni Exuli laudat Philiscus apud Dionem Cassium Coccejanum,

rum fallaciæ in celeritate non deprehenduntur à vulgo, ita rotunditas argumen-

lib. XXXVIII. Romanæ Historiæ, p. m. 70. D. edit. opt. Hanoviens. MDCVI. Luciani Muscam memoratam è Græco vertit Christophorus Hegendorphinus. Michaël Psellus. Cæl. Calcagninus, qvin & Joseph. Scaliger festivissimô Phaleucô Pulicem laudârunt. Scripsit & Anton. Moschettus Italicô sermone librum in laudem pulicis. Venet. 1615. in 12. Commendavit Canterus limium, nonnemo Ululam. Joan. Passeratius, p. m. 10. Orationum & Præfationum, edit. Francof. MDCXXII. in 12. & Dan. Heinsius Asinum, qvem miror filium novæ Parentis Orationum editioni non addidisse, neqve enim ejus illum auctorem esse, dissimulandum ampliùs fuisse puto. *Magnum avi nostri scriptorem* vocat optimus Berneggerus in Sveton. August. c. XXXI. p. m. 164. *Scripserunt*, inqvit Geverhartus Elmenhorst. in I. Appuleji Metamorph. p. m. 119. edit. in 8t. opt. Francofurt. MDCXXI. *& nostrâ ætate viri eruditi* asini laudes, *inter qvos jure eminet labor præstantissimi Wowerii nostri, qvi hactenus apud hominum indignum indignè delitescit. Nisi injustus iste Dominus abs se eum manu miserit, periculum erit, ne aliqvando liberam lucem nactus, ex ergastulo isto vocem emittat, possessoremqve iniqvum pipulo differat.* Legitur & Joannis Passeratii Eloqventiæ Professoris & Interpretis Regii de Cæcitate oratio, in p. m. 433. f. Orationum & Præfationum ejus. Idem Heinsius, Orat. ult. & Joh. Henr. Ursinus laudârunt Pediculos; (Habes illud Pægnion, in hujus Miscellaneis, n. VI. p. 305. f.) Philippus Melanchthon formicas. Vide Tomum I. Declamation. Wittebergens. extr. p. m. 758. f. Dio laudatus, si Philostrato apud Synesium in Dione credimus, ipso enim in Dione id nondum legimus, Psittacum. Erasmus Roterodamus stultitiam, in qva censente Jacobô Pontanô, lib. III. Progymnasm. part. I. n. XXXIV. p. m. 340. extr. *se ipsum stultum fieri & ridiculum non animadvertit*, qvod Jesuitæ judicium minimè miramur, qvia Moriâ istâ suâ, qvâ studia & mores Theologorum sui seculi falsè perstrinxit, crabrones Erasmus sic irritavit, ut omni ferè, apud Papistas exciderit gratiâ. Inde & Bernardus Gvaltheri in dedicatione Julii Cæsaris Scaligeri Orationi pro M. Tullio Cicerone contra Ciceronianum Erasmi præfixa & à se editæ Coloniæ annô MDC. in 12. Erasmum his petit verbis: *Erasmiani nisi è* Moria, *hoc est, Stultitia sapere discunt; eorumqve* Corrumpunt mores NB. Colloqvia prava, *ut verè est à Menandro Comico pronunciatum.* Putat autem Colloqvia Erasmi, de qvibus diximus in qvarta nostrarum Animadversionum parte. De laudibus Anseris Fragmentum Julii Cæsaris Scaligeri habemus, qvod in mea editione Hanoviensi anni MDCIII. in 12. Jul. Cæsaris Scaligeri Epistol. & Oration. non invenio, licèt in elencho istius operis exstet. Fortè incidi in lacerum codicem, cùm nec ceteras ejus ibi reperiam orationes, qvas tamen ille ipse pollicetur elenchus, in meo qvidem exemplo falsò. Qveritur memoratus qvoqve Gvaltherus Typographus vel alius sub ejus nomine de Cæsaris Scaligeri Orationum editione Lugdunensi Batav. dicta in dedicatione his verbis: *Scaligeri Oratio, etsi Lutetia olim à Videvao edita sit, paucis tamen exemplaribus, ut vix unqvàm visa, à paucioribus etiam lecta. Si enim Lugduni Batavorum nacti eam fuissent, vel addidissent Orationibus* qvin-

gumentationum, & contorta σοφίσματα facilè constituunt illa admirabilia Stoico-

quinque Scaligeri, quarum una de INEPTO est apud Ciceronem: & Epistolu XCVII. Vel se omisissent studiô, fidem, humana societatu Oraculum violâssent: malè de Julii Cæsaris Manibus merentes, dum eum obtortô collô in suum gregem attrahere nituntur: ut & anteà Genevenses, qvi editis Poëmatis Scaligeri, & qva velles additis Hymnos sacros, *qvos in Deum & Sanctos, ritu Catholicô Lugduni editos decantârat, deditâ operâ detruncârunt. Quid est, si hec non est fidem publicam plagiariorum more violare? Qv fit ut divinitus reperta ars hac typographica, & singulari Dei immortalis beneficiô mortalibus attributa, utilissima qvidem sit, si ex fide bona castéqve utaris; sin per fraudem abutâre, tum demum Ecclesia Dei, Reiqve publica dissemin atis per famosos libellos erroribus, sectis, depravatisqve opinionibus, perniciosissima esse videatur. Hinc qvari apud doctos; quos etiam qveri audio, plus ne commodi an incommodi typographica ars adferat? Quod, ut & de rebus adeò omnibus, si utaris malè, disputari προβληματικῶς qveas: verùm non nunc hic locus.* Hactenus ille typographus.

Quis tulerit Gracchos de seditione qverentes?
Quis cælum terris non misceat, & mare cælo?
Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Sulla si dicant discipuli tres?

Nos pergemus. Apud M. Antonium Majoragium, Orat. IX. p. m. 152. s. edit. Lipsiens. MDCVI. encomium Luti est. Scripsit Picus Mirandulanus pro barbarie Orationis. Ebrietatis encomium conscripsit Christoph. Hegendorphinus, Hagenoæ MDXXVI. in 8t. Qvod in ejus declamationibus VIII. Argentorati MDXXXIII. in 8t. editis, non comparere, miror. Sed & edidit Antonius librum de sua ebrietate. Homerus unum de laudibus vini, alterum de bello ranarum: Ephrem Syrus de vituperatione risus: Marcion Græcus de raphano, Pythagoras de bulbis, Diocles de rapo, Phanias physicus de urtica. De umbra exstant libri Jani Douzæ & Joannis Wouweri, cujus Pægnion prodiit Hamburgi MDCX. in 8t. Carcerem vituperat Cassiodorus in Variis, lib. XI. Ep. XL. laudat Cyprianus, lib. III. Ep. XXV. lib. IV. Ep. I. Paupertatem Apulejus in Apologia, ut Senecæ Consolationes, & alia Stoicorum de talibus magnifica, silentio involvam. Mendicitatem dictô locô Pontanus Jesuita. Claudicatem defendit Mutius Floratus, Neapoli in 4to. CIↃ IↃC XXXIV. Regnum & regiam Plutonis, sive de laudibus inferni scripsit Vincentius Mussa, Francof. CIↃ IↃC XLVI. in 12. Diabolum ipsum laudavit Bruno qvidam Italus peculiari qvâdam oratione, Bartholomæô Keckermannô referente. Alexander Tassus encomium Carnificis Italicè edidit. Martini Schoockii Tractatus de Nihilo unà cum libello Caroli Bovilli & Poëmate Job. Passeratii eodem de Nihili argumento prodiit Gröningæ 1661. in 8t. In Joh. Bapt. Lauri viri docti & Poëtæ qvoqve elegantis, qvem magni fecit Urbanus VIII. epistolis, Cent. I. Ep. LXXV. legitur totidem verbis Strena illa Passeratii, de Nihilo, qvæ habetur in ejusdem Poëmatibus, part. III. Deliciar. Gallicar. Gall. Poet. p. 31. *Quod mirum mihi*, inqvit, Cl. Morhofius, lib. I. Polyhistoris Litterar. c. IX.

Stoicorum placita, De sapiente rege, divite, & formoso, & similibus.

p. m. 84. *semper visum est, cùm Laurus ipse non contemnendus Poëta fuerit, ut patet ex poëmate ejus de* Fabricatione calcis *libris tribus scripto, & elogio, quod illi suspendit Erythraus, Pinacoth.* I. n. CXLI. p. 254 Scripsit & Theatri Romani Orchestram de Viris Illustribus. Hûc referas licet Orationes funebres in Obitus aliqvot animalium, eqvi, asini, canis, Simiæ, felis, noctuæ, picæ, galli gallinacei, Mergi, grylli, pediculi, qvas Itali, Galli, Belgæ certatim invulgârunt. Edidit Lugduni Batav. Cl. vir. Gul. Canterus annô CIↃ IↃXC. Sunt & Noviomagi in 12. recentiores qvidam scriptores junctim editi. Transeamus ad ceteros Poëtas. Cui inaudita est seu Homeri, qvod dedixi, seu alterius cujuspiam perveteris, & φιλομήρυ poëtæ βατραχομυομαχία, de pugna ranarum & murium? Qvantum ibi ingenii? qvantum eloqventiæ? qvantum Gratiarum? Ad exemplum illius commenti conficta est incertô autore tragœdia γαλεομυομαχία, de bello felium & murium. Virgilii culex, & qvartus Georgicorum, qvô apum respublica versibus limatissimis depingitur, tam noti sunt omnibus; qvàm suum cuiqve nomen. De pulice seu Ovidii, seu alius cujuspiam nebulonis nihil dicam: est enim obscœnum poëmatium. Facit & huc Apocolocyntosis sive ludus de morte Claudii Senecæ, severissimi illius & sapientissimi Stoicæ sectæ Magistri. Qvem qvi sine risu hodie ex eruditis & ingenuis illis legere potest, næ ille Crassi nomen, auctore Frider. Taubmannô p. 146. b. Commentar. in Culicem Virgil. sibi audacter induat. Luxerunt mortem passeris Catullus, Statius, Psittaci idem; uti & Ovidius, II. Amor. Eleg. VI. VI. Leguntur Hieronymi Vidæ Bombyces. & Scachia ludi genus. Bovis laudatio est apud Libanium in Progymnasmatis, ubi Historicô eam stylô tractat. Eqvum paucis laudat Hierocles, præfatione secundi Ἱππιατρικῶν. Canem Sextus Empiricus, lib. I. Pyrrhonianarum Hypothes. c. XIV. Elephanti, eqvi & canis laudem scripsit è junioribus Lipsius in Epistolis. Sic aliqvis elegantis ingenii & disertus vel ligatâ, vel solutâ oratione laudaverit salem, panem, aqvam, araneam, barbam, qvæ sunt abjecta: lupanaria, carnificinam, calamitates, iram, qvæ sunt infamia. Sed tum hæc, tum illa non nisi qvâ parte aliqvid utilitatis, seu honestatis habent, sive per seipsa, sive κατὰ συμβεβηκός. Turpia enim ut turpia, nunqvàm poterunt, nisi à turpissimis in commendationem vocari, ut habeant similes labra lactucas. Atqve, ut absolvam, valde mihi huc videtur pertinere, qvod in præfatione Paradoxorum à Tullio scriptum est. Nihil est tam incredibile, qvod non dicendo fiat probabile. Probabile, inqvit, non, verum: atqve ita potest nihilominus esse falsum: nam falsitas probabilitati non adversatur. Item, nihil tam horridum, tam incultum, qvod non splendescat oratione, & tanqvàm excolatur. Vide tamen hîc b. r. Theophilum Spizelium, Commentat. IX. & ult. Felicis Literati, §. XII. p. m. 1014. s. edit. Augustanæ, CIↃIↃCLXXVI. in 8t.

† *Cynica impudentia*] Cynici Philosophi erant, qvorum princeps habebatur Antisthenes, qvippe qvi auctore Diogene Laërtiô in VI. c. II. κατῆρξε πρῶτος τῦ Κυνισμῦ; confirmante id, ut in III. de Oratore idem id adfirmantem Tullium, c. XVII. præteream, Suidâ de Antisthene loqvente: ὃς ἦν περιπατη-

[8] Nam Cynica disciplina in fuga omnis pudoris & humanitatis, & affectata feritate, confutat ipsa sese. [9] Et academica * in professione inscitiæ, qvid doceat, non habet.

XIII. [1] In

ικὸς ἐκλήθη πρῶτος, εἶτα ἐκύνησεν· Est enim *κυνίζειν Cynicam profiteri disciplinam*, qvæ præcipuè in mordendo versari videtur, ductâ à canibus adpellatione, qvod Thomas Aldobrandinus in citatum Laertii locum habet. Qvibus adde & Ausonium, Epigr. XXVII. Qvandoqvidem verò, eôdem in XIII. c. libri ejusdem sexti Diogene tradente, Antisthenes idem disserebat in Gymnasio, cui *Cynosarges* nomen, haud procul Athenarum portis, qvod templum erat Herculis, in qvo aræ Herculi ac Hebæ dicatæ, qvo de apud Pausaniam est in Atticis; nonnulli, in qvibus præter Laërtium & Hesychium Illustrem, dictus Suidas est, laudato sectam à loco Cynicam trahere volunt nomen. Licèt non desint, qvibus dicti videantùr vel à mordaci insectatione Cynici & castigatione vitiorum, vel à rabiosâ obscœnitate & sermonis licentiâ. Hocqve volebant illi, Cynicis qvi malè volebant, qvamqvàm & Augustinis sic adpellatos putet, Tomô VII. Oper. lib. de Nuptiis & Concupiscent. c. XXII. & alibi; ob qvam etiam Cynicos, caninam puta inverecundiam, à decori disputatione in primo de Officiis, c. XLI. Cicero videtur excludere verbis his: *Cynicorum ratio tota est ejicienda. est enim inimica verecundia, sine qva nihil rectum esse potest, nihil honestum.* Nec negat Lactantius, cujus in XV. c. libri III. hæc lego: *Qvid mirum, si à canibus*, Cynici, *qvorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenqve traxerunt?* Sed Empyricus inde dictos censet, in Pyrrh. lib. I. c. XIV. qvia canum instar tuerentur bonos, malos adlatrarent & invaderent. Ammonius qvoqve Comment. in Categor. sic dici ait, διὰ τὸ παῤῥησιαστικόν. Est enim canis animal liberum, ac magnis virtutibus. Vide Ger. Joan. Vossium, de Philosophor. sectis, c. XVIII. & cum primis Jac. Schallerum in peculiari Disputatione de Diogene Cynico; qvi Antisthenem audivit, qvemqve imperiti rident plerumqve: at Macedonum Rex summè admiratus est, Magnus Alexander. Vivebant tenuiter admodùm Cynici, & placebat eis simplex parabilisqve victus, qvippe qvi vilibus utebantur cibariis ac tenuibus, solisqve palliis. Divitias, gloriam nobilitatemqve, perinde adspernabantur, ac reliqvi mortales adpetebant. Pleriqve herbis etiam & aqvâ tantùm frigidâ fruebantur, operimentisqve forte oblatis & doliis. Deorum esse, dicebant, proprium, nihil indigere, inde & eos, Diis qvi propiùs accederent, minimis egere. Homines ceteroqvin erant asperi & inculti, qvibus pera fuit & baculus, qvod regibus diadema, sic signatè de Diogene & Antisthene Lodovicus Cœlius loqvitur Rhodiginus in XX. Lection. Antiqvar. libr. c. XXIV. Adde superiùs præter laudatos multis de Cynicis agentem Salmasium in notis ad Tertullian. de Pallio, p. m. 255. s. 396. 398. s. 410. s. 414. s. 417. s. 424. s. 426. s. 463. s. Depingit & Lucianus cùm aliis in locis, tum in Vitarum auctione præclara Cynicorum Philosophorum instituta scitè & eleganter.

* *In professione inscitia*] Qvippe qvibus omnia erant incerta, qviqve, hoc ut conficerent, gnaviter dabant operam; inde & Σκεπτικοὶ dicti, scilicet à doctrina, qvam profitebantur; qvòd semper ἐσκέπτοντο sive rem considerabant; nec

XIII. [1] In vita autem similiter animus per errorem concipit turpitudinem ac dedecus, & voluntatem huc convertit, & suâ culpâ, vel solertiâ rationis & acumine cogitationum, vel etiam audaciâ & pertinaciâ abutitur ad facinus malum perpetrandum, incitante & commovente pro cujusqve ingenio animum aliqvâ aut spe aut cupiditate, aut irâ, aut indignatione, aut metu. [2] Talia ipsa conscientia animi damnat, ac mala esse pronunciat, ut cùm aliqvi furantur, rapiunt, tumultuantur, pejerant, venena & sicas expediunt, cùm libidinibus vagis indulgent, potentiores etiam arma capiunt ac bella movent, *τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχῃ τυραννίδα* †.

3 Hæc

nec unqvàm ad liqvidum redigebant vel decernebant; *ἀπορητικοί*, ut semper *ἀπορῶντες*, i. e. dubitantes; *ζητητικοί*, qvia *ζητεῖν* indesinenter, nec repericbant; *ἐφεκτικοί*, cùm longæ non alius inqvisitionis eventus, qvàm *ἐποχὴ* sive judicii suspensio; vide Laert. in Procem. c. XVI. p. m. 11. edit. opt. Amstelædam. CIↃ IↃC LXXXXII. & lib. IX. c. LXX. p. 584. *Pyrrhonii*, Annæus. Epist. LXXXVIII. circa finem inqvit, *& Megarici, & Eretrici, & Academici, novam induxerunt scientiam, nihil scire.* Hinc illæ Sextum apud Empiricum, qvem nonnulli eumdem Sextum Cheronæum putant, qvi è Plutarchi sorore natus sit, eorum voces: *οὐ μᾶλλον τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. non magis hoc, qvàm illud.* Item *οὐδὲν ὁρίζω nihil definio.* Similiter *Σκεπτόμενος διατελῶ*, *Considerans persevero.* Præterea *παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται, omni rationi ratio reperitur opposita.* Plenè sectam hinc explicant, præter Laërtium in Pyrrhone; tribus in libris contra Academicos, Tomô I. Operum Aurel. Augustinus, Martinus Schoockius in de Scepticismo qvatuor, Gröningæ 1652. in 8tav. Abrahamus Gravius in Academia Frisica Professor, in priorib. XI capitib. lib. I. Specimin. Philosophiæ Veteris, edit. Franeker. CIↃ IↃC LXXIII. Cl. Dn. Joh. Ulricus Wildius in aliqvot Disputationib. Lipsiæ CIↃ IↃC LXIV. habitis, sub titulo: Qvod aliqvid scitur. Ger. Joh. Vossius in de Philosophorum sectis, c. XX. p. m. 109. s. edit. opt. Lipsiens. M. DC XC. in 4to. Sed inprimis doctè tractat eam Sextus Empiricus libris adversus Mathematicos, & Hypotyposeon libris; videri qvoqve potest Celeberr. Jacobi Schalleri Exercitat. in Sexti Philosophi Pyrrhoniar. Hypotypos. lib. III. de certitudine Boni moralis. Adde & Hadrian. Junium, Centur. VI. Proverb. LIX. p. m. 354. a. in Opere Adagior. Erasmi, edito Francof. M. DC. XLVI. in fol. Admodùm eruditè autem propugnat hanc sectam Franciscus Picus Mirandula. Referre qvoqve Scepticorum in numerum possumus Henricum Cornel. Agrippam*, cujus liber, sive ingenii ostentandi, seu ludus gratiâ, sive seriò conscriptus, de incertitudine & vanitate scientiarum, unicum id intendit, ut omni scientiâ negatâ atqve disciplinis derogatâ, nil sciri posse, ostendat. Summa hæc est: nihil scire felicissima vita est. Omnium nostrô seculô *σκεπτικώτατος* est Franciscus Sanchez Medicinæ Doctor, & in Academia Tolosana Professor regius. Hic libellum edidit ex professo scepticen defendentem, qvem inscripsit, Nihil scitur. Negat omnia principia & rationem ipsam tantum non evertit, ut perreuditè docet locô paullò antè laudatô Cl. Wildius. De Cartesio res in aprico est. Qvid de libro, qvi Religio Medici inscribitur, sit habendum, alibi cum DEO dicam.

† i. e. *ut habeant tyrannidem deorum maximam.* Euripid. Phœniss. v. 509.

3 Hæc & hujusmodi tam scelera qvàm flagitia cùm ipsa ratio reprehendit, & esse turpia ac mala ostendit, tum judicium naturæ improbat, qvæ plerisqve in civitatibus legum qvoqve pœnis cohercentur. 4 Qvòd sicubi leges cessant, aut potentia has perrumpit, conscientia ipsa præsens sumit supplicium de sontibus. Ut de Oreste & Alcmæone fabulæ perhibent. 5 Sæpe etiam sera vindicta conseqvitur, vel genus ipsum exstingvit, ut in oraculo dicitur, perjuros funditus deleri, unà cum genere & familia tota, qvæ qvidem Homerica est sententia, & Solonem eadem canentem audivimus. 6 Magis autem in his declaratur id qvod evenire solet & justè fit, qvàm fati necessitas corripientis insontes, ut delicta majorum immeriti luant minores, & aliqvis negligat immeritis nocituram, postmodò se natis fraudem committere, secundum Horatium *, de qvo tamen longa esset disputatio qvam nunc seponemus.

XIV. 1 Interdum autem errat animus & impellitur in fraudem deceptus specie recti, cùm pro vero arripit id, qvod verum non est. 2 In qva parte falluntur homines plurimùm, aut opinione elati posse se perficere qvod sperant, ut de Phaëtonte & Icaro in fabulis est, aut secundà fortunà qvasi ebrii exultantes, ut gloriosa Niobe & petulans Eurytion. 3 Cùm autem persvasum alicui fuit, debere fieri aliqvid, & in hoc errat, ubi conatum eventus frustratur, aut infelicitas excipit, Tum misericordià proseqvi illos casus solemus, & qvi hoc non faciunt, ii duriores esse existimantur, præsertim in facto si officii ratio apparet, ut benignitatis in studio regis Phæacum erga Ulyssem, & fidelitatis in cura Galanthidos erga Alcumenam. 4 Sunt autem innumerabiles formæ deceptionum, & ut qvidam poëta dixit σοφισμάτων, qvæ sunt fallaces conclusiones, qvibus in fraudem & errores inducuntur homines. 5 Propositum fuit Demostheni defendere libertatem patriæ, & occurrere tyrannidi Philippi in tempore. 6 Omnia dixit & fecit, qvibus hoc perfici posse credebat. Sed id profecit, ut Philippus indies auctior viribus redderetur, & Græcia tandem in servitutem redigeretur. 7 Post prælium enim ad Chæroneam, fracti animis omnes, non qvid posteà communiter ad se defendendum agerent, cogitare, sed divulsi, partim se Philippo dedêre, partim assentando & obseqvendo aucupari clementiam & favorem illius, & studere benignitatem demereri. 8 Qvid Cicero? Nonne ipse & honestissimis & præclarissimis consiliis suis patriam, qvam conservare studebat, graviùs afflixit, & se perdidit? 9 Multi alii ea moliti fuerunt, qvæ si potuissent perficere, magnam laudem & gloriam ingentem fuissent consecuti. 10 In eventu † autem contrario reprehenduntur, & imprudentes, temerarii, stulti perhibentur. 11 Σφαλεὶς γὰρ

* I. Carm. Od. XXVIII. 30.

† *In eventu contrario*] Oppidò homines inter usitatum est ex eventu de aliorum institutis ferre judicium & actionibus. Ostendit id proverbium vulgi sermone tritum, & ab Ovidio qvoqve II. Heroidum, v. 85. reprehensum.

τῷ ἐδεὶς εὖ βεβουλεῦσθαι δοκεῖ τῶν δ᾽ ἐντυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν, secundùm Tragicum. [12] Ponderantur enim plerumqve consilia eventis, & ut ait Pseudolus Plautinus, II. IV. 15. 16. Bene ubi qvod consilium discimus accidisse, hominem catum eum esse declaramus, stultum autem eum cui vertit malè. [13] Sed redeo ad fabulas, nam has sapientissimi homines poëtæ, ad hæc ipsa qvæ istô modô fieri solerent, indicanda, confinxerunt. [14] Fuit consilium Dejaniræ ad reconciliandum sibi maritum, ut in muliere non nimis vituperandum: Sed qvia minus circumspectè rem gessit credula & simplex femina, qvæ miseria consecuta est? [15] Hujus generis sunt ii, qvos Græci vocant φόνους ἀκουσίους, qvi perpetrantur minùs cautâ armorum tractatione, aut aliô qvôpiam infelicitatis casu. [16] Qvæ est tanta miseria, ut fabulæ etiam deos & heroas suos hâc non liberent. [17] In qvibus Hyacinthus ab Apolline discô emissô interficitur, & à Perseo Acrisius, & Procris, jaculô temerè conjectô à Cephalo. [18] Non magnum est discrimen inter hæc & ea, qvæ ἀπροαιρέτως commotione & perturbatione animi vehementiore committuntur, ut Hippolyti exsecratio, qvæ comprobat sententiam Euripidis hanc:

Rectè per iram nemo qvicqvam consulit,
Multosqve mentis evertit sæva impetus.
Incogitantiaqve mala ambo utentibus.

[19] Verùm magis tamen hæc in culpa esse videntur, qvia sunt fontes horum,

Exitus acta probat ——
Qvô significatur, ita ferè fieri, ut rebus è secundis vel adversis pleraqve homines vel probent vel improbent. De qvo & aliorum scriptorum qverelæ extant similes. Pindarus, Olymp. 1. v. 18. 19.

Εὖ δὲ ἔχοντες, σοφοὶ καὶ πολι-
ταις ἔδοξαν ἔμμεν·

id est, *voti autem compotes, Sapientes etiam civibus visi sunt esse.* Euripidis sententiam ac Plauti noster habet Camerarius. Qvibus è communi hominum judicio perhibetur omnem in felicitate bonam existimationem, atqve adeo etiam sapientiæ contineri laudem. Sed & Demosthenis notus est locus in ea, qvâ cives suos Atticos hortatur ad Olynthi defensionem, Oratione, ubi fieri ita solere commemorat, ut ab exitu plerumqve judicentur anteacta omnia. Πρὸς γὰρ τὸ τελευταῖον ἐκβὰν ἕκαστον, τῶν προϋπαρξάντων ὡς τὰ πολλὰ κρίνεται. Et adlusit fortè ad hæc ipsa Cicero in Oratione pro C. Rabirio Postumo, c. I. cùm *nos hoc plerosqve facere*, ait, *ut consilia eventis ponderemus; & cui bene qvid processerit, multum illum providisse: cui secus, nihil sensisse dicamus.* Balbus & Oppius post VIII. Epistolam Ciceronis IX. lib. ad Attic. ita ad Tullium scribunt: *Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, à plerisqve probari solent.* At rectè Euripides his suam Andromachen concludit verbis

Πολλὰ δ᾽ ἀέλπτως κραίνουσι θεοί.
Καὶ τὰ δοκηθέντ᾽ οὐκ ἐτελέσθη.
Τῶν δ᾽ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός

id est. *Multa verò perficiunt dii præter spem. Et exspectata non èveniunt; Non speratorum verò exitum invenit DEUS.* Vide Orationem Nostri Camerarii, an ab eventu facta judicanda sint, editam annô CIↃ IↃ LXXIII.

rum, vitiosæ affectiones animi, qvas oportuerat coërceri. [20] Itaqve non excusat facinus ira, non magis certè, qvàm libido aut metus, vel ebrietatis insania. [21] Hôc locô mihi in mentem venit Ovidianæ sententiæ, qvâ poëta refutans opinionem vulgi, imprecatur malum ei, qvi ex eventu de factis judicium faciendum esse existimet, Sic enim apud Ovidium Phyllis, II. Epist. Heroid..v. 85.

Exitus acta probat. Careat successibus opto,
Qvisqvis ab eventu facta notanda putat.

[22] Sic enim pleriqve facere consvevère, ut anteacta omnia de eventu æstiment: [23] Nam de rebus & negotiis humanis, sive prospera hæc fortuna adjuvet, seu adversa deprimat, non solet vulgò judicium fieri secundùm singulos conatus, aut ea, qvæ diversis temporibus rectè perperámve facta sunt & commissa, sed finis tantummodò spectatur. [24] Hic si fortè is est, qvem maximè volumus atqve cupimus, omnia in copia felicitatis laudem approbationemqve inveniunt, qvamvis qvædam per se vituperabilia sint & mala. [25] Sin aliqva finem sortita fuerint non bonum, universa qvæ suscepta & gesta sunt, culpantur, tametsi justam reprehensionem neutiqvàm mereantur, de qvo & paullò ante nonnihil disseruimus. [26] In hac autem parte hoc considerandum est: Sæpe eventis caussam judicari, ut lapsus ebriorum, aut infortunii libidinosorum. Sic enim negligentiæ, stultitiæ, imprudentiæ, audaciæ, eventa factum certè infamant. [27] Qvemadmodùm autem opus ignominiam laudemve artifici conciliare dicitur, qvia hoc elaborationis est argumentum, ita propriè qvidem consilia actionesqve laudantur aut vituperantur, sed consentanea tamen etiam fortuna in utramqve partem momenti habet plurimum.

XV. [1] Qvapropter ut homines, cùm bene maléve precari aliis volunt, optant ut virtute aut scelere illorum digna præmia utrisqve persolvantur: sic de his, qvæ acciderunt, facere solent judicium, qvid aliqvi meruisse videantur, cùm verisimile sit, secundùm Euripidem, τὸν μὲν κακὸν, κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν. [2] Verùm qvia tamen sæpenumero non apparet caussa infortunii & calamitatis, ut mox dicetur, ideo non debet improbus & malus perhiberi unusqvìsqve, qvi adversis casibus exagitatur, nisi culpa manifesta sit. [3] Ita fit ut sententia hæc, *Exitus acta probat*, tanqvàm generalis, non rectè vulgò usurpetur: & nihilominus tamen sæpenumero verè hoc dici reperiatur [4] Sunt autem peccata qvorumdam ignorationis, qvæ cùm eum, qvi ita delinqvit, minimè facinorosum videri faciant, veniam talis & misericordiam invenit, ut Oedipus tyrannus apud Sophoclem. [5] Eodem pertinet Actæon, Dryope, Herculis & Agaves furor: [6] Qvæ etiam animos audientum complent horrore qvôdam in consideratione tam calamitosæ conditionis hominum. [7] Adjiciantur his illi, qvos pro sua qvemqve natura, (nam naturæ, ut ait Propertius, lib. III. Eleg. VIII.v.20. seqvitur semina qvisqve suæ) vis aliqva occulta, aut impellit ad scelus flagitiumve, aut adigit ad pœnam. [8] Ut illi vehementes amo-

ris motus, qvalis in Elissa à Marone describitur, qvorum autorem poëtæ faciunt Cupidinem, ut culpâ mortales liberent. 9 Sic Amphivomum improbantem illum qvidem procorum Penelopes petulantiam & injurias, & cogitantem relinqvere sodalicium illud, nihilominus impedivit vinculis qvibusdam Minerva, ut ait Homerus, & hastæ eum Telemachi objecit. 10 Hæ jam sunt, illæ mirificæ & ab omnibus deploratæ ἀμπλακίαι & tenebræ, vel etiam cæcitas, qvâ fit, ut sæpe aliqvis tendens ad bona, incidat in mala, secundùm Theognidem. 11 Hæc sunt ἁμαρτήματα horrenda & necessarii in vita μόχθοι, & illa qvæ ubiqve de miseria generis humani leguntur. 12 Hoc est Pindaricum λάθας ἀτέκμαρτον νέφος, sub qvo consilia & actiones à via recta aberrant. 13 Socrates qvidem, ut narrat Xenophon, dicere solebat, cùm Deus multarum præclarissimarum rerum facultatem & usum hominibus concessisset, retinuisse sibi id, qvod esset præcipuum & maximum, qvodqve humanis rationibus comprehendi & explicari non posset. 14 Itaqve cetera qvidem humanâ intelligentiâ & studiô venanda esse & percipi debere arbitrabatur: Eventum autem & fortunam ut cognosceremus, & illam incertorum ac dubiorum scientiam à Deo esse petendam. 15 Significari enim & demonstrari hæc illis, qvibus Deus esset propitius. 16 Ita ad vaticinationes & divinationes ille remittebat homines, & ipse his religiosè utebatur. 17 Sed qvid obsecro qvamplurimis, non dico auspicia, exta, somnia, aruspices, sed illa augusta Apollinis oracula profuerunt? 18 Hic qvidem Pythius, apud Ennium, ut Cicero retulit, gloriatur, se esse eum unde sibi populi & reges consilium expetant:

Suarum rerum incerti. Qvos ego mea ope ex
Incertis certos compotesqve consilii
Dimitto, Ut ne res temerè tractent turbidas.

19 Verùm qvid Crœsum perdidit, nisi fides superstitiosa, qvam habuit oraculis, Etsi Apollo ab illo accusatus, se accuratè conatur defendere apud Herodotum. 20 Semper hæc in aliqvorum dicta incurrerunt, sed nobis de his nunc differere copiosiùs non est propositum. 21 Hoc dico, non expediri rem, ne si ille qvidem Deus Socraticus consulatur, cùm responsa ipsius non minùs perniciosa fuisse multis reperiantur, qvàm conatus audaciæ.

XVI. 1 De his igitur hactenus, Addenda enim sunt, qvæ secundùm considerationem nostram restant. 2 Jam igitur in multis, non modò voluntas peccandi nulla: sed ne peccatum qvidem invenitur, qvi tamen aut in vita ærumnis maximis premuntur, aut mortem miserabilem oppetunt. 3 Contrà, improbi, scelerati, violenti, & feliciter vivunt, & Sardanapali, ut Cicero ait, X. Attic. Ep. VIII. vice in lectulo suo sæpe moriuntur. 4 Hæc Diogenes Cynicus, ut idem Cicero scripsit, III. Nat. Deor. c. XXXIV. dicere solebat, contra deos * testimonium dicere, Qvòd impro-

* *Contra Deos testimonium dicere*] Ratio humana considerans cursum vitæ hominum & animadvertens lætos diu florere nocentes, vexariqve pios, ut

improborum prosperitas secundæqve res redarguerent vim omnem deorum ac potestatem, [5] Sunt igitur improbi & mali ipsi qvidem incolumes interdum atqve fortunati, aliis verò exitio. [6] Ita enim Hesiodus, v. 238. E'ϱγ.

Sæpe viri peccata luunt tota † unius urbes.

Et Flaccus, III. Carmin. Od. II. v. 29.

---- ---- Sæpe diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

[7] Unius

ut ille inqvit, statuit aut nihil esse Deum, aut non curare res humanas: sed omnia casu & temerè accidere. Ideoqve inutile esse studium pietatis & virtutis. Necesse autem esse, ut nos mundo adcommodemus, ejus artificia & mores imitemur, si in mundo vivere volumus. Qvæ gravis tentatio non solùm gentes ignaras Dei deterret à vero studio virtutis: sed multos etiam in Ecclesia, qvi veritatem amplexi sunt, & ceperunt pietate & bonis operibus suam demonstrare fidem, tandem fractos ærumnis & adversitatibus evertit, & è gradu pietatis deijcit. Opponit igitur Spiritus sanctus huic gravissimo scandalo & tentationi salutarem doctrinam & firmam consolationem in Scriptura, & hortatur pios, ut in fide & pietatis studio constanter persistant. *Omnium hominum*, inqvit, Victorinus Strigelius in p. 6. partis II. Hypomnemat. in Psalm. LXXIII. *& angelorum eloqventiam superat magnitudo doloris, qvem pierum pectora sentiunt, cùm vident sui agminis paucitatem, miserias & deformitatem, & è regione multitudinem impiam, florentem & abundantem rebus omnibus, qvæ ad beatè vivendum pertinent. In hac collatione Ecclesiæ & imperiorum, ignescunt ira & duris dolor ossibus hæret, ut Virgilii verbis utar. Confer enim, si placet, Ecclesiam populi Judaici cum politia Romana, qvalis fuit ætate Scipionis. Qvid fuit pulcrius Romanô Senatu, in qvo Scipio Lælius. Scævola, Cato, & multi similes erant, qvi & suos mores summâ gravitate, & consiliô ac virtute orbem terrarum regebant? Adspice paulisper hæc lumina Romani Senatus, ac deinde oculos ad Judæam flectito, ubi videbis sacerdotes domestica bella movere, & civili sangvine aras & templum polluere, cadavera jacere interfectorum senum, passim in vicis & in ipso templi vestibulo strata. Antiochum in omnibus oppidis crudele latrocinium exercere, & in templo præsidium collocare, ac Bacchanalia in ea celebrare urbe, in qva sola veri Dei templum fuerat. Hanc populi Judaici deformitatem multi intuentes, & ex altera parte summam gloriam & tranqvillitatem Romanæ politiæ adspicientes, non tantùm zelô ardent, sed etiam dubitare incipiunt, uter cœtus Deo carior sit. Sed vox divina erudiit nos de caussis miseriarum humanarum, & monstravit alias normas, ex qvibus certò judicandum est, qvi cœtus Deo placeat.* Hæc Strigelius, qvi auctore Thomâ Gatakerô Londinate in Cinno, p. 21. *Codicem sacrum maximâ parte commentariis haut prolixis, sed nec infructuosis tamen, strictim inlustravit.* Habeo illos cum notis MSSis magni illius Theologi Paulli Tarnovii, cujus è Bibliotheca ad me pervenerunt tandem. Præripuit mihi qvispiam, qvod me malè habuit, ejusdem Strigelii, dicti cum Tarnovii manu, notas in Novum Testam. à qvo, etsi ei non multum usui esse poterant, nec prece tamen nec pretiô redimere poteram.

† *Tota unius urbes*] Verissimum esse hoc

[7] Unius itaqve interdum commerita, unum pluresve corripiunt atqve perdunt, non aliter qvàm ignis tragicus in filiæ capite excitatus, ſenem patrem ſuccurrere volentem, incredibili celeritate & ipſum inflammat ac interimit. [8] Hæc jam ſunt ejuſmodi, ut nullâ humanâ conſideratione explicari poſſint & harum rerum ratio hominum ratione non comprehenditur. [9] Itaqve aliqvi elati animis tanqvàm gigantes multiplicem vim ingenii incitârunt adverſus divinum numen & providentiam, atqve curam & reſpectum hominum illius ſuſtulerunt. [10] Ex hoc fonte manavit iſtud:

Ego

hoc Heſiodi, Paridis docet exemplum, cujus ob nefariam luxuriam tota patria, florentiſſimumqve Aſiæ regnum per decennium miſerè adfligitur, ac exſcinditur tandem. Sic *unius ob noxam & furias Ajacis Oilei*, ut I. Magni Operis v. 45 Maro canit, Græcorum naufragium paſſa claſſis eſt. Nec abre Flaccus, ſecundâ primi libri Ep. v. 14.

Qvidqvid delirant reges plectuntur Achivi.

Qvod juſtô qvandoqve ſolet DEUS permittere judiciô, cùm à magiſtratibus vel diſſimulantur delicta, vel etiam aliis de cauſſis. Ut cùm Populus Iſraël fugit acceptâ clade: qvia filius Charmi auream regulam & coccineum pallium ex anathemate furatus fuit. Joſuæ VII. 1. 18. ſ. Propter Davidis ſuperbiam in cenſu populi, peſtis deſæviit in Populum; 2. Samuel XXIII. 10. 11. ſ. Huc facit locus è Coheleth IX. ult. ubi LXX. ita ex Hæbræo legunt: *Καὶ ἁμαρτάνων εἷς ἀπολέσει ἀγαθωσύνην πολλήν. Et peccans unus perdet bonitatem multam.* Seqvitur Chadæus: *Vir peccator unus, qui eſt in generatione, occaſionem adfert, ut perdatur bonum multum* (ſeu magnum) *ex mundo*, vel ex ſeculo. Hoc eſt, ut ſui temporis hominibus multum mali pravitate illius obtingat. Vel fortaſſis intellexit, ut alii Hebræi in libr. Sanctificationum, propter peccatum unius Adami, periiſſe ipſi, & toti mundo multum boni, cùm & ipſe totumqve humanum genus juſtitiâ originali privati. Sic etiam R. Salomon ſuper h. loc. libr. Kiduſch. cap. Haiſcha nikneth, apud B. Dn. Chriſtophor. Helvicum, Diſp. VIII. Tom. IV. Diſpp. Giſſenſ. p. m. 173. §. 7. & Galatin. lib. & c. VI. Arcan. Cath. Verit. Priori ſenſui favent, præter antiqvam lectionem Hieronymi: *Si unus inſipiens fuerit, qvamvis parvus, & nihil ſit, crebro tamen per illius ſtultitiam opes magnas divitiaſqve ſubverti:* & Vulgatam; *Qvi in uno peccaverit, unus peccator, multa bona perdet:* pleriqve Hebraizantes, Vatablus, Tigurin. Cajetanus, vulgatum huc referens proverbium: *unus ſtultus projicit lapidem in puteum & mille ſapientes non extrahunt*; Pagninus, Lutherus, Regia, Biblia Gvarini, & Veneta cum Aria; ſicuti & Paraphraſis Thaumaturgi: *Ἀφροσύνη τε ἑνὸς πολλοῖς κίνδυνον ἐργάζεται, κἂν πολὺ εὐκαταφρόνητος ᾖ. Inſipientia unius multis periculum accerſit, etiamſi multis levis & contemptibilis ſit.* Qvamvis Brigittanus ſecundam partem contrariô ſenſu legat: *Inſipientia unius, etiamſi pleriſqve ut magnus celebretur, periculum adfert multis.* Vide Joan. de Pineda Hiſpalenſ. Jeſuitam, Commentar: in h. l. p. m. 815. b. edit. Antverp. M. DC. XX. in fol. Martin. Del-Rio, Antverpienſem Jeſuitam, part. II. Adagial. n. CCCXIX. p. m. 417. ſ. edit. Lugdun. M. DC. XVIII. in 4to. E noſtris B. D. Martin. Gejerum, Comment. in h. l. p. m. 355. B. Sebaſt. Schmidium ibid: p. m. 344. Adde & Mer-

Ego Deûm genus esse semper dixi & dicam cælitum.
Sed eos non curare opinor, qvid agat humanum genus.

11 Alii nullum prorsus esse numen divinum ausi fuerunt sentire, alii etiam planè eloqvi. Unde qvanta licentia peccandi oriatur, qvis non videt?

XVII. 1 Contrà timidi & ingenio humili, ad superstitiones in ea, qvam Græci vocant δεισιδαιμονίαν, innumerabiles, & partim ridiculas, partim exsecrandas prolapsi fuerunt. 2 Ex qvo genere sunt Ægyptiacæ ceremoniæ & mysteriorum initia: Item oraculorum, temporum, sacrificiorum, auspiciorum cultus, observatio, & magorum ariolorumqve vanitas. 3 Et Pythagorica somnia, & Socratica religio, & omnes à Græcis dictæ † θρησκεῖαι, deniqve cælum, terra, mare repletum, non divinô numine, qvô certè omnia plena sunt: sed falsorum deorum commenticiis familiis ac gentibus, cùm omnes colles, lucos, fontes, amnes, stirpes etiam singulas diis qvibusdam consecraret credula in formidine potentiæ divinæ, & veritatis desertrix vita impietatis: Itaqve oppida fanis, delubris, statuis referta fuerunt. 4 Qvapropter homines sapientes offensi istis superstitionum deliramentis, distingvere rem atqve dividere ea, qvæ de diis dicerentur, conati fuerunt. 5 Feceruntqve alios * μυθικοὺς deos, hæc jam erunt poëtica numina. Alios φυσικοὺς, de qvibus differerent Philosophi. Alios πολιτικοὺς consecratos in urbibus consensu civitatum & populorum.

XVIII.

Mercerum. B. Augustum Varenium in Gemmis Salomonis hunc tractâsse locum, adhuc invenire non potui.

† Θρησκεῖαι] Qvamvis Cerimoniam, sive sanctum in re divina ritum, Græci per Θρησκεύειν efferunt, sive religiosum cultum, voce, ut volunt, à Θρᾳξὶ, i. e. Thracibus circa res divinas operosis traductâ, seu, ut Suidas ait, qvòd Græcorum mysteria Orpheus Thracius ἐτεχνολόγησε seu instituit, vel qvòd sit θεὸν ὁρᾶν, i. e. Deum videre. Sed θρῆσκος religiosus videtur potiùs dici, qvasi θεωρῆσκος, qvi τὰ θεῦ ὄργια ἀσκεῖ, i. e. res divinas cum cura vel curiosè exercet, vel τὰ θεῦ ὠρήσσει, divina curat. Θρησκεία autem licèt ad superstitiosum cultum significandum transferatur Col. II. 18., & ἐθελοθρησκείας nomen malè audiat ibid. v. 23. tamen id fit ex argumenti modo, de qvo tractatur, non ex vocis ipsius definita natura. Nam Jacob. I. 27. de vero religioso cultu accipitur, qvum θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος, i. e. religio, *cultus religiosus purus & impollutus apud Deum & Patrem* dicatur, *invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese servare à mundo*. Vide B. Meisner. part. II. Philos. Sobr. Sect. I. Q. X. p. m. 72. B. Jo. Conr. Dieteric. in p. 384. a. Illustramenti N. T. Oecumenius nescio qvid abstrusæ rei venetur in hac voce, credit enim nomen hoc promittere κρυφίων τινῶν γνῶσιν, *occultorum qvorumdam cognitionem*. Verùm nescit hanc significationem Scriptura sacra. Confer. B. Casp. Erasmum Brochmand. Comment. in Jacob. p. m. 85. edition. Hafniens. M. DC. XL. in 4to.

* Vide qvæ prolixè dicam in fine hujus Commentationis p. 301.

[1] XVIII. Cùm autem omnis ſapientia humana in qvæſtione de Deo, & in rerum divinarum conſideratione deſinat, atqve in his, non aliter qvàm Aſtrologi ſtellas perhibent, inſiſtat, referaturqve eò unde proceſſerat, ſæpe etiam allucinans & hàc illàc deerrans, tùm incerta qvid affirmet & neget, ad dubitationem Academicam deferatur, Non modò, ut in Phyſicis diverſa arripiat dogmata, ſed de moribus qvoqve, ut aliud de alia opinione pertexat: De Deo qvidem & ſentire & loqvi religioſè homines jubeantur, & hæc pars adimatur cognitioni & ſcientiæ ipſorum, ne qvis in illa architectari aliqvid ingenii acrimoniâ auſit, cetera relinqvantur cogitationi & menti, qvibus utraqve qvaſi alatur ac corroboretur. [2] Eſt enim profectò ſupra & extra captum omnem intelligentiæ humanæ poſitum, cùm definire atqve comprehendere animô atqve ratione infinitam & æternam naturam, tùm perſpicere ac tenere voluntatem & ſententiam Dei. [3] Qvicqvid igitur cognoſci atqve ſciri de Deo poteſt, qvod qvidem certum ſit ac verum, id ipsô demonſtrante & docente percipi neceſſe eſt, ut obſcura & occulta, qvaſi velô detractô, appareant, & caligo mentis removeatur, accensâ veritatis & ſcientiæ cæleſtis luce. [4] Hæc eſt ipſius Dei vox & oratio, cujus interpretes fuerunt ii, qvos iſtius doctrinæ miniſtros ipſe Deus ab initio eſſe voluit: Cui filius Dei ſupremam manum impoſuit, factus homo & verſatus in terris. [5] Qvæ igitur divina ſunt, ea ex ipſo Deo diſcantur. [6] In ceteris poteſtas fiat menti, ut qværat qvaſi nutrimentum præſtantiæ ſuæ. [7] *Eſt* enim *qvoddam animorum ingeniorumqve naturale*, ut Cicero, IV. Academic. QQ. c. XLI. ait, *qvaſi pabulum*, *conſideratio contemplatioqve non* ſolùm *naturæ*, ſed communis etiam vitæ & negociorum & ſocietatis hominum. [8] De qvibus qvi diſertiſſimè & aptiſſimè verba fecerit, is tanqvàm in judicio orator bonus vincat, & ut illi apud Homerum, Il. σ. v. 507. dari debent * *δύο χρυσοῖο τάλαντα, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴπῃ*. [9] Sic doctrinæ famam & eruditorum aſſenſionem auferat is, qvi ſagaciſſimè & maxima cum ſolertia ac prudentia, perſpicuè, copioſè, eleganter, hæc explicuerit. [10] Judicium autem non erit opinionis incertæ & animi vagi, *καὶ δεῦρο κἀκεῖσε ἄστατος* in litteris & artibus bonis, qvæ eſt philoſophia, ſed nitentis & fulti, tanqvàm ancorâ, evidentibus & veris cauſſis in unaqvaqve conſideratione. [11] Qvarum qvidem fons eſt & origo, Geometria, Unde omnis cognitionis humanæ veritas, & qvicqvid certam comprehenſionem atqve intelligentiam habet, & ordine atqve viâ procedit, deducatur, & eodem rereducatur neceſſe eſt. De qvo alias: [12] Hæc igitur relinqvantur ſtudio & induſtriæ hominum, qvæ aliqvô modô intelligi & explicari prudentiâ & doctrinâ poſſunt.

XIX. [1] Sed qvid obſecro conſeqvitur de omni conſideratione & copia ſapientiæ is, qvi animum ſuum ſcientiâ præclariſſimâ complevit, eorum qvæ

* i.e. duo auri talenta, qvi inter hos ſententiam rectiſſimè diceret.

qvæ ab homine cognosci possunt? qvamve qvietem reperit uspiam certam, aut qvod præsidium invenit contra impetus adversorum? [2] Dum in mari tranqvillitas est, vel modica saltem commotio, gubernatoris ars valet plurimùm. [3] Ulysses ratem qvoqve facilè regit, dùm serenum cælum est: [4] Ubi vero inhorrescit mare, & tenebræ conduplicantur, noctisqve & nimborum occæcat nigror, qvid jam potest efficere ars gubernandi, aut de illo ratis agitatore qvid fit? Nonne & illa fracta & debilitata jacet, & hic impetu ac sævitiâ Neptuni unà cum rate evertitur? [5] Sit in prosperis vel leviter adversis casibus præclara & magnifica vitæ ars philosophia & dux, virtutis indagatrix, *expultrixqve vitiorum, qvæ tranqvillitatem largiatur, & terrorem mortis tollat, & cetera facinora gloriosa faciat: In miseria & calamitate non nocere hanc satis fuerit, prodesse certè neqvit. [6] Tum enim illa prioribus contraria audiuntur: *Nulla tantum virium habet aut prudentia aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere.* a [7] Et, *plura scribere non possum, ita sum animô perculsô & abjectô.* b [8] Et, *ego & sæpiùs ad te & plura scriberem, nisi mihi dolor meus, tum omnes partes mentis, tùm maximè hujus generis facultatem ademisset.* c [9] Et, *cùm me afflictum & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre graviùs, qvàm eventi.* d [10] Et, *cùm dolore conficior, tum etiam pudore.* e [11] Et, *ipse conficior venisse tempus, cùm jam nec fortiter nec prudenter facere qvidqvam possim.* f [12] Et, *Tantô, me dolore affecit, ut posteà jacuerim.* g [13] Erige te sapientissime Cicero. Trade te Philosophiæ totum, ut te facere ais, ad hanc confuge, ab hac opem pete. [14] Sed qvid ais? *O rem lugubrem. Itaqve intercludor dolore.* [15] Et, *Die natali meô, qvô utinam susceptus non essem, aut ne qvid ex eadem matre posteà natum fuisset.* h [16] Plura scribere metu prohibeor. [17] Non potest neqve sedare dolorem, neqve compescere indignationem, neqve qvietem conciliare animo perturbato, sapientia & doctrina & multæ literæ, qvas in caussa, idem Cicero esse alicubi dicit, ut sit mollior.

XX. [1] Ergo gubernandi ars nulla est, & Philosophia contemnenda? [2] Non hoc dico. Sed cùm polliceatur adversus omnes fortunæ incursiones illa auxilium, non posse eam præstare, qvod promittit, intelligi volo. [3] Non ait hoc gubernator, se, cùm solvit, navem in portum salvam deducturum esse. [4] Si Philosophia hoc idem dicit, accidere tempus posse, sese ut instructus, nihilominus obruatur fortunæ fluctibus, non est gloriosa hujus oratio. [5] Sed non dicit, ac alia potiùs magnifica & præclara de sua professione prædicat. [6] Jam, ut concedamus, esse præsidii aliqvid in Philosophia ad hujus vitæ cultum & in præsentia, qvid magnoperè proficitur, si ista ars & scientia hominum, cùm benè cedidit, fortasse ad mor-

B b tem

a Cic. I. ad Qv. Fratr. Ep. III.
b Idem, III. Attic. Ep. II.
c Idem, III. Attic. Ep. VII.
d Idem, III. Attic. Ep. VIII.
e Idem, XIV. Fam. Ep. III.
f Idem, X. Attic. Ep. XVIII. extr.
g Idem, XI. Attic. Ep. IX.
h Idem, XI. Attic. Ep. IX.

tem honestam deducat & speciosè sepeliat, & perpetuis tenebris oppressum relinqvat in busto? 7 Nam de numerosa illa anima evolante ex mortali corpore, & immigrante alienum, & aliqvando apud inferos versante cava sub imagine formæ, aliqvando considente super sidere qvopiam, qvæ Pythagorici * & Platonici fabulantur, bella qvidem ea sunt, sed neqve sapientiæ rationibus probantur, neqve assensionem intelligentiæ communis inveniunt. 8 In qva parte & Manichæi, & Cerdoniani, & Marcionistæ illuserunt veritati, introducentes μετενσωματώσεις animarum & μεταγγισμούς. 9 Qvæ qvidem ad hunc modum conficta, eruditiores ad morum

* *Pythagorici*] Hieronymus, Tomô I. Apolog. advers. Rufinum, c. X. f. 261. *Apud Græcos, inqvit, Pythagoras primus invenit, immortales esse animas, & de aliis corporibus transire in alia; & se primùm fuisse Euphorbum, secundò Callidem, tertiò Hermotimum, quartò Pyrrum, ad extremum Pythagoram.* Confer eumdem Sanctum, Epist. III. ad Heliodorum, Tomô I. c. II. fol. 8. Pamphilum, eumdem apud Hieronymum, Tom. IX c. CLI. Laërtium, lib. VIII. c. XIV. adfirmantem cum Hieronymo contra Herodotum in Euterpe, & Diodorum Siculum, lib. I. Biblioth. p. 88. *primum animam necessitatis circulum conficientem alia ex aliis animalia induere*, adseruisse Pythagoram; Qvamqvàm si primus apud Græcos, qvod Hieronymus clarè dicit, non ideô tamen omninò sit primus, volunt enim id eum ab Ægyptiis habuisse; qvo de videndus in c. V. p. m. 24. libri de Natura & Constitutione Philosophiæ Italicæ B. Joh. Schefferus. Imò ne apud Græcos qvidem animos Pythagoras immortales protulit, si Ciceronem seqvamur auctorem, qvi I. Tuscul. c. XVI. hoc Magistro ejus Pherecydi tribuit his verbis: *Sed, quod litteris exstet, Pherecydes Syrus primùm dixit, animos hominum esse sempiternos.* Nisi qvis Pherecydem, Syrum esse dicat, non Græcum; qvod Thomas Aldobrandinus in adductum Laërtii locum adfert. Adde Malchum in Vita Pythagoræ, p. 13. Tertullian. in Apolog. c. XVII. & de Anima, c. XXVIII. Justinum Martyrem in QQ. Græc. f. 163. f. Origenem, I. contra Celsum, p. 16. Ambros. de Bono mortis, c. X. Euseb. X. Præparation. Euangel. c. II. Damascen. de Hæresib. f. 574. Phodium in Biblioth. f. 713. Nicephorum Callistum, X. Histor. Eccles. c. XXXV. Lactantii, lib. VII. c. XII. extr. hæc sunt: *Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant, differentis, migrare animas de corporibus vetustate, ac morte confectis, & insinuare se novis, ac recens natis; & easdem semper renasci modò in homine, modò in pecude, modò in bestia, modò in volucre; & hâc ratione immortales esse, quòd sæpe variorum ac dissimilium corporum domicilia commutent. Quæ sententia deliri hominis quoniam ridicula, & mimò dignior quàm scholâ fuit; ne refelli quidem seriò debuit. quod qui facit, videtur vereri, ne quis id credat.* Et c. XXIII. *Pythagoras transire animas in nova corpora disputavit, sed ineptè, quod ex hominibus in pecudes; & ex pecudibus in homines, & seipsum ex Euphorbo esse reparatum.* Ceterùm num verè Pythagoras transanimationem statuerit, num verò aliqvid aliud occultaverit allegoricè, qvemadmodùm & Plato in X. Politic. narrat, Orpheum mulierum odiô transiisse in cygnum, Thamyram in lusciniam, relinqvimus in medio. Nihilominus certi sumus, inhæsisse hanc opinio-

rum & vitæ, & in hac mutationis significationem assumserunt, ut esset hæc ἀκηγεία, de iis, qvæ inter homines acciderent communiter; non qvæ generationis fatali qvâdam lege fierent. [10] Itaqve Aristoteles facilè totum illud commentum refutans, necesse est ait, ut corpus ad recipiendum animam præparatum sit. [11] Qvomodo autem obsecro præparatum erit muscæ corpus ad elephanti animam recipiendam? ut de musca, secundùm proverbium, elephantus creetur. [12] Sed hæc qvia sunt ridicula, derideamus licet. [13] Alia omnem ferè spem inposterum præcidunt, qvæ vel de animæ cum corpore inseparabili connexione, & vitæ perenni motione ac fluxione, qvæ est, ἐντελέχεια †, vel dissipatione hujus in auras, ut particula accepta ab æthere ad illum expirando hinc revertatur, sapientes homines & ingeniosi differuerunt. [14] Socrates qvidem, nescio utrum jocans in re capitali, ut multi alii ingeniô præfractô atqve durô, an verò qvòd ita existimaret, de congressu apud inferos cum præclaris animis suo, ante-

opinionem multis Ethnicis. Sic enim ille apud Ovid. XV. Metam. v. 158. s.

Morte carent animæ: semperqve, priore relictâ
Sede, novis domibus habitant vivuntqve receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram. ——————

Gallos idem sensisse constat è c. XIII. lib. VI. Jul. Cæsaris de Bell. Gall. *In primis hoc volunt persvadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atqve hôc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglectô.* At inter veterum Gallorum & Pythagoræ παλιγγενεσίας hoc interest, qvod Pythagoras, ac post illum, ut Augustinus vult, lib. X. de Civit. DEI. c. XXX. Plato, etiam hominum animas ad bruta animantia, Galli verò ad homines tantùm transire volebant. Zamolxis qvoqve, ut est apud Julianum in Cæsarib. idem docuit Getas, qvi eum post mortem pro numine habuêre. De Germanis testatur & Appianus in Celticis. Inter Judæos an Pharisæi huic placito addicti fuerint, alibi prolixiùs dico. Sententias Hermanni Vulteji, Francisci Junii, Joh. Jacobi Grynæi, Joh. Jacobi Coleri, Caspari Pauceri, Ægidii Hunnii, Petri Monavii, Rodolphi Hospiniani, Timothei Brighti, Cantabrigiensis, Medici, & Joh. Ludovici Havenreuteri Philosophi & Medici excellentis in Academia Argentinensi, de Animæ Origine collegit Rodolphus Goclenius Professor Philosophicus in Academia Marpurgensi, suam & in calce libri addens, cujus inscriptio est ψυχολογία, Marpurgi in 8t. edita annô M. D. LXXXX. Addas velim & B. D. Joh. Conr. Dannhaweri Collegium Psychologicum, qvod Argentorati prodiit annô 1630. in 8t. Ceterùm Metempsychosis pulchrè refutatur ab Ænea Gazæo in Theophrasto, sive Dialogo Platonico-Christiano de Resurrectione Mortuorum, p. m. 9. s. edit. Lipsiens. M. DC. LV. in 4to. mille locis irridetur Luciano, qvô vix alius de priscis illis sapiturientibus, ut loqvitur Barthius noster, p. 297. b. not. in Zachariæ Scholiastici Episcopi Mitylenes Dialogum de Opificio Mundi, infestior offenditur, cùm salibus omnes rumpat.

† Ἐντελέχεια] Hermolaus Barbarus è scien-

anteqvàm in cuſtodiam traderetur, ubi & venenô extinctus fuit, declamitaverit. [15] Sed totam certè rem illum & ſpem ſuam ſupra fabulas collocare qvàm leve ſit, qvis non videt? [16] Qvàm multi mortem obierint fortiter & animô infractô, licet de hiſtoriis cognoſcamus, de qvibus Ciceronis in Tuſculana prima, nota eſt narratio. [17] Hi tamen qvid fecerunt aliud, qvàm qvòd de omni proſperitate & felicitate reliqva fortiter deſperaverunt, ſive ipſi auſi fuerunt mortem ſibi conſciſcere, ſeu vim aliorum præſenti animô ſuſtinuerunt, neqve ejulatu aut qveſtu muliebri deformem reddiderunt exitum ex hac vita.

XXI. [1] Cùm igitur, ut concludamus tandem diſputationem noſtram, neqve in adverſis & hujus vitæ ærumnis certa firmaqve ſapientiæ conſolatio, ſit, & ſi qva ſit ea citra ultimum diem conſiſtat, vel ſaltem in hoc inſiſtat: Duo qværi poſſunt, unum, operæ ne precium fieri exiſtimandum ſit, ſi ſtudio ſapientiæ aliqvis ſeſe dedat: Alterum qvid ad explicandas difficultates, tàm eas qvas retulimus, qvàm harum ſimiles alias, aſſumendum eſſe videatur, ut & in hac vita conſiſtere, & certam ſpem alterius melioris retinere poſſimus. [2] De qvibus breviter, qvæ in mentem nobis venerint, exponemus. [3] Diximus ante, optimum eſſe, cuiqve naturæ id, qvod

è ſciendi curioſitate, diabolum interrogâſſe fertur: Ecqvid apud Ariſtotelem, ſignificaret ἐνδελέχεια? cui diabolus barbarè reſpondit *perfectihaben*. Vide Adrian. Heerboord, Philoſ. Natural. p. 28. Item Scaliger. explicantem hoc vocabulum Exercit. CCCVII. ſect. XXXIX. p. m. 993. ſ. ut & noſtrum Joach. Camerar. in Problematib. Grammatic. & Etymologic. qvæ ſunt in Adpendice Problematum, n. XII. p. m. 71. ſ. edit. Comelin. M. D. XCVI. in 8t. Item Sebaſtian. Foxium Morzillum Hiſpalenſem, lib. V. de Natura Philoſophiæ, c. I. p. m. 395. ſ. edit. Witteberg. 1594. in 8t. qvam olim uſurpavit B. Paullus Tarnovius, ut ipſius manus multæqve marginiadſcriptæ notæ teſtantur. Addam hic qvæ ex Iſaaci Caſauboni Patris ſui Adverſariis adfert filius Mericus Caſaubonus, p. m. 138. edit. Londin. CIↃ IↃC XLVII. in 12. Diatribæ de Verbor. uſu. *Legebam*, inqvit memoratus Iſ. Caſaubonus, *præfationem viri magni Ph. Canai à Fr. in libros* De Animâ *à ſe verſos Gallicè. ibi inveni hanc obſervationem: Ariſtotelem & Doctrinam de anima, & vocem ἐντελέχεια ab Hebræis accepiſſe; ſed diſſimulanda origini τ pro δ poſuiſſe: cujus rei probatio adfertur è Luciano in judicio vocalium. Hæc ille. Obſtupui cùm illa legerem: neque enim putabam fieri poſſe, ut tam elegantis ingenii vir tantas nugas vel audire vellet. Eſt verò Aub. quem ipſe unicum unicè miratus eſt, vaniſſimum ſomnium. Nam falſiſſimum eſt, Ariſtotelem vel rem vel vocem ab Hebræis ſumpſiſſe: neque hôc poteſt excogitari aliquid magis ridiculum. Planè id perinde èſt, ut ſi quis cùm pulcherrimam arborem cerneret fructibus onuſtum (leg. onuſtam) & gravem: vellet tamen negare in ea arbore fructus illos eſſe natos. Idem enim eſt deſcriptio philoſophi. Ceterùm non explicat Canaius neque unde derivaret aretalogus ille hanc vocem: neque quam ſignificationem illi daret; ſed non dubito, quin per d voluit ſcribi, derivâſſe à* דלק accendit. *Τὸ* ν *erit forma niphal: τὸ* ε *fortaſſe adſcribebatur emphaſi τῶ* ה *Hebræorum. moriar ſi quid poſſit fingi alienius à vero. Ita ille.*

qvod ipsi est convenientissimum, sicut deterrimum, qvod maximè contrarium. [4] Sed convenientissima est animo humano consideratio veritatis, duplex illa qvidem, una prudentiæ, qvæ actiones moderatur, altera sapientiæ, qvæ cognitionem & scientiam complectitur, ita qvidem, ut ab hac illa, qvemadmodùm antè ostendimus, dependeat. [5] Qvapropter optimum est existimandum homini, præstantia ejus naturæ, qvam ille habet peculiarem, ea est mens, consilium, ratio. [6] Sed neqve excoli, neqve instrui, neqve perfectionem & excellentiam hæc adipisci potest, absqve doctrinæ eruditione: [7] Seqvitur ergo, ut doctrina, qvod sapientiæ studium est, præcipuum esse debeat in hac vita & hominum communitate; Et hæc si negligatur vel omittatur, non multum à bestiis conditionem humanam discrepaturam esse, qvarum natura à consideratione & intelligentiæ ratione penitus remota est. [8] Qvare Aristoteles, breviter ille qvidem, sed luculentè pronunciat, unicuiqve id esse optimum & jucundissimum, qvod naturæ ipsius maximè conveniat. [9] Hujusmodi autem esse homini, intelligentiæ vitam, ab hac enim homirem potissimùm effingi atqve constitui. Ideoqve illam vitam esse beatissimam. [10] Verba sunt Aristotelis hæc in ultimo Nicomachiorum libro, c. VII. extr. τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει, κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐσθ᾽ ἑκάστῳ· καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος, οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος. [11] Sed nos hoc ultimum de vita beata paululum seponamus, nam adhuc res hæret. [12] Si autem intelligentia fons est & origo omnium, in qvibus ordo & convenientia, & pulcritudo & utilitas inesse creditur, neqve aliud in vita consideratur, qvàm qvid deceat & qvid expediat, addat, si qvi volet, & qvod jucundum sit: Seqvitur nimirum, ut sapientia & doctrina * in hac mortali vita & in terris, primas tenere, & ante omnia coli conservariqve debeat, sine qva

* *Sapientia & doctrina*] Malo Camerarii nostri discursum inlustrare verbis doctissimi Sturmii, qvæ Frideric. Sylburgius præfixit Aristotelis X. libris Ethicorum ac Nicomachum optimè Francofurti apud heredes Andr. Wecheli M. D. LXXXIIII. in 4to editis, & hæc sunt: *Civilis scientia origo est, de moribus tradita disciplina. Tum enim magnam felicitatis suæ partem assecuta est respubl. cùm singuli cives, probi & boni viri existunt. Libri de his scripti, ἠθικοὶ sunt nominati. Græci enim ἤθος, morem, ingeniumque hominis vocant: hominem etiam ἠθικὸν, virum bonum, & benè moratum esse volunt. Cicero hanc partem philosophiæ, in libro de fato moralem appellavit, secutus Græci vocabuli notationem. Pernecessarii sunt hi libri in scholis non solùm ad agendum, in quo finis est hujus doctrinæ: sed etiam ad cognoscendum, quod proprium est philosophorum. Agere enim bene, cum bonis omnibus est commune: doctrina verò propria sapientis est: etiamsi nemo sapiens sit, qui non bonus existat. Sed dux actionum prudentia est & doctrina: multique homines sæpenumerò ignoratione boni & mali peccant. Itaque quid agas, quid honestum turpeque sit scire oportet. Amicorum literas inimicis recitare, si prudens quis faciat, scelus est: si imprudens, contra officium est, & in negli-*

qva neqve dignitatis & laudis fructus, neqve commoditatum emolumenta neqve voluptatis vera svavitas percipi poteſt. 13 Vocet aliqvis jam hanc prudentiam, id eſt, φρόνησιν, non erit, in hac qvidem parte, diſſimilis oratio aut ratio contraria rationi & orationi noſtræ. 14 Abſqve his autem, neqve ſcientia, neqve virtus, neqve officium conſtituetur aut durabit.

XXII. 1 Fecit Ariſtoteles vir ingeniô & doctrinâ præſtans, duplicem in homine præſtantiam, unam mentis, qvæ illi eſt ἀρετὴ διανοητικὴ, alteram morum, cujus ſunt actiones laudabiles in communi vita, qvæ eſt πρακτική. 2 Significat autem ἀρετὴ hac in diſputatione, id qvod eſt in unaqvaqve natura aut naturæ parte excellentiſſimum & præclariſſimum. Ut ſi oculorum ἀρετὴν eſſe dicamus, Aciem firmam & certam ad videndum. 3 Poſteà diſtribuit rem latiùs, & nonnihil cogitationes diſtrahendo obſcuravit. 4 Fecit enim ἐπιστήμην, qvæ eſt certè vis cognoſcendi & ſcientia, qvalis Geometræ. 5 Fecit τέχνην, in qva effectionis curam & opus ſpectari vult, qvales ſunt eæ artes, qvarum præcepta dantur, qvæ ſeqvens animus & manus, id abſolvit & elaborat, qvod erat propoſitum, ut cùm à Fabro domus exſtruitur. 6 Addidit φρόνησιν, qvæ conſideratio & perſpicacia, verſatur in delectu rerum & judicio ac conſilio de bonis & malis, qvorum illa magnifacienda & expetenda, hæc vituperanda & fugienda eſſe decernit: Et hanc eſſe vult gubernatricem actionum & officii. 7 Poſt hanc mentionem facit ejus ſapientiæ, qvam Græci σοφίαν nominant: Eamqve in unaqvaqve arte & ſcientia eximiam ſpeciem eſſe docet, ut ſit ſingularis qvædam & excellens hæc vel ſcientiæ vel artis perfectio. 8 Et ita imponit qvaſi faſtigium, eum, qvem νοῦν appellat, Latini mentem nominàrunt. Qvô comprehendi dicit omnium, de qvibus veritas & rectum exiſtat, cauſſas & principia. 9 Hæc igitur in Ethicis ab hoc philoſopho ad hunc modum differuntur.

XXIII. 1 Sed nos ad rem redeamus. Ac puto de iis, qvæ dicta ſunt, facilè manifeſtum fieri poſſe, & qvæ ſit ingenii ac induſtriæ hominum qvaſi provincia, neqve fruſtra ſtudia doctrinæ coli qvibus artes ſcientiæqve omnes integræ præſtantur, & cùm inter præſentes coluntur ad communem uſum vitæ, tùm traduntur etiam poſteris, ut ſimiliter illi bene ac liberaliter inſtituti, ſocietatem conjunctionemqve generis ſui tueantur, & honeſtatem vitæ augeant. 2 Qvæ qvaliacumqve appareant, per ſe certè omnia pulcerrima ſunt & maxima. Implicata autem in naturæ corruptæ depravationem, cùm debilitantur, tùm etiam vitia contrahunt, neqve id præ-

negligentia vel ſtultitia crimen incurret: ſi invitus, neceſſitas eſſe dicitur aut caſus: qvi cùm ſapientem fallit, non laudari ſolet, ſed aut excuſari aut miſerabilis videri. Qvare qvidqvid contra officium eſt, id aut peccatum eſt, aut ſcelus, aut caſus atqve fortuna. Animus ergo doctrinâ informandus eſt, qvâ & voluntas ad res bonas excitatur, & intelligentia naſcitur, & prudentia comparatur: ut & velle res bonas, & intelligere veras, & contra malas falſasqve ſeſe munire poſſit. Hæc præcipua eſt hujus doctrinæ utilitas:

præstare & perficere valent, qvod pollicentur, neqve eam speciem ac pulcritudinem retinent, qvam cogitatio sapientiæ concipit atqve informat. 3 Hanc caussam corruptæ & vitiatæ naturæ, humani ingenii sagacitas non videt. Itaqve in tota disputatione de excellentia hominis errat ac fallitur: Cùm integram atqve sinceram naturam illis proponat, qvæ vitiosa est & impura. 4 Itaqve à Philosophia veritas petenda non est, qvæ ignorat penitus id ipsum, qvod gloriosè prædicat sese explicaturam esse: Caussarum inqvam cognitionem, & demonstrationem bonorum atqve malorum. 5 Cæca enim est illa hac in parte, neqve animadvertit depravatam & labefactatam esse eam naturam, de qva tanqvàm integra & incontaminata concionatur, tantum abest ut corruptelæ caussam intelligat: qvapropter eam hallucinari qvoqve oportet in judicio de bonis & malis. 6 Qvin etiam maxima & summa ingenii humani sapientia, hæc ipsa, qvibus solis veritas cognoscitur, refutat & abjicit, & eam doctrinam ingentium ærumnarum caussam esse perhibet, confundentem judicia & sententias hominum, & inferentem animis opiniones mirabiles, & abhorrentes ab intelligentia & noticia communi. 7 Si igitur ad spem felicitatis contenditur, si beata qværitur vita, si fugiuntur mala & expetuntur bona: ingredienda alia via est, & verus cursus tenendus, qvô in portum qvietis & tranqvillitatis deferamur sempiternæ. 8 Hæc est unica religionis sanctæ, constitutæ verbô Dei æterni, via, qvi est Christus Jesus filius Dei, idem veritas & vita, Joh. XIV. 6. 9 In hac jam, & perpetuæ atqve immutabilis veritatis scientia, & ea prudentia, qvæ consiliis certis firmisqve & rectis instructa est, & eæ actiones, qvæ justiciæ & virtutis immortale decus & laudem conciliant, qværendæ sunt & reperiri possunt. 10 Qvâ scientiâ & cognitione qvi destituitur, qvantumvis sapiens sit, stultissimus est. 11 Judicium autem illud, si absit, neqve consilia neqve actiones qvæ culpâ careant, uspiam possunt existere. 12 Hæc est pietas & religio Christiana, qvæ non modò hujus vitæ cursum dirigit ad felicitatem, sed post hanc etiam ostendit portum beatæ vitæ, & immortalis ævi stationem sempiternam. 13 De qva verba facere & disputare neqve propositi, neqve virium mearum est, remittoqve cùm me ipsum tùm alios, ad studium & lectionem sacrorum librorum, & piam ac religiosam considerationem eorum, qvæ illis prodita sunt, ad qvam plurimum momenti affert erudita & diligens interpretatio & commentatio sanctorum veterum, qvi Christi religionem propagare studuerunt, & opera ac assiduitas eorum, qvi his qvoqve temporibus doctrinæ Ecclesiasticæ munere funguntur. 14 Cùm enim sint in religiosa assensione & sanctitate fidei omnia, audiri scilicet & cognosci oportet ea, qvibus assensio & fides illa debetur.

XXIV. 1 Sed non rejicit religionis sanctitas, qvasi profanum studium philosophiæ, qvemadmodùm illa neqve vitam communem dissipat, neqve officiorum rationes conturbat, neqve virtutis laudem diminuit. 2 Magnoperè ostentârunt Græci veteres justiciam, verbi caussâ, Aristidis, & continen-

tinentiam ac probitatem Socratis, ſed hæ & aliæ innumerabiles virtutes, in ſancto Paullo multò & majores & pulcriores eluxerunt, ut in hoc veræ virtutes, in illis umbræ virtutum eſſent. [3] Non enim certè Chriſtianiſmus officium negligit, aut non colit virtutem, aut Cyclopica qvædam eſt ſeceſſio: Sed & ſanctiſſimè præſtat officium, & virtutis eſt ſtudioſiſſimus, & vitæ ſocietatem nulla in parte violat. [4] Aſſumit igitur etiam, ut neceſſaria ad vitam in terris bene laudabiliterqve agendam, ſtudia literarum & artium ac diſciplinarum bonarum, id eſt, philoſophiæ: Non illa involvens in ſuam & propriam doctrinam, ſed qvo in genere ac loco ſunt; in eo hæc relinqvens, & conveniente modô uſurpans. [5] Nam commiſtione vel etiam confuſione veritatis cæleſtis & divinæ, cum mortali & terrena ſapientia, neqve per ſe deterius, neqve magis contrarium Religionis ſanctitati, neqve Deo magis inviſum, neqve pernicioſius hominibus fieri qvicqvam poteſt. [6] Itaqve ab hac arcana & ignota rationi & judicio hominum ſcientia longiſſimô ſeparanda intervallô eſt, ſagacitatis & perſpicaciæ humanæ intelligentia, & ingenii vis, & ſtudii induſtriæqve effectio, qvæ omnia ſervire & famulari debent tractationi & explicationi doctrinæ cæleſtis, & ad illius qvaſi juſſa omni tempore ac locô præſto eſſe: [7] Ipſa in hac parte juris autoritatiſqve aliqvid ſumere & uſurpare nullô pactô debent. [8] Itaqvè inſaniiſſe eos putabimus, qvi vel Platonicam vel Ariſtotelicam philoſophiam cum Chriſtiana religione conjungere, vel in hanc potiùs implicare non dubitaverunt, ex qvibus aliqvi etiam auſi fuerunt de Platonicis allegoriis leviſſimis, illas graviſſimas ſententias de Deo notas ſoli religioni Chriſtianæ conſtituere. [9] Et colligunt hi argumenta qvibus probari volunt, hæc in Ægypto Platonem cognoviſſe, qvod & futile eſt & ridiculum. [10] Qvando enim Ægyptiis Judæorum religio cordi vel non odiô potiùs fuit? Aut illi Moſis ſcripta magni facerent, qvem pro fugitivo & ſeditioſo haberent? Aut potuit Plato legere Hebraicos libros Moſis?

XXV. [1] Sed ut veriſimiliter hoc diceretur, nos tamen nefas duceremus, cum ulla doctrinæ aut ſapientiæ humana calliditate, communicare laudem ſimplicis veritatis cæleſtis. [2] Nam de Ariſtotelicis commentationibus, qvæ ſunt ingenii magni & acris & ſublimis commenta, id eſt, ἐνύπνια, qvid nugarum & ineptiarum in religionem cum ingente labe illius, invectum ſit, jam & evidens eſt, & exſecrabile piis ac bonis videtur omnibus, præſertim cùm de his barbaries illa monſtra pepererit, qvæ jam circumſtare & premere Eccleſiam ſanctam cernere eſt. [3] De oraculis & Sibyllinis verſibus, qvorum aliqvi teſtimonia magni fecerunt, & ſola poſſe refutare Idololatricos errores credidêre, longa eſſet diſputatio, qvam veluti ſcholam peculiarem alibi, ſi tempus & ocium ſuppeditârit explicaturi ſumus. [4] Nunc hoc teneamus, nihil omnino poſſe tranqvillitatem & pacem & veram læticiam in optima ſpe non modo præſentis ſed futuræ etiam felicitatis, conciliare hominibus præter unam illam cæleſtem veritatis doctrinam, cujus

doctos

doctor & magiſter ac interpres ab initio fuit, & eſt, unicus filius Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qvem ſolùm audient ii, qvibus & erga Deum pietas cordi, & ſua ſalus curæ eſt. 5 Loqvitur autem ea qvæ de ſancti ſpiritus inſtinctu expoſuerunt, & literis mandàrunt Prophetæ & Apoſtoli. Qvorum ſcripta Sacræ literæ nominantur. 6 De qvo indicatum ſatis eſt, dici pro dignitate neqve à nobis, neqve breviter omnino poteſt. 7 Et perpetuum hoc ſtudium eſſe debet Chriſtianorum. 8 De his igitur hactenus. 9 Cetera religionis ardori atqve cupiditati committenda & relinqvenda ſunt. Qvæ hôc unione compertô nihil non impendendum, nullum laborem non ſuſcipiendum, nullum non adeundum eſſe periculum cenſet, ut illô potiatur. 10 Qvem benignè nobis contingere & proprium eſſe velit filius Dei Dominus unicus noſter Jeſus Chriſtus, cujus eſt cum æterno patre & ſpiritu ſancto, regnum, gloria, virtus, victoria ſine fine.



Qvoniam in commate 5. capitis XVIII. μυθικῶν, φυσικῶν ac deorum πολιτικῶν noſter Camerarius mentionem fecit: placet hîc ea explicationis locô dare foras, qvæ olim triplici de Theologia Gentili noſtris propoſuimus auditoribus. Salluſtius Philoſophus, cujus Opuſculum περὶ θεῶν καὶ κόσμου prodiit è recenſione Leonis Allatii, fabulas diſpeſcit *in Theologicas, naturales, animales ac materiales, & ex his mixtas.* Hæc enim ejus verba ſunt, c. IV. Τῶν μύθων οἱ μέν εἰσι θεολογικοί, οἱ δὲ φυσικοί, οἱ δὲ ψυχικοί ἔτι καὶ ὑλικοί, καὶ ἐκ τούτων μικτοί. Theologicæ, ſecundùm illum, τὰς οὐσίας τῶν Θεῶν θεωροῦσιν, ipſas Deorum naturas ſpeculantur, οἷον αἱ τοῦ Κρόνου καταπόσεις τῶν Παίδων. qvale qvid ſunt Liberi à Saturno devorati, ἐπειδὴ νοερὸς ὁ Θεός, πᾶς δὲ νοῦς εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφει, τὴν οὐσίαν ὁ μῦθος αἰνίττεται τοῦ Θεοῦ. Siqvidem cum omnis intellectus in ſemet ipſum reflectatur naturam DEI intellectualem fabula inſinuat. *Fabulas* haſce *Theologicas Philoſophis* convenire docet Salluſtius, *naturales*, qvæ τὰς περὶ τὸν κόσμον ἐνεργείας τῶν θεῶν, ea, *quæ à Diis circa conſervationem mundi agitantur*, penſiculant; ac animales, qvæ τῆς ψυχῆς τὰς ἐνεργείας σκοποῦσιν, *operationes animæ indagant*, *Poëtis*; *mixtas*, qvibus Ægyptii δι' ἀπαιδευσίαν olim utebantur ſub ſchemate hieroglyphico, iis, qvi ſacris ceremoniis operantur, & in iiſdem ſunt occupati, vel potiùs ipſis Τελεταῖς, ceremoniis, adſcribit.

Ab illis non multum diſtare & abeſſe videtur illud genus Theologiæ, qvod Varroni, qvi rerum divinarum Libros ex omnibus retrò digeſtis, commentatus eſt, Mythicum audit & fabuloſum, qvo de Qvintus Septimus Florens Tertullianus, lib. II. ad Nationes, c. I. qvem unà cum primo, debet orbis litteratus Jacobo Gothofredo JCTO. Is verò *triplici genere Deorum cenſum diſtinxit. Phyſicum vocat qvod Philoſophi retractant; Mythicum, qvod inter Poëtas volutatur; Gentile qvod ſibi qvique populi adoptârunt.* Hæc ille cothurnô incedens Africanô. Audiamus è lib. VI. de Civit. Dei, c. V. Auguſtinum, qvi ait: *Varro tria genera Theologiæ dicit, eorumqve unum Mythicon appellari, alterum Phyſicon, tertium*

 Civile,

Civile, nempe Mythicon quô maximè utuntur Poëta: Physicon, quô Philosophi. Civile, quô Populi: in primo esse multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta. De secundo Philosophos multos Libros reliquisse, in quibus quæritur, Dii qui sunt? Ubi sunt? ex quonam tempore, an & Igne, ut credidit Heraclitus: an ex numeris, ut Pythagoras: an ex atomis, ut Epicurus? Tertium genus esse, quod in urbibus cives, maximè Sacerdotes, nôsse atque administrare debebant, in quo erat, quos DEOS publicè colere, quæ sacra & sacrificia facere quemque par esset: primam Theologiam maximè adcommodatam esse ad Theatrum: secundam ad mundum; tertiam ad urbem: notatque Augustinus, Varronem in secundo genere nihil culpavisse: tantùm Philosophorum controversias inter se commemoravisse: removisse tamen hoc genus à foro, id est à populis; Scholis verò & parietibus clausisse: illud autem primum mendacissimum atque turpissimum à civitatibus non removisse. Confer eumdem Augustinum, quartô de Civit. DEI. cap. septimô & vicesimô. Ubi agens de tribus Generibus Deorum, quæ tradita fuerant, unum à Poëtis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus Civitatis, ait, doctissimum Pontificem Scævolam primum nugatorium esse dixisse, quòd multa de Diis fingerentur indigna: cùm Poetæ sic DEOS deforment, ut nec bonis hominibus comparentur, eùm alium faciunt furari, alium adulterari; secundum verò nôn congruere Civitatibus, quòd habeat aliqua supervacua: aliqua etiam, quæ obsit populis nôsse. ex: gr. non esse Deos Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem: proditur enim à doctis, quòd homines fuerint. &c.

Ne autem Studiosa juventus nesciat, in quonam propriè Theologia Paganorum Mythica constiterit, subjiciemus licèt aliquantò prolixius ejus specimen ex initio Bibliothecæ, sive Operis, quod de DEOrum Natura edidit Apollodorus Atheniensis, Asclepiadis filius, celebris sub Ptolemæo Euergete Grammaticus, de quo multa Cl. Salmasius in Exercit. Plinian. p. m. 594. b. 604. a. Ad hunc verò modum ille. *Cælus primus orbis universi imperio præfuit, qui ductâ uxore Tellure, priores ex ea filios sustulit, quos Centimanos appellârunt, Briareum, Gyan, ac Cœum, qui, quòd singuli centum manus, & capita quinquaginta haberent, corporis cùm magnitudine, tùm robore ceteris mortalibus antecelluerunt. Post hosce autem è Cælo Tellus, Cyclopas, Harpen, Steropen & Bronten, singulos singulis, & his quidem in media fronte locatis, oculis peperit. Sed hos Cælus vinctos dejecit in Tartarum. Is locus est ad inferos tenebrosissimus, qui tantum à terra distat quantum à cælo Terram abesse ferunt. Cælus item ex eadem Conjuge procreavit Oceanum, Caum, Hyperionem, Crium, Iapetumque, cognomentô Titanas, & novissimum omnium Saturnum suscepit. Præterea Filias, Thetyn, Rheam, Themin. Mnemosynen, Phœben, Dionenque, ac Thiam, quas Titanidas nominârunt. Mox verò Terra, indignissimè ferens filiorum in tartara dejectorum internecionem, Titanas, ut Patrem dolô aggrederentur, inducit, Saturnoque adamantinam falcem suggerit. Tum ii omnes præter unum Oceanum, in patrem impetum faciunt, & Saturnus præsecta Cæli genitalia dejecit in pelagus, deque virilium sanguinis profluentibus Guttis, Erinnyes, Alecto, Tisiphone ac Megæra enata sunt. Calô demùm è regno expulsô & revocatis ab ima tartari profunditate germanis fratribus, Saturnum imperio sufficerunt. At hic rursus Titanas fratres compeditos demisit in tartarum, Rheam inde Sororem sibi in matrimonium copulavit. Post ubi Cælus ac Terra illum filii sui viribus imperiô deturbatum iri prædixerant, singulos, ut quisque in lucem prodibat & nascebatur, ita devorabat. Et Vestam primò,*

prius, Cererem deinde, & Junonem; post has Plutonem & Neptunum deglutivit. Quamobrem irata conjux Rhea in Cretam, quo tempore Jovem in Utero ferebat, proficiscitur, ubi in antro Dictæo illum parit, & Curetibus, Adrasteaque ac Idæ Nymphis, Melissarum filiis, alendum dedit: hæ verò Amalthea lacte puerum educant. At Curetes, in antro armati infantem asservantes, hastilibus scuta, ne vagientis pueri vocem Saturnus audiret, concutiebant. Rhea verò involutum fasciis lapidem pro nato filio Patri devorandum dedit. Mox ubi Jupiter justa atque integra fuit ætatis, Metin Oceani filiam sociam capit, quæ Saturno pharmacum bibendum propinat: cujus ille vi coactus, lapidem prius, deinde quos anteà filios devorârat, evomit: quorum adjumento Jupiter adversus Patrem Saturnum ac Titanas bellum gessit. Verùm decimò pòst hujusce inter eos belli annô, Tellus victoriam Jovi, si in tartarum dejectos sibi in societatem adsciverit, vaticinata est. Tum is Campe custode interfectâ, illos è vinculis liberavit. Jam tum etiam Cyclopes Jovem tonitru, fulgure, & fulmine, Plutonem autem galeâ, & Neptunum tridente condenârunt. His illi telis armati Titanas subigunt & conjectos in vincula, atque in Tartarum detrusos, Centimanis custodiendos dederunt. Quô factô iidem rerum Imperium sorte inter se partiuntur: ac Jovi quidem cœli regnum Neptuno maris, & Plutoni inferorum loca obtigerunt. Confer Natalis Comitis Veneti Mythologiam. Hygin. Fabul. Poëtic. & Stephan. in Lexico Historico-Geographico, ut & Lilium Gregorium Gyraldum in Syntagmat. Histor. Deorum.

Hæc summa illius Theologiæ, quæ utramqve paginam Poëtis cum primis facit, talis utiqve ut ab Ipsismet etiam Ethnicis rideri soleat. Disertissimus Romuli Nepotum ipse hoc agnovit & deploravit, lib. I. de Natura Deorum, c. XVI. ubi sic loqvitur: *multò absurdiora sunt ea, quæ Poëtarum vocibus fusa, ipsâ suavitate nocuerunt: qui & itâ inflammatos & libidine furentes induxerunt DEOS, fecerùntqve ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus, odia, præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesqve ex immortali procreatos:* Ita qvoqve librô I. Tusculan. QQ. c. V. ubi cùm qvæsivisset Marcus: *Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? Num illud, quod Sisyphu' versat*

Saxum sudans nitendô, neqve proficit hylum?

fortasse etiam inexorabiles Judices Minos, & Rhadamanthus. apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam apud Græcos Judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem, tibi ipsi pro te erit maximâ coronâ caussa dicenda. Hæc fortasse metuis, & idcircò mortem censes esse sempiternum malum. Ubi, dico, hæc protulisset Marcus, respondet Auditor: *Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? Quid negotii est, hæc Poëtarum & Pictorum portenta convincere? Quis tam excors, quem ista moveant?* Imò ipsi tres Marci Tullii de Natura Deorum Libri non tàm ad demonstrandos, qvàm ad evertendos omnes Romanorum Deos conscripti sunt: rectéqve Cato mirari solitus est, qvòd augur augurem intuens, risum continere posset. De plano scribit Plinius, lib. II. c. VII. *Matrimonia quidem inter Deos credi, tantóque avô ex his neminem nasci, & alios esse grandævos semperqve canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, Ovô editos, & alternis diebus viventes, morientesqve, puerilium propè deliramentorum est.* Sed & ante hos Plato, lib. II. & X. de Rep. idem agnoverat, ac propterea nullum

Poëtarum in republica suscipiendum esse dixit, & Homerum honorificè amovit coronatum & ungventô delibutum, ne veram de DEÔ opinionem fabulis suis fortè destrueret, sicut rectè observavit Josephus, lib. II. contr. Apion: observârunt qvoqve Augustinus, lib. IIX. de Civ. Dei, c. XIII. Minuc. Felix in Octavio, p. m. 204. & Origenes, IV. contra Celsum. Qvi etiam lib. VII. de Orpheo ait: *Ejus opera longè potiùs esse digniora, qvàm Homeri scripta, ut ex optima Republ. eliminentur: qvippe qvi longè pejora de Diis, qvàm Homerus ipse protulerit.* Qvæ omnia cùm nôsset Pythagoras, verè Philosophicô, qvô valuit, judiciô, omnes Græcanicorum Deorum animas dixit, ad arborem adpensas, in inferis torqveri, qvas ob nefanda illa commenta serpentes undiqvaqve morsu lancinent. Qvod ipsum supplicium Dæmones, Idolorum incolæ, semper metuerunt, juxta illud suum oraculum, qvod apud Lactantium, lib. I. c. VII. legere est.

Δαίμονες, οἳ φοιτῶσι περὶ Χθόνα, καὶ περὶ Πόντον
Ακάματοι δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο
Dæmones qui veniunt circa Terram & mare
Indefessi domantur sub flagello DEI.

Qværis qvam ob caussam? Respondit Seneca, librô de superstitione, *quia pejora fecqvisiérins., qvàm Tyranni: nempe ut qvis sibi brachium secet, aut sese castret, utqve sacrificentur homines, Virgines, pueri; Qvod non Busyris, non Phalaris unqvàm postulaverunt.* Librô de Brevitate vitæ, c. XVI. *Poëtarum* vocat *furorem fabulis humanos errores alentium*, qvòd visus ipsis sit *Jupiter voluptate concubitus delinitus, duplicâsse noctem. Qvid aliud est*, inqvit, *Vitia nostra incendere, qvàm auctores illis inscribere Deos. & dare morbo, exemplô divinitatis excusatam licentiam?* Et iterum de Vita Beata, c. XXVI. gravissimè in hanc invehitur Theologiam; *sic vestras hallucinationes fero, quemadmodùm Jupiter Optimus Maximus ineptias Poëtarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit, & obnoctantem: alius sævum in Deos, alius iniquùm in homines: alius raptorum ingenuorum corruptorem, & cognatorum quidem: alius Parricidam, & regni alieni, paternique expugnatorem. Qvibus nihil aliud actum est, quàm ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales Deos credidissent.* Et de Consolatione ad Marciam, c. XIX. *Cogita, nullis defunctum malis adfici; illa, qua nobis Inferos faciunt terribiles, fabulam esse. Nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem nec tribunalia, & reos, & in illa libertate tam laxa ullos iterum Tyrannos. Luserunt ista Poëta, & vanis nos agitavêre terroribus.* Alium è Senecæ fragment. lib. de Superstit. locum producit Ursinus, Vol. I. Analect. p. 398. 399. Vide B. Johannem Steuberum, Doctorem & Professorem Theologum Marpurgensem, Tomô V. Dispp. Marpurg. Disp. XX. §. 24. p. 295. s. Jacobum Masenium Jesuitam Dusseldorpanum, lib. I. Palæstræ Eloqventiæ Ligatæ, c. VII. part. I. p. 11. 12. 13. s. it. c. XXI. XXII. p. 82. s.

Sed enimverò nec defuerunt olim nec desunt hodiè, qvi sub Fabularum velo ipsissimam Veritatem latere adseruerunt. Ut Natalis Comes, Geofredus Linocerius Vivariensis, Lilius Gregorius Gyraldus Ferrariensis, Johannes Ravisius Textor Nivernensis, Librô: Qvòd omnia Philosophorum Dogmata sub Fabulis continebantur, qvem octavum Theatri Historici librum in editione Basileensi ann. CIↃ IↃC fecit, p. m. 1058. Philippus Melanchthon, Tomô I. Declam. p. 645. s. Hujus amicus Joachimus Camerarius Pabepergensis in præfatione & Epistola Dedicatoria Fabul. Æsopicar. p. m. 5. Philippus Camerarius, Cent. I. Operar. Succisivar. c. XIX. p. 101. s. Cent.

III,

III. c. LX. p. 216. f. Petrus Martyr, Vermilius Florentinus in Judicum c. IX. p. 99. f. Franciscus Baco de Verulamio; B. Jo. Conr. Dietericus in Antiqvit. Biblic. p. 745. b. f. 754. f. aliiqve. De Chrysippo etiam referunt, uti Stoicorum opiniones è vetustissimis Poëtis confirmare adnisus fuerit. Christophorus à Castro Jesuita in Comm. Baruch. III. n. 12. col. 1048. sic differit. *Mitholegi* (scribe *Mythologi*) sunt *Interpretes & explicatores Fabularum, quas Poëta doctissimi confinxerunt, sub quarum integumentis sapientiam quamdam occultarunt. Nam & res divinas, & naturales, & ad mores pertinentes sub illis significabant, & propterea Petrus* (2. Ep. c. I. 16.) *doctas fabulas vocavit, quas Clemens*, lib. VI. *Recognit. in persona Apionis, ajebat, habere rationem quamdam cognatam & philosophicam, qua per Allegoriam exponi posset; cujusmodi erant Fabula de variis Jovis transfigurationibus, hoc est, aeris.* Locum Petri qvem Castrius citat, vindicat in Comment. h. l. Magnus Gerhardus, p. 120. f. Interim ingeniosas fabellas hanc vim habere, qvòd ducere animos soleant, & præcipuè imperitorum, non nego, qvippe qvi simpliciùs qvæ ficta sunt, audiunt, & capti voluptate facilè iis, qvibus delectantur, consentiunt; & verum hoc esse, cùm declarat antiqvitatis sapientis existimatio, tum qvicumqve meditari hæc voluerit, experietur. Est autem profectò aliqvid per se & suâ naturâ pulcrum, honestum, decorum, laudabile, cujus contrarium est deforme, turpe, indecorum, vituperabile, neqve perversitate ullâ consiliorum aut pravitate voluntatis in istis veritas potest extorqveri. Atqve fabularum doctrina eâ viâ progreditur, ut qvid fieri soleat rectè perperámve, benè aut malè, præclarè aut futiliter proponat qvasi actione qvâdam conspiciendum, & ita faciendorum fugiendorumqve dat præcepta. Qvæ qvidem ut proficiant, neqve frustra commemorentur, neqve planè intercidant, in iis est situm, qvi audientes ad intelligendum & usurpandum sedulitatis contentionisqve aliqvid adhibere voluerint. Docet autem prudentissimus Plato, lib. I. de Republica, qvales fabulæ narrandæ sint, vel non. Adultiores verò & prudentiores hôc delectu non indigent. Nam ut apis ex amarissimis firmis floribus, & asperrimis spinis, mel svavissimum & levissimum colligit: sic e turpibus ac sceleratis fabulis, ab iis, qvi valent judiciô, utcumqve decerpi potest aliqvid utilitatis. Tritum enim est, nullum Librum esse tàm malum, qvod dicere solitum Plinium, lib. III. Ep. V. accepimus, ut non aliqva ex parte prodesse possit. Neqve eo ego inficias, qvædam Poëtarum Veterum carmina indicia habere historiæ verissimæ; Levitatem tamen illorum hominum, qvi de Diis suis ineptissima qvæqve commenti sunt, excusationem non mereri, persvasus omninò sum. Capiamus Exemplum è Terentii, cuiqve è scholis noti. Eunucho, ubi Chærea flagitiosus adolescens, in domo meretricia lascivam tabulam intuitus, qvâ pictus erat Jupiter ad Danaen per impluvium penetrans, sibi ipsi placere cœpit, qvòd homuncio faceret, qvæ summum DEUM commisisse olim ex fabula cognoscebat. Vidit hoc ipse M. Tullius, dum ait. *Fingebat hæc*, Homerus, *humanaqve in Deos transferebat: maluissem potiùs ut divina ad nos.* Augustinus in Confess. libr. II. c. XV. & XVI. conqveritur, doletqve, se puerum atqve Adolescentem, verba utilia, sed in rebus vanis didicisse. *Utinam*, inqvit, *institutus fuissem scriptis utilibus, audiebam Jovem tonantem, atqve unà adulterantem.* Satis hominum mentes & adfectus ad vitia sunt proclives; qvocirca pessimè agitur, ut pueri ac adolescentes eâ ætate obscænis & turpibus fabulis ad peccata incitentur. Tangunt

hoc negotium Magnus Gerhardus, Tomô tertiô Confess. Cathol. p. 394. f. Summus Calovius in Pædia, p. 76. f. Vir planè eruditus B. Joh. Conr. Dietericus in Antiqvitatibus V.T. Diatribam ejus de usu & abusu Scriptorum profanorum in lectione & explicatione Scripturæ Sacræ commendant non solùm Nostrates, qvorum judicia Antiqvitatibus Vet. Testam. præmissa habentur; sed & Höttingerus, lib. I. c. V. Bibliothecæ Theolog. p. 576. illam *non ineptam* vocans. Aretius, Tom. II. Probl. Locô CL. col. m. 848. Jacobus Laurentius de Libris Gentil. Andreas Rivetus ad ψ. LVI. & in Exod. p. 47. f. Gisbertus Voetius, Tomô II. Disputat. Selectar. p. 605. Coch. Sanhedr. p. 395. Dallæus de Pseudep. Apost. p. 325. Jacob. Gothofred. Exerc. Sacr. p. 1. seq. Pererius in Daniel. p. 34. 35. qvi omnes de Lectione usuqve Scriptorum Ethnicorum agunt. Claudat hanc rem Nobilissimus Angliæ Cancellarius de Verulamio, cui in egregio de Sapientia veterum Tractatu, non satis certa videtur ingeniosior illa Fabularum expositio & adplicatio ad veras historias. *Existimo*, ait, *plerosqve in opinione fore, me delitias ac ludos facere, atqve similem ferè licentiam in transferendis fabulis usurpare, ac ipsi Poëta sibi sumserint in fingendis.* post pauca: *Neqve me latet, qvàm versatilis materia sit fabula, ut huc illuc trahi, imò & duci possit; qvantumqve ingenii commoditas & discursus valeat, ut qva nunqvàm cogitata sint, bellè tamen attribuantur.* Fibulabo Arnobium, librô IV. contra Gentes ad excusationem Paganorum dicentium: *deformitatum tantarum concinnatores esse atqve Inventores Poëtas:* regerentem, in p. m 149. *concedamus hoc. immunes tamen à Deorum malatractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare: aut non legibus latis & severitate pœnarum tanta estis obviam temeritati, constitutumqve à vobis est, ne qvis post. hàc hominum, id qvod esset turpitudini proximum, aut deorum indignum majestatibus, loqveretur.* Et hæc de Theologia Mythica: Historias fabulares Poëticis narrationibus refertas Diodorus Siculus, Didymus Grammaticus, Heliodorus, Lucianus, &c. scripserunt. Confer B. Jo. Henr. Ursinum, primô Analectorum Volumine, p. 409. f. Cl. Dn. Christoph. Arnold. ad Valer. Caton. Diras p. m. 271. f.

Alterum genus Theologiæ Naturale sive φυσικὸν adpellabant, *qvod Juniores qvidam Majorum Theologiam* (fabulosam) *erubescentes ac parvi antiqvitatem & consvetudinem facientes qvasi remedium turpitudinis Deorum excogitârunt*, ut ait Eusebius, lib. II. Præparat. Evang. c. X. hôc Philosophi, è rerum naturalium pervestigatione, de DEO rebusqve divinis erudiebant simpliciores. Nam & Philosophi in Philosophia de Deo & rebus divinis disseruerunt. Itaqve Tractatus de Natura DEI partem Philosophiæ apud eos constituebat, ut è Cicerone patet, qvi initiô libri I. de Natura Deorum inqvit: *Cùm multa res in Philosophia neqvaqvàm adhuc satis explicata sint, tum perdifficilem & perobscuram esse qvæstionem de Natura Deorum:* Qvibus verbis apertè adserit, de Natura Deorum Qvæstionem ad Philosophiam pertinere, atqve hinc est, qvòd Philosophia, eôdem referente, librô secundô de Officiis, c. II. à Veteribus Philosophis definita sit, *rerum divinarum, & humanarum, caussarumqve, qvibus hæ res continentur, scientia;* γνῶσις θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις αἰτιῶν; sic enim se habent verba Platonis, qvæ Marcus Cicero Latinè reddidit. Prætereà Tryphon Judæus (qvem in Commentariis Talmudicis Tarphonem appellari, Sacerdotem divitem fuisse, R. Aqvibæ conjunctissimum, conjicit J. Drusius de Tribus Sectis lib. II. c. XI. & tempore belli cum Bar-

Barchocheba fictitio Judæorum Servatore è Syria profugisse Ephesum, meminit Cæsar Baronius, Tom. II. Annal. p. 80.) in Dialogo apud Justinum, dicebat, Τῦτο ἔργον ἐςὶ φιλοσοφίας, ἐξετάζειν περὶ τῦ θεῦ. Tractârunt igitur Philosophi de Deo & rebus divinis, ut apud Gallos Druidæ, apud Græcos Philosophi, apud Indos Brachmanes & Gymnosophistæ, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Persas Magi, qvi omnes has apud Gentes non solùm Sacerdotum, sed etiam Philosophorum munere fungebantur. De qvibus aliâ occasione C. D. dicam Lege intereà Georgium Calixtum in Historia Magorum. p. 8. 9.

Vocata autem est φυσικὴ Naturalis, qvia qvi primi è Græcis Philosophis illam explicare adgressi sunt, fuerunt Physici, id est rerum naturalium contemplatores; in qvo studiorum genere omnes Philosophi occupabantur, tradente Tulliô, Academicarum QQ. primô librô. Cùm ergo è rerum naturalium contemplatione percepissent summum aliqvod Ens esse omnium caussam & Opificem, atqve cognitioni de DEO, qvam in cordibus suis naturaliter inscriptam habebant, hæc acqvisita superaddita esset, cœperunt illi in rerum Physicarum explicatione de natura Dei disserere, unde Theologi iidem erant qvi & Physici, ut ait Isidorus, lib. IIX. Origin. c. VI. Postqvàm autem Aristoteles inventâ Metaphysicâ, considerâsset, valdè commodè posse in ea de natura DEI tractari, relictô veterum Philosophorum more, qvi in physicis de DEO tractari soliti erant, ipse hanc tractationem præcipuè ad Metaphysicam referendam censuit, unde videmus eum in Physica leviter doctrinam de Deo attigisse. Qvibusdam autem hæc Gentilis Theologiæ species Φυσιολογία ideo dicta est, qvòd Stoici per Naturam DEUM ipsum intellexerunt. Etenim monente Clemente Alexandrinô, librô II. Strom. qvando *Stoici secundùm naturam vivere finem esse statuerunt, DEI nomen in Natura nomen eleganter commutârunt.* Qvod & Lucius Annæus Seneca, Philosophus Cordubensis, perspicuè indicat, Naturalium QQ. lib. II. c. XLV. *Ne hoc qvidem crediderunt, (altissimi Viri), Jovem qvalem in Capitolio, & in ceteris ædibus colimus, mittere manu fulmina, sed eumdem, qvem nos Jovem intelligunt, custodem, rectoremqve universi, animum ac Spiritum, mundani hujus Operis Dominum & Artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum FATUM vocare? Non errabis. Hic est, ex qvo suspensa sunt omnia, Caussa Caussarum. Vis illum PROVIDENTIAM dicere? Rectè dices. Est enim, cujus Consiliô huic Mundo providetur, ut inconfusus eat & actus suos explicet. Vis illum NATURAM vocare? Non peccabis. Est enim, ex qvo nata sunt omnia, cujus Spiritu vivimus. Vis illum vocare MUNDUM? Non falleris. Ipse enim est totum, qvod vides, totus suis partibus, inditus & se sustinens vi suâ. Idem Etruscis qvoqve visum est: & ideò fulmina à Jove mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur.* Sic etiam librô IV. de Beneficiis, c. VI. & VII. *Insita sunt nobis omnium ætatum, omniumqve artium semina, magisterqve ex occulto DEUS producit ingenia. Natura, inqvis, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cùm hæc dicis, mutare nomen DEO. Qvid enim aliud est NATURA, qvàm DEUS & Divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta? Qvoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare &c.* nec minus clarè c. IIX. *Nihil agis, ingratissime mortalium, qvi te negas Deo debere, sed Naturæ. Qvia nec natura sine Deo est, nec DEUS sine natura; sed idem est utrumqve, nec distat. Officium si qvod à Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio: non Creditorem mutares, sed nomen. qvoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem.*

idem tamen ille esset. Confer cum his Ejus Epistolam LXV. Atqve hinc Lactantius, lib. II. c. IIX. *Seneca*, inqvit, *omnium Stoicorum acutissimus, vidit, nil aliud esse Naturam, qvàm Deum.* Qvomodo verò de Naturali Theologia Stoici philosophati fuerint, acutè exponit Lactantius, lib. VII. de Vita Beata, c. III. *Stoici*, inqvit, *Naturam in duas partes dividunt; Unam qvæ efficiat; alteram, qvæ se ad faciendum tractabilem præbeat: In illa prima esse vim sentiendi: in hac materiam; nec alterum sine altero esse posse: Isti unò natura nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum & mundum; Artificem & opus; dicuntqve alterum sine altero nihil posse; tanqvam Natura sit DEUS mundo permistus. Nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipse mens mundi, & mundus sit corpus Dei.* Lege Ciceronem, librô I. Academic. QQ. & lib. II. de Natura Deor. & in Catone Majore, sive libro de Senectute.

Tertium nominabatur Πολιτικὸν sive Civile, qvia illud *in urbibus Cives, maximè Sacerdotes nôsse atqve administrare debebant*, qvod docebat, *quos Deos publicè colere, qvæ sacra & sacrificia facere qvemqve par sit*, ut ex Varrone, Augustinus describit sextô de Civitate DEI, c. V. *Continentur*, ait Eusebius, lib. IV. Præparation. Euangel. in præfat. *hôc genere Oracula, responsa, cura morborum in hominibus piis, & è contra ejecti vel aucti morbi in impiis, qvarum omnium rerum periculum fecisse dicentes, piè se Deos colere, nos verò impiè facere affirmant, qvi tam manifestas Virtutes contemnamus, leges patrias transgredientes, qvas oportet unumqvemqve servare, ut nemo debeat res novas temerariâ curâ scrutari, præsertim cùm à Legibus Capitalis pœna adversus eos decernatur, qvi secundùm leges & consvetudines Patriæ Deos non venerantur. Sed primum qvidem historicum & fabulosum Theologiæ genus, & secundum Naturale scilicet atqve allegoricum, unusqvisqve sicuti placet, inqviunt, interpretetur ac reprobet. Tertium autem, qvod singularum legibus Civitatum comprobatur, nec Poëta qvisqvam nec Philosophus moveat, nisi velit tanqvam impius jure patriô puniri.* Licebat, inqvit ibidem Joh. Jacob Grynæus Basileensis Theologus in Adnot: *hominibus ingeniosis ludere pro arbitrio in confingendis mythologiis & physicis allegoriis: Politicen autem nemo reprehendere aut transgredi ausus est. erant enim pœnæ Capitales iis denunciatæ, qvi patrios ritus & sacra vel perstringere, vel violare ausi fuissent.* Adhibebant hoc Theologiæ genus potentiores, ut qvàdam religionis auctoritate Leges stabilirent Rerum publicarum. Scilicet animadvertebant cultioris ingenii Gentiles, nullâ re magis ad superiorum Vota obstringi posse subjectos, qvàm Religionis auctoritate, atqve ideò Theologiæ prætextu, qvasi Strategemate qvôdam publicas ad res stabiliendas usi sunt: Atheismum, ut tranqvillitatis Civili qvoqve adversum abominati. Qvam Civilem Paganismi seu Opinionis de DEO utilitatem Mercurius Trismegistus (qvem multis describit B. Steph. Klotz. Disp. II. Pneum. §. 4. p. 51. s.) de mente Communi ad Tat. c. XII. (edit. Hannibalis Rosseli, p. 32.) ita dicitur exposuisse: Νόσος δὲ μεγάλη ψυχῆς, ἀθεότης. Ἔπειτα δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ ἐπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν οὐδέν. *Anima summa Infirmitas Atheismus est. Inde ad omnes neqvitias opinio subseqvitur, nullum autem bonum.* Et de Numa ait Livius (in qvo Fabius lacteam uberratem commendat) lib. I. c. XIX. *Clausô Janô, qvùm omnium circa finitimorum societate ac federibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otiô animi qvos metus hostium, disciplinaqve militaris continuerat; omnium primum rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum* in-

injiciendum ratus est. Qui qvùm descendere ad animos sine aliqvo momento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse. Ejus se monitu, qvæ acceptissima Diis essent, sacra instituere, sacerdotes suos cuiqve Deorum præficere. Perspicuum ex adductis nunc erit, hanc qvare ita legibus Theologiam confirmârint, ut si qvis ausus esset aliqvid dicere aut agere, qvod vel tantillum repugnaret opinioni de Diis & consvetudini circa cultum Deorum in unaqvaqve civitate receptæ, gravissimis pœnis afficeretur: Nam apud Athenienses, Persas & Scythas peregrinorum Deorum cultores & adnunciatores morte mulctabantur. ut Josephus, II. contra Apionem refert, & Arnobius, lib. III. contra Gentes testatur, non defuisse apud Romanos, qvi putarent libros Ciceronis de Natura Deorum ex Senatus Consulto abolendos esse, utpotè in qvibus ille receptam de Diis sententiam falsam esse solidissimè demonstrâsset: sed & Josephus, locô paullò ante citatô scribit, Athenienses vel verbô solummodò præter eorum legem loqventes inevitabiliter puniisse, ut ostendunt exempla Socratis, Anaxagoræ Clazomænii, Diagoræ Melii, & Protagoræ. Hinc utut hujus Theologiæ absurditatem, impietatem, abominandamqve fœditatem probè perspexerint, qvi inter ipsos erant sapientiores, per omnia ei tamen contradicere, neqve ob capitalem pœnam ausi sunt, neqve consultum duxerunt; qvòd religionem ex usu Reipublicæ constitui viderent, crederentqve imperitam multitudinem tot numinum metu faciliùs in officio contineri posse; ut suprà monuimus. Qvo respiciens Aristoteles, lib. XII. Metaph. c. IIX. iis, qvæ de Deo rectè & verè ab antiqvis tradita, superaddita, ait, nonnulla fabulosa. Πρὸς τὴν πειθὼ τῶν πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τοὺς νόμους καὶ τὸ συμφέρον χρῆσιν. *ad persvasionem vulgi & ad Legum ac statuum opportunitatem.* Qvem Græci scribunt, & repetit Seneca, Athenis profugisse, veritum, ne impietatis nomine (qvod in Lycæo doceret: unum duntaxat esse Deum) in vincula conjectus, ultimò adficeretur suppliciô. Certè Socrates, etsi & ipse, ab Anyto, Melito & Lycone Oratore impietatis accusatus, ac posteà ab Atheniensibus ducentis & octoginta sententiis pluribus, qvàm absolveretur, condemnatus sit, uti id Cicero I. de Orator. c. LIV. Laërtius in ejus vita, & Justinus, Apologiâ I. docent, falsum tamen fuit; & ab accusatoribus ejus confictum crimen, qvi optimum senem circumventum volebant. Atqve hic Præceptoris casus sine dubio ita turbavit Platonem, ut qvod intus de vero DEO sentiret, eloqvi non auderet. Unde ad Dionysium, Epistol. XIII. scribit: *Hinc disces tu, scribam ego seriò nec ne. Cùm seriò, ordior Epistolam ab uno Deo: cùm secus, à pluribus.* Unde non dicit, *si Diis placuerit, si Dii adfuerint*, sed, *qvod DEO placuerit, DEO juvante, DEUS novit, DEUS fecit*, qvemadmodùm Justinus, Cohort: ad Græc. & Justinum seqvutus Cyrillus, lib. I. contra Julianum, versus finem; Theodoretus, lib. II. de curand. Græc. Affect. Bellarminus, libr. IV. de Grat. & lib. arb. c. II. Mornæus, c. III. de Veritate Christ. Relig. Ravanellus, part. II. Biblioth. p. 1295. observant. Atqve hæc Civilis illa Theologia est, de qva, qvod mireris, Socratem gloriatum esse referunt, qvòd eamdem è cælo in civitates derivârit; Nam cùm ante ejus tempora de rebus contemplativis solliciti essent sapientes, ipse de iis, qvæ ad morum culturam pertinent, singulari cum cura egit, qvod postmodùm Ipsi illi fraudi fuit. Sed satis, & fortè plus qvàm satis, de his Theologiæ Gentilis speciebus. Concludat Florens Tertullianus (in cujus, sicuti & Arnobii, Minuciiqve stylo tolleranda magis pleraqve qvàm in imita-

 tionem

tionem aliqvam trahenda) Varronem ad absurdum deducens hujusmodi verbis. *Igitur cùm Philosophi Physicum genus conjecturis concinnârint, Poëta Mythicum de fabulis traxerint, populi Gentile ultrò præsumserint, ubinam veritas collocanda? In conjecturis? sed inanis deceptio est; in fabulis? sed fœda relatio est; in adoptionibus? sed passiva & municipalis adoptatio est. Ceterùm quem Deum credam? quem suspicio æstimavit? quem historia jactavit? quem civitas voluit? dignius multò, neminem credam, quàm dubitandum, aut pudendum, aut adoptativum.* Hactenus Septimius Afer, lib. II. ad Nationes. c. I. Ad rem & explicationem qvod attinet, paria illis scribunt dictum præter Tertull. in Apolog. c. XIV. Justinus de Monarchia DEI, Athenagoras in Πρεσβείᾳ, Theophilus Antiochenus ad Autolycum, libris tribus adversus Christianæ religionis Calumniatores; Tatianus, Orat. ad Græcos; Clemens Alexandrinus, Admonitione ad Græcos; Origenes contra Celsum; Cyprianus contra Demetrianum; Eusebius, Orat. Constantini ad S. Cœtum, c. X. Athanasius, Orat. contra Idola; Prudentius in hymno Romani Martyris; Nazianzenus, Basilius, Cyrillus Alexandrinus contra Julianum, eruditum qvidem, sed juratum Christianæ fidei antagonistam. Cum primis verò Eusebius, Προπαρασκευῆς Ἐυαγγελικῆς lib. II. & IV. ut & Augustinus, libr. VI. VII. ac octavô de Civit. DEI, ejusqve Scholiastes Ludovicus Vives ad c. IX. lib. X. & David Schramius in Physicis. E nostris Theologis Magnus Gerhardus in Exegesi, p. 3. b. §. 4. B. Walther. in XL. Miscell. p. 498. summus Calovius in Isagog. p. 22. & Tom. I. Systemat. p. 102. s. D. Klotz. Disp. II. Pneum. p. 45. s. Ingeniosiss. Danhawer in Hodosoph. p. 12. Magnum qvondam Academiæ Kiloniensis Lumen & Ornamentum Dn. D. Christian. Kortholt, de Relig. Ethnica, Dn. D. Strauchius in Disp. de Terminis Infestis, §. 11. s. Ravanellus, part. 2. Biblioth. p. 1293. B. Ursinus, Vol. 1. Analector. p. 410. s.

V.

SOLONIS ELEGIA,

CITATA A DEMOSTHENE,

De Caussis, quæ Afferunt exitium Regnis, & magnis civitatibus, conversa

à

PHILIPPO MELANCHTHONE

CAPUT I.

Non urbem superi cupiunt evertere nostram,
Et nobis, nisi sint numina læsa, favent.

Ac

Ac nostræ custos arcis Tritonia Pallas,
Perpetua cura mœnia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
Conantur cives dilacerare suam.
Nam preciô qvidam vendunt, legesqve fidemqve
Aurum qvi nullô jure modôqve petunt.
Sævitiam exercent, rapiuntqve tyrannida qvidam,
Induat ut justus civibus arma dolor.
Pars studet & farcire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cùm malè luxus opes.
Diripiuntqve urbis patrimonia publica nostra,
Et sibi divitias viqve dolôqve parant,
Et non justiciæ formidant numen, & iram,
Consiliis superûm qvæ dea semper adest.
Hæc oculis cernit vigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli numina posse Deûm.
Et qvamvis pœnas differt aliqvando tacetqve,
Mente tandem memori facta nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas, non regna nec urbes
Effugiunt clades, qvas meruêre graves.
Hinc urbs divitiis qvondam, imperiôqve superba
Servitii patitur tristia juga modò.
Aut rabidi cives in mutua vulnera stringunt
Exortà gladios seditione suos.
Aut validos hostes sine caussa fortè lacessunt,
Sopitumqve movent, qvod fuit ante, malum.
Namqve urbs, qvæ socios injustis provocat armis,
Mox ruet, & subitis est peritura modis.
Casibus his validæ gentes delentur & urbes,
Pro spreta pænas qvæ pietate luunt.
Etsi qvi excidio patriæ fortasse supersunt,
Posthac fata illos non leviora manent:
Extorres sine spe, sine sede, inopesqve vagantur,
Aut emti preciô vincula dura gerunt.
Sic partem fert qvisqve suam, cùm publica clades
Incidit, & prohibet janua nulla malum.
Non latebræ qvemqvam fugientem abscondere possunt.
In thalamos penetrant publica damna tuos.
Hæc moneo cives, nec fabula ficta putanda est,
Leges atqve Deum spernere, crede, nocet.
Sed placidam retinet pacem reverentia juris
Peccanti, qvæ non parcere lenta solet.
Hæc prohibet turpem luxum, frenatqve rebelles,

Crescere nec patitur semina sparsa mali.
Judicis emendat fraudes, violentaqve facta
Nasci inter cives, dissidiumqve vetat.
Deniqve vitabominum tranqvilla, & honesta manebit.
Servandi leges dum pia cura manet.

CAPUT II.

CARMINA *TYRTEI,

Origine Atheniensis, Receptione Spartani, de libris illius, qvibus ad fortitudinem & patriæ defensionem, & contemnendam mortem Lacedæmonios exhortatus fuit, excerpta & conservata studiô veterum, ac nuper in Latinos versus translata

à

JOACHIMO CAMERARIO.

At vos invictum genus Herculis esse virili
Pectore, nam vobis mens Jovis æqva manet.

Ne

* *Tyrtai*] De hoc ita scribit Lilius Gregor. Gyraldus, Dialog. III. de Poëtarum Histor. col. m. 128. 129. edit. Lugdun. Batav. M DC XCVI. in fol. *Atheniensis Poëta fuit Tyrtaus, sed à Spartanis urbe donatus, atque eâ caussâ puto à Scriptoribus* Spartanus *&* Lacedæmonius *interdum dictus est, ab aliis nescio quâ ratione* Milesius. *Plutarchus verò in* Musica *Mantineum facit: tanta est plerumqve eadem de re Scriptorum varietas. Fuit in primis Tyrtaus elegiarum poëta, & tibicen, ut ex Lycurgi Oratoris autoritate testatur Harpocration. Patrem Archembrotum habuit. Deformis ipse fuit aspectu, & claudus: eum & luscum describit Porphyrion. Inter verò antiqviores poëtas connumeratur, & ætate penè par septem Sapientibus, hoc est, xxxv. Olympiade. Scripsit elegô & heroicô carmine permulta de Lacedamoniorum repub. item* hypothecas, bellicos cantus, *libris sex, &* Eunomiam *qvam vocavit, qvo in opere se Lacedamoniorum ducem fuisse ait, cùm contra Messenios pugnarent: cujus qvidem belli caussa fuerat, qvòd Spartanas virgines*

Ne timidis sint terrori tanta agmina, sed vir
Qvisqve sua in primos dirigat arma viros:
Neve aliqvis dubitet sub clari lumina solis,
Vitam efflare magis qvàm retinere suam,

Qvàm

nos Messenii ad ædem Dianæ violaverant. Historiæ meminit Strabo, à quo & ejus versus de eo vicennali bello adferuntur. Pluribus eam in Messeniacis *Pausanias exsequitur: Justinus ex Trogo* (III. V. 5.) *Tyrtæum ait Lacedæmoniis belli ducem ex oraculo datum fuisse ab Atheniensibus, cùm jam Lacedæmonii ipsi ter fusi fuissent. In contemptum verò datum ait Pausanias, erat enim ludi literarii magister Tyrtæus, & claudus, ut modò dixi: nec insuper Atheniensium desiderium fuerat, ut Messenios Lacedæmonii vincerent: at suô Tyrtæus carmine militum animos ita inflammavit, ut ex ea pugna insignem facilè victoriam repertârit. Præter supra citatos auctores, hujus etiam historiæ Aristoteles & Orosius meminêre: hinc illud opinor Horatii,* in Arte, v. 402.

Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit:

quod Porphyrion & Acron animadverterunt: ut eorum magis sit supinus & ferulâ castigandus error, qui Dircæum *pro* Tyrtæo *in eo Horatii versu reposuerunt. Pausanias, ut est apud Plutarchum, cùm interrogatus aliquandò fuisset, quam ob caussam Tyrtæum Lacedæmonii urbe donâssent, respondisse dicitur,* ne externus, *inquit,* nobis imperaret: *at verò Leonidas rogatus qualem ipse poëtam Tyrtæum crederet: bonum scilicet respondit, quòd juvenum animos ad pulchra honestaque inflammaret: scribit hoc idem Plutarchus in eo. qui inscribitur:* Qvænam inter animalia prudentiora, terrestriane an aqvatilia: *tametsi aliter idem in* Apophthegmat. *Utique fuisse hominem Tyrtæum egregia probitatis facilè ex Platône colligimus, etsi eum ut mentis impotem irriserunt Athenienses, ut Heraclides & Diogenes scribunt. Sed enim usque adeo Spartani Tyrtæi poëmatis afficiebantur, ut cum hoste congressuri ea identidem repeterent. Scribit Philochorus & repetit Athenæus, Lacedæmonios, cùm duce Tyrtæô Messenios superâssent, eum morem instituisse militarem, ut cùm vel convivia, vel ludos celebrarent, invicem Tyrtæi pyrricham canerent, & qui victor fuisset, præmium à Polemarcho, hoc est, à ludi principe, carnem acciperet. Trichoriam quoque saltationem ab hoc poëta institutam, autor est Jul. Pollux. Est autem* Trichoria *apud Lacedæmonios tripartita quædam saltatio, quâ per tres hominum ætates, puerorum, virorum & senum uti consvevêre Lacones.* Hæc Gyraldus. Victorinus Strigelius in p. m. 96. 97. eruditi Commentarii in Justinum, edit. Argentorat. M DC XXVII. in 8t. *Etsi autem,* inqvit, *Athenienses utebantur gloriâ Spartanæ urbis, & manibus pedibusque obnixè omnia faciebant, ut eis incommendarent: tamen religione oraculi permoti ducem Spartanis miserunt hominem obscurum atque ignobilem,* Tyrtæum *videlicet Ludimagistum, alterô pede claudum, qui suâ cohortatione ita confirmavit animos Lacedæmoniorum, ut vincerent, & suasor fuit exercendæ juventutis, quod non solum tunc sed in posterum quoque patriæ profuit. Reliquit enim elegias, quibus erudiebantur ad fortitudinem, cúmque ceteros poëtas non legant, hujus tamen est studium, ut legem tulerit, ut in castris armati cives ad regis tabernaculum conveniant, audituri poëma Tyrtæi. Existimabant enim hâc incitatos cohortatione alacriùs pericula propria adituros esse. Prodest autem hæc carmina*

Qvàm sit enim incertum nostris lacrimabile bellum,
Martius & tetigit pectora vestra furor.
Inqve fuga versati & cum victoribus estis,
Estqve animus, juvenes, vester utrôqve satur.

Ergo

mina audire, ut sciatis, quæ facta apud ipsos gloriosa existimentur.

TYRTÆI POETÆ
Atheniensis Elegeia.

In prima pugnacem acie cecidisse decorum est,
Servantem patriæ mœnia cara suæ.
Nam miserum est patriâ amissâ laribusqve vagari
Mendicum, & timidâ voce rogare cibos.
Cum natisqve errare suis & conjuge mœsta,
Et cum matre pia cumqve parente sene.
Omnibus invisus, qvoscunqve accesserit, exul
Semper erit, semper spretus egensqve jacet.
Nullus honos generi est & perdita gratia formæ est,
Cunctaqve tabescunt membra dolore gravi.
Curat nemo vagos & lædere nemo veretur,
Non exul curæ dicitur esse Deo.
Intrepidi pugnate viri & profundite vitam,
Qvam patriæ debet reddere qvisqve suæ.
Nemo aciem linqvens aliis sit caussa pavoris,
Junge manipulari corpus & arma tuo.
Ingentiqve irâ flagrent audacia corda,
Nec vitæ nimius pectore frangat amor.
Nec juvenile agmen pavidos ætate relinqvat,
Corpora sunt qvorum langvidiora senes.
Indignum est aciem ante senilia fusa jacere
Corpora, jam juvenum diffugiente manu.
Qvàm triste est lætis spectare jacentia passim
Nudata in campis membra cruenta senum.
Qvi qvamqvàm exhalant animas, meminêre pudoris,
Qvasqve decet partes occuluisse tegunt.
At superant formæ juvenilia corpora flore,
In qvibus & virtus gratior esse solet.
Inqve acie juvenem prima pugnare decorum est,
Signa etiam, decus est, si cadat ante sua.
Ergo tuô consiste locô pede firmus utrôqve
Compressos dentes & labra morsa tenens.

Hæ cohortationes, ut inqvit Lycurgus, ex qvo ista decerpsimus, præclaræ & utiles sunt iis qvi attentè eas audiunt, & considerant. Hactenus doctissimus ille Strigellus, cujus recentioribus in Justini editionibus, non majorem habitam esse rationem, miror. Auctore Suidâ Tyrtæus fuit Olymp. XXXV. *& tempora conveniunt*, ait Vossius, de Poëtis Græcis, c. III. p. m. 15. *cùm Messenicum bellum cœperit Olymp. XXV. ac duràrit annis XX. eo autem in bello Lacones hôc duce*

Ergo qvi densant aciem & stant ordine juncti,
Primaqve in adversi cominus arma ruunt,
Vitam ex his plures servant sociisqve sibiqve
At virtus turpi pulsa timore fugit.
Qvis verò illa qveat cuncta enumerando referre,
Qvæ cum deformi sint mala juncta metu?
Namqve hostis miserum est telis dare terga seqventis,
Impunè in trepida percutienda fuga.
Qvàm fœdum at visu est stratum super ora cadaver
Aversô cujus vulnere dorsa patent?
† Nam cecidisse in principibus pulcerrima res est,

Virtu-

duce usi sint. Fuit Poëta elegiacus. Qvare Suidas addit æqvalem esse VII. Sapientibus, vel paullò antiqviorem. Idem Vossius in III. Institution. Poëticar. c. XI. §. 6. p. m. 53. reliqvit seqventia: Magnum etiam inter elegiographos Tyrtæi semper nomen fuit. Patriâ is Atheniensis, Laconum dux; de qvo Justinus, lib. III. Olympiade is fuit XXXVI: qvod ex eodem colligitur; qui claruisse ait secundò bellô Messeniacô: item ex Eusebii Chronicis: sed perperam ibi Myrtæus pro Tyrtæus legitur; qvod satis apertum puto, & aliis jam monitum. Eò autem magis miror ab judicibus iis, qvos dixi, qvatuor anteà memoratos Tyrtæo præponi, qvòd eum cum Homero (judicium hoc Fabius, lib. X. c. I. etiam adprobat) Horatius conjungat. Addere potuit, itidem sociari à Platone lib. VIII. de Legg. p. 858. edit. H. Steph. Pusiúsqve de Tyrtæo idem, lib. I. de Legg. p. 6:9. Celebratur etiam à Strabone, Plutarcho, Poliæno, Pausania, Athenæo, & tot aliis. Qvæ ejus colligi potuêre, ab Fulvio Ursino edita sunt cum Mimnermi elegiarum reliqviis. Prodiêre unà cum novem illustrium poëtarum, & Lyricorum deperditorum, versibus, ab eodem Fulvio unum in corpus redactis. Edidit Plantinus an. 1561. Qvæ de hoc Tyrtæo Gabriel Naudæus in Bibliographia Militari scribit, vide apud ipsum infra hoc in Volumine. Consentit B. Olaus Borrichius, cujus in Dissertat. I. de Poëtis, §. 46. p. m. 19. verba hæc sunt: In ordine Elegiaco (sive primus inventor fuerit Terpander, sive Theocles, sive Callinus,) nobis primùm dicendus Tyrtæus ἐλεγειοποιὸς καὶ αὐλητὴς, ut Suidæ adpellatur; qui Lacedæmonios in obsidione urbis Messeniæ frustra diu tricantes ita ad novam alacritatem carmine accendit, ut superiores oppidum tandem everterint. Floruit Olympiade XXXV. si calculo Suidæ adstipulamur, æqvalis septem Græciæ sapientibus, aut iis paullò antiqvior. Scripsit autem Remp. Lacedæmoniorum, & præcepta vitæ versibus elegiacis, & carminum bellicorum libros V. attestante eôdem Suidâ. Exstat hodieqve fragmentum operis elegiaci περὶ τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς, edente H. Stephanô; ubi inter alia ità Tyrtæus:

Ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι
Πειράσθω, θυμὸν μὴ μεθιεὶς πολέμου.

Item:

Αἰσχρὸς δ' ἐστὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίησι
Νῶτον ὄπισθ' αἰχμῇ δουρὸς ἐληλάμενος. Hæc Borrich.

† In distichi hujus, (qvod ita in Græco habet:

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.)

sicuti & in hujus seqventis

Πολλάκι δηϊότητα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων

Ερχε-

Virtutem & patriæ persoluisse suæ.
Sed patriâ , & patriæ desertis pingvibus arvis ,
Mendicare foris qvàm grave atroxqve malum est ?
Dum matremqve trahas tecum , effœtumqve parentem ,
Uxoremqve simul progeniemqve simul.
Ut iis , ad qvos pervenias , gravis , indigus , exul ,
Et sit egestatis vox odiosa tuæ.
Dedecus hæc seqvitur generis faciesqve pudenda ,
Cuncta seqvuntur item tristia , nullus honor.
Qvippe vagos curat nemo istos , nemo veretur :
Contemtum patriæ uam fuga semper habet.
Proinde animis terram tueamur fortibus istam ,
Armaqve pro sobole sumito qvisqve sua.
O juvenes nec triste mori nimis esse putemus ,
Jamqve suæ vitæ parcere nemo velit.
Corporibus pugnam junctisqve capessite , Neu qvis
Autor probrosæ sit metuendo fugæ.
Atqve irâ complete gravi fidentia corda :
Néve animæ qvisqvam pugnet amore minus.

Neu

Ἔρχεται , ἐν δ᾽ οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου
Sæpè qvis elapsus ex pugna & telorum sonitu
Evadit , sed ipsum domi Parca invenit: pentametris observandum est , Græcos non esse tam religiosos qvàm Latinos. Illi enim , & præsertim Ovidius , rarò concludunt aliter pentametrum , qvàm voce dissyllabâ , rarò tetrasyllabâ , & multò rariùs trisyllabâ. Rarò qvoqve idem Poëta primam cæsuram corripit , rarò sententiam aut non absolvit , aut non suspendit unô distichô , in qvibus omnibus diligentes imitatores habet. Ceterùm in his Græci multò fuêre liberiores. Nam ut ex Callimacho , Theognide , & ex fragmentis hujus Tyrtæi , & ex variis Epigrammatis Anthologiæ planum est , sæpe trisyllabô , sæpe adhuc longiori vocabulô pentametrum terminant , sæpè primam cæsuram corripiunt , sæpè sententiam unô distichô neqve perficiunt , neqve suspendunt. qvod ipsum ausi etiam sunt licèt parciùs , & modestiùs nonnulli Latini , ut Catullus & Ausonius , & in trisyllabis etiam Propertius , Tibullus , & multi ex recentioribus magni nominis Poëtæ. Ad rem ipsam qvod attinet , consentiunt Tyrtæo , Euripides:

Τρῶες δὲ πρῶτον μὲν τὸ κάλλιστον κλέος ,
Ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον·

Maro , II. Operis magni , v. 317.

——— *Pulchrumqve mori succurrit in armis.*

Et IV. Georg. v. 218.

——— *Pulchramqve petunt per vulnera mortem.*

Horatius , III. Carmin. Od. II. v. 13.

Dulce & decorum est pro patria mori.

Itaqve veterum omnis Rhetorum eloqventia consumpta est in laudandis trecentis illis Lacedæmoniis , qvi Leonidâ duce , cùm sese in Thermopylarum angustiis illi exsiccatori fluminum , complanatori montium exercitui Xerxis opponere ausi essent , occubuerunt pro patria , primiqve Xerxem , non mul-

Neu plenos ætate viros tardoſqve ſenectâ
Prodite inhumanâ deſtituendo fugâ.
Nam fœdum aſpectu eſt corpus primam ante ſenile
Fuſum aciem, juvenum retro abeunte manu,
Qvod mentum & niveum caput albô crine renidens
Fortia poſt mediô pulvere facta jacet,
Sangvinolenta premens condente virilia dextrâ
Execrabilius qvô nihil eſſe qveat.
Omnia ſed florente decent ætate juventam,
Aſpiciant oculis vir mulierve ſuis,
Donec vita manent. Sed & inter agmine primos
Qvi cadit, egregiâ laude potitus obit.
Proinde agite & pedibus firmi conſiſtite utriſqve,
Inqve genas preſsô figite dente genas.
Qviſqve femurqve ac crura tegat, pectuſqve humeroſqve
Objiciens clypei tegmina firma cavi.
Vulnifera elatum ſed vibret dextera telum,
Fluctuet horrificis vertice criſta minis.
Fortiaqve haud refugô deſignantes pede facta,
Luctifici varium diſcite martis opus.
Ergo prope aggreſſi conſiſtite cominus hoſtes,
Virqve haſta ſternat vel magis enſe virum.

Ac

multitudinem, ſed virtutem in militibus ſpectari debere docuerunt, qvorum Imperator qvantô opere mortem ipſe pro patria adpetendam potiùs; qvàm refugiendam duceret, vel hæc ipſius vox declarat. *Pergite animô forti Lacedæmonii, hodie apud inferos fortaſſe cœnabimus.* Vide Juſtin. lib. II. c. XII. Neqve unqvàm reticebitur Epaminondas, qvi cùm ad Mantineam fortiſſimè pugnans, lethale vulnus accepiſſet, ubi victoriam ſuorum eſſe accepit, tum deniqve juſſit educi ſibi telum de corpore, æqviſſimô ſe animô mori dicens, qvòd patriam imperantem Lacedæmoniis reliqviſſet, qvam acceperat ſervientem. Corn. Nepos in eo. Ne Codrus qvidem Athenienſium Rex prætereundus eſt, qvi, cùm ex oraculo reſponſum eſſet, pugnantibus inter ſe Athenienſibus & Peloponenſibus, utrorum rex cecidiſſet, eos victores fore; gregarii ſe militis (famulari veſte, Cicero) ornatu in hoſtes, ne agnoſceretur, intulit, voluntariâqve morte victoriam ſuis comparavit. Juſtin. II. VI. extr. *Multitudo ipſa me terret animô*, inqvit Muretus, in III. Ethicor. Ariſtotelis, p. m. 231. ſ. *ac cogitatione intuentem in fortiſſimos viros, pro patria mortuos, qvos olim hac urbs innumerabiles protulit, deqve illis aliqvid verborum facere meditantem. Omnes enim omnium cæterarum gentium fortes viri, qvi omnibus ſeculis floruerunt, ſi unum in locum conferantur, pauciſſimi præ infinita Romanorum multitudine videbuntur. Itaqve qvod interdum diſerti homines augendi, atqve amplificandi cauſâ dicunt, id ego poſſum hôc locô ſine mendacio dicere. & dies me, & vox, & latera deficient, ſi eos, qui in hac urbe nati, fortitudine ex-*

cellue-

Ac pedibus converte pedes, ſcutiſqve premantur
  Scuta, jubæqve jubis & galeæ galeis.
Pectus & hoſtili pugnâ ſe cæde cruentet,
  Seu gladius captus ſive ſit haſta manu.
At vos cum levibus circum agmina qvi datis armis,
  Grandia in hoſtiles mittite ſaxa globos.
Et jaculis denſas longis turbate Phalanges.
  Nec legio veſtrâ deſtituatur ope.

celluerunt, enumerare, ac de ſingulorum virtutibus aliqvid dicere voluero. Et ſanè, quid attinet recenſere vobis, aut tres illos Decios, aut Scipiones, aut L. Æmylium Paulum, aut M. Claudium Marcellum, aut innumerabiles alios, quorum gloria iiſdem, quibus Solis curſus, regionibus continetur, cùm legiones integras M. Cato ſcribat ſæpe in eum locum profectas, unde certò ſcirent ſe nunqvàm redituras? Adeò ut alia laudes aliarum gentium, ita Romani generis, ac nominis propria fuit fortitudo. Fortes habendi ſunt etiam qui extra bellum efferunt ſe ad mortem pro patria, ut Menœceus apud Euripidem in Phœniſſis. Et apud eumdem Iphigenia. Et qui potiùs, qvam turpitudinem aliqvam ſuſcipiant, mori malunt, ut ætate noſtrâ Thomas Morus, & qvi mortem, cùm injuſtè damnati ſint, magnò animò ferunt, ut Socrates. Et qui adeunt periculum mortis, etiamſi non moriantur, ut Harmodius, & Ariſtogiton, ut Horatius Cocles, ut Scævola. præclarè quidam ſapiens. Mortem pro patria vir fortis fugere nunquam poteſt; effugere interdum poteſt.

CAPUT. III.

ALIA EJUSDEM TYRTÆI

de qvibus & Plato in libris legum aliqvoties meminit.

NON ego vel luctâ clarum pedibúſve volucrem,
  In minima digner ponere laude virum.
Non ſi mole ſuâ & Cyclopas viribus æqvet,
  Et ſuperet curſu Threïcium Boream.
Seu ſit qvæ veterem Tithonum gratia formæ,
  Qvæqve Midæ & Cyniræ copia vincat opes.
Majeſtate & Tantalidæ Pelopi anteferendus:
  Adraſto ſvavi ſit prior eloqviô.
Deniqve cujuſvis celebris ſi nomine laudis,
  Illuſtri audacis Martis honore vacet:
Talis nec ſumtis in bello eſt inclitus armis,

Nec

Nec dextrâ pugnas edit inerte bonas.
Qvi neqve ſuſtineat cædem aſpexiſſe cruentam,
Nec conſerta ferox hoſtis in arma ruat.
Hæc virtus, hujus ſunt maxima præmia, nec res
Eſſe juventuti pulcrior ulla poteſt.
Qvin etiam eſt commune bonum, cum civibus urbis
Progreſſum, in primis occubuiſſe locis,
Intrepidè, expertem turpis formidinis, ut ſit
Vitæ etiam atqve animæ prodigus ipſe ſuæ.
Hic propè confirmat ſtantem, ut cadere auſit & ipſe,
Hic vir hic ad pugnas utilis eſſe ſolet.
Qvi facilè hoſtiles profligat in agmine turmas,
Et belli nunqvàm fluctibus obruitur:
Sed magis in primis vitam pugnando relinqvit,
Parta urbi & populo, laude, patriqve ſuo,
Adverſum crebrò confoſſus vulnere pectus,
Per thoraca ſimul, per clypeumqve ſimul,
Hunc omnes flent amiſſum juveneſqve ſeneſqve
Propter & hunc tota eſt luctus in urbe gravis:
Hujus & inſigne eſt buſtum, ſoboleſqve celebris,
Totaqve poſteritas & genus omne viri.
Nec bona fama perit, nec gloria nominis unqvàm,
Cujus pro patriæ vita ſalute data eſt.
Qvin etiam hic tectus terrâ immortalis habetur,
Hoſtiles auſus ſuſtinuiſſe minas.
Qvi natoſqve agroſqve ſuos dum protegit armis,
Lætiferi Martis præda cruenta fuit.
Qvòd ſi fata nigræ vitaverit aſpera mortis,
Et fuerit victrix haſta relata domum,
Qvantus honor manet hunc, cunctis de ætatibus, & qvos
Poſt vitæ ad Stygias commoda tranſit aqvas?
Hujus honorati cani ſunt civibus, hujus
Jus ſemper liqvidum eſt & referenda fides.
Huic juvenes, huic æqvales, huic grandior ætas
Cedit præſenti ſede locôqve ſuô.
Tantæ igitur qviſqvam faſtigia ſcandere laudis
Nolet, & hoc poterit deſeruiſſe decus?
At vos duri animam in diſcrimine ponite Martis,
Et belli infractô pectore ferte moram.

CAPUT IV.

CARMINA * CALLINOI.

QVO tamen usqve jacent animi ? qvô tempore tanget,
O juvenes, hominum fortia corda pudor,
Qvi vicina tenet locat, dum, qvasi pace fruamur,
Se belli in medio turbine nemo movet.
Nunc igitur tandem arma aliqvis valida inferat hosti,
Ultima & emittat tela labante manu.
Qvanta etenim laus est, qvàm splendida gloria pugnæ
Pro patria & natis conjugioqve suo?
Mors tamen advenit cùm parcæ è stamine ducent,
Nunc stabilem objectâ cuspide ferte gradum.
Forteqve in umbonem clypei contrudite pectus,
Incipient cùm jam conseruisse manus.
Fatum nemo qvippe potest evadere mortis,
Non, si diviro semine sit genitus.
Ac telorum aliqvis iliepitum belliqve tumultum
Jam fugiens rapitur morte repente domi:
Sed non par populi desiderium ac amor istum
Excipit, ignavô qvi jacet interitu.

At

* Vossius de Poëtis Græcis, p. 86. *Callinus*, inqvit, *ἐν τοῖς ἐλεγείοις citatur Athenæo*, lib. XII. *Antiqvior fuit iis, qvæ adversa perpessi Magnetes.* Clemens *Alex.* lib I. *Stromat.* Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ. τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν Ἀρχίλοχος ἀπολωλότων· ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται. *Vide & de Callino Strabonem*, lib. XIII. Et lib. III. Institution. Poëticar. c. XI. § 4. p. 50. 51. idem Vossius: *Duo inprimis*, inqvit, *hâc laude celebrantur: qvi, si non elegiam invenerint primi, primi saltem magnam eâ sibi laudem pepererunt. Ii sunt Callinus, & Mimnermus. Callinus ille Ephesius fuit. At Straboni*, lib. XIII. *semel, iterumqve, dicitur* Καλλῖνος ὁ τῆς ἐλεγείας ποιητής. *Callinus poëta elegiacus. Terentianus Maurus Callinoum appellat. Sic enim ille:*

Pentametrum, dubitant, qvis primus finxerit auctor.
Qvidam non dubitant dicere Callinoum.

Nicolaus Brissæus Montivillarius, qvi Terentianum Maurum emendavit, & commentariô auxit, negat ad hunc locum, aliqvid se de Callino, vel Callinoo, alibi legisse. Nempe necdum prodierat tunc Procli Chrestomathia: qvæ conservata nobis Photii Patriarchæ beneficiô in Bibliotheca cod. 239. *In ea qvatuor isti dicuntur elegiæ esse principes; Callinus Ephesius, Mimnermus Colophonius, Philetas Cous, & Callimachus Cyrenæus. Imò meminère Callini etiam Pausanias in Bœoticis, & Nicandri scholiastes: uti doctissimo Andreæ Schotto, Scholiis in Proclum observatum. Sed pro* Καλλῖνος *perperam apud Pausaniam legitur*, Καλαῖνος, *uti apud Nicandri scholiastem*, Χαλῖνος.

At magni ac parvi lugent communiter illum,
Pro patria fusô ſangvine qvi cecidit.
Fortia nam cives meminerunt facta libenter,
Et cupidô ſemper pectore fixa tenent.
Heroumqve Deum ſobolis venerantur honore,
Virtute eximium bellipotente virum.
Qvem ceu turrim oculos altam poſitam ante tuentur,
Multorum qvoniam ſolus hic edit opus.

CAPUT V.

COHORTATIO

ad pugnam Hectoris.

Ἰλ. ό.

At vos inter dura capeſſite prælia naves,
Ac ſi fortè alicui eſt mors hic, aut eminus ictô,
Cominùs aut confoſſo obeunda, haud ille recuſet
Pro patriæ in pugna vitam impendiſſe ſalute.
Salva erit intereà conjunx & parvula proles,
Incolumiſqve domus, reſqve integra cuiqve relicta,
Si ratibus Danai patrias revehantur ad oras.

CAPUT VI.

COMMENTATIUNCULA

altera de alteris jam expoſitis verſibus.

[1] Viſum fuit & hos verſus adjicere priùs expoſitis: Qvorum Soloneos ante multos annos Latinè interpretatus fuit V. Cl. Philippus Melanchthon, magis ſententiam exprimere ſtudens qvàm verborum inhærens contextui. [2] Recitari autem curavit hos olim Demoſthenes, cùm acerrimam accuſationem falſæ legationis contra Æſchinem inſtituiſſet. [3] Alios ante annos VIII. adjunximus orationi noſtræ de bello ſuſcipiendo & ge-

rendo contra Turcas. [4] Cùm enim multos hôc de argumentô aliqvid literis mandaviſſe cerneremus, hac etiam in parte putavimus eſſe declarandam ſolicitudinem qvamdam de Repub. noſtram. [5] Qvam tamen operam magis ſtudioſis utriuſqve lingvæ & volumus & ſentimus navari, qvàm qvòd excitari verbis ad reſpectum patriæ eos poſſe ſperaremus, ad qvos hujus defenſio maximè, vel ſolos potiùs, pertinet. [6] De qva re, fatalium calamitatum dolore, qvæ, ut vereor, noſtræ ætati impendent, plura ſcribere prohibeor, Redeo igitur ad expoſitos verſus.

VII. [1] Ac Solonis qvidem verſus de illa recitatione, conſervatis orationibus Demoſthenis, ad nos pervenerunt, qvamvis mutili & mendoſi: [2] Qvos ſuſpicor tum eſſe ab illo compoſitos, cùm monendo, hortando, increpando, objurgando cives ſuos ſtuduit retinere † in cura & cuſtodia libertatis, inſidiante huic Piſiſtratô. [3] Non ſolùm enim tum dixit atqve ſcripſit omnia, qvibus abducere poſſet animos civium ſuorum à nocente & pernicioſo errore, qvi ſemper perdidit & poſthâc perdet liberas civitates, ſed armis etiam extremâ ſenectâ ſumtis, ad conſilium prodiit, & præconium fieri juſſit, ut qvi Rempub. ſalvam eſſe vellent, idem facerent, & qvid Piſiſtratus moliretur indicavit, qvamvis, ut qvidam ſcripſère, eſſet hic cognatus

† *Retinere in cura*] Variè qvidem obnixus Solon, libertatem Reipublicæ tuebatur; ſed conatus, prævalente jam Piſiſtratô, fruſtra fuit: ac initiô per blanditias privatim ipſum compellatum dimovere de propoſito animum induxit. Plutarchus, in ejus Vita. *Οὕτω δὲ τῶν πραγμάτων ἐχόντων, ὁ Σόλων παραγενόμενος εἰς τὰς Ἀθήνας, αἰδῶ μὲν εἶχε καὶ τιμὴν παρὰ πᾶσιν, ἐν δὲ κοινῷ λέγειν, καὶ πράσσειν ὁμοίως, οὐκ ἔτ' ἦν δυνατὸς, οὐδὲ πρόθυμος, ὑπὸ γήρως· ἀλλ' ἐντυγχάνων ἰδίᾳ τοῖς προεστῶσι τῶν στάσεων ἀνδράσιν, ἐπειρᾶτο διαλύειν, καὶ συναρμόττειν, μάλιστα τοῦ Πεισιστράτου προσέχειν δοκοῦντος αὐτῷ.* Cùm *ſe ita res haberent, reverſus Athenas Solon, erat quidem apud omnes in honore, & reverentia, ceterùm, ad dicendum in publico, aut faciendum, neque vires amplius aderant, neque alacritas, ſeniô præpediente: capita verò factionum ſeorſim compellans, dirimere ea, & reducere in concordiam, conabatur; Piſiſtratô maximè, ut videbatur, auſcultante.* Et mox: *Ὁ δὲ Σόλων, ταχὺ τὸ ἦθος ἐφώρασεν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιβουλὴν πρῶτος ἐγκατεῖδεν· οὐ μὴν ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐπειρᾶτο πραΰνειν, καὶ νουθετεῖν. καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλεγε, καὶ πρὸς ἑτέρους, ὡς, εἴ τις ἐξέλοι τὸ φιλόπρωτον αὐτοῦ τῆς ψυχῆς, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἰάσαιτο τῆς τυραννίδος, οὐκ ἔστιν ἄλλος εὐφυέστερος πρὸς ἀρετὴν, οὐδὲ βελτίων πολίτης. At ingenium ejus citò deprehendit Solon, ac inſidias ſubeſſe primus vidit: nec propterea odio tamen eum habuit, ſed conatus demulcere eſt, & ad mentem ſaniorem revocare: quin & ipſi, aliiſque, affirmabat, quòd ſi quis primatus ſtudium ipſius animo eximeret, ac libidini dominandi mederetur, nullum alium ad virtutem magis à natura factum, neque meliorem civem.* Sed privatim per blanditias poſtqvàm nihil profeciſſet, etiam publicè ſe oppoſuit. Audi Plutarchum narrantem. *Ἐπεὶ δὲ κατατρώσας αὐτὸς ἑαυτὸν ὁ Πεισίστρατος, ἧκεν εἰς ἀγορὰν, ἐπὶ ζεύγους κομιζόμενος, καὶ παρώξυνε τὸν δῆμον, ὡς διὰ τὴν πολιτείαν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐπιβεβουλευμένος, καὶ πολλοὺς εἶχεν ἀγανακτοῦντας, καὶ βοῶντας, προσελθὼν ἐγγὺς ὁ Σόλων, καὶ παραστὰς, Οὐ καλῶς, εἶπεν, ὦ παῖ*

cognatus Solonis. Sed patriam ille prætulit caritati suorum. [4] Verùm tùm derisus à concilio fuit, cùm qvidem dixisset, se aliis prudentiorem aliis fortiorem esse. [5] Prudentiorem qvidem iis qvi nondum intelligerent qvid moveretur, fortiorem verò silentibus & qviescentibus vel metu periculi vel

ὦ παῖ Ἱπποκράτους, ὑποκρίνῃ τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα· ταῦτα γὰρ ποιεῖς τοὺς πολίτας παρακρουόμενος, οἷς ἐκεῖνος τοὺς πολεμίους ἐξηπάτησεν, αἰκισάμενος ἑαυτόν. *Postqvàm verò, inflictis sibi vulneribus, in forum Pisistratus venit, curru vectus, populumqve concitavit, tanqvàm reip. causâ insidiis ab inimicis appetitus, multiqve haberet indignantes, & clamantes, propiùs accedens Solon, adsistensqve, Non rectè, inqvit, fili Hippocratis, imitaris Ulyssem Homericum, nunc siqvidem eadem ipse facis ad decipiendos cives, qvibus ille, cum se flagris concidisset, hosti imposuit.* Inde, loricâ armatus, clypeôqve, pro concione adhortari populum ausus est, ne desereret libertatem; se suppetias laturum. Diogenes Laërtius, in ejus Vita, lib. I. c. XLIX. Ἧξας (ὁ Σόλων) εἰς τὴν ἐκκλησίαν μετὰ θώρακος, καὶ ἀσπίδος, προεῖπεν αὐτοῖς τὴν ἐπίθεσιν τοῦ Πεισιστράτου. καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοηθεῖν ἕτοιμος εἶναι. *Cùm venisset (Solon) in concionem quamdam cum loricâ, & scuto, prædixit illi Pisistrati insidias; neqve id solùm, sed & se paratum esse opem ferre.* Hoc est, qvod Valerius Maximus dicit, V. III. ex. ext. 3. *Pisistrati tyrannidem primus (Solon) vidit orientem; & solus, armis opprimi debere, palam dictitare ausus est.* Cùm verò neqve sic proficeret, positis, ante curiam armis, Ego, inqvit, qvantum potui, patriæ, & legibus, opem tuli. Plutarchus. Οὐδενὸς δὲ προσέχοντος αὐτῷ, διὰ τὸν φόβον, ἀπῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ, καὶ λαβὼν τὰ ὅπλα, καὶ πρὸ τῶν θυρῶν θέμενος εἰς τὸν στενωπὸν, Ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, ὡς δυνατὸν ἦν, βεβοήθηται τῇ πατρίδι, καὶ τοῖς νόμοις. *At cùm nemo, propter metum, auscultaret, domum abiit, sumptisque armis, & in vico ante fores collocatis; Ego quidem, quantum potui, patriæ, inqvit, legibusqve, opem tuli.* Diogenes Laertius, c. L. Ἤδη δὲ αὐτοῦ κρατοῦντος, οὐ πείθων, ἔθηκε τὰ ὅπλα πρὸ τοῦ στρατηγείου· καὶ εἰπών, ὦ πατρὶς, βεβοήθηκά σοι καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ, ἀπέπλευσεν εἰς Αἴγυπτον. *Jam potito rerum ipsô, cùm neqvaqvàm persvaderet, posuit arma ante curiam; ac, cùm dixisset, Eqvidem, ô patria, verbô, & opere, te adjuvi, in Ægyptum abnavigavit.* Factum ipsum, eôdem modô; verba, aliter narrat ipse Solon, in Epistola, ad Epimenidem. Ἐγὼ δὲ, θέμενος πρὸ τοῦ στρατηγείου τὰ ὅπλα, εἶπον, τῶν μὲν μὴ αἰσθανομένων Πεισίστρατον τυραννησείοντα εἶναι ξυνετώτερος, τῶν δὲ ὀκνούντων ἀμύνεσθαι ἀλκιμώτερος. *Ego verò, positis ante curiam armis, iis me, qui Pisistratum ad tyrannidem contendere nullô modô animadvertebant, prudentiorem esse dicebam; iis autem, qui defendere non auderent, fortiorem.* Meminitqve. Plutarchus. Ὁρῶν δὲ, τοὺς μὲν πένητας ὡρμημένους χαρίζεσθαι Πεισιστράτῳ, καὶ θορυβοῦντας, τοὺς δὲ πλουσίους ἀποδιδράσκοντας, καὶ ἀποδειλιῶντας, ἀπῆλθεν, εἰπών· ὅτι τῶν μέν ἐστι σοφώτερος, τῶν δὲ ἀνδρειότερος· σοφώτερος μὲν, τῶν μὴ συνιέντων τὸ πραττόμενον· ἀνδρειότερος δὲ, τῶν συνιέντων μὲν, ἐναντιοῦσθαι δὲ τῇ τυραννίδι φοβουμένων. *Cùm videret, pauperes quidem gratificari Pisistrato cupientes, ac tumultuantes, divites verò fugientes, timentesque; abiit, dicens: Ego quidem his prudentior, illis fortior existo: ac prudentior quidem istis, qui non capiunt, quid agatur; fortior autem, his qui capiunt isthoc quidem, sed tyrannidi obviam ire refor-*

vel ſpe commoditatis. [6] Ac tum qvidem factio Piſiſtrati furere eum vociferata fuit, cùm feciſſe hos verſus perhibetur: *

Civibus oſtendet breve, noſtra amentia, tempus
Qvæ ſit, qvod verum proferet in medium.

[7] Sed & verſibus planè vaticinans prædixiſſe ea traditur de Piſiſtrati tyrannide qvæ poſteà evenerunt: ex qvibus hi à Laërtio, lib. I. c. L. princip. referuntur:

Nix de nube cadit violenta, & grandinis imber,
Claraqve terribili fulgura luce tonant,
A magniſqve viris Reſpublica vertitur, excors
Unius ut vulgus ſerviat imperio.

[8] Cúmqve plus valuiſſet ſimulatio & fraus Piſiſtratidarum, qvàm ſapientia & virtus Solonis, & jam oppreſſa Athenienſium civitas tyrannide doleret atqve indignaretur, qvamvis moleſta ea res etiam Soloni eſſet, & propriam illam eſſe miſeriam judicaret, tamen cùm animadverteret qvanta eſſet perverſitas plerorumqve non tàm inſultans & ſervitutem exprobrans civibus ſuis, qvàm tunc etiam caſtigans illos & utiliter eis præcipiens, verſus fecit, qvorum reliqviæ apud Laërtium, lib. I. c. LII. princip. extant hæ, nos convertimus:

Qvod peperit vobis mala tanta ignavia veſtra
Ne vos inſontes inſimulate deos.
Ipſi etenim iſtos præſidiis auxiſtis, & hæc eſt
Fax prima indigni cauſſaqve ſervitii.
Qvin vulpinô etiam nunc greſſu inceditis omnes,
Et levitas cunctis maxima mentis ineſt.
Nam lingvæ & verbis inhiant fallacibus aures,
Sed nemo aſpiciens improba facta notat.

[9] Ille verò error exitioſus civitatibus qviſnam eſt? Is profectò, qvô occæcati animi ſperant ſuas domos, agros, prædiola, piſcinas, & ſi qvid eſt qvô beata in terris vita inſtrui vulgò putatur, id ſalvum eſſe poſſe, ſi Reſpub. amiſſa ſit. [10] Privatarum inqvam rerum ſtudium, publicam rem evertit atqve perdit. [11] Tùm enim maximè illa proditur, cùm cura & fides ei ſubducitur. [12] Statim enim ſeqvitur, ut cùm non magis dignitas & honores & opes à Repub. ſperantur, aliunde jam hæc omnia qværantur. [13] Qvæ eſt deſertio Reipub. & eam mox etiam oppugnatio ſeqvitur. [14] Sic Pauſanias olim & Themiſtocles liberatores patriæ, mox proditionis hujus infa-

reformidans. Cauſſam laudatus aperit Maximus Valerius, VIII. IX. ext. 1. *Piſiſtratus, dicendo tantùm valuiſſe traditur, ut ei Athenienſes regium imperium oratione capti permitterent: cùm præſertim ex contraria parte amantiſſimus Patriæ Solon niteretur. Sed alterius ſalubriores erant conciones, alterius diſertiores: qvô evenit, ut alioqvi prudentiſſima civitas libertati ſervitutem præferret.*

* Vide Laërt. lib. I. c. XLIX. extr.

infamiam ſibi inuſſerunt ſempiternam. [15] Sic Marius & Sylla, & paullò poſt Pompejus & Cæſar, cùm ſalvâ & ſtante Repub. cupiditates immenſas ſuas non poſſe expleri conſiderent, ad opprimendam illam conſilium inièrunt. [16] In qvibus felicior fuit Cæſar, qvi antevertendo Pompejum, & hunc profligavit, & ſummam rerum poſteà facilè ſolus occupavit. [17] A Pauſania & Themiſtocle id, qvod moliri ceperant, incoatum ita remanſit, & ipſi inter conatus occubuerunt. [18] Romani illi patriæ labefactatores magis fuêre ſcilicet fortunati, habuerunt enim plures adjutores conſiliorum & facinorum malorum: Qvibus deſtituti haud ferè, qvamvis aliqvi improbi ſint & audaces ac callidi, inſtituta abſolvere ſolent. [19] Hoc igitur Solon qveritur, hoc accuſat: Negligi Rempub. violari leges, diſtorqveri jura, & ali paucorum potentiam inſidiatricem libertatis: Valereqve apud pleroſqve plus largitiones & gratiam, qvàm reſpectum incolumitatis & ſalutis communis.

VIII. [1] Docet autem fontem eſſe mali iſtius, & peſtem, qvâ Reſp. correptæ celeriter intereant, hinc oriri & concipi: Si diſciplina ſoluta, cupiditatibus pravis indulgeatur: Qvarum eſt acerrima pecuniæ & opum. [2] Vident enim omnes à pecunioſis & opulentis omnia comparari facilè poſſe, poſtqvàm mores, ut ait Plautus, Trinum. IV. III. 30. perduxerunt leges in poteſtatem ſuam, ut hæ illis ſerviant. [3] Qvi autem ſunt mores cùm leges oppreſſæ & victæ jacent? ii nimirum qvi ibidem enumerantur, v. 25. ſ.

Qvi nihil faciunt qvod licet, niſi qvod lubet.
Ambitio tum more ſancta eſt, libera eſt à legibus
Scuta jacere, fugereqve hoſtes, more habent licentiam.
Petere honorem pro flagitio, more fit, neqvam ſcilicet & malò.

Et mox, v. 29.

Strenuos præterire more fit.

Et paullò pôſt, v. 36.

---- ---- Leges mori ſerviunt,
Mores autem rapere properant, qvà ſacrum qvà publicum.

[4] Ac tum ferè tamen plurimum ubiqve legum promulgatur ac fertur, ſed inutiliter. [5] *Qvid enim leges ſine moribus vanæ proficiunt?* ut ait Horatius, lib. III. Carmin. Od. XXIV. v. 35. probis nimirum & bonis. [6] In talia inqvit Solon tempora, avaritiæ, cupiditatumqve malarum & petulantiæ & neqvitiæ incidunt civitatum everſiones, depopulationeſqve, qvorum autores ſint, ſive externi hoſtes, ſeu ipſi in ſe graſſantes cives inteſtinis odiis ac diſſidiis, qvæ tandem in civilia bella erumpunt, & his plerumqve via ſternitur externo hoſti, ad occupandum jam debilitata & fracta ſuis viribus, & impulſa ad convellendum ac dejiciendum. [7] Eſt enim hæc divina, inqvit, pœna, qvæ corripit tandem improbitatem & ſcelera & furores hominum, qvam nemo effugere ſe poſſe ſperet, qvamvis in cavernis terræ aut latebris domeſticis occultetur. [8] Atqve hæc ſunt præmia ſecun-

dùm Solonem, improbitatis & injustitiæ ac violentiæ, qvam vocat *δυσνομίαν*. 9 Cum qva præclarè ait Hesiodus in *Ἔργοις* v. 230. familiariter degere *τὴν ἄτην*. [10] Sed justitiam & pudorem & moderationem, qvam *εὐνομίας* nomine indicat, pulcerrimis & verissimis laudibus idem Solon ornat: [11] Hanc esse ordinis & decoris parentem. [12] Hàc vim & injuriam qvasi compedibus qvibusdam vinctam coherceri. [13] Aspera hanc lenire, & satietatem ac fastidium, hujusqve sobolem petulantiam sedare atqve delere. [14] Neqve pati ut semina ærumnarum publicarum inter civium jurgia & simultates exoriantur & confirmentur. [15] Eamdem intorta & depravata corrigere & explicare. [16] Eamdem superbiam & insolentiam compescere, [17] deniqve hanc odia contentionesqve & certamina reprimere, & perficere, ut omnia inter homines gerantur vera & certâ ratione cum elegantia & pulcritudine. De versuum igitur horum Solonis sententia hactenus.

IX. [1] Tyrtæum Atheniensem fuisse accepimus, hominem conditionis humilis, etiam corpore vitiatum, qvòd loripes esset, & literas doceret, qvod genus necessarium ad cultum virtutis tamen * contemnitur ac despicitur. [2] Accidit idem in aliis qvoqve rebus bonis & necessariis, si parvæ esse videantur, ut harum professio non magni fiat, sed in doctrina literarum

* *Contemnitur ac despicitur*] Malo in fastidii caussas ac contemptus hujus propemodùm universalis Optimi potiùs Berneggeri, qvàm meis inqvirere verbis. *Rerum humanarum*, inqvit in Orat. V. p. m. 165. *ea natura, ea teneritudo sensuum nostrorum est, ut nihil tam svave possit esse, qvod non abeat in nauseam, si eò paullò diutius utare: nihil tam egregium, qvod idem diu placere possit. Unde & illud Juvenalis:* Sat. XI. extr.

--- Voluptates commendat rarior usus.

Varietas autem tantam ubiqve vim habet, ut commendatione novitatis interdum & pessima pro optimis placeant. Qvid ergo mirum, studiorum etiam, qvæ per octingentorum decursum annorum, ad hoc usqve duravêre tempus, tandem aliqvando satietatem oboriri? præsertim cùm in eam molem excreverint, ut jam copiâ magnitudineqve laborent suâ, non secus ac vitis, nisi subinde amputetur, ipsa suâ fæcunditate gracilescit ac perit. Olim non nisi nobiliores & ad spem nati Reipub. literarum sacrario destinabantur, eo qvòd, monente Sallustiò, Patres consiliò valere decet: in populo supervacanea est calliditas. *At jam à plurimis annis, nullis non etiam imi subsellii hominibus, Musis operari concessum. Est autem verissimè pronunciatum à Nicephoro Gregora: Qvæ promiscuè sunt omnibus exposita, ferè fastidiuntur ac negliguntur.* Placet, qvod *Religiosa* suos apud *perfectionis institutos*, ut Maximil. Sandæo dicitur, Commentatione IV. §.XV. p. m. 84. Grammatici Profani, *minimè vulgaris* Joannes Crombecius, præfation. ad litter. de Perfectionis studio, num. 4. auditoribus suis dictabat: *Viri humiles, præclarisqve virtutibus præditi, magni sunt, sed apud DEUM: mundus eos non cognovit. Expedit ad cæcorum mortalium animos demerendos, ut iis non hispidus appareas, sed cum pulchra veste, & ornamentis, quorum aspectu capiantur. Vos hortor in Domino*, ejusdem est, qvem nominavi, commonitio, *ut, qvemadmodùm sæpistis, HUMANIORUM litterarum*,

rum atqve artium inprimis. Qvod ſanè, qvia mutare non poſſumus, ita fieri patiamur. 3 Sed de Tyrtæo ut cepimus dicere, pergamus. 4 Hic, qvemadmodùm dixi, conditionis humilis fuit, qvòd ludimagiſter eſſet. 5 Confertur in tempus Olympiados XXIII. à Pauſania, † qvi hujus operâ & ſtudiô perfectum fuiſſe tradit, ut Lacedæmonii neqve deponerent bellum adversùs Meſſenios ſuſceptum, & tandem ſæpe gravibus vulneribus acceptis victores evaderent.

X. 1 Confirmant autem hi verſus animos, vel etiam hos jacentes ſuſcitant & erigunt, convertentes ad conſpectum pulcritudinis, qvæ de virtute relucet. 2 Nulla autem pars honeſti pluris fit opinione hominum, qvàm ea, in qva eſt animi magnitudo & præſtantia, maximè ſi declaretur facinoribus memorabilibus & magnis in bello, qvod ipſum cùm ita geritur, non modò ut juſtum, ſed etiam ut neceſſarium ſit, qvale eſt, qvò patria defenditur adverſus vim hoſtilem, tùm illa fortia facta multô redduntur magis laudabilia, & ſpecioſa. 3 Hanc partem Græci nominant ἀνδρείαν Latini fortitudinem; & qvemadmodùm Græcis ἀρετὴ hanc excellentiam ſæpe indicat, & ἀνὴρ ἀγαθὸς, vir fortis eſt, ita virtus fortitudinis qvoqve notionem complectitur, placetqve qvibuſdam à viro hoc nomen deduci, ut ſit propria in Latina Lingva virtus, qvæ eſt in Græca ἀνδρεία. 4 Qværit Ariſtoteles, cur virtus hæc tanti fiat & eſſe præclariſſima videatur, cùm ſint aliæ meliores atqve laude digniores, ut juſticia, ſine qva nihil exiſtimationem honeſtatis retinere poteſt. Uſqve adeo ut inter prædones qvoqve hujus ſpeciem qvamdam verſari neceſſe ſit, ſi ipſorum cœtus non diſſolvi

rarum, Philoſophia, ac Scholaſtica Theologia ſtudium, ſeduló, religioſè, magnoqve honoris divini zelô proſeqvamini ad laudem, & gloriam illius, qui vos in SOCIETATEM Filii ſui vocavit. Res non tam veſtra, qvàm ejus agitur. Arma ac ſupellectilem comparatis futuræ expeditioni, contra Dæmones omnes, qui ſuprema Majeſtatis gloriam, nomenqve exſtinctum volunt. Totus Mundus in maligno poſitus eſt, & qvia in ſapientia ſua gloriatur contemnit ILLITERATOS, vult pecora in agros ablegari, nobis exprobat infantiam, atqve ignorantiam. Hæc ille. Et ipſe Sandæus, Commentat. VI. §. VI. p. 134. ſ. *Nunqvàm*, inqvit, *ego quidem illorum judicium probare volui, qui* Grammaticos, *ut hominum extremiſſimos faceſſere jubent; illos vituperant, & in contemptum apud imperitos adducunt. In quo delinqvunt nonnulli, gravioribus, ac ſubtilioribus addicti; qui contemptim, Eruditos qvoſqve, tametſi in altioribus minimè rudes*, Grammatiſtas, & Litteriones *appellitant, eruditionis variæ ipſi ignari. Adprobo Qvinctiliani ſenſum, qui*, non ferendi, *inqvit* (lib. I. c. IV.) qui hanc Artem (*Grammaticam*) ut tenuem, & jejunam cavillantur, qvæ niſi Oratori futuro, fundamenta fideliter jecerit, qvidqvid ſuperſtruxeris, corruet; neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & qvæ vel ſola omni ſtudiorum genere, plus habet operis, qvàm oſtentationis, ne igitur tanqvàm parva faſtidias Grammatices elementa. Hæc Fabius.

† lib. IV. p. 244. ſ. edit. Hanovienſ. M.DC.XIII. in fol.

solvi debeant, ut verbi causâ, non lædere socios, non agere prædas in agro pacato, parcere deditis. 5 Et qvi fraudulentissimi sunt hoc studiosissimè agunt, ut justi esse videantur, & ea ars est, qvam didicêre & tenent ii, qvi strenuè esse injusti sciunt. 6 Hoc enim maximè ad hominum favorem & studia prodesse non fugit calliditatem; esse in opinione justiciæ. 7 Itaqve hæc est secundùm Platonem, *ἐσχάτη ἀδικία, δοκεῖν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα*. 8 Docet enim tanqvàm in gubernatore perfecto, artis esse perfectionem qvamdam oportere in eo, qvi injusticiâ præstare velit. 9 In qva est præcipuum videre & intelligere, qvi qvasi ventus adversetur instituto cursui. 10 Nihil autem magis nocet injustis, qvàm si manifestum fiat, qvòd sint injusti. 11 Itaqve hanc opinionem vel vi vel largitionibus student avertere, ut qvàm diutissimè exercere injusticiam possint. 12 Sed ars ista qvoniam tota simulatione & versutiâ dolosâ comprehenditur, sæpenumero destituit & relinqvit opus inabsolutum, & fallit artificem, de qvo nunc plura non dicemus.

XI. 1 Cùm autem constet hanc virtutem, qvæ maximè celebratur versibus istis, non esse reverâ maximam & præcipuam, cur inqvit, ut jam retulimus, Aristoteles, hæc ubiqve sit plurimi: 2 Putat idem autor hanc esse caussam, qvòd omnes existiment in ea certissimum esse præsidium contra vim externam, qvæ corpori & facultatibus afferri solet ab hostibus. 3 Et qvoniam amissio fortunarum, afflictio corporis, servitus, cædes tristissima atqve deterrima esse judicantur, ideo ea virtus qvæ pro his propugnat prima ducitur, qvasi simpliciter præstantissima sit qvæ aliqvibus utilitatem conciliet. 4 Addatur & hoc, si placet, Qvòd vulgus intuens in speciem illustrem, qvâ conspiciuntur fortes & bellatores, hàc capitur & admiratur ac suspicit consilia & actiones, qvibus illa constituitur. 5 Hic est splendor opum & potentiæ qvâ nihil hominibus videtur melius neqve magis expetendum. 6 Et oratio qvoqve gloriosa commovet animos audientium:

In Asiam hinc abii atqve ibi
Simul rem & gloriam armis belli repperi.
Et, Quem adolescentia
Memorant apud reges armis, arte duellicâ
Divitias magnas sibi adeptum.

7 Hæc igitur & similia erigunt animos hominum, paucorum qvidem ut eadem commoda seqvi & sperare ausint, vulgi autem, ut, qvi illa adepti sunt, eos veneretur ac observet, & eis se submittat & cedat locô honoribusqve & omnibus iis qvæ magna & eximia in hac vita esse creduntur. 8 Contra hæc verò si ponantur mala & detrimenta ignaviæ, ut fecit Tyrtæus, fit illa virtutis species multò augustior. 9 Est autem hoc non tam ab hominibus latâ aliqvâ qvàm ipsius Naturæ lege sancitum, ut fortibus subjecti sint atqve pareant ignavi. 10 Itaqve omnium gentium consensu, victores imperant victis & omnibus fortunis illorum potiuntur.

Qvid-

Qvidqvid aliqvi tum prudentes, qviqve legum ac jurium periti clueant, ut ait Plautus, loqvantur ac disputent. [11] Nunqvàm enim certè malam caussam habuisse prædicatur qvisqvam, qvi viribus & armis superior fuit, qvantumvis bellum injustum fuisse videatur. [12] Qvid autem refert, cùm victrix caussa diis placuit, si victa Catoni. [13] Sed hoc jam differendum non est.

XII. [1] Ad sententiam versuum Tyrtæi redeo. [2] His igitur commendantur fortes. [3] Cum qvibus qvia habetur sermo doctrinæ & sapientiæ, removenda sunt consideratione prudentum omnia illa, qvæ sermo doctrinæ ac sapientiæ refutat, ut conatus insaniæ, impetus furiosi, neglectio ordinis, dissolutio disciplinæ, temeritas, audacia. [4] Vult enim certè fortitudo, siqvidem virtus est, non demens videri. Cùm sine ratione & consilio nihil fieri geriqve laudabiliter soleat. [5] Iphicratem igitur Atheniensem de conductitii militis natura & ingenio pronunciantem, qvòd & cupidum opulentiæ & voluptatum sectatorem hunc esse conveniret, ut qvomodo cupiditates expleret qværens ita confidentiùs certaret: illum, inqvam, fortitudinem celebrasse hôc dictô ne existimemus. [6] Ex talibus enim militibus conflatum exercitum, suis etiam ductoribus esse formidabilem necesse est. [7] Carthaginenses interdixisse suis usu vini in militia accepimus. [8] Non fugit enim homines callidos, qvippe Punicæ originis, neqve qvicqvam esse in bello ad victoriæ spem accommodatius pudore atqve circumspectione, & vinum ad perturbandam mentem singularem vim habere. [9] Non enim esse audacem & validum ac strenuum percussorem, fortitudinis laudem habet, non magis certè qvàm temulentos ad conflictus concurrere & cædere ac cædi, faciunt enim idem & feræ bestiæ: sed consiliô ac ratione fortiter res geritur, cum diligente & accuratâ consideratione qvid fieri rectum sit ac debeat, & intrepidâ ac celeri executione omnium, qvæ persvasio virtutis subjicit. [10] Talis neqve temerè hostem adorietur, neqve sine caussa in periculum adducet vitam suam, multô minus autor erit exercitui sæpe toti interitus. [11] Sed idem neqve perturbabitur metu periculi aut mortis, cadetqve potiùs honestè qvàm per dedecus vitam retineat: [12] Itaqve Leonidam in Tyrtæo dicere esse solitum ferunt, talem illum esse poëtam, qvi pulcerrimis & optimis versibus juveniles animos ad considerationem virtutis & honesti posset convertere. [13] Sentiebat enim tum demum fortiter in præliis rem geri, si cum ratione & judicio etiam vitæ aliqvis suæ esset prodigus.

XIII. [1] Hoc ita se habere exemplô suô comprobàrunt Lacedæmonii, qvorum magister hic versificator fuit, qvæ qvidem civitas singularem fortitudinis famam est consecuta. [2] Erant enim ita instituti, ut non modò vincere, sed etiam defendere & tueri scirent. [3] Non enim virtutem esse statuerunt hostem percellere & sternere, sed se incolumen de hoste profligato recipere. [4] Qvare institutum fuit in illa civitate, ut non conferrentur manus à procurrentibus & concitatis. id qvod alii facere solerent,

sed ut ad conflictum procederetur sedatis animis, & gradu composito, secundùm modos * tibiarum, qvibus canentes anapæstos † per ordines dispositi essent, qvorum melos minùs vehemens putatur, & numeros habere idoneos ad motus venustatem. [5] Itaqve ne fugientes qvidem hostes cursu perseqvi solebant, ne ordines solverentur, qvô multi sæpe conservati fuerunt. [6] Ac fuit tanta sedatio animi horum, etiam in illo necessario dimicantibus ardore, ut qvidam jam jam obtruncaturus hostem, cùm receptui signum datum fuisset, retraxisse ensem neqve peregisse ictum tradatur.

* *Modos tibiarum*] Roganti cuidam, qvam ob caussam Spartiatæ ad tibiarum cantum inituri prælium exercerentur? ut qvum ad numerum, inqvit, Agesilaus, apud Erasmum in I. Apophthegm. XXXVII. p. m. 19. edit. opt. Basileens. MDXXXV. in 8t. incedunt, adpareat qvi formidolosi sint, qvi fortes. Nam anapæstorum ictus strenuis addebant animum, vehementer meticulosis pallorem ac tremorem incutiebant. Itaqve qvum pes non responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignavorum imbecillitas. Magni siqvidem refert, ut dux perspectos habeat militum eorum animos, qvô norit qvi sint à prælio submovendi, aut qvi qvâ parte exercitus collocandi. Valerius Maximus, II. c. VI. ex. 2. putat tibias adhiberi solitas ad incitandos militum animos: *Ejusdem* (Spartanæ) *civitatis*, inqvit, *exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant, qvàm tibia concentu & anapæsti pedis modulô cohortationis calorem animô traxissent, vegetô & crebrò ictûs sonô strenuè hostem invadere admoniti.* Contra ea Thucydides auctor Historiæ Græcæ gravissimus apud A. Gellium in I. Noctium, c. XI. *Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in præliis usos esse refert: non prorsus ex aliqvo ritu religionum, neqve rei divinæ gratiâ, neqve etiam ut excitarentur atqve evibrarentur animi, qvod cornua & litui moliuntur; sed contrà, ut moderatiores modulatioresqve fierent; qvod tibicinis numeris temperatur. nihil adeò in congrediendis hostibus atqve in principiis præliorum ad salutem virtutemqve aptius rati, qvàm si permulcti sonis mitioribus non immodicè ferocirent. Qvum procinctæ igitur classes erant, & instructa acies, cœptumqve in hostem progredi: tibicines inter exercitum positi canere inceptabant. eâ ibi præcentione tranqvillâ & delectabili atqve adeò venerabili, ad qvamdam qvasi militaris musicæ disciplinam vis & impetus militum, ne sparsi dispalatiqve proruerent, cohibebatur. Sed ipsius illius egregii scriptoris uti verbis libet, qvæ & dignitate & fide graviora sunt.* καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν. Ἀργεῖοι μὲν καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐντόνως καὶ ὀργῇ χωροῦντες; Λακεδαιμόνιοι δὲ βραδέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν, νόμου ἐγκαθεστώτων. οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ᾽ ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προσέλθοιεν, καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις. ὅπερ φιλεῖ μεγάλα στρατόπεδα ποιεῖν ἐν ταῖς προσόδοις. Idem refert Martianus Mineus Felix Capella, Afer Carthaginensis, lib. IX. qvi est de Musica, p. m. 369. edit. Lugdunens. 1539. in 8t. & Plutarch. in lib. de Cohibenda iracundia.

† *Anapæstos*] Anapæstus est pes comicus priores duas syllabas breves habens, & tertiam longam, ut *sapiens*, *miseri*. Dicitur ab ἀνακαίειν, qvod est *repercutere*, qvia sonô reciprocô qvasi repercutit Dactylum. Vel qvia contra, qvàm ad Dactylum, terram saltantes feriebant. Unde & ἀντιδάκτυλος nominatur.

datur. [7] Qvem Xenophon amator hujus civitatis, in ſuam de Cyro hiſtoriam tranſtulit, & Chryſantam fecit, eumqve hôc nomine à Cyro & laudatum & præmiô affectum eſſe ſcripſit. [8] Ad tales igitur utilis fuit verſuum & carminis admonitio: in barbariæ autem veſania, aut etiam temeraria iracundiæ commotione & impetu ferociæ nihil his proficeretur, vel nugæ iſtæ potiùs & ineptiæ ducerentur. [9] In exercitu & acie Romanorum lituo tubæ commiſtus ſonitus, acrior ſcilicet res fuit, ut tota adminiſtratio belli & pacis in hac civitate pleniſſima ſeveritatis, conſtantiæ, dignitatis, roboris. [10] Itaqve & imperium illud incrementa admirabilia fecit, & poſteà in diſtractione ac convulſione toti orbi terrarum fuit formidabile, cùm jam illi ipſi qvi parere imperio deberent, jure poteſtateqve imperii ad explendas cupiditates avaritiæ & libidinum abuterentur: & tanqvàm in Tragœdia perſonatum Tyrannum; ita qvi ſpeciem haberet ducis, aliqvem modò præficerent & tollerent, modò abjicerent & ſupplantarent. [11] Qvemadmodùm cùm aliàs factum fuit, tum inſigne exemplum exhibent Neroniana tempora.[a] [12] Nerone enim interfectô paucis menſibus, palatium & imperii qvaſi penetralia, qvatuor principes accepêre & excluſêre: unô veluti in ſcena introeunte, alterô exeunte, qvem tamen ille veniens mox eſſet egrediendo ſecuturus. Sed hæc longius nos à propoſito abducunt.

XIV. [1] In Callinoi ſive Callini verſibus præcipua eſt ſententia, qvâ id, qvod omnium judiciô atqve ſententiâ maximè eſt terribile & imprimis refugitur, conatur oſtendere minus eſſe extimeſcendum. [2] Nihil autem mortis & interitus triſticiâ, magis perturbare & graviùs affligere animos hominum ſolet. [3] Hic ſenſus naturæ eſt, qvòd morte in ſingulis exſtingvi illa videatur. [4] Ita maximè eſſe contra naturam mors exiſtimatur, & in adverſis qvoqve & miſeria & ærumnis refugitur, niſi error inſaniæ aut pervicaciæ judicium & ſententiam depravet, ut fit in aliqvibus, qvi ſibi ipſis manus inferunt: qvos vel morbô vel opinione atqve perturbatione rationis * & mentis deſipere neceſſe eſt. [5] Sani igitur omnes mortem ſentiunt eſſe rem triſtiſſimam, ideoqve ad hujus mentionem qvoqve cohorreſcunt.

* *Perturbatione rationis & mentis*] At Johan. Donnæus Anglus, qvi, judiciô Joh. Wandalini Daniæ & in ea Seelandiæ Epiſcopi, *an Chriſtianus fuerit, meritò dubites*, peculiari Tractatu diſtortô ſermone, intricatis periodis ac methodô confuſâ *αὐτοχειρίαν* Orbi Chriſtiano fallaciter commendare non erubuit: actum nempe illum crudelem, qvô integræ & ſanæ mentis homo, qvi nec furoris, nec melancholiæ vehementioris morbô laborat, deliberatô animô, vitâ ſe privans, mortem ſibi, qvibuſcumqve modis ac mediis id fiat, cum æterno ſui exitio, accelerat. Qvod novi dogmatis portentum non infeliciter aliqvot diſputationibus evertit raris ac doctis Hafniæ MDCLXXV. D. Georg. Witzlebius Profeſſor ibi Theologus felicis memoriæ, poſteriori deſtitutus, priorem tantùm habeo. Habet & nonnulla hùc facientia. M. Anton. Muretus in IV. Variar. Lection. c. II. p. m. 88. ſ.

rescunt. 6 Quæ igitur erit aut omnino esse poterit consolatio, quâ animus confirmatus mortem suadeat fortiter oppetendam? vel nullô modô etiam extimescendam esse. 7 Alii quidem alias exquisiverunt, de quibus nunc verba facienda non sunt. 8 Et nos suprà ostendere conati fuimus, in tota humana sapientia ac doctrina, harum rerum veritatem non reperiri. 9 Sed hic noster autor necessitatis consolatione est usus. 10 Quemadmodùm autem ista splendidè dici possunt, ita quantum valeant cùm non verba magis sunt, sed jam ad rem conferuntur, nescio. 11 Id quidem certè constat, necessitatem quod habeat, delectatione carere. 12 Poëta autem quidam Græcus Euenus, ausus fuit pronunciare, omnem necessitatem habere molestiam. 13 Quid igitur me adjuvat is, qui mortem necessitate naturæ oppetendam esse doceat? Neque esse perfugium ab illâ, neque contra hanc medicinam inventam, & his similia, si necessitas semper dolorifica est.

Πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιηρὸν ἔφυ.

14 Quale autem existimandum hoc remedium, quod eamdem affert incommoditatem, quam habet ipse morbus. 15 Tristis & terribilis res est mors. Necessitas etiam ipsa tristiciam habet, ut ostendimus, duplicabitur jam ergo miseria, non levabitur. 16 Non graviter ferendi sunt, inquit Lysias, naturæ casus. Quapropter? Quia mors communis est omnium, & corripit tam ignavissimos quàm fortissimos. 17 Neque enim illa futiles negligit, neque præclaros magni pendit, sed est æqua universis, quemadmodùm & Horatius cecinit, lib. I. Carm. Od. IV. v. 13.

Pallida mors æquô pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. —— ————

18 Hæc non ad bonam spem, sed ad strenuam desperationem prosunt; Ut magis animum ægrum talibus disputationibus dejici & prosterni, quàm erigi & confirmari credibile sit.

XV. 1 Verùm nihilô tamen minus sententia ista & oratio, & illustris & speciosa est, quâ utitur apud Homerum & Sarpedon hortans Glaucum consobrinum suum, ut animô forti in prælio versari, neque vitæ conservandæ studiô hostibus cedere velit, hôc modô: ut convertit in Latinos versus Eobanus Hessus:

Si tanti defunctos munere belli
Expertem senii ætatem vitamque perennem
Victuros nos ulla foret spes, non ego certè
Ante alios pugnare velim, nec te ista juberem
Ut faceres, quæ laude viros & rebus honestant
Eximiis, unde & decus immortale paratur,
Nunc cùm mille modis obnoxia corpora morti
Simus, & huc illuc versent nos fata laborum
Incertâ serie, quæ non datur effugere ulli,
Irrumpamus, ut aut nobis decus inde paremus,
Aut aliis ipsi tribuamus sangvine nostrô.

2 Secun-

[2] Secundùm hæc & Pindarus in hymno Olympico primo ἐπῳ. γ. κώ. ιγ. v. 3. 4. hæc fecit, θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος.* [3] Cicero autem, Philippicâ X. c. X. luculentè auxit hæc ita. *Quod si immortalitas consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eò magis ea fugienda esse videretur, quò diuturnior esset servitus. Cùm verò dies & noctes omnia nos undique fata circumstent, non est vestri nominisque Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere.* [4] Demosthenica eadem sententia nota est, exposita in oratione pro Ctesiphonte. Hæc igitur præclarè. [5] Sed iste poëta, qvisqvis fuit, nil enim adhuc qvidem præter nomen certi investigare de illo potui, cùm qvidem hujus meminerit Athenæus, lib. XII. ut ἐλεγειογράφου: Hic igitur præmia fortis interitûs, & animæ impensæ defensioni patriæ, etiam commemorat honorem & celebritatem famæ, & memoriam civium gratorum, qvæ non contingunt ignavis. [6] Vel his potiùs contraria de illis sentiunt ac loqvuntur omnes. [7] Ut autem qvid de suis liberis post mortem suam fiat, qvi non ingeniô prorsus inhumanô est, solicitè cogitat, & in spe bona de his placidè acqviescit, sic necesse est unumqvemqve posteritatis de se honesti judicii spe delectari. [8] Nisi fortè hæc potissimùm ad cognatos & propinqvos pertinet consolatio, qvos certè gaudere æqvum est virtute suorum tantam celebritatem famæ toti generi partam esse. [9] Neqve amissione illorum magis dolere, qvàm hâc felicitate libenter frui, cùm suum sangvinem humanæ qvidem & mortalis originis, nihilominus immortali virtutis laude celebrari intelligant, & huic tales honores haberi, qvi omnium existimatione maximi sint & præclarissimi: Prædicationis fortium facinorum, sepulturæ publicæ, etiam funebrium ludorum, more veterum. [10] Qvibus jam secundùm persvasionem illorum, humanam hanc mortalem conditionem, cum immortalium cultu conferri vel etiam æqvari necesse est. [11] Ita Plato qvoqve hæc disseruit in Epitaphio, magis demonstratione ornamentorum & commodorum, qvæ de fortis viri interitu ad familiam ipsius, pervenirent, luctum propinqvorum reprimens, & qvid illos facere rectum sit docens, qvàm qvòd ista magnopere ad perfunctum jam qvasi munere vitæ suæ pertinere arbitretur. [12] Qvæ tamen qvi legibus ad istum modum constituta esse, & servari more scit, Is alacri animô etiam mortis periculum adit, non modò pro patria, sed hâc salvâ etiam pro vita beata suorum dimicans. [13] De Tyrtæo hoc etiam non fuit silentiô prætereundum, more legitimô ad tabernaculum Regis Spartanorum illius Elegias fuisse recitatas. [14] Sed hic jam commentationum istarum finis esto. Annô Christi Jesu, M.D.LI. Cal. Octob.

* i. e. *Mori autem quibus necesse, quidnam aliquis ignobile senium in tenebris sedens sequat frustra, omnium honestorum expers?*

VI.

JOACHIMI CAMERARII PABEPERGENSIS,

Enumeratio eorum, quæ in docendo seu institutione præcipuè seqvenda esse videantur, conversa è Græca ipsius in Latinam.

CAPUT I.

[1] Doctrina qvid esse dicitur, & qvot modis? [2] Doctrina qvidem est ignorantiæ solutio, & eorum, qvæ aliqvos fugiunt, repræsentatio, & occultorum explicatio. [3] Dividitur autem in traditiones alicujus proprias & suas, & alienorum scriptorum enarrationem, vel ut simpliciter dicamus: Simplex hæc est, tam propriarum qvàm alienarum præceptionum, subjectionumqve, & profundarum atqve sapientum cogitationum expositio, cum attentionis mora conveniente, & diligente studio, ut ea, qvæ commemorantur & leguntur, à discentibus percipi possint. [4] Sed qvinam discunt? [5] Neqve sapientes scilicet neqve inertes, secundùm fallacem in Euthydemo conclusionem, sed studiosi. [6] Qvi, si nomina rectè definiantur partim sapientes, partim inertes erunt atque appellabuntur, secundùm distinctionem rei subjectæ. [7] Similiter & discentes, discunt illi qvidem qvæ nec dum nôrunt, audientes verò recitari ab aliqvibus qvæ fortè jam cognoverunt, ea intelligunt. [8] Discere verò qvidnam perhibemus? [9] Id nimirum qvod in eodem Euthydemo dicitur. Scientiam adipisci ejus qvod discitur, nos tamen rectè adjecerimus, fallaciæ excludendæ gratiâ, ab iis qvi nondum sciunt, vel qvi priùs ignorârunt.

II. [1] Ad qvod genus orationum refertur, forma orationis doctrinæ? [2] Qvidam distingvi volunt Doctrinam ab enarratione., formâ remissæ & temperatæ elocutionis. [3] Et sentiunt hi scilicet esse Doctrinam, tractationum & disputationum & consultationum: [4] Enarrationem verò interpretationem scholasticam eorum, qvæ difficile est asseqvi, & explicationem & explanationem obscurorum, & disciplinarum elaborationem. [5] Nos autem formam enarrationum ad utrumqve genus accommodantes, qvid qvidem Enarratio sit, diximus, & judicialibus & svasoriis materiis, separatis Enarrationibus & doctrinâ, affirmamus hoc genus ad tertium orationum Rhetoricarum referendum esse,. qvod vocatur, Demonstrati-

ſtrativum, & comprehendit diſputationes & doctrinam &. Enarrationes & Epiſtolas, & ſi qvid his eſt ſimile.

III. [1] Qvalem eſſe præceptorem † convenit? [2] Primùm gnarum earum diſciplinarum qvæ profitetur ſe docturum eſſe. [3] Deinde naturæ diſcipulorum peritum. [4] Tertio gravem qvidem illum, ſed neutiqvàm tetricum, & non ſuperbum, idoneum tamen ad gubernandum. [5] Ceterùm ſtudium, diligentia, attentio. ſimplicitas morum, & liberalitas & affabilitas, & laborum patientia, & affectio bona erga operas ſcholaſticas, atqve crudelis non ſit neqve plagoſus, néve remiſſus nimiùm & indulgens, Et ne pervicax ſit, ac benignus potiùs, & ſi qvid eſt ejuſmodi præterea. [6] Id univerſum jam non partium locô propriè enumeraverit aliqvis in præſentia, ſed tanqvàm communis & generalis mȯdi qviddam conſideraverit.

IV. [1] Qvalem decet eſſe diſcipulum? [2] Primùm eum, cui carus ſit magiſter. * Deinde ſocietatis & æqvalium amantem. Tertiò non ſtupidum. Qvartò ſtudioſum. [3] Alia enim qvæ enumerari poſſunt, tanqvàm pertinentia ad probum diſcipulum generalia qvædam exiſtimari debent: Ut pietas erga Deum, religio, cura, alacritas, vigilantia, humanitas, manſvetudo: [4] Ne rixator, ut oſor ſit injuſticiæ, ut patiens, ut alienus à contentionibus, ut obnoxiè pareat, & his ſimilia alia.

V. [1] Qvale tempus diſciplinæ & qvi locus idoneus? [2] Omne qvidem, ut breviter dicam, tempus & locus qvivis ad diſcendum opportunus eſt: [3] Commoditatem habet autem inprimis tempus qvidem †† matutinum, ſecundùm verſus Heſiodi in Ἔργ. v. 576. ſ.

Namqve auroræ operis cujuſvis tertia pars eſt.
Aurora acceleratqve viam, acceleratqve opus omne.

[3] Locus autem qvi eſt magiſtro proximus, nempe is qvi à doctrina nomen

† Vide de hoc pluribus actum part. II. noſtrar. Methodor. p. 445. ſ. edit. Lugdunenſ. Batav. 1696.

* *Cui carus*] Memini diſcipulorum, Herculis in Linum, Anyti in Socratem, Angeli Conſtantinopolitani in Baſilium, Neronis in Senecam, Juliani in Pigmenium, ceterorumqve crudeles impiasqve in magiſtros manus, lego eas, nec terreor. Nec terrere hi inſtructorem debent. magis verò animare Magni Alexandri in Ariſtotelem, Catonis in Sarpedonem, Antonini in Frontonem, Proculum, Ruſticum, (qvos Roma Conſules vidit) Theodoſii in filiorum magiſtrum, Arcadii in Arſenium, cultus & veneratio; & tot omni retrò ætate millium, qvos diſcipulorum amor ſupra fortunam, in qva nati, ſuſtulit.

†† *Matutinum*] Rebus agendis qvibuſlibet matutinum tempus magis idoneum eſt, qvàm pomeridianum, ſive velis iter inire, eumdem apud Heſiodum, v. 577. 578; ſive aratrò jungere boves, v. 579. aut alia negotia expedire, v. 576. Obſervabat hoc Æneas, de qvo Virgilius, lib. VIII. Æn. v. 465.

Nec minus Æneas ſe matutinus agebat. Aurora Muſis grata & amica, omnibuſqve laboribus ac exercitiis adcommoda.

men habet, & ſchola, ſeu Palæſtra & Gymnaſium & Academia & Lyceum nominatur. [4] Rectè enim dicitur. Oves in caula optimè degere & curari. [5] De ætatibus verò, verum eſt, non oportere de numero annorum definire ætatem diſcipuli futuri, ſed ejus qvi inſtitui debeat ingeniô. [6] Qvare verò appellatus fuit diſciplinæ locus his, qvæ recenſuimus, ſingulatim nominibus? [7] Id igitur qvod à docendo ducitur, manifeſtum eſt.

[8] Schola

A meridie Venter occupatus menti facesſit negotium, ut in negotiis expediendis ſit tardior. Pædagogici Dialogum in Eraſmi Colloqviis, cui titulus, *Diluculum*, p. m. 618. memorent non tam ad phraſin qvàm præcepta, ut ediſcant & ſeqvantur. Non inconveniens erit hic addere utilem Joannis Fungeri monitionem, qvâ Symbolorum ſuorum librum concludit. *Aurora*, inqvit, p. m. 265. ſ. edition. Franckeranæ 1598. *Muſis amica: Ex trivio eſt illud fateor: at ſi qvid aliud, conveniens tibi*, ſtudioſa juventus. *Neqve enim veneranda ſcientia jacet in molli lecto. Paratur autem vigiliis, labore, curis. Non vult qvemqvam ſtertere in multam lucem. Ubi avium auditur garritus, & ſol ſuum jubar oſtendit terris, expergiſcendum. Aurea eſt illa hora. Tum maximè vegeti ſenſus, non prægravantur heſternis fumis. Mens libera cernit acutiùs. Qvid? Moleſtum iſtud tibi? Atqvi τὰ καλὰ δύσκολα.* Et nihil *planè*, qvod non asſidua meditatio facillimum reddat, *ait Vegetius, lib. I. c. XIX. Aetas prima ferendis laboribus eſt apta. Dum ergo anni, dum vires ſinunt improbus labor eſt exantlandus. Unde Tibullus, lib. I. El. VIII. v. 47.*

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere: non tardô labitur illa pede.

Non poteſt animus inertiæ deditus id aſſeqvi, qvod omnibus rebus humanis eſt majus. Sunt cetera illa puſilla & puerilia, bona dico, honores, cupiditates & pulchritudo: Sublime qviddam eſt ſapientia, qvippe radius divinæ lucis. Non contingit illa deſidioſis, pandiculantibus, aut qvi nervos diſtendunt. Hominem reqvirit gnavum, qvem labor nutrit, qvi non otiô marceſcit, qvi nihil æqvè ac muſas amat, qvi deniqve vel æſtivis diebus ſolem orientem ſalutat.

Ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν,
Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργου.

Uſqve philoſophus dicit, τὸ δ' ἀνίστασθαι νύκτωρ καὶ πρὸς ὑγίειαν καὶ οἰκονομίαν καὶ φιλοσοφίαν χρήσιμον. *Tum incluſus Muſeo non præacutô ſtylô configet muſcas inſtar Domitiani, verùm nervos intendet adoleſcens, ut collocet otium in bonis literis, ut addat aliqvid ſcientiæ cumulo. Abſit in rebus non neceſſariis, obſcuris, vanis, & inutilibus ut tempus conſumat ſuum, qvalis eſt Magia, ars Cabaliſtica*, ἱερογλυφία, ὑδρομαντεία, *& ſimiles aliæ* ματαιοτεχνίαι. *Dirigat ſtudia ad gloriam Dei, ad eccleſiæ & Reipubl. ſalutem, pietatemqve imprimis colat, qvâ ſurrogatâ in locum juſtitiæ, auſim Platonicum illud aſſerere:* πᾶσα ἐπιστήμη χωριζομένη τῆς δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία οὐ σοφία φαίνεται. *Memineris dicti Paullini, 1. Corinth. X. 31. Omnia ad gloriam Dei facite. Et qvod Chriſtus ait, Matth. VI. 33. Primùm qværite regnum Dei & juſtitiam ejus, & cetera adjicientur vobis. Non interturbet ſtudia multa agendo ſimul.* ὁ πολλὰ πράττων πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει. *Caveas ne velut* φυγὰς *vel* ἄπολις *varias ſcholas raptim percurras.* τὸ φυτὸν μεταφερόμενον συνεχῶς, *inqvit Euagrius*, καρπὸν οὐ ποιεῖ. *Præceptores ſuſpicias velut animorum parentes. Nam*

&

8 Schola *a* autem id est, ludus dicitur, qvoniam ab aliis rebus hic otium conceditur. 9 Palæstra verò & Gymnasium translatè, cùm jam animus exerceatur ad virtutem, qvemadmodùm olim corpora exercebantur nuda, cùm luctatione, tum aliis certaminibus. 10 Sed Academia *b* ac Lyceum, qvia propriè veterum sapientiâ ac studiô clarorum, inprimis Platonis & Aristotelis loca, qvæ ipsis docentibus freqventabantur & ubi versari solebant, his nominibus appellabuntur.

VI. 1 Qvæ est caussa doctrinæ? 2 Finis hic qværitur, aliarum autem caussarum exqvisitio nunc necessaria non est. 3 Finis igitur est, præparari aliqvos celebri scientiâ & loqventes, ut in rerum divinarum & humanarum curationibus diligentiæ operam navare possint tàm sibi ac suis qvàm extraneis, publicè ac privatim, & barbariæ labes ut exterminetur, & ad virtutem à prima pueritia vita instituatur.

VII. 1 Qvalis res qvædam existimari debet doctrina? 2 Qvæ & Deo grata

& Alexander Magnus veneratione summâ proseqvebatur Aristotelem, dicens illi non minus se qvàm patri debere, qvòd à patre vivendi, à præceptore bene vivendi initium accepisset. Hæc autem qvicumqve legerit adolescens, dum eum sui officii moneo in universum & duco velut χειραγωγίᾳ qvâdam, obnixè illud contendo, ne turpi inertiâ τούτους τοὺς λόγους καταπτυδαίη.

a Schola] Scholam vulgatissimô significatu ludum designare litterarium, ne qvidem nostros pueros latet. Sive verò à σχολάζω, id est, *vaco*: qvasi, amandatis omnibus aliis, vacare tantùm studiis litterariis, qvi ea loca freqventant, debeant; sive, qvod innuit Ausonius, Edyll. IV. v. 7. ἀπὸ τῆς σχολῆς, à vacatione, & laxamento, qvod interdum adolescentibus dandum:

——— *Grajô schola nomine dicta:*
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

laxiùs, qvilibet locus, in qvo commodum sit post labores σχολάζειν, id est, qviescere, idem nomen habere potest, vel σχολαστήριον dici, qvod est apud Athenæum, lib. V. describentem Neronis celeberrimam navem. Atqve ita ferè Vitruvius, lib. V. c. X. Architectus in balneis *scholam* ponit, non sanè Litterariam; sed sic vocat partem labri, seu alvei, in qva, qvi tardiùs accedunt, præstolentur otiosè, donec priores lotionem expediverint. Apud Plinium, lib. XXXVI. c. V. pro *porticu* accipitur: porticularum ergò locum, *scholam* vocare posses, qvalis, qvi ἐξέδριον apud Plutarchum, in Pompeio fol. 1182. edit. Steph. & 1169. 1170. Athenæum, lib. X. fol. 174. ed. Aldi. Eustathium, in Iliad. fol. 1205. Proprium illud est Ciceronis, ut *scholas* pro disputationibus in ludo haberi solitis usurpet; Tusculan. I. c. IV. Lege omnino Philandrum in adductum Victruvii locum. Dalechampium in Plin. lib. XXXV. c. X. circa finem, & lib. XXXVI. c. V. Ludov. Cœl. Rhodigin. lib. XXX. Lectionum Antiqvar. c. XX. p. m. 1168. Vales. ad Ammian. Marcellin. lib. XIV. c. VII. p. m. 38. a. Jacobum Pontan. Jesuitam. I. Progymnasm. Latinitat. IV. p. m. 10. s.

b Academia] De prima Academia, villa Platonis egit eruditè peculiari in Disputatione Cl. Dn. M. Joh. Petrus Ludovicus, Svev. Halensis Poëta Laureat. Halæ habita ac edita CIↃ IↃC VIIC. in 4to.

grata sit, & vitæ humanæ necessaria, 3 Decus civitatum, & conservatio hominum in terris: 4 Tota honesta &. bona commoda.

VIII. 1 Qvæ est materia, & qvæ sunt qvasi instrumenta c doctrinæ? 2 Libri & vox. 3 Adesse autem & calamos oportet & chartam & atramentum & d ensiculum. 4 Ante omnia autem studium & industriam, ut absit negligentia & vecordia. 5 Qvemadmodùm ferunt ambiguâ oratione significâsse Isocratem, cùm subjiceret interroganti qvâ re opus esset ituro in ludum, responsum, ut accepimus, qvô significatur stilô & libellô, opus esse, sed additur novô, idqve nomen Græcum disjunctum notat etiam cor & intelligentiam. 6 Ex libris itaqve eligantur optimi & maximè utiles. 7 Vocem autem eam esse oportet, qvæ & exaudiatur facilè & sit clara tàm magistro qvàm discipulo. 8 Calamus verò, seu ut nos utimur, penna, spissa non sit sed fissilis. 9 Charta levis & candida & pressa. 10 Atramentum temperatum & fluidum qvidem, non tamen evanescens. 11 Tale erit maximè Eobanicum secundùm nostram descriptionem. 12 Ensiculus tenuis & acutus & ad subigendum idoneus. 13 Usus tamen erit & vulgarium omnium horum, si non suppetant qvalia maximè aliqvis vellet, secundùm proverbium, qvô monemur, ut salsamenta boni consulamus si deficiamur carnibus. 14 Qvod ad studium, industriam, & cor attinet, omnia præclarè esse præparata debent, ut & prompta voluntas & ingenium assit.

IX. 1 Qvis est doctrinæ seu institutionis modus, & qvæ ratio? 2 Unus est modus præceptionum & traditionum & enarrationum. 3 Alter interrogationum cùm magister retroducit discipulos & percontatur de iis, qvæ audiêrint, & jubet recitare ipsos ea, qvæ sunt dicta. 4 Expediet uti magistrum etiam illâ, qvam vocant progressionem, ut sub aspectum ponat contemplatione suâ, ea qvæ mox docendo tractaturus sit. 5 Nec non transitione, revocantem e in memoriam auditori ea, qvæ sunt explicata, & præparantem ad cognitionem seqventium.

X. 1 Qvàm multa sunt qvibus hæc comprehenduntur? 2 Duo ferè qvibus & artificium includitur, 3 Exqvisitio eorum qvæ ad vocabula, & qvæ ad sententiam pertinent.

XI. 1 Qvomodo considerantur vocabula? 2 Variè illa qvidem, sed præcipuè duobus modis. 3 Cognoscitur enim potissimùm in vocabulis, Natura

c *Instrumenta doctrinæ*] De armis scholasticis sive instrumentis scholam petentibus in dies singulos, ut aliis cujusvis generis artificibus, necessariis, illorumqve adpellationibus videndus Jacobus Pontanus Jesuita. I. Progymnasmat. Latinitat. XXIII. p. m. 52. s.

d *Ensiculum*] i. e. scalprum librarium, ut Sveton. vocat in Vitell. c. II. sive scalpellum, qvomodo Celsus in VII. nominat c. VII. *Ensiculum* verò apud Romanos me legisse non succedit memoriæ. Faber cum accessionibus Buchneri & Cellarii, & ex eo Andr. Reyherus in Lexico citant hæc Camerarii nostri verba ad Vocem hanc *Ensiculus*, nullô aliô additô testimoniô.

e Forte *revocante* & *præparante*.

Natura horum simplex & propria, itemqve translata & figurata. [4] Estqve hæc scientia communis sententiæ & orationis. [5] In vocabulis autem spectatur peculiariter, utrum absoluta, id est, sola sint, an conjuncta, qvæ jam est oratio. [6] Nam orationis, in qva est constructio verborum, pars est significans aliqvid, vocabulum. [7] Sed oratio, secundùm Aristotelem, vox est composita, significans, cujus etiam partes significant aliqvid.

XII. [1] Qvomodo explorantur vocabula sola? [2] An Latina sint, an usitata probatis autoribus, an flexus suos habeant. [3] Qvæ qvibus rebus congruant. [4] Solutæ ne orationis an poëticæ *f* propria. [5] Ad flexus qvod attinet, id spectare solemus in recta voce & prima, itemqve in casibus. [6] Casus autem finem mutant qvibus & significatio variatur, tàm habitu seu figurâ, qvàm numerò & personis & genere & modis & affectionibus, & ut semel dicam: Rectâ ac æqvabili formâ, & eâ qvæ obliqva ac supina dicitur, in omnibus vocabulis, qvæ non sunt expertia flexus in perficiendâ orationis structura.

XIII. [1] Qvæ est laudabilis constructio? [2] Ea qvæ maximè congrua vocabulis, & non vitiosa est. [3] Nam in verbis rusticitas & peregrinitas, nominatur barbaries *g* & barbarismus, Sed oratio depravata, Solœcismus:

[4] Sive

f Poëticæ propria] Vide omninò Erasmum, lib. I. Copiæ Verborum, c. XI. p. m. 48. edit. Coloniens. M D LXVI. in 8t. Vossium in Partitionib. Orator. lib. IV. c. I. §. 54. p. m. 201. edit. Amstelædam. CIↃ IↃC LXXXV. in 8t. & lib. IV. Institution. Oratoriar. c. I. §. VI. p. 10. Disertiss. Buchnerum, lib. I. de Commutata Ratione dicendi, c. IX. Sect. II. § 2. p. m. 163. s. edit. Lipsiens. CIↃ IↃC LXXX. in 12. Frischlin. Orat. de Exerc. Orat. & Poet. p. 330. De Poëticis in universum egit Hegesianax Alexandrinus, ut Athenæus ait.

g Barbaries] Vide qvæ dixi part. II. Methodor. nostrar. p. 10. Addeqve Erasmum in I. de Copia Verbor. c. XI. p. m. 46. s. ubi de Sordidis, Inusitatis & id genus aliis vocabulis agit. Goclenium in Analectis, Buchlerum in Elegantiis; Andr. Schottum in QQ. Tullianis, libr. III. p. m. 216. s. Adamum Siberum in Rhetoric. & in Commentar. in Partition. Orator. Ciceron. Beeman. in Manuduct. ad Lingvam Latin. c. XIII. p. m. 94. s. edit. Francof. M DC LXXII. in 8t. Nicodemum Frischlin. in erudita Oratione de Exercitationib. Oratoriis & Poëtic. p. m. 346. At qvòd Joh. Starckius in Institutione Philologica & Rhetorica de Stilo, c. IV. Sect. I. p. m. 47. Erasmi adducit librum de Farrag. Sordid. Verbor. eò clarè probat, ipsum librum istum aut non habuisse, aut non inspexisse. Neqve enim Erasmus, sed Cornel. Crocus Farraginem Sordidorum comportavit, licèt *non sine errore*, qvod non ab re putat Christianus Becmanus Bornensis in Manuductione ad Lingvam Latin. c. XIII. p. m. 94. extr. *Multa enim*, inqvit, *insulsè explicuit, nec pauca in sordidorum ordinem redegit, qvæ bonis auctoribus cognitissima*. Joh. Vorstius in de Latinitate meritò suspecta, c. VI. prin. p. m. 56. postqvàm memoraverat, Cornelium Crocum *& ipsum de vitiis Latini sermonis scripsisse*, culpat eum, qvòd in Epistola, qvæ qvadragesima septima est Centuriæ primæ earum, qvas Cl. Gab-

a Sive à Solis *b* Cypriacis deductô nomine, seu aliunde factô, in qva qvidem

Gabbema conlegit, *preces legere habeo*, usurpet pro *preces legere me oportet*, vel *preces legendæ mihi sunt*. Addita est Farrago ista Sordidorum verborum sive Augiæ stabulum repurgatum per Cornel. Crocum Paraphrasi, seu potiùs Epitomæ, inscriptæ Desiderio Erasmo Roterodamo, luculentæ juxta ac brevi in elegantiarum libros Laurentii Vallæ, inde fortè factum, qvòd Titulô libri non satis rectè inspectô & hanc Adpendicem Erasmo tribuerit. Habeo eam Antverpiæ editam optimè annô 1566. in 8t. Nihil mirum verò in eo erravisse Starckium: cùm ipsum & Joannem Schefferum dictus fugerit Crocus. *De verbis sordidis*, inqvit in de Stylo, c. XII. p. 156. *scripsit Publius Lavinius, ut ex Gellio intelligimus, lib. XX. c. X.* (mihi c. XI. princip.) *& ex recentioribus Cornelius Crocus Amsterodamensis, memorante Gesnerô in Bibliotheca. quamqvàm, utrum de his, qvæ hoc in loco sordida vocamus, scripserit, non satis nobis constet, qui autorem eum hactenus non vidimus.* Præclarè de eo judicat Hadrian. Junius in Bataviæ Histor. c. XVI. p. m. 398. edit. Dordrecht. M DC LII. in 12. *Protulit Amstelrodamum Cornelium Crocum magnâ eruditi ingenii laude florentem, qvi, purissimam linguæ Romanæ elocutionem sectatus, omne Terentii myrothecium, Ciceronisqve arculas consumere adnixus est, editis in lucem libellis aliqvot, pueritiæ accommodis: sed tetricitas, ex atra bile aucta, quiddam Bellerophontæum homini afflans, adhuc juvenem extinxit.* At Valerius Andreas Dessellus JCtus in p. m. 147. Bibliothecæ Belgicæ, ubi non solùm Croci Limam Barbariei, sive Farraginem sordidorum verborum Coloniæ apud Gymnicum, 1520. in 8t. vulgatam, verùm & partem epistolæ à Joh. Vorstio antè paullò memoratæ adduxit, *Senem Romæ institutum Clericorum Societatis Jesu sub B. Ignatio amplexum, apud eos ibidem piè in Domino conqvievisse, annô* M IↃ L. memoriæ prodidit. Discrimen inter Solœcismum & Barbarismum, hoc est: Barbarismus *dictionem*, Solœcismus *orationem* vitiat: ille *unam vocem*, hic *plures* corrumpit. Unde Flav. Sosipater Charisius, in IV. Institutionum Grammaticar. col. 237. 238. edit. Heliæ Putschii Hanoviens. M DC V. in 4to. *Barbarismus*, inqvit, est *una* pars orationis corrupta: Solœcismus *oratio* incohseqvens. Auctor ad Herenn. lib. IV. c. XII. *Vitia in sermone, qvô minùs is Latinus sit, duo possunt esse: Solœcismus, & Barbarismus. Solœcismus est, cùm verbis pluribus conseqvens verbum superiori non accommodatur. Barbarismus est, cùm verbis aliqvod vitiosè effertur.* Qvæ verba probat & fusiùs explicat in Comment. Mich. Toxita Rhætus, p. 415. Hæc differentia etiam Græcis placuit. Eustathius: ὁ μὲν βαρβαρισμὸς, ἁμαρτία ἐςὶ προσφορᾶς περὶ λέξεις ἢ τόνους γινομένη. ὁ δὲ σολοικισμὸς, περὶ σύνταξιν ἐστίας, ὅλον λόγον αἰνίζων, id est, *Barbarismus* est vitium pronunciationis, qvod fit circa *dictiones* aut *tonos*: *Solœcismus* verò est in *constructione* sententiæ integram orationem fœdans. Et Suidas, *Barbarismus* est λέξις, id est, *dictio* è vitiis contra consvetudinem celebrium Græcorum. Solœcismus est λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος id est, *oratio* inconcinnè composita. v. g. *Ego deambulans corruit murus.* Hoc Græcorum & Latinorum discrimen nonnulli pensi non habent, confundentes *Barbarismum* & *Solœcismum*. Johannes Starckius Lunæburgens. Scholæ Hamburgensis olim Prorector, Institut. Philolog. & Rhetoricâ de Stilo, c. IV. Sect. I. p. 46. f. edit. Ham-

qvidem omnino ſignificatione ineſt, labefactatio integræ orationis. 5 Eſt & alia conſideratio ſtructuræ, qvæ attendit, qvid deceat in oratione & ornatum atqve pulcritudinem habeat, & qvæ diſtingvit orationis effigiem ſecundùm ſubjectam materiam, & formas, & ſpeciem duræ ac elegantis dictionis, huicqve contrariæ. 6 Itemqve ſecundùm circumductiones ac numeros, & vagum genus ac ſolutum, atqve hæc propriè compoſitio vocatur. 7 Harum autem orationum una Latinitatis, altera eloqventiæ laudem habebit. 8 De qvibus qvæ ad rem pertinent, ea paucis & brevi diviſione enumerari neqveunt, neqve hoc facere in præſentia nobis conſilium eſt. 9 Qvare jam hujus tractationis, qvam in manibus habemus, perſeqvamur reliqva.

XIV.

Hamburgenſ. CIↃ IↃC XXI. in 8t. exiſtimat *Solæciſmum eſſe pravam vocum Latinarum uſurpationem & inflexionem, eamqve fieri ſecundùm omnes partes Grammaticas; idqve 1. quando vocabula non rectè ſcribuntur, ut:* Muſæum *pro* Muſeum. 2. *Qvando vox non rectè pronunciatur,* ut: Compétitor *pro* Competítor. Regimen *pro* Régimen. 3. *Qvando vox non rectè inflectitur,* ut: Paragraphus *Gen. Maſculin.* pro Feminin. Sal, gen. Neut. pro Maſc. Corbis gen. Maſc. pro Fem. Sed hæc omnia propria ſunt *Barbariſmi.* Imò, ſi qvis dixerit, nullum metuendum eſſe ſive Barbariſmum ſive Solœciſmum, ut Starckius putat; ſicubi *Sal* Neutro genere fuerit uſurpatum, à vero nihil alienum affirmaverit. Auſonius, non Eidyl. XVII. ut Voſſius I. Analog. c. XXIV. p. m. 475. adducit, ſed in Technopægnio de Cibis, v. 2. *Irritamentum quibus additur æquoreum Sal.* Eſſe tamen *æquoreus* in Tilii libro teſtatur Vinetus. Columell. lib. XII. c. LIII. *Deinde in ſeriam ſubſternitur* Sal coctum, *ſed modicè (ut ſuprà diximus)* infractum *deinde offulæ carnis ſpiſsè componuntur, & alternis ſal ingeritur.* Confer Emmanuelem Alvarum Jeſuitam, lib. II. de Inſtitutione Grammatica. p. m. 438. edit. Colonienſ. CIↃ IↃ XCVI. in 4to.

h Sive à Solis] Solœciſmo à Solone ſapientiſſimo primùm hâc occaſione nomen inditum eſt, ut Diogenes Laërtius refert in vita Solonis: etenim lib. I. de Vitis Philoſophorum c. LI. ſcribit Laërtius, Solonem à Crœſo in Ciliciam profectum, urbem ibi condidiſſe & à ſuo nomine *Solos* appellâſſe, in qvam paucos Athenienſes tranſtulit, qvi progreſſu temporis τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες h. e. patrium ſermonem corrumpentes, dicti fuerint σολοικίζειν, q. d. ipsô ſonô & voce ſeſe prodere, *Solis* habitâſſe, ibiqve concinnum & Atticum loqvendi genus Solœcenſi & barbarô permutâſſe. Valeat ergo iſta notatio vocis, eamqve ſibimet habeat Euſtathius, qvâ *Solæciſmus* dicitur ὁ τοῦ σώου λόγου αἰκισμὸς id eſt, integræ orationis corruptio, qvippe qvæ ex plurium vocum centone conſuta & conflata, tanqvàm incommoda, longéqve petita, meritò exploditur. Vide Samuel. Bochart. I. Chanaan, c. VII. extr. p. 406. A. & Aldobrandinum in notis ad Laërtii locum, cujus verba addo, qvoniam inluſtrant noſtri Camerarii verba *Sòlis Cypriacis*, qvibus *Solos* non in Cilicia, ut Laërtius, ſed in Cypro, ut Plutarchus, ponit. *Hôc locô*, inqvit laudatus Aldobrandinus, *à Laërtio Plutarchus diſſentit. hanc enim urbem non in Cilicia, ſed in Cypro fuiſſe; neqve à Solone conditam, ac de ſuo nomine ab eo appellatam tradit: ſed Solonem in Cyprum veniſſe, & à Philocypro quodam ibi regnante honorificen-*

XIV. [1] Proprium & figuratum qvomodo animadvertitur? [2] Proprium qvidem secundùm primam designationem & communem usum. [3] Sed figuratum in metaplasmis & mutationibus. [4] Tropi & schemata appellantur, tàm dictionis, qvàm sententiæ. [5] De his verò copiosè disputare si qvis velit, is propriam tractationem instituat, oportet. [6] Et nos, Deô volente † dabimus operam, ut aliàs exqviramus diligentiùs, cùm nemo, qvod sciamus, adhuc illa perspicuè & perfectè exposuerit.

XV. [1] Qvæ est sententiæ consideratio? [2] Varia. Nam & qvid vocabulis demonstretur, & qvid animô comprehendatur, explanandum est. [3] Si qvod enthymema, si qva sententia generalis, si qva narratio fabulæ aut poëtica aut historica. [4] Si qvid ex eo genere qvod ab usu nomen Græcum habet? Si qvid ad mores aut naturam pertinet. [6] Si qvid ambiguum. Si qvid novum & singulare. [7] Si qvid venustum ac svave, aut contra rusticum & asperum. [8] Si qvid multiplicem habet utilitatem. [9] Si qvid peculiari modô factum. [10] Si qvid densum & prudens: & contra, si qvid dissentaneum & tumidum. [11] Verum autem & falsum inprimis ac potissimum intuebimur. [12] Verum qvidem amplectentes & commendantes, sed falsum repellentes & excutientes non secus atqve bestias venenatas, si qvæ adhærescere fortè conentur membro alicui. [13] Non enim majus periculum fuerit, viperam in sinu gestare, qvàm mendacium qvasi in lustrum cordis, ubi incubet, recipere.

XVI. [1] Qvô pactô interrogationes sunt instituendæ? [2] Simpliciter qvidem interrogabitur auditor, an intellexerit id qvod dictum fuit? [3] Sed partiri hæc in tria licebit. Primùm an vocabulum cognoverit? Secundò an perspexerit structuram orationis? [5] Tertiò an significationem & sententiam assecutus sit? [6] Est autem interrogatio in docendo maximè necessaria, siqvidem magister scire debet, nunqvid profecerit discipulus, & qvô ingeniô qvâqve cupiditate sit ad discendum. [7] Nam qvidam ejusmodi

rificentissimè acceptum ait, qvi cùm parvam civitatem locô munitô, & incultô positam obtineret, Solonis admonitu amœniorem locum nactus, eò civitatem transtulit, à Solone optimè, & ad disciplinam, & ad securitatem, institutam, qvam ob rem cùm ei gratiam referre vellet, urbem antea Epenam appellatam, ab eo Solos nuncupavit. Plinius tamen, lib. V. c. XXVII. videtur Laërtii opinionem magis confirmare. cujus verba sunt. Solæ Ciliciæ, nunc Pompejopolis. Hæc Aldobrandin. In mea Hackiana Lugduni & Roterodami publicata 1669. Plinii editione in 8tav. p. 287. est *Solæ Cilicii.* Vide & Plin. lib. V. c. XXXI. ubi pro *Solæ* Pinetus *Solus* legit. Adde Gvillielm. Baillium Jesuitam, in libello de Accentib. Græcor. p. m. 786. edit. Lugdun. MDCXIV. in 8t.

† Ubi id præstiterit nescio, nam præter ejus Notationem figurarum Orationis & mutatæ simplicis elocutionis in Apostolicis scriptis ad perspiciendam de intellecto sermone sententiam auctorum aliqvoties editam, qvam & habeo, nihil mihi tale qvid innotuit Camerarii. Est & ad manus rara ejusdem Camerarii & valde utilis de qvinqve Grammaticis singularum dictionum adfectionibus præceptio, Lipsiæ edita 1607. in 8t.

di ſunt, ut non ſtatim appareat, qvod aut neqveant diſcere aut nolint. [8] Explorationes autem bonitatis naturæ, ſecundùm Xenophonteum Socratem, ſunt tres præcipuæ, ſagacitatis, memoriæ, & tertia ſtudii. [9] Nam Socrates, ut ait Xenophon, conjecturam facere ſolebat de bonis ingeniis, ex celeritate diſcendi ea, qvibus animum attenderent, & ſi meminiſſent percepta, &, ſi cupidi eſſent honeſtæ & utilis doctrinæ.

XVII. [1] Ad interrogationes referetur & lectio & recitatio memoriter. [2] Lectio qvidem maximè indicat profectum, fieri enim certè neqvit ut ineruditus & ſtolidus præclarè legat ſcripta eloqventum & ſapientum. [3] Qvemadmodùm igitur legendi conatus, primum qvoddam diſcentium in ludis exercitium: Ita idem ſpecimen eſt inſtitutionis. [4] Qvapropter qvi inter magiſtros ſunt diligentiores, plurimum laboris hac in parte impendunt, & propoſita ad enarrandum prælegendo, magno cum ſtudio & attentione ſingulari percurrunt. [5] Hinc & enarrationi etiam nomen inditum, ut lectio vocetur, qvæ eſt communis docentibus & diſcentibus. [6] In *lectione* * ut omni reprehenſione & vituperatione careat, ſervanda ſunt hæc. [7] Primùm ſit lectio perfecta, ut tanqvàm depoſitum veræ ſcripturæ illa reddat. [8] Secundò plana, cui contraria eſt diſſoluta & perverſa, & rurſum confuſa & indiſtincta. [9] Tertiò liqvida, ut vox penitùs exaudiatur, & neqve in tenuitate evaneſcat, neqve reſecando aliqvid excidere patiatur eorum, qvæ ſunt repræſentanda. [10] Qvartò morata, in reſpectu & cogitatione eorum, qvæ leguntur, & accommodatione geſtuum vocis ad res ſubjectas, ſicut unaqvæqve harum exigit, ſive attollenda ſeu deprimenda ſeu flectenda fuerit aliqvô modô, ut hujus ſonus prorſus concinat cum ſententia eorum, qvæ commemorantur.

XVIII. [1] Jam memoriter pronunciare dictata doctrinæ, maximè utile eſt ſtudium in pueris. [2] Debent autem à tota doctrina, ſic ab iis qvoqve qvæ memoriæ mandari volumus, maximè abeſſe futilia, & ſi qva nihil artis, aut artis inanem ſimilitudinem habent. [3] Minimè verò implicentur doctrinæ ea, in qvibus eſt artis ſpecies mala & pernicioſa. [4] Itemqve opiniones mirabiles & qvæcunqve communi intelligentiæ adverſantur. [5] Maxima enim oſtentatores ſapientiæ in animis hominum procreant detrimenta. Si auſint commovere aliqvid in rebus qvidem humanis, qvod à

* *Lectione*] Vide qvæ dixi part. II. Methodor. noſtrar. p. 226. addeqve Qvinctiliani locum è lib. XI. c. III. *Nec volubilitate nimiâ confundenda, qva dicimus, quin & diſtinctio perit & adfectus; & nonnunqvàm etiam verba aliqua ſui parte fraudantur.* Ita enim ibi legendum, oſtendit Cl. Salmaſius in Tertullian. de Pallio, p. m. 157. f. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃCLVI. in 8o.

à communi noticia abhorreat, in divinis verò, qvod contrarium sit veritati divinitus traditæ. [6] Qvapropter bonus magister in primis repudiabit ea, qvæ sensum habent contrarium vel religionis concordiæ & confessioni, vel communi noticiæ & judicio, tàm piorum qvàm gravium virorum. [7] Et insuper qvidqvid aliqvid turpe verbis manifestè repræsentat, qvæ non secus qvàm gladius anceps animos sauciant. [8] Cujusmodi sunt scurrilitatis & levitatis & nefariæ obscœnitatis non dicenda dicta. [9] Sint itaqve ea qvæ apud memoriam deponentur, pia, honesta, utilia, admonitionem aliqvam aut correctionem aut præceptum, aut subjectionem bonam complectentia [10] Non fuerit autem alienum magistrum exigere recitationem qvoqve enarrationis suæ.

XIX. [1] Jam scribendi studium, statim ab initio tale volet esse magister, ut & figuræ litterarum expressæ, & syllabæ absolutæ sint. [2] Non enim alienum esse existimandum est, qvamvis à non paucis qvi præstare aliis cupiunt, negligatur, operam dare ut scriptura sit accurata & plana & facilis, sive suæ cujusqve cogitationes describendæ, seu aliorum doctrina & oratio hâc custodiâ indigere videatur. [3] Verùm qvoniam propositâ enumeratione observandorum in docendo, generali, sensim qvodammodò, ad puerilem institutionem & eam, qvæ propriè sermonis est, delapsos nos esse vix sensimus, cùm qvidem omnis doctrinæ & omnium disciplinarum hoc sit initium atqve fundamentum, jam nunc qvoqve de oratione paucis commemoratis. & hujus præscripta distinctione, ita, qvasi colophone impositô huic tractationi, eà parte qvæ facultatem scribendi continet, commentationem hanc nostram finiemus.

XX. [1] Enumerationem partium seu formarum orationis, ajunt appellàsse Protagoram, fundos seu radices, & qvatuor distinxisse nominibus, Voti, Interrogationis, Responsionis, Mandati. [2] Alii qvidam partiti sunt orationem in septem formas has: Narrationem, Interrogationem, Responsionem, Mandatum, Denunciationem, Votum, Vocationem. [3] Alcidamantem perhibent fecisse formas qvatuor: Affirmationem, Negationem, Interrogationem, Appellationem. [4] Sunt, qvi exqvisitè prorsus hæc tradere conati, diviserunt orationem in figuras triginta novem.

1. QVIS ILLE QVI LOQVITUR.

Ad qvem tum Juno supplex his vocibus usa est. Virgil. lib. I. Æn. v. 68.

2. QVI CUM ALIQVIS LOQVITUR.

Parce metu Cytherea manent immota tuorum
Fata tibi.—— Idem ibid. v. 261.

3. PERCONTATIO.

Sed vos qvi tandem, qvibus aut venistis ab oris,
Qvóqve tenetis iter? ——Id. ib. v. 373.

4. RESPONSIO.

Nulla tuarum audita mihi, neqve visa sororum. V. 330.

5. ABLE-

5. ABLEGATIO.

Vade age nate, voca Zephyros & labere pennis. Virgil. IV. Æn. v. 223.

6. MANDATUM.

Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris. Idem, II. Æn. v. 712.

7. NUNCIUM.

Turne in te suprema salus, miserere tuorumq;
Fulminat Æneas armis. ——Idem, XII. Æn. v. 653.

8. NARRATIO.

Urbs antiqva fuit Tyrij tenuêre coloni,
Carthago. ——Idem, I. Æn. v. 16.

9. CONCIO.

Ante eqvidem summa de re statuisse Latini
Et vellem & fuerat melius.——Idem, XI. Æn. v. 302.

10. GENERIS ENARRATIO.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & autor
Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus. Idem, VIII. Æn. v. 134.

11. LOCI INDICIUM.

Est urbe egressis tumulus templumqve vetustum
Desertæ Cereris. ——Idem, II. Æn. v. 713.

12. ACTIO.

——*Hæret pede pes, densusqve viro vir.* Idem, X. Æn. v. 361.

13. LAUDATIO.

Filius huic juxta Lausus, quô pulcrior alter
Non fuit, exceptô Laurentis corpore Turni. Idem, VII. Æn. v. 649.

14. VITUPERATIO.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divûm Mezentius. —— v. 647.

15. TEMPUS.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas. Idem, I. Æn. v. 269.

16. EPIPHONEMA, qvæ est sententiosa conclusio.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. v. 37.

17. INDICIUM.

Hic vir hic est, tibi qvem promitti sæpius audis. Idem, VI. Æn. v. 791.

18. VOCATIO.

Huc ades, ô Melibœe.——Idem, Ecl. VII. 9.

19. ACCUSATIO.

Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem,
His germana malis oneras atqve objicis hosti. Idem, IV. Æn. v. 548.

20. RECUSATIO.

De grege non ausim qvicqvam deponere tecum. Idem, Ecl. III. v. 32.

21. APPELLATIO SEU COMPELLATIO.

——*Heus, inqvit, juvenes monstrate mearum*
Vidistis si qvam hic errantem fortè sororum. Idem, I. Æn. v. 325.

22. NEGATIO.

Abnegat, inceptoque & sedibus haret in iisdem. Idem, II. Æn. v. 654.

23. ASSENSIO.

Rem nulli obscuram, nostra nec vocis egentem,
Consulis ô bone Rex. — Idem, XI. Æn. v. 343.

24. *ADMONITIO.

Ne, pueri, ne tanta animis assvescite bella,
Neu patria validas in viscera vertite dextras, Idem, VI. Æn. v. 832.

25. VOTUM.

O mihi præteritos referat si Jupiter annos. Idem, VIII. Æn. v. 560.

26. DEPRECATIO.

— *Qvod dii prius omen in ipsum*
Convertant. — Idem, II. Æn. v. 190.

27. PRECES.

Per patrios manes, per spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves, natosqve patriqve. Idem, X. Æn. v. 524.

28. INSULTATIO.

Istic nunc metuende jace. — v. 557.

29. COMMISERATIO, qvi est affectus vehementior.

Qvid primum deserta qverar? comitémne sororem
Sprevisti moriens? Idem, IV. Æn. v. 677.

30. DEPLORATIO.

Heu genitorem omnis curæ casusqve levamen,
Amitto Anchisen. — Idem, III. Æn. v. 709.

31. INTERMINATIO.

Qvas pœnas mihi Turne dabis, qvàm multa sub undas
Scuta virûm, galeasqve & fortia corpora volves
Tibri pater? — Idem, VIII. Æn. v. 538.

32. DENUNCIATIO.

Dicite Dardanidæ, (neqve enim nescimus & urbem
Et genus, auditiqve advertitis æqvore cursus,)
Qvid petitis? — Idem, VII. Æn. v. 195.

33. SENTENTIA GENERALIS.

Stat sua cuiqve dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. — Idem, X. Æn. v. 467.

34. IMPERIUM.

Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait: & rutilos eqvites Messapus in armis. Idem, XI. Æn. v. 463.

35. CONVICIUM.

O vera Phrygiæ, neqve enim Phryges. — Idem, IX. Æn. v. 617.

36. EXPROBRATIO.

*Hic *alienus oves custos bis mulget in hora.* Idem, Ecl. III. v. 5.

37. JUS-

37. JUSJURANDUM.

Per caput hoc juro, per qvod pater ante solebat. Idem, IX. Æn. v. 300.

38. PRÆDICTIO.

Bellum ingens geret Italia, populosqve feroces
Contundet. ——— Idem, I. Æn. v. 267.

39. INTERDICTIO.

Te super aetherias errare licentiùs oras,
Haud pater ipse velit summi regnator Olympi. Idem, VII. Æn. v. 557.

5 Secundùm hanc in simplice oratione, figurarum per diversas formas exqvisitionem, etiam alia simili modô enumerare liceat, si qvis divisiones generales qvasi asses comminuere velit, qvalis fuerit,

40. EXULTATIO ET MAGNILOQVENTIA.

Turnus ego haud ulli veterum virtute secundus. Virgil. XI. Æn. v. 441.

41. ET CONTEMTUS.

Bis capti Troës, (Phryges) Idem, IX. Æn. v. 599. & 635.

42. ET INVOCATIO.

Musa mihi caussas memora. ——— Idem, I. Æn. v. 12.

43. ET HORRIBILIS ORATIO.

Ecce autem gemini à Tenedo tranqvilla per alta,
(Horresco referens) immensis orbibus angves
Incumbunt pelago. ——— Idem, II. Æn. v. 203.

44. ET EXPRESSIO.

Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt. Idem, IV. Georg. v. 174.

45. ET BLANDIMENTUM.

O! qvàm te memorem virgo! namqve haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ô! dea, certè! Idem, I. Æn. v. 331.

46. ET REPULSIO.

Maturate fugam. ——— Idem, I. Æn. v. 141.

47. ET PRÆDICATIO DE SEIPSO.

Qvalis eram, cùm primam aciem Preneste sub ipsa
Stravi, scutorumqve incendi victor acervos. Idem, VIII. Æn. v. 561.

6 Et qvæ alia qvoqve posset adjungere notando is, qvi communis sermonis qvasi formas distingvere vellet, ut Consolationem, Prosecutionem discedentis, Increpationem, & cetera. 7 Nam qvæ propriè figuræ dicuntur, eæ nunc inculcandæ non sunt. 8 Restat igitur, ut promissa de facultate scribendi, nunc præstemus.

XXI. 1 Totius studii nostri qvasi corona, qvâ ædificium concluditur, est facultas scribendi. 2 Qvam, si qvis se consecutum esse putat ipsam qvoqve, is absolvisse opus existimatur, neqve ampliùs, jam discipuli locô habetur, sed magistri autoritatem adipiscitur. 3 Necesse enim est eum, qvi didicit luculentum scriptum componere, jam etiam eum esse, qvi copiosâ & eleganti oratione uti possit, qviqve habeat præparatas, præclaras & directas cogitationes ad usum elocutionis. 4 Qvalis qvi erit, is nimi-

rum & magistri locum, si ita videatur, obtinuerit. 5 Non autem esse hunc qvasi finem totius diligentiæ studiorum, in promptu neqve obvium, cùm aliundè, tum hinc cognosci poterit. 6 Nam omnibus temporibus ac locis, cùm plurimi scriptores extiterint, parvo numerô liceat comprehendere eos, tàm veteres qvàm recentes, qvi veram in hoc genere laudem assecuti esse videantur. 7 Verùm de his, non enim breviter satis explicari res potest, & copiosè hanc disserere intempestivum fortè atqve etiam odiosum fuerit, hunc finem faciamus disputationis nostræ, de enumeratione eorum, qvæ in doctrina puerili seqvenda esse videantur: Satis habituri, si cui eorum, qvi primùm instituuntur utiliter, collecta sint. 8 Non tamen ita, ut planè nulla spes sit, non etiam aliqvibus bene institutis, & qvorum aliqva in studiis celebritas est, hunc laborem nostrum gratum acceptumqve futurum esse. 9 Sed de his qvicqvid acciderit, id qvid nullô modô graviter feremus, ac boni potiùs consulemus qvemcunqve rei eventum. 10 Ut verò vera disciplina inveniat adjutores & curatores & præsides, tàm voluntate fidos, qvàm facultate efficaces, ut hæc qvasi vix prospectans, non rursus refugiat & occultetur, oremus, communiter vota facientes Deo, omnes qvotqvot & virtutis amantes & vitiorum osores sumus: Uti ne emergens barbaria & amentia, cum inscitia & ignoratione bonarum artium, cumqve nova & dissentanea sapientia, sicut anteà, contaminet Ecclesiam Christi & communem vitam hominum. 11 Sed ut lingvæ rursum exerceantur & mens repurgetur, & ratio dirigatur, ad inserviendum studiosè gloriæ & honori æterni Dei patris Domini nostri & salvatoris JESU CHRISTI, ad utilitatem Ecclesiæ ipsius, & bonum commune credentium, per afflatum Spiritus sancti: 12 Cui uni, soli, æterno, laudibus omnibus celebrando, omnipotenti, invicto, casto, benigno, mansveto, misericordi Deo sit gloria, honor, miseratio, potentia, in secula seculorum, Amen.

CAPUT XXII.

CARMEN
GRATIARUM ACTIONUM
ET
PRECUM, CONVERSUM E GRÆCO.

O Christe gratiarum
Reddo tibi actionem

Salvator & Redemptor
Hominum, atqve præpotens Rex
5 Vitæ

Vitæ hujus universæ.
Te, cuncta qvi creâsti
Et liberâsti, adoro,
Benedico, coloqve solum,
Et servio tibi soli,
Et te timere solum
Et debeo te amare.
Magis qvidem te amare,
Te maximéqve amare,
Tot munerum datorem!
Te fretus unô ego sum,
Et sub benignitatis
Umbra tuæ diesqve
Noctesqve dego totas,
Et tutus undeqvaqve
Securum ago modo ævum.
Morbis tuâ levatus
Ope sum malisqve liber.
Pericla tu fugâsti,
Tu sustines ruentem,
Tu suscipis labantem,
Corpus redintegras tu,
Animam meam misellam
Verbô tuô dolores
Pellente, tu medendo
Sanas, foves, repurgas.
O gratias ago tibi,
O Christe, pactô agens qvô
Te laudibus celebrem?
Sumens tuæ salutis
Ego poculum relucens,
Nomen tuum invocabo
Dei mei potentis,
Nomen sacrum, profanis
Et impiis timendum.
Tibi supplicabo & orans
Te, mi Deus, precabor,
Æterne, vere, sancte,
Qvi finis omnis expers
Et originis, gubernas,
Qvam te creâsse constat,
Rerum universitatem,
Dominus Deusqve noster.

F I N I S.



VII.

DE PVERORVM DISCIPLINA & RECTA EDUCATIONE LIBER,

PER

JOANNEM FVNGERI Leovardiensem.

Valer. Andreas Desselius, JCTUS, Biblioth. Belgic. p. 503. f. edit. Lovaniens. CIƆ IƆCXLIII. in 4to.

JOANNES FUNGERUS *Leovardiensis Frisius, puer Lovanii ingenii fructum cepit: post obitas dein Germaniæ Galliæqve Academias, sumptamqve supremam Juris lauream, in patriam redux, Leovardiensis Scholæ Rector fuit. Scripsit* de Puerorum Disciplina, & recta educatione *lib. I. Lugduni Batavor. apud Raphelengium*, 1580. (meum exemplum est 1586.) 8. Symbolorum Ethicorum Explicationes. *Franekeræ*, 1598. 8. De Conflagratione mundi; *typis Commelinianis, in* 8. Etymologicon Trilingve, *Latinum, Græcum & Hebraicum. Lugduni in Gallia*, 1607. 4. Etymologicum Latinum: *Antiqvitatibus & Animadversionibus passim refertum. Francof.* 1604. (meum exemplum habet M. DC. V.) 8. Novam Proverbiorum Farraginem, *è Græcis Latinisqve auctoribus. Lugduni apud Batavos*, 1585. 8. *Sacrorum Carminum Syllogen*, Messiados *libros IV.* Hymnum in laudem SS. Trinitatis. *Et alia, à Raphelengio excusa*, 1591. 8. Hæc Valer. Andr. In Etymologico Jo. Ger. Vossii observavi, eum neminem duriùs tractâsse qvàm hunc Fungerum, qvamqvàm & in aliis suis scriptis ipsi non parcat occasione ita ferente. Ubi laudet, non succurrit. Lib. IV. Institution. Orator. c. XI. n. VI. p. m. 213. magnam ἀνιστορησίαν in nova Fungeri Proverbior. farragine notat. Cl. Dn. D. Paullus Freherus in Theatro Viror. eruditione clarorum, & B. Joh. Andr. Qvenstedt in Dialogo de Patriis Illustrium doctrinâ & scriptis virorum, hunc nostrum Fungerum planè prætermiserunt; sicuti & prior reliqvos ferè scriptores omnes, qvorum Tractatus hac in III. nostrar. Methodor. parte edimus, omisit.

NOBI-

NOBILIBUS ET GENEROSIS

JUVENIBUS

D. SIXTO A CAMMINGA

AMLANDIÆ DOMINO,

& ejus Fratri

FRANCISCO à CAMMINGA, JOANNI AB HEERMA, SIXTO à CAMMINGA, ejusqve fratri TETARDO à CAMMINGA, BONIFACIO AB HAEITSMA, atqve ejus fratri OBBIO AB HAEITSMA,

JOANNES FUNGERI LEOVARDENSIS

S. P. D.



1 vantum momenti positum sit in recta institutione, Adolescentes Nobilissimi, qvamqvàm abundè demonstrari possit tum ex Augustini ad Fabianum epistola, & Hieronymi ad Lætam, tum ex Xenophontis Pædia, in qva Philosophus iste perfectam suis numeris veri principis educationem adumbrare voluit; non tamen committam, ut eâ tàm prolixâ commemoratione surdas vobis aures efficiam, imò potiùs unô atqve alterô exemplô proposito nostro convenienti præsentis materiæ utilitatem Laconicè explicabo. [2] Interrogatus enim sapientissimus Socrates à Leontino Gorgia, qvid de rege magno sentiret, & utrùm eum felicem existimaret, Nescio, respondit, qvô pactô erga virtutem & rectam disciplinam affectus sit. [3] nempe qvòd veram felicitatem non tam in externis qvàm in æternis animæ bonis collocatam existimaret. [4] Legimus prætereà Cratetem pædagogum percussisse, cùm puerum ipsi commissum non solùm malè moratum, verùm etiam inter loqvendum sæpius impingentem audivisset: ipsumqve Alexandrum Imperatorem longè maximum ludi magistro alapam incussisse, eò qvòd Homerum omnis sapientiæ promtua-

tuarium in suam scholam nondum recepisset. [5] Sic judicârunt summi isti viri, imputandum esse primæ ætatis formatoribus, si minùs aptè tam moribus & virtutibus qvàm bonarum artium cognitione puerorum ingenia excolantur. [6] Certè cùm Qvintiliano * non pauci tradiderunt Leonidem pædagogum qvibusdam etiam † vitiis Alexandrum imbuisse, qvæ robustum Imperatorem à puerili ætate ad virilem usqve sunt consecuta. [7] Adeò multum est à teneris affvescere, naturámqve rebellem rectâ educatione velut rationis frænô cohibere. [8] Atqvi cùm ego semper in eadem sententia versatus fuerim; operæ pretium judicavi omissis aliis lucubrationibus hanc opellam sub vestro potissimùm nomine in publico apparere; præsertim cùm ita rem gratam me vobis facturum, vestrosqve omnes studiorum fautores ac patronos fuisse non ignorem. [9] Qvantum enim attinet ad Hajonem à Camminga & Petrum à Camminga Amlandiæ Dominos, eqvidem sæpissimè eorum singularem erga literas amorem, adeoqve doctrinam ab aliis mihi commemoratam recordor. [10] Qvippe qvòd non ignorarent conservationem reipub. tantoperè hôc fundamentô niti, ut, si tollatur ex hominum medio, tum necesse sit Cyclopicam oriri confusionem rerumqve omnium nefandam panoletriam. [11] Qvantum ad illos, qvi superstites sunt, Godschalcum dico ab Heerma & Taconem à Camminga, vix sanè necessarium crediderim eorum erga literas studium multis nominibus prædicare, ut qvòd satis id omnibus exploratum existimem. [12] Ceterùm hoc apertè audim profiteri, nullis unqvàm meam addictam fuisse operam, qvi pluribus beneficiis cùm ob humanitatem, tùm ob benevolum erga Musarum alumnos animum sibi me devinciverunt. ut vel hâc solâ ratione ad resarciendum illa in me collata beneficia commoveri debuerim. [13] Verumenimverò ut jam ad minores me convertam, rogatum te velim imprimis D. Sixte à Camminga unà cum fratre Francisco, ut, qvemadmodùm in jus ac hereditatem paternam successistis, ita velut successione vicariâ ejusdem in bonos benevolentiam, in virtutes studium, in literas amorem piô affectu proseqvamini. [14] Et tu Joannes ab Heerma, si veluti patris vestigiis

* lib. I. c. I.

† *Qvibusdam etiam vitiis*] Cùm Agisicli Lacedæmoniorum regi, apud Erasmum, I. Apophthegm. l. p. 2. diceret qvidam, admirari sese qvòd, cùm esset avidus discendi, non adjungeret sibi Philophanem sophistam, regali prorsus indole respondit, Eorum, inqviens, volo esse discipulus, qvorum sum & filius; significans non minus interesse qvos nactus sis parentes, qvàm qvos adsciscas præceptores. Etenim ut liberi fermè referunt majorum unde prognati sunt ingenium: ita præceptorum vitia demigrant in eos, qvos instituunt. Et honestæ vitæ institutio potissimum ab illis petenda est, qvi virtutem ipsis factis præstiterunt, non ab iis qvi compositis arte verbis de virtute nugantur. At nunc summi orbis monarchæ futuri, deum immortalem, qvibus interdum viris à teneris annis formandi instituendiqve creduntur? qvum principi non minus tum perniciosum sit tum indecorum, ab inhonestis institui, qvàm nasci.

giis institisti proficiendo, itidem facias bene favendo, est qvod tibi summoperè congratuler. [15] Semper enim persvadere tibi debes, literarum studia non in prosperis solùm ornamento esse, verùm in adversis perfugium ac solatium præbere: * his adolescentiam agi, senectutem oblectari: domi voluptate afficere, nec foris impedire, pernoctare nobiscum, peregrinari, rusticari. [16] Namqve illud ex Dionysii, Biantis & Aristippi historiis, nisi prolixitas deterreret, liqvidè demonstrari possit. [17] Atqvi de te Bonifaci ab Haeitsma cum fratre Obbio qvò minùs dubitem, facit vestra singularis indoles, & erga præceptorem observantia multos ante annos satis explorata. [18] Hæc, inqvam, dubitare me non permittit, qvò minus meam hanc gratitudinem gratò vicissim animò sitis arrepturi. [19] Qvippe qvòd non ignoretis svavitate scientiæ nihil esse jucundius, artesqve liberales virtutis esse magistras, qvemadmodùm Tullius ait. [20] Sed & in hunc numerum adjungo te Sixte à Camminga unà cum fratre Tetardo, in qvo non secus atqve in te ipso præter pietatem, modestiam & morum civilitatem, insitam qvoqve discendi cupiditatem animumqve mihi propitium jure commendare potero. [21] Adeò, ut non falsus fuerit Cicero, cùm sic ait. † *Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qva excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi, & malum, & turpe ducimus.* [22] Tales ergo cùm sitis omnes, qvis me jure reprehendet, si vobis meam in hac re operam desudare voluerim? [23] Qvod, opinor, nemo: cùm & Aristoteles sub Alexandri, Plutarchus sub discipuli Trajani nomine sua scripta in publicum prodire voluerit. [24] Imò fiet hôc pactô, ut, qvando grandiores eritis, tum de hac crassiori sed tamen necessaria Philosophiæ parte sincerè possitis judicare. [25] Si cujuspiam alterius, certè hujus rei curam vobis commendatam existimabitis. [26] Qvapropter tandem ut finem faciam, hortor & precor vos, Juvenes generosi, ut hanc amicitiæ tesseram obviis ulnis amplectamini. [27] Sæpissimè Platonicum illud revolvite, gratam de Deo famam per omnes artes esse diffusam. [28] Cogitate, cùm studia vestra ope promovetis, & Deo & hominibus vem gratam præstari: neqve vobis rem esse cum illa hominum colluvie, qvi literas, aut qvoniam non intelligunt, aut qvia mercaturæ & qvæstui student, insipidè contemnunt. [29] Gratias, inqvam, ago vobis non qvantas debeo, sed qvantas possum, qvòd tenue hoc munusculum successivis ** horis elaboratum vestro nomine vestrisqve sumptibus in lucem abire permittitis. [30] Accipite ergo, utimini & fruimini, cumqve ipso libello pariter me commendatum vobis habete.

AD

* Cicer. Orat. pro Archia, c. VII.
† I. Officior. c. VI.
** fortè *succisivis*, vel ut alii malunt *subcisivis* vel *subsecivis*. Plin. præfat. Natural. Histor. *Homines sumus & occupati officiis: succisivisqve temporibus ista curamus, id est, nocturnis.* ubi *subsicivis* mallet Turnebus.

AD

CANDIDUM


LECTOREM.

[1] ON te malè habeat, Lector candidissime, qvòd tam multos post alios, ea, qvæ toties inculcata sunt, in medium proferre audeam. [2] Si enim priùs intellexeris, qvot ex antiqvioribus illud ipsum factitàrunt, eqvidem tum benigniorem te fore interpretem planè mihi persvadeo. [3] Atqve ut omittam loca illa omnia, qvæ vel hiulca suppleverunt, vel superflua resecàrunt, vel corrupta nitori suo restituerunt, sanè Aristoteles in errores Philosophorum sæpissimè invehitur, & ipsum Platonem (qvem aliàs divinum vocat) censurâ ac judiciô suô nimis elimatô plurimum castigat. [4] Et Plinius author non contemnendus ex Aristotele, Theophrasto, Democrito, Heraclito, aliorumqve doctorum monumentis non pauca mutuatus est, qvæ rerum suarum accessione posteà polivit. [5] Idem fecerunt Athenæus, Dioscorides, Solinus, Varro, & qvotqvot majorum ætate miscellaneas conscripserunt, nempe Cælius Rhodiginus, Adrianus Turnebus, Angelus Politianus, Adrianus Junius, Gvilhelmus Canterus. [6] Qvi autem in Aristotele explicando occupantur, tot ubiqve scatent partim summi Philosophi, partim aliorum authoritatibus, ut vel inde tædium legenti possit obrepere. [7] Idem in Poëtarum interpretibus contingit. [8] Sed & Jureconsulti * sine lege loqvi erubescunt. [9] Taceo de Theologis, medicis aliisqve omnibus, qvamcumqve tandem artem professi fuerint, ut petitas hinc inde sententias scripta eorum ubiqve redoleant, cùm non opus esse arbitrer de re manifesta multa inutiliter profundere. [10] Qvod itaqve tam multi fecerunt, idem qvoqve mihi liceat, qvi non gravor aliorum vestigiis insistere. [11] Neqve enim est, qvod ego feci, cramben bis coctam apponere, vel rhapsodias & centones consuere, sed locos veluti communes pueris ac juvenibus constituere, ex qvibus remedia adversus noxas & pestes omnes sibi in promptu habeant, ne inter Syrtes & humanæ vitæ scopulos naufragium faciant. [12] Qvi itaqve ob hanc potissimùm caussam hoc nostrum levidense munus arrodunt, carpant licet eàdem ratione præter eos, qvorum antè memini, Ælianum, Macrobium, Valerium Maximum, Nicolaum Hanapum, Sabellicum, M. Marullum, Bapti-

* *Sine lege*] Dixi hac de maxima in parte IV. Animadversion. nostrar. c. III. §. ult.

Baptiſtam Campofulgoſium, Acronem, Sypontinum Perottum, Domitium Calderinum, Hermolaum Barbarum, alioſqve viros in artium encyclopædia undeqvaqve verſatos. [13] Interim tamen qvia, candidiſſime Lector, hominem me eſſe recordor, à qvo nihil humani alienum eſſe poteſt, adeoqve multis ſubjectum erroribus me non diffitear, ab unoqvoqve petitum velim nihil aliud, qvàm ut hunc de Inſtitutione puerorum diſcipulis meis nuncupatum libellum eô animô accipiat, qvô à me profectus eſt, hoc eſt, piô, benevolô, gratô ac fincerô. [14] Qvod ſemel pulchrum, bis pulchrum eſſe cogitet, eamqve libertatem, qvam aliis concedit, mihi non præripiat. [15] Si peccatum alibi eſt, id ignoſcat velim: ſin minus, laudem tunc omnem non in me ſed in divinam benignitatem conferat, & criticum ſe præſtet nullâ ratione iniqvum. [16] Qvodſi non omnia produxi, qvæ in præſentem materiam potuiſſent adduci, illud etiam condonari optaverim. [17] Nec enim omnia dixit Plutarchus qvamvis plurima, nec Ælianus, qvamvis varia, nec Athenæus, nec Pauſanias, qvæ ſuſceptô alioqvi negotiô bellè conveniſſent. [18] Ceterùm & ipſe Paullus Jovius ob id † contemnendus non eſt, qvòd aliqvot annorum Hiſtoria ſit conciſior. [19] Non unus unqvàm ingenii ſui fertilitate omnia complexus eſt, nec ipſa etiam humana natura intra tam anguſtos limites ſe coarctari patitur. [20] Sed jam, ut ad umbilicum properem, proſpera tibi imprimis omnia, deinde cenſuram in juſto libramine conſiſtentem exopto. [21] Paratus enim ſum ad utrumqve, hoc eſt, ut vel errorem agnoſcam ac corrigam, vel ut bene fortaſſe judicanti applaudam. Vale.

† *Ob id*] Contemnitur tamen ab aliis ob alia, qvæ adduxi part. II. Methodor. noſtrar. n. VII. c. XL. p. 368.




DE PUERORUM DISCIPLINA

ET

Recta Institutione Liber.

CAPUT I.

De Educatione.

1 Vandoqvidem odorem illum, qvô semel est imbuta testa recens, fidelissimè conservat, & nihil omninò tam est in proclivi; qvàm primà vitæ incunabula depravari, nisi pietatis & eruditionis elementa cum ipso velut lacte hauriantur, danda eqvidem opera est, ut mox à primis annis rudibus puerorum ingeniis virtutum semina instillentur. 2 Scilicet tùm sincerus adhuc & integer est animus, ut ad omnem facilè habitum formari possit. 3 Nihil enim æqvè inhæret, qvàm qvod vacuis & flexibilibus ingeniis adhibitâ diligentiâ imprimitur. 4 Nec ignoramus puerilem institutionem, qvalis qvalis tandem fuerit, seqvi pubertatis & inde virilis ætatis mores. 5 ut ex ea certum sit virtutum omne genus & reipub. salutem profluere, si sana fuerit; contrà pestem & rerum omnium Cyclopicam confusionem, si cum vera ratione dissideat. 6 Tum singula susqve deqve vertuntur, miscentur profanis sacra, & tanqvàm in Platonico specu compedibus vincti, res inanes pro veris & legitimis admirantur. 7 Nihil consultò agunt vel ex legis divinæ præscripto. 8 Vociferantur, blaterant, pugnant, & Bacchicô furore rapti vicatim discurrunt. 9 Sapienter itaqve divinis ille Plato, IV. de Legib. mansvetum animal vocavit hominem, si cum felici natura rectam qvoqve disciplinam assecutus fuerit; contrà ferocissimum, qvotqvot vivunt, animalium, si non propitiam educationem conseqvatur. 10 Unde qvoqve in dialogo, qvi Theages inscribitur, nulli rei majorem * svadet impen-

* *Nulli rei majorem.*] Ipsis Principibus & primò & maximè DEUS præcepit Deuter. IV. 9. VI. 7. s. XI. 19. s. ut nullius rei majorem curam custodiamqve susci-

impendendam esse industriam, qvàm ut parentes se patriâqve dignos filios curent adolescere. [11] Qvid? an non arbores, si negligantur, in tortuosos gyros obliqvantur? [12] An non ager, si parum sedulò colatur, tribulos urendasqve filices producit? [13] Nunqvid eqvuus naturâ sternax & intractabilis, cùm frænum momorderit, tollutim incedit? [14] Sed utinam liberos non perderent ipsi vitæ authores. [15] *Infantiam statim delitiis solvimus*, inqvit Fabius; lib. I. c. II. *mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & roboris frangit.* [16] *Qvid non adultus concupiscet, qvi in purpuris repit?* [17] *Nondum prima verba exprimit, jam coccum intelligit, jam conchylium poscit.* [18] *Antè palatum eorum, quàm mores, instituimus.* [19] *Gaudemus, si qvid licentiùs dixerint: verba nec Alexandrinis qvidem permittenda delitiis, risu & osculô excipimus.* [20] *Nec mirum: nos docuimus: ex nobis audiêrunt: nostras amicas, nostras concubinas vident.* [21] *Omne convivium obscœnis cantibus perstrepit, pudenda dictu spectantur: fit ex his consvetudo, deinde natura.* [22] Rectè Satyricus, Satyr. XIV. v. 40. s.

——— dociles imitandis
Turpibus & pravis omnes sumus. & Catilinam
Qvocunqve in populo videas, qvocunqve sub axe,

Sed

suscipiant. qvàm pueritiæ. *Super ea re*, inqvit Joel in I. 3. *adnunciate filiis vestris, & filii vestri suis filiis, & filii illorum generationi alteri.* Ecce veritas lucem non odit, sed omnibus manifesta esse vult. Proinde non est contentus Propheta; suæ populum ætatis docere, sed etiam totum mundum cupit usqve ad consummationem erudire, hortaturqve ut generatio generationem doceat. Non ab re ait Aristoteles, ille Philosophorum princeps, maximè disciplinam circa juventutis intendendum, cùm ea neglecta maximum in civitate Reipubl. detrimentum adferat. Nam nemo sapiens nascitur, sed fit; & ut ager, qvamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic nec sine doctrina mens. *Juvenis*, Philosophus inqvit, *sapiens esse neqvit, qvia prudentia reqviris experientiam qvæ indiget tempore.* Juxta illud: Id sapit unusqvisqve qvod didicit, disciplina mores facit bonos. Necesse est, ut puerilis ætas in primis in vera religione, & sincero Dei cultu instituatur, tum etiam ad prudentem rationis usum, & morum honestatem adsvefiat. Nam qvisqvis res humanas, sive publicas, sive privatas felices esse volet, eum ante omnia pueritiæ suam disciplinam, ac institutionem, qvàm rectissimè dare decet. Docet enim ipsa experientia, nihil illic feliciter fieri posse, ubi disciplina nulla pueritiæ, nullum honestatis studium, & nullius pietatis usus existit. Et vix unqvàm in bonum ac sapientem virum evasit, qvi non à teneris annis ad virtutis & pietatis studia per sedulam disciplinam adsveverat. Nimirùm qvòd velut radix indolem ingeniumqve arboris, ita etiam bene moratam & compositam adolescentiam rectè exculta pueritia producit: ac eamdem porrò in omnes grandiores ætates propagat. At nullam Rempubl. absqve bonorum virorum administratione feliciter gubernari posse, in confesso est apud omnes.

Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usqvam.

[23] Aliam curam instituendi rectè filii habebat Censorius Cato, aliam Epaminondæ pater Polymnis pauperrimus alioqvi, aliam Phocion Atheniensis, Paullus Æmilius, Cyrus, & Cæsar Augustus. [24] Qvid Hippocratis parentem Heraclidem, qvid Cambysem Persarum regem commemorem? [25] Æneas ipse apud Virgilium, lib. XII. Æn. v. 435.

Disce puer virtutem ex me verúmqve laborem,
Fortunam ex aliis. ——

[26] Recens adhuc mihi est memoria, Catonem Censorem Manlium senatu movisse, qvòd uxori, præsente filiâ, osculum impressisset. [27] unde Poëta, (Juvenalis) loc. cit. v. 44.

Nil dictu fœdum visuqve hac limina tangat,
Intra qvæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si qvid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

[28] Cumprimis enim cavendum est, ne qvid rude puerorum ingenium suâ vel turpitudine vel morum scurrilitate inficiat, ne, inqvam, consvetudine & conversatione pravâ natura per se facilis ac ad honestatem prona in omne nefas exitialiter prorumpat. [29] Hæc res nihil langvidi nec remissi patitur. [30] Est animis non secus atqve corporibus sua qvædam contagio, clanculum naturæ sympatheia serpente malô, & ab altero alteri labe affricatâ. [31] Qvi claudo cohabitat, claudicare discit: & bonos mores prava colloqvia corrumpunt. † [32] Graviter itaqve Plato sensit homines sapientum consvetudine sapientes evadere, qvod ipsum nec Persarum reges ignorârunt, qvi mox ab incunabulis puellos regios & sapientissimis, & justissimis, & continentissimis qvibusqve alendos, formandos, fovendos, commiserunt. [33] Aristotelis, Parmenionis & Callisthenis consvetudine melior evasit Alexander, Agamemnon Nestoris, Scipio Panætii, Antoninus Pius Marcelli & Jaboleni, Alexander Imperator Ulpiani, Trajanus Plutarchi, Augustus Artemidori, Critias & Alcibiades Socratis, Achilles Phœnicis & Chironis. [34] Multùm enim interest, inqvit Cicero, cum qvibus qvis loqvantur. [35] Sic melior factus est Timotheus à Paullo, à Christo Nicodemus, à Gamaliele Paullus, Darius à Daniele. [36] Atqve ut ad ipsos tandem parentes revertar, placet veterum aliqvot exempla producere qvibus Platonicum illud evincam: Nempe nulli rei majorem dandam esse operam, qvàm, ut pueros qvàm optimos reddamus, neqve etiam tam difficile esse generare, qvàm in media hominum colluvie bene educare. [37] Philippus Mace-

† 1 Corinth. XV. 33. *Malorum mores* auctore Buchnerô, in p. m. 429. b. Dissertationum Academic. *non tantùm exsecrari semper debemus, sed sodalitia etiam maximoperè vitare; ne contagione lædant, &, vitia ipsa subeant animum, qvæ jam adsveta velut familiaria facta sunt.*

Macedonum rex natô ſibi Alexandrô, non tam ob nativitatem filii lætari ſe teſtatus eſt, qvàm qvòd Ariſtotelem haberet, qvem ex multis unum ad instituendam ætatem teneram, primaqve Philoſophiæ rudimenta tradenda, idoneum ſibi poſſit deligere. [38] Initiò bonus erat Nero, ſed tandem in immanem belluam degenerabat. [39] Idem de Galba Imperatore ſcribit Cornelius Tacitus, lib. I. Hiſtor. c. XLIX. [40] Sanè nonnullos à feminis diligenter etiam educatos legimus, inter qvos Ariſtippus μητροδίδακτυ nomen ſibi adoptavit. [41] Et ipſa Mammea Cæſaris Alexandri mater impuratos nebulones filium accedere non permittebat, ne videlicet improborum conſortiô corruptus in deteſtanda vitia prolaberetur. [42] In ſacris ſcripturis *a* legitur, Davidem fatis conceſſurum diligentiſſimè Salomonem filium erudiviſſe. [43] Ipſe qvoqve Tobias c. IV. 3. ſ. filio, cùm animam ageret, hæc præcepta inculcavit: ut ſcilicet ſe mortuum terrâ conderet, ſuperſtitem matrem coleret, vitâ functam honeſtè propter ſe ſepeliret, juſtitiam amplecteretur, improborum ſocietatem fugeret, liberalitatem erga pauperes exerceret; ut, inqvam, ab omni impudicitia ſe contineret. [44] Docti ſunt & Iſraëlis filii à patre, oportere domum bene inſtitutam ab omni labe procul abeſſe, nihil celeriùs qvàm domeſticum ſcelus abolendum, cúmqve raptum ſororis Dinæ ulti nocturnâ cæde ſe polluiſſent, confeſtim eos explavit, juſſitqve aliò transferri tabernacula, locum ipſum & Sichimitarum ſedes tanqvàm pollutas ac contaminatas averſatus. Gen. XXXIV. 30. [45] Porrò, qvàm ſanctè liberos inſtituerit Loth Sodomæus, non obſcurè declarat memorabile illud excidium patriæ, ex qvo ſolus cum ſua familia ſoſpes evaſit. [46] *b* Qvocirca Paullus: Eph. VI. 4. *Educate*, inqvit, *filios veſtros in diſciplina & doctrina Domini.* Et Proverb. I. 8. *Diſciplinam Domini fili mi ne abjicias.* Item: c. XXII. 6. *Si inſtitueris adoleſcentem in via ſua, in eadem & ſenex perſeverabit.* [47] Scribit Plutarchus veteres rectè inſtituendæ proli tantam impendiſſe curam, ut Solon apud Athe-

a 1. Regum II. 2. ſ.

b *Qvocirca Paullus*] Licet hodiè multi parentes ſuos negligant filios: attamen qvàm ſeriò hìc mandata ſit ipſorum inſtitutio, ipſi facilè judicare poterunt. *Qvum multorum*, inqvit Georg. Viviçnus Antverpianus, III. de Officio Probi Patrisfamilias, c. IV. p. m. 159. edit. Lovan. 1563. in 8t. *parentum negligentiam aliqvando deploro, in hac verba prorumpere ſoleo: Eheu, quónam evaſiſſet puerorum diſciplina, ſi nullum preceptum nullaqve lex de ea parentibus fuiſſet tradita? ex ea nihil aliud colligere poſſumus, qvàm ingentem humanarum mentium caliginem eſſe: imò & naturam hominis prorſus vitiatam eſſe, quæ & liberos ex ſe genitos & natos tam turpiter negligit, quos Deus & natura tamen amandos, & excolendos eſſe ſvadent: veluti hi etiam ſubſeqventes loci clarè indicant & teſtantur. Filii tibi ſunt, ait Jeſus Sirach, c. VII. 23. erudi illos, & curva illos à pueritia illorum, non enim, ait, divites fac illos, aut nimiâ licentiâ perde illos, ſed erudi & caſtiga illos. Et rurſum ferè eadem c. XXX. 13. præcipit: Doce, inqvit, filium tuum & operare in illo, ne in turpitudinem illius offen-*

thenienses sanxerit, qvi nullam à parentibus artem accepissent, eos ad reddenda educationis præmia neqvaqvàm teneri. [48] Hæc cùm ethnicus homo naturali tantùm lumine illustratus constituerit, eqvidem necesse est Christianum illum malis agi intemperiis, nec acetum, qvod ajunt, in pectore habere, qvi non in instituenda prole summam diligentiam præstare velit. [49] Qvippe cùm sciat hanc Christi lavacro tinctam cælestiqve consortio destinatam, depositum qvoddam & donum esse Dei, atqve ideo non minore custodiendum diligentiâ, qvàm si ipsiusmet Dei manibus creditum ac commissum foret. [50] Aderit in regendo sapientia, in educando honestas, in instituendo fides & charitas, ut tandem unà cum Deo parentes amare, omnemqve prorsus turpitudinem cùm in dictis tum in factis possit exuere.

essendas. Simile etiam mandatum apud Salomonem invenimus, qvi ita Proverb. XIX. 18. inqvit: Erudi filium tuum ne desperes, sic enim bona spei futurus est, aut ut alii interpretantur: Castiga filium tuum dum spes est, ut corrigatur. Hujus tam sancti præcepti etiam D. Paullus meminisse voluit. Et vos, inqvit Ephes. VI. 4. patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos, in disciplina & correctione domini. Duplici ratione vult juventutem institui Paullus: primùm per eruditionem, deinde per correptionem in domino. Qvæ rationes si à singulis patribus sedulò observarentur, non esset cur hodie tam multa familiæ perditè & deploratè deflerentur. Lege B. Joh. Meisnerum, nostrum qvondam cùm Wittebergæ studeremus, haut pœnitendum Magistrum in elegantissima Dedicatione Compendio ejus Theologiæ CIϽ IϽC LXIII. edito Wittebergæ in 4to præmissa; Item Antonium, lib. II. Melissæ, Serm. IX. & Stobæum, Serm. LXXXI. n. 100. & Serm. LXXXIII. n. 201.

CAPUT II.

De Præceptoribus. [c]

[c] Ut ergo à teneris ungviculis feliciter instituatur puer, ex consulto Qvintiliani lib. & c. I. qværendus est in primis præceptor *aut eruditus, aut talis qvi se non eruditum intelligat.* [a] *Nihil enim pejus est iis, qvi paul-*

c Vide dicta part. I. Methodor. nostrar. n. VI. c. II. p. 175. f. n. XIV. c. II. p. 576. f. c. X. p. 593. f. part. II. n. IX. c. II. p. 445. f. Graviter & prudenter Georg. Vivienus, lib. III. de Officio Probi Patrisfamiliâs, c. VIII. p. m. 165. *Est hoc extra omnem controversiam omnem impendere patrisfamiliâs curam, de præceptore sive pædagogo deligendo. Qva quidem in re mira parentum cessatio. Deligunt cui committant curandum eqvum, & filium cuivis committunt. Et matres nonnullæ diligentiùs curant catellam Melitæam, qvàm filium: & pluris conducitur eqviso, aut curator*

paullulum aliqvid ultra primas literas progressi falsam sibi scientiæ persvasionem induerunt. [3] *Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure qvôdam potestatis, qvô ferè hoc hominum genus intumescit, imperiosi atqve interim sævientes stultitiam suam perdocent.* [4] Galenus in libro De constitut. artis medicæ, qvàm optimos ejus artis doctores reqvirit, ad qvem studiosus animum applicare decrevit. [5] Ego velim esse acutô ingeniô, judiciô integrô & sanô, tum in omni disciplinarum genere (qvando fieri potest) versatissimos. [6] Nec abhorrebunt in vitia subtiliter animadvertere, id qvod sibi multum profuisse ipsemet Cicero testatur in Bruto, c. XCI. cùm ait, se Moloni Rhodio homini in notandis vitiis & in instituendo prudentissimo operam dedisse. [7] Præter singularem eruditionem desideratur etiam pietas, lingvæ continentia, & morum civilis honestas. Non erunt in iram proni, cupiditatibus frænum injicient : non prorsus Orbilium sectabuntur, nec

curator accipitrum : qvàm præceptor liberorum. Nec alia in re infelicius est principum vulgus, qvàm qvod statim non traduntur præceptoribus sanctis & cordatis. Nec tantùm in præceptore spectanda est eruditio, sed multo magis morum integritas. Hìc igitur oportet liberum ac serium esse judicium, nec accersendus ille qvi semet ingerit, qvi blandiens ambit, qvi obtruditur ab amicis. Num ægrotus aut navigatione periclitans audias amicos ita loqventes: Hunc adhibe medicum in meam gratiam : est enim mihi cognatus & amicus, aut hunc admove clavo, vehementer enim cupit: an potiùs responsurus es: Alibi serviam vestris affectibus, hìc periclitor, mihi commendatissimus erit medicus, qvisqvis sanandi peritissimus fuerit: nauclerus asciscetur, qvisqvis erit gubernandæ navis peritissimus. Idem facere conveniet in deligendo cui filii tui primam ætatem formandam concredere destinas. Qvòd si contingit idoneus, ne tamen ita curam in illum transferas, ut ipse solicitudinem omnem abjicias, Episcopum age, ex intervallo vide. qvid profecerit filius: Qvanqvàm probus tibi contigit colonus, tamen subinde visis fundum, & si qvid offendit, reqviris officium. Si qvid deest, expostulas, qvur hoc sit prætermissum, qvod non oportuit. Et si videris colonum non respondere tuæ spei, submoves cessatorem, & allegas alium magis idoneum. Id si facis in agello, non idem facies in eo qvem omnium tuorum bonorum destinas heredem? Itáne vilior est filius qvàm agellus? Nihil non facis uti qvàm plurimum relinqvas filio, nec cura est, ut filius is evadat, qvi nôrit uti relictis. Qvod qvidem nihilôminus absurdum est, qvàm si illi compares qvàm pulcherrimas citharas, nec ullam interim curam adhibeas, ut ille musicam discat. Non mediocris artis est instituere primam ætatem, ac præcipuæ virtutis est instituere adolescentiam. Ex talibus enim potissimùm pendet omnis vita mortalium, ex iis, qvi formant pueritiam, ex his, qvi concionibus docent populum, & ex principibus. Diogenes, cùm in auctione venderetur, rogatus à præcone, qvô titulô deberet prædicari: Dic, inqvit, esse hominem, qvi sciat imperare liberis. Audiit hoc præconium dives qvidam, qvi teneros filios habebat domi, mercatus est Diogenem, eumqve suis præceptorem dedit. Qvi vir malus est, aut formandæ pueritiæ imperitus, etiamsi drachmâ conducitur, magnô conducitur. Neqve enim qvisqvis vir doctus ac bonus est, statim accommodus est erudiendæ pueritiæ. Multis deest lenitas, aliis laborum patientia. Ceterùm qvi compositus est ad tantam

nec dicteriis insultabunt, ne vecordes habeantur. [9] comes erunt & humani in exigendo, temperati in castigando, breves & aperti in docendo, severi in admonendo. [10] Sæpe futuræ beatitudinis & inferni memoriam refricabunt, nos autem omnes, qvoniam ex mortali compage cohæremus, ubi defuncti mundi exiliô corporeum hoc syphar exuerimus, coram divino tribunali vitæ rationem etiam exactissimam reddituros. [11] Cogitabunt se parentum esse locô: dives pauperne sit, nullam personarum statuendam differentiam. [12] Diligenter etiam fungentur officiô, neqve enim desidiosis & oscitabundis tradendus est puer. [13] Semel autem didicisse contenti non erunt: sed iterum atqve iterum repetent, ut puerorum memoriam exerceant, & tanqvàm diligentes Imperatores, qvid qvantumqve didicerint, recognoscent. [14] Non colludent, ne defraudentur authoritate: si qvem amorem in animo conceperint, qvantum licet, occultabunt. [15] Excitabunt laudibus æmulationem, ut turpe ducant pari cedere, pulchrum verò majores superare. [16] Sed & in discernendis puerorum ingeniis perspicaces erunt; nisi enim horum varietati se accommodaverint, parùm commodè successura est institutio. [17] Sanè Philosophus Plato rubicundum virtutis colorem (ut eum Pythias Aristotelis filia vocabat) in juvenibus probavit. [18] Socrates etiam ex loqvela judicabat. [19] Alabadensis Apollonius, cujus in I. de Oratore, c. XXVIII. meminit Cicero, in admittendis discipulis adeo dicitur fuisse oculatus, ut qvemcumqve putaret non posse in Oratorem evadere, eum dimitteret, aut ad eam artem, cui maximè idoneum existimabat, exhortaretur. [20] Sunt qvidam, nisi instituantur, admodùm socordes: qvosdam continet metus; alii rursus aut dedignantur imperia, aut nimiâ formidine impulsi tremunt ac debilitatem sentiunt: sunt item qvi facilè percipiunt, & continere fideliter neqvaqvàm possunt: effluit enim mox, velut id qvod ceræ inscriptum & radiis solis subjectum tandem liqvescit. [21] rursus invenias, qvi qvidem difficulter percipiant, at semel perceptum fidelissimè retineant, qvorum ingenia Clean-

provinciam satis magnô conduci non potest. Qvanti æstimas salutem filii tui, tantô pramiô dignum existima bonum præceptorem. Aristippus quô vix alius fuit philosophus in responsis dexterior, qvùm prædives quidam ageret de filio committendo, rogaretque philosophum, quantum mercedis posceret, poposcit mille drachmas. Qvum dives admiratus postulationis impudentiam, exclamaret: Hui ista summa servum emere licebit. At nunc, inqvit Aristippus, duos tibi servos parabis, filium & eum, quem filio conduxeris. Non improbanda videtur illorum sententia qvi domi pædagogum alunt, donec tenerior est liberorum ætas. Sic enim & melius consultum est pueritiæ, & formatoris ingenium propiùs inspicere licet. Hæc Vivienus. *Præceptores*, inqvit Dn. Morhof. II. Polyhistoris Litterar. c. X. p.m. 453. *in prima infantia optimi deligantur: non eruditi solùm, sed & optimô judiciô practicô præditi, cujus prima lineamenta impressa per totam vitam discipulum comitabuntur; Plusqve exiguô tempore sub magistro tali proficiet puer, qvàm cùm à stulto homine; unus non indocto, pravos mores induet, totâ vitâ vix exuendos.*

Cleanthes tabulis æneis & vasis angusti oris appositâ certè similitudine comparare solebat. [22] Pindarus in Nemeis, ingenii promptitudinem & velocitatem per aqvilam ostendit, sumptâ ab eo comparatione, qvòd prædam etiam procul distantem mirâ pernicitate nanciscatur, visuqve ita polleat, ut profundissima qvæqve perspiciat: qvæ omnia ingeniorum acumini valdè sunt accommodata. [23] Porrò verum est illud, qvod Plinius Nepos in epistolis *d* ait; *recta ingenia debilitari verecundiâ, perversa confirmari audaciâ.* [24] Præcox autem illud naturæ genus in qvibusdam; *qvi provecti temeritate qvidqvid possunt ostendunt*, & *verba singula imperterritô vultu nullâqve suffusi verecundiâ proferunt*, *nec multum* (ut cum Qvintiliano, lib. I. c. III. loqvar) *præstant, sed cito*, formidandum & artificiosè tractandum censeo. [25] *Nulla enim subest vis, nec penitus immissis radicibus nititur, ut qvæ summô solô sparsa sunt semina, celeriùs se effundunt, & imitatæ spicas herbulæ inanibus aristis ante messem flavescunt.* [26] *Mihi detur* (pergit ille) *puer, qvem laus excitet, qvem gloria juvet, qvi victus fleat. hic erit alendus ambitu, hunc mordebit* (& punget) *objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiam nunqvàm verebor.* [27] Inter ingenia Latinorum, si mihi judicii libertas non eripitur, nescio, qvem M. Tullio & Virgilio Maroni meritò præferre possim. [28] Apud Græcos Homero & Demostheni palma defertur; qvorum hic inter Oratores supremam arcem obtinuit, ille verò inter Poëtas, si doctrinam & carminis majestatem spectes, contextam ex lauro coronam meruit. [29] Deniqve inter Philosophos excelluerunt divinus Plato & acutissimus Aristoteles, eosqve imitabuntur illi omnes, qvi non dico jam in procinctu stant, verùm ad Castalios latices propiùs accesserunt. Sed hæc de ingeniorum diversitate. [30] Meminerint porrò præceptores pueris inculcare liberalium artium præstantiam, nobilitatem, utilitatem, & earumdem Deum authorem: sæpissimè autem conjungendam his esse virtutem, hoc est (ut explicatiùs dicam) pietatem, *e* sine qva Philosophus versipellem cam

d lib. IV. n. VII.

e Pietatem] Qvoniam hujus apud paucissimos ratio habetur præceptores, nihil mirum informationem juventutis nostræ tam infrugiferam esse. Qvis Curatorum inqvirit hodie in pietatem ipsius scholæ præficiendi Præceptoris, sufficit ut se is illius religionis esse dicat, cujus Magistratum esse scit. Nisi Parentes hic partium suarum fategerint, spes in ceteris erit fallax: Timotheus ab infantia sacras litteras didicit, qvas à Loide avia, & Eunice matre accepit, 2. Timoth. Ias. III. 15. atqve in eo studio tantum profecit, ut in verbi Dei summum concionatorem tandem evaserit: Tantum valet à teneris annis pia institutio. Hortatur etiam exemplum Joseph & Mariæ, Luc. II. 41. f. parentes debere non solùm per se studiosos esse pietatis, ac libenter obtemperare publico ministerio Ecclesiæ, sed ad id etiam, liberos adsvefacere, svôqve exemplô alios parentes, eô dem eos ducere, ut à teneris amare religionem ac verum Dei cultum, & libenter interesse publicis concionibus discant, utqve verè rerum divinarum cognitionem teneant: alioqvin

eam esse dixit calliditatem. 31 Habebunt communes aliqvot locos breves, & adversus singula vitia, qvibus illa ætas vivit obnoxia, maximè efficaces. 32 hùc accommodabunt fabulas, historias, & qvidqvid ex perenni fontis scaturigine unqvàm profluxisse legitur. 33 Semper divinum qvid Phœbeis fidibus eorum auribus insonabunt. 34 & cùm plerumqve in seriis versetur, festivis ac lepidis aliqvando salibus obrepentem torporem excutient, animumqve langvidum exhilarabunt, ut tandem, si doctrinam spectes, nihil possit esse rarius; si facundiam, nihil admirabilius; si festivitatem, nihil amabilius. 35 Qvò pactò fiet, ut non vereantur de præceptore,

qvin qvomodo domesticis suis præerunt? Præcipua ergo laborum pars esse debet, ut juventus à teneris annis ad veram Dei cognitionem & cultum adsvescat, & amare cælestem doctrinam maturè incipiat, nec ignoti hac de re versiculi, qvos juventuti qvondam à doctissimo, & venerandæ senectutis viro doctore Joanne Cæsareo præscriptos memini, qvi ita habent.

Si Christum bene scis, satis est si cetera nescis.
Si Christum nescis, nil est qvod cetera discis.

Non poterit igitur prodesse multarum artium cognitio, nisi vera Dei cognitio accedat? Juvenem omni disciplinarum genere excultum existere, nihil prodest. si parum Christianus, parum civilibus moribus sit præditus: qvare in primis ad cognitionem unius Dei mox ducendus instituendusqve est: utqve sacras literas legat, ex qvibus verum Dei cultum discet. Origenes adhuc puer in divinis scripturis exercitatus est, pater autem illi haud mediocre adjumentum ad earum cognitionem contulerat, qvòd præter liberalium artium studium etiam harum non postremam curam adhibuerat: nam cumprimis illum, anteqvàm gentilium literarum exercitio traderetur, in sacris disciplinis exercuerat, ac qvotidie certum qvid, qvod edidicisset ac recitaret, exegerat. Et hoc studium puero non fuerat ingratum, sed animum adeò ad illud adhibuerat promptum, ut contentus non esset simplici & obviâ sacrorum verborum lectione, sed jam amplius aliqvid inqvireret, & profundiores theorias scrutaretur, ita ut patri negotium facerct subinde interrogando. Hæc Eusebius. Qvòd si omnes patresfamiliàs hunc pium patrem Origenis imitari adniterentur: bone Deus! qvàm mox omnia in Ecclesia Christi miserè collapsa restituerentur: nunc sanè Apostolicam Ecclesiam renovatam reflorescere, cum salute multarum animarum haud dubiè conspiceremus. Nam pro magna parte Ecclesiæ Christi gloria dependet ex hujusmodi pia sanctaqve educatione & institutione. qvare omnes pios patres hortor & obsecro, ut hunc sanctum patrem Origenis imitentur: nam hoc si fecerint, sentient qvantum salutis & commodi familiæ suæ conciliarint, ac rursum cogitent qvantum dedecoris & damni suis advehant qvi suos negligunt. Joannes Ægyptius vir pius solebat homines ad se consilii capiendi causâ advenientes monere: ut liberos suos rectè educari, & sacris literis institui curarent, cujus consilium, utinam multi patres seqverentur. Porrò qvia exempla bonorum virorum plurimum in docendo habent ponderis, Catonis de paterna cura erga filium exemplum hic describam: Cujus nunqvàm tantæ, neqve tam multæ fuêre occupationes, ut qvum recens natus Cato filius lavandus esset, omnia

ceptore affirmare, Phœnicem eum esse, aut Socratem, aut Platonem, aut Aristotelem, aut Senecam, qvi omnes propter exqvisitam doctrinam, & morum innocentiam principum institutioni præfecti fuisse leguntur. 36 Unicè tamen cavendum, ne invidiæ *f* stimulis erga discipulos agitetur, qvisqvis ille tandem fuerit, id qvod in Græciæ sophistis aliqvando reprehendit Socrates, cùm sua se candidè communicaturum promittebat. 37 Ad qvid illa Heracliti obscuritas, qvam Deliô natatore opus habere Philosophus dicebat? 38 Ad qvid illa Pythagoricorum numerorum involutio, ex qvibus constare volebant animam? 39 Dixeris fortasse prophanum eos vulgus à cognitione rerum arcere voluisse (namqve & eam caussam prætexit Plato in epistola ad Dionysium) veterésqve sapientes arcana sua ænigmatum nodis & fabularum involucris texisse. 40 Placet responsio, verùm in iis, qvæ scire nostrâ tantopere non interest. 41 Nam qvid attinet in disputatione de rerum caussis & ipsa natura adeoqve primis artibus flexibilibus in utramqve latus sententiis uti, tum consultò obscuritatem affectare? 42 Ad hæc ut cum laude maximoqve puerorum profectu qvilibet in hac sua vocatione versentur, balbutiens pueri os post tradita elementa mox ad Latinè garriendum formabunt. 43 Et ut idipsum feliciter succedat, obiter nonnulla interpretabuntur, eaqve ut imitentur admonebunt. 44 Loqventes collaudabunt, si qvid dictum erit ineptius & solœcismum sapiat, emendabunt. 45 Hoc enim efficiet, ut circumspectiùs & accuratiùs, imò tandem tersiùs

omnia non reliqverit, ut ipse lotioni semper interesset. Cui postqvàm ætas ad discendum idonea fuit, nunqvàm alium qvàm se magistrum dare voluit. Et qvum ab amicis moneretur, ut eam curam alicui servo erudito traderet, respondit ferre se non posse, ut servum inspiceret filio aures divellicantem, tali tantâqve curâ si nunc multi adficerentur patres potiùs, qvam stultè aucupio & venationibus intenti in aves & canes conferunt: non tam sæpe contingeret, ut ex generosa arbore arbutei fructus legerentur. Hujusmodi hominis Ethnici exemplum meritò nos ad diligentiorem curam excitare debebat. Nam si Cato homo Ethnicus tam accurratè filium docet, nos qvi Christo nomen dedimus, nullâ curâ aut amore instituendæ sobolis adficiemur? sed ἄστοργοι manebimus præsertim in opere tam necessario, & officio tam pio & sancto? Vulgus hominum putat cum filiis optimè actum, si literis humanioribus tantùm ornentur, & pietatis studium & exemplar in totum negligant: verùm, totô errat cælô. Puero enim initiò fundamenta pietatis tradenda sunt, ut noscat se qvàm sit infirmus, & pronitate naturæ malus: ut nihil sit, nec possit, nec valeat sine ope Dei: Illum implorandum crebrò & bonâ fide, nec speret se qvidqvam omnino adseqvuturum esse absqve ejus auxilio. Qvanta sit cæcitas, & fraus in animis vulgi judicantis de bonis, & rerum æstimatione: Nos inimicos Dei reconciliatos illi esse per crucem filii ejus. Deum ut omnipotentem metuat, ut conscium vereatur, ut datorem & beneficum amet: talia & hujusmodi multa alia instillanda sunt pueris.

f Invidia] Vide omnino part. I Methodor. nostr. n. I. c. XX. p. 42, n. VI. c. XXXVIII. p. 231. s.

fiùs ac politiùs loqvi consvescant. 46 Juvabunt teneriores præmia, vel blanda, g qvod Flaccus ait, crustula: terrebunt mulctæ, incitabit ex lege condita provocatio. 47 Inde cùm Grammaticis præceptis imbuentur, dabunt operam, ut selectiores qvoqve loqvendi formulas ceu flosculos, qvibus utantur, præscribant, easqve doctas & faciles & jucundas. 48 Nec abhorrebunt à proverbiis, à chriis & apophthegmatibus. 49 Deniqve donec hôc officiô funguntur, non existiment velim serviles operas se præstare, id qvod existimârunt olim Romani, qvi ad Græcos & Asianos imò servos & vilissima qvæqve mancipia id muneris delegabant, verùm potiùs in honesta, liberali, pia, utili & necessaria functione versari. 50 Judicent cerdones qvidqvid velint, ferant judicium rhedarij, tantùm illi fixas in mente habeant veterum historias, qvas de recta puerorum institutione priori capite perstrinxi.

g Blanda] At Flaccus I. Sat. I. v. 25. non *crustula* vocat *blanda*, sed doctores blandos.

--- --- Ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores ———

C A P U T III.

De Discipulis.

1 Jam tempus est, ut peculiari capite de Discipulis agam, & primùm qvidem de ætate instituendi pueros. 2 Qvidam enim idoneos literis esse voluerunt sextô ætatis annô, plurimi septimô; cui sententiæ poëtam Hesiodum adstipulari non pauci tradiderunt. qvàmqvàm & Eratosthenes idem præceperit. 3 Nonnulli putant ingenia exactè judicari annô decimô: sic itum est in diversas sententias. 4 At Chrysippus nullum † planè tempus literis vacare voluit; qvamlibèt enim parum sit, qvod prior ætas contu-

† *Nullum planè tempus*] Parentes, qvod rectè monet sæpius à nobis laudatus Vivienus, lib. III. de Officio Probi Patrisfamiliàs, c. V. p. m. 160. filios suos statim qvum doceri possunt per ætatem adsvefaciant, ut ipsi invocent Deum & filium ejus, & paullatim tradant eis summam Euangelii. Deniqve qvum pueri sint magna pars Ecclesiæ, sciant parentes & præceptores sibi non exiguum thesaurum commendatum esse, qvare præstent fidem & diligentiam in docenda & regenda juventute. Gypsô enim madidô statim utendum, qvòd celerrimè siccetur: ita statim fingenda est pictate, literis, & moribus ætas rudis priusqvàm durior non admittat manum fingentis. Gypsum, etiamsi jam induruit, tamen tundi rursum, & in farinam resolvi potest: simulatqve semel induruit adolescentis ingenium ætate, vitiisqve, non potest refingi. Decet itaqve parentes esse solicitos, ut statim tenellam ætatulam instituant: nam ut Gypsum

contulerit, cur tamen qvantulumcumqve lucrum illud fastidiamus? [5] Est sua studiis infantia, est adolescentia, est juventus, est ætas virilis. [6] præmansum in os inserendum est primum, dum adhuc puer incertâ voce circa literarum formas hærens vagitum edit. [7] festinandum in difficillimarum syllabarum combinatione censeo, nec priùs accelerandam lectionem qvàm indubitata copula sine ulla cogitandi mora verba suppeditant. [8] Ubi lectionem [b] certam adsecuti fuerint, paullatim continget emendata velocitas. [9] Tum haud prorsus absurdum fuerit, puriores aliqvot sententias cùm ex Poëtis tum ex Philosophis iterum atqve iterum lectione ruminandas proponi, qvòd rudibus animis impressæ memoriam firment & exerceant. [10] Absit obscura inter dentes murmuratio verborumqve conculcatio, aut vehe-

Gypsum aut argilla, dum est uda, in qvamvis imaginem facilè seqvitur fingentis manum: ita rudes animi ad omnem disciplinam sunt idonei. A teneris annis instituendam esse juventutem svadet P. Paullus Vergerius, cujus hæc sunt verba: *Jacienda sunt in tenella ætate fundamenta bene vivendi, & formandus est animus ad virtutem, dum tener est & facilis qvamlibet impressionem admittere: juvenum enim ætas prona est ad peccandum, ac nisi majorum exemplis contineatur, facilè semper in deteriora prolabitur:* Qvare ut scriptò reliqvit Ludovicus Vives: *Oportet à prima infantia bonis artibus intendere, & ad sapientiam omni conatu conari, non enim erimus in senectute sapientes, nisi juvenes sapere experimur.* Et Joannes Murmellius ait: *Filii sunt à pueritia bonis moribus & literarum studiis adsvefaciendi: Dum faciles animi juvenum dum mobilis ætas.* Nimirum, sicut infantium membra, simul ac nati sunt, formari componiqve debent, ut recta miniméqve obliqva fiant: ita puerorum mores principiò aptè concinnéqve fingere convenit. Illa namqve novella ætas ad fingendum facilis & tenera est, & ipsorum animis, dum molles adhuc existunt, disciplinæ meliùs instillantur, difficiliùs enim qvæ dura sunt molliuntur: ita & doctrina dum puerilis adhuc animus est, insculpuntur. Qvare poëta Phocilides illud monuit:

Dum tener est natus generosos instrue mores.

Si autem ab ipsa infantia rectas, verasqve institutiones animò conceperint, eas in senectam usqve retinebunt, verùm si neglecti ad maturiorem ætatem accesserint, tum gravi cum difficultate, molestia, & labore doceri se permittunt, imò sæpiùs & oleum & opera perditur. Nam (ut est in proverbio)

Colla canum vetera, nolunt attingere lora.

Et arbores cùm senuerint altéqve radices suas fixerint si transplantentur, rariùs ex earum fructibus commodi & gaudii aliqvid accipiunt eorum coloni. Asperi & indomiti pulli, in optimos eqvos evadere solent, si qvis illis adhibeat disciplinam rectamqve institutionem, ita faciendum est cum generosis ingeniis. Qvare nihil consultius, qvàm statim ab ineunte ætate filios bonis piisqve disciplinis imbui. Summum igitur studium piorum parentum esse deberet, rectè familiam à primis annis instituere. Confer omnino Fabium, qvem noster præ oculis habuit, I. Institut. c. I.

[b] *Lectionem certam*] Qvæcumqve vitæ ratio deligetur, illud communiter omni-

vehemens literarum expressio, vel clamor usqve ad ravim, aut syllabarum tædiosa dilatatio. [11] Clara lectio non tantùm prodest ad bene intelligendum, verùm etiam non mediocriter ad stomachi digestionem. [12] Vox enim, ut tradit Plutarchus, spiritus motus non in superficie sed penitus intestina corroborat, & calorem auget, & sangvinem attenuat, universas expurgat venas, aperit arterias, supervacaneæ humiditatis vim nullam in his vasis figi permittit, qvæ cibum assumunt & concoqvunt. [13] Et Plinius testatur non tam vocis qvàm stomachi caussâ clarè se solitum lectitare. [14] Si qvem pudor deterreat, eximendus est præmiorum pollicitis, aut laude potiùs in adultioribus. si metus, calcaribus opus habebit. [15] Priusqvàm despondeat animum, Demosthenis & Isocratis, qvem eloqventiæ parentem appellavit Cicero, II. de Oratore, c. III. exempla proponentur. [16] Etenim hic tantoperè fuit ejus expers, ut nec unam qvidem orationem memoriter pronuntiare valuerit, alter ille à canibus literam r discere non erubuerit, tum etiam ad litus maris & intra privatos parietes se exercens diutinô improbôqve labore distinctam ac dilucidam in loqvendo pronuntiationem atqve actionem comparare. [17] Cùm aliqvousqve provectus est in litteris, in primis assvefiat, cùm terminatam sententiam viderit, in legendo subsistere, qvæ si primô congressu non sat probè intellecta fuerit, revocandus erit gradus, & attentiore mentis acumine repetenda: donec obaudiens sensus diligentiâ pulsantis excitetur. [18] De traulismo, ischnophonia & malcre qvid aliud dicam, qvàm ut corrigatur qvantum potest, vitetur qvantum licet, ejuscemodi datum à natura vitium? [19] Nec tamen contentus erit præceptor, semel docuisse multa, verùm ter qvater idem inculcabit, ut inhæreat profundiùs. [20] Nam ut vascula angusti oris affatim infusam materiam non recipiunt, sensim instillatam lubenter admittunt: sic puerorum titubantia adhuc ingenia discendi copiâ & gravitate deprimuntur, in paucis & rebus minoribus faciles præbent ad discendum animos. [21] Adeo ut considerandum in primis sit, qvid ferre valeant eorum humeri, & qvid omninò recusent. Verùm hæc posteà fortassis accuratiùs. [22] Nec ignorabit, qvisqvis is sit, qvi manum subdiderit ferulæ, primum discendi gradum amorem esse præceptoris.

omnibus pueris inferendum est, ut articulatè explanatéqve consvescant pronunciare, deinde ut expeditè legant ac scribant. E liberis plurimum est tùm solatii, tum utilitatis. At lectione ejus, qvi non promtè legit, delectari non potest. Inde & apud veteres ut expedirentur ore verba ritè, in infantia statim adhibitus est *primus vocis enodator* ut Tertullianus vocat de Pallio, c. V. qvi qvomodo singula qvæqve verba, qvâ voce, qvôqve motu oris pronuncianda essent, præcipiebat; qvod qvâ Methodô factum, docet Fabius in I. c. II. & Martianus Capella de Grammat. Accedebat Phonascus, qvibus ii insuper operam dabant, qvi Cantores Tragici, aut Comœdi, aut Oratores etiam esse vellent. Qvô pactô ore satis formatô & facultate dicendi in Rhetorum scholis cum tempore acqvisitâ, verba publicè facturi procedebant in medium.

ptoris. [23] ut in eminentes summosqve semper evaserint viros, qvi debitum illis & honorem [i] & gratitudinem exhibuerunt, inglorii manserint, & eruditionis expertes, qvotqvot refractarii suam in obstrependo contumaciam declarârunt. [24] Placet hoc dynastarum [k] exemplis confirmare, ut, qvod hic præcipio, aliqvando factum breviter ostendam. [25] Qvid? Nonne Trajanus Imperator Plutarchum præceptorem summoperè veneratus est? [26] Nunqvid M. Antoninus Philosophus Frontoni Cornelio & Apollonio statuas Senatusconsultô permissas impetravit? [27] An ne Cicero totius eloqventiæ parens nominatim in scriptis præceptores celebrat, Philonem scilicet Academicum, Mutium Scævolam Jurisconsultum, Antiochum Ascalonitam, Xenoclem & Apollonium oratorem? [28] Idem facit Galenus, Augustinus, Hieronymus, & alii doctissimi qviqve viri dignam gratitudine mercedem, hoc est eruditionem consecuti. [29] At Claudius Nero; qvi plagarum, qvas puer acceperat, memor, Senecam in pollice pedis vena sectâ interfici madavit, rectè lutum sangvine maceratum & monstrum hominis vocatus fuit. Nec procul ab hac impietate abfuit Galeanus Sfortiæ Dux, qvi vindictæ cupidus Nicolaum Montanum præceptorem & virum pænè decrepitum virgis cædi imperavit. [31] Sed & illud, qvod Zonaras refert, qvia non prorsus à nostro proposito abludit, præcedentibus accommodare non verebor. [32] Cùm enim Theodosius duos haberet filios, ac ut literis probè imbuerentur, Arsenico Diacono virtute & eruditione tum temporis celebri viro eos commendâsset, ac proinde cum iis non ut cum Imperatoribus sed tanqvàm plebejis agere jussisset, imò sicubi non facerent officium plagas adhibere, de improviso ludum ingressus pueros in sellis collocatos, Arsenicum verò stantem deprehendit, atqve ita docendi munere fungentem. Tum graviter indignatus Theodosius, præcepit, ut pueri deinde stantes discerent, Arsenicus verò sedens doceret. [33] Paullò pòst cùm pro delicto certo mulctatus esset Arcadius, iratus insidias præceptori struxit, adeoqve percussorem subornavit. Olfaciens id Arsenicus clam in Ægypti solitudinem sese illatebravit. Qvæsitus autem ab Imperatore nusqvàm inveniri potuit. [34] Tradit tamen Nicephorus, lib. XII. c. XXI. Arcadium ipsum, cùm Arsenicum vitam agere sanctissimam cognovisset, misisse ad eum, qvi veniam delicti suô nomine impetrarent. [35] Vides ergo qvantum adultus Imperator præceptori detulerit? Agnoscit culpam, deprecatur facti veniam arguente remorsu conscientiæ, pueritiæ contuma-ciam

[i] *Honorem & gratitudinem*] Lege hic Hadr. Junii Epistolam, qvam ad Jacobum Meysterum Præceptorem suum scripsit, p. 47. s.

[k] *Dynastarum exemplis*] Magnus Alexander Aristotelem, apud Erasmum in IV. Apophthegm. n. 41. p. m. 325. s. edit. Basileens. M D XXXV. in 8t. cui puer formandus fuerat traditus, summâ veneratione proseqvebatur, dicens, se illi non minus, qvàm patri debere, qvòd à patre vivendi, à præceptore bene vivendi initium accepisset.

ciam & cæcutientem per se iracundiam in caussa profitetur. 36 Qvisqvis ergo fueris, fac primùm præceptores venereris, non, inqvam, floccifacias & tanqvàm semisses aut tresses contemnas homines, imò potiùs, ut parentes animorum & virtutum figulos colas ac suspicias. 37 Si qvid mandaverint, obtemperes & in animo recondas. sciscitantur? caput aperias: adhortantur? aures arrigas: animadvertunt in vitia? æqvô animô feras. 38 Qvidqvid legitur, qvidqvid dicitur, qvidqvid inculcatur, tanqvàm ex tripode profectum verissimum esse credas. 39 Inter contubernales & coætaneos modestè verseris, arma scholastica in promptu habeas, *l* minerval suô tempore persolvas. 40 Nam & olim mercede Magistros docuisse testatur

l Minerval suô tempore persolvas] Magni, inqvit Desiderius Heraldus, libr. II. de rerum Judicatarum auctoritate, c. XII. §. XII. XIII. f. p. m. 342. f. edit. Paris. M DC XL. in 8t. & veri Philosophi non modò pecuniam non exigebant, sed nec accipiebant ab iis, qvos docebant. & eos qvi secus faciebant τοὺς λαμβάνοντας τῆς ὁμιλίας μισθὸν, ἀνδραποδιστὰς ἑαυτῶν, eleganter appellabat Socrates, *suipsorum plagiarios*, διὰ τὸ ἀναγκαῖον αὐτοῖς εἶναι διαλέγεσθαι παρ' ὧν ἂν λάβοιεν τὸν μισθὸν, *qvòd cogerentur cum iis disserere de philosophia, à quibus eam ob rem mercedem accipiebant*, sicqve libertatem suam vendebant, & ideo, qvi gratis eô munere defungebantur, eos dicebat idem Socrates ἐλευθερίας ἐπιμελεῖσθαι, *suæ libertatis curam habere*, apud Xenophontem, lib. I. de dict. & fact. Socratis. Atqve is hanc constituebat differentiam inter philosophos & σοφιστὰς, qvòd illi gratis, ac liberaliter philosopharentur, sive de philosophia cum honestis adolescentibus, & virtutis studiosis inqvirerent, ac differerent; hi autem acceptô pretiô, τὴν σοφίαν ἀργυρίου τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας, σοφιστὰς ἀποκαλοῦσιν, sub finem ejusdem libri. Tales erant Prodicus Ceus, Gorgias Leontinus, Hippias Eleus, Polus Agrigentinus, & alii plures, qvi per urbes vagabantur, ubi juvenes generosos, & opulentos ad se invitabant, ac pecuniâ emungebant, qvod tradebat Plato, tàm in apologia Socratis, qvàm in Theagene; Qvare σοφιστὴν definiebat in Protagora, ἔμπορόν τινα, ἢ κάπηλον τῶν ἀγωγίμων, ἀφ' ὧν ψυχὴ τρέφεται. *Mercatorem, sive cauponem, & institorem ejus commeatus, quô animus alitur;* qvippe τὰ μαθήματα περιάγοντα κατὰ τὰς πόλεις, καὶ καπηλεύοντα τῷ ἀεὶ ἐπιθυμοῦντι, *qui scientiam per oppida circumvehit, eam cauponans, & vendens cuilibet, qui rem desiderat.* Et ideò eorum professionem eleganter idem ille adpellabat in sophista, ψυχεμπορικὴν, & μαθηματοπωλικὴν. Qvæ qvidem professio eò erat odiosior, qvòd prima eorum dogmata erant de contemptu divitiarum. Eleganter qvoqve Lucianus in Nigrino: μάλιστα δὲ ἐμέμνητο τῶν ἐπὶ μισθῷ φιλοσοφούντων, καὶ τὴν ἀρετὴν ὤνιον ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς προτιθέντων. ἐργαστήρια γοῦν ἐκάλει, καὶ καπηλεῖα τὰς τούτων διατριβάς. ἠξίου γὰρ τὸν πλούτου καταφρονεῖν διδάξοντα, πρῶτον ἑαυτὸν παρέχειν ὑψηλότερον λημμάτων. *Præcipue verò eos commemorabat, qui pactâ mercede philosophantur, virtutemqve ipsam venalem, tanqvàm in foro, proponunt, qvorum scholas, officinas & caupones adpellabat. Censebat enim eum, qui divitias contemnere docere vellet, primum debere seipsum à capturis ejusmodi præstare alienum.* Illi igitur non tam philosophi, qvam sophistæ. Cicero, lib. IV. Academic. Qvæst. c. XXIII. *At quis est hic? Num sophistes? Sic enim adpellabantur ii, qui ostentationis, aut quæstus caussâ philosophabantur.*

testatur Macrobius, lib. I. Saturnal. c. XII. inter qvos tamen primùm constituit Protagoram IX. Moral. Aristot. [41] Sic tandem fiet, ut tu rara avis & in-

bantur. Atqve ita se cognominabat Protagoras, qvi primus ex philosophia qvæstum fecit, qvod dicebat Socrates apud Platonem, dialogô Protagoræ nomine inscriptô; *σὺ δὲ καὶ αὐτὸς ἀγαθὸς εἶ, καὶ ἄλλους οἷός τ' εἶ ποιεῖν ἀγαθούς. καὶ οὕτω πεπίστευκας σαυτῷ, ὥστε καὶ ἄλλων ταύτην τὴν τέχνην ἀποκρυπτομένων, σύ γ' ἀναφανδὸν σεαυτὸν ὑποκηρυξάμενος, εἰς πάντας τοὺς Ἕλληνας σοφιστὴν ἐπονομάσας, σεαυτὸν ἀπέφηνας παιδεύσεως, καὶ ἀρετῆς διδάσκαλον, πρῶτος τούτου μισθὸν ἀξιώσας ἄρνυσθαι.* *Nam & vir bonus es, & alios quoque bonos efficere potes: & ita tuis viribus es fretus, ut cùm alii hanc artem occultent, atque dissimulent, tu palam teipsum solemni qvôdam praeconiô depraedices, teque apud omnes Graecos sophistam cognomines, eruditionis & virtutis magistrum te professus, primusque hôc nomine mercedem tibi dependi postuláris.* Sanè Socratis, & Platonis ea in re abstinentia paucos habuit æmulos: nec tamen philosophia fuit Socrati ipsi sine aliqvo emolumento, si verum est qvod dicebat Aristippus apud Diogenem Laërtium, locô, ni fallor, non omnino sanô. Sic igitur in Aristippi vita, c. LXXIV. *πρὸς τὸν αἰτιώμενον, ὅτι Σωκράτους μαθητὴς ὢν ἀργύριον λαμβάνει. καὶ μάλα, εἶπε καὶ γὰρ Σωκράτη, πεμπόντων αὐτῷ τινῶν καὶ σῖτον, καὶ οἶνον, ὀλίγα λαμβάνοντα, τὰ λοιπὰ ἀποπέμπειν. εἶχε γὰρ ταμίας τοὺς πρώτους Ἀθηναίων. ἐγὼ δὲ Εὐτυχίδην ἀργυρώνητον.* Hæc sunt perturbata, nec satis cohærent, qvæ facile cohærebunt, si ita scripseris, *πρὸς τὸν αἰτιώμενον, ὅτι Σωκράτους μαθητὴς ὢν ἀργύριον λαμβάνει. καὶ γὰρ Σωκράτη, πεμπόντων αὐτῷ τινῶν καὶ σῖτον, καὶ οἶνον, ὀλίγα λαμβάνοντα, τὰ λοιπὰ ἀποπέμπειν. καὶ μάλα, εἶπεν. εἶχε γὰρ ταμίας*, &c. *Cùm argueretur à quodam, qvòd, cùm esset Socratis discipulus, pecuniam à discipulis acciperet, Socratem enim, quum frumentum, & vinum quidam ei mitterent, paucis acceptis, cetera remittere solitum. Non mirum, inquit; siquidem Socrates primos condos habebat Atheniensium principes; ego autem Eutychidem servum meum.* Nempe Aristippus Socraticorum primus mercedem à discipulis suis exegit, *μισθὸν εἰσεπράξατο*, qvod scribit idem Diogenes. Socrati autem multa multos pro suis qvemqve facultatibus offerre solitos ostendit Seneca, lib. I. de beneficiis, c. VIII. Sed nihil nisi moderatè accipiebat, nec pecuniam unqvàm. De Platone idem dicendum, cujus discipulo, & ejusdem in schola successori exprobrabat Dionysius Syracusarum tyrannus, Platonem *ἀτελεῖς φάσαν τοὺς παρ' αὐτὸν φοιτῶντας ποιῆσαι*, qvasi immunitatem discipulis suis dedisse; cum autem *δασμολογεῖν, καὶ παρ' ἑκόντων, καὶ ἀκόντων λαμβάνειν*, *quasi tributum à suis exigere, sive suâ sponte conferentibus, sive invitis.* Ergo Socratis, & Platonis abstinentia paucos habuit sectatores; plures paciscebantur cùm discipulis, & anteqvàm eos docere inciperent, partem mercedis exigebant; reliqvam post disciplinam traditam dari sibi stipulabantur. Menippus apud Lucianum: *τούτοις ἐγχειρίσας ἐμαυτὸν, καὶ συχνὸν ἀργύριον, τὸ μὲν αὐτόθεν ἤδη καταβαλὼν, τὸ δὲ εἰσαῦθις ἀποδώσειν ἐπὶ κεφαλαίῳ τῆς σοφίας διομολογησάμενος*: *His*, philosophos dicit, *cùm me tradidissem, & ingentem pecuniam statim ab initio eis dependissem, atque aliam cùm ad sapientiæ summam perventum esset, soluturum me spopondissem.* Qvod non valde alienum est ab ea cautione, qvâ Ulpianus significare videtur juris civilis professores sibi cavisse, aut cavere debuisse, ut honor, id est, honorarium in ingressu sacramenti

& inter multos unus in toto disciplinarum circulo aspirante divinô Æsculapiô exercitatissimus evadas.

menti sibi obferretur, *l.* 1. §. *Proinde De extraord. cogn.* Si autem, qvod pacti erant philosophi, non solvebatur, num judicem adire poterant? Negat Ulpianus; & tamen narrat Lucianus in Hermotimo, philosophum, cui merces pacta non erat soluta die dictâ, cum à qvo ea sibi promissa erat, ad præsidem traxisse obtortô collô, *ἀπαγαγεῖν πρὸς τὸν ἄρχοντα. περιθέντα αὐτῷ θοἰμάτιον περὶ τὸν τράχηλον.* Qvod, etsi fortasse fictum erat ab eo, tamen significat ejusmodi pacta in judicium deduci potuisse, & alibi ita loqvitur qvasi ejusmodi actiones non fuerint valde infreqventes; qvod an verum sit nescio; sed docet nos Ulpianus id esse contra juris rationem. Sanè Symmachus lib. II. Ep. XXI. *specimen florentis*, inqvit, *esse Reipubl. si disciplinarum Professoribus opulenta præmia pendantur.* Atqve ideo olim literaria *res*, ut Seneca pater qveritur in I. Controvers. Præfat. p. m. 65. Tom. III. Operum Senecæ, edit. Amstelodam. CIↃ IↃC LXXII. in St. *in deterius qvotidie data est*, qvia, *cùm præmium pulcherrima rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multò honore qvæstuqve vigentia.* Profectò *ubi emolumentum deest & negotii caussa cessat inqviri*; ut Fulgentii verba habent in principio Mytholog. *Homines enim ad aliqvod studium aut præmiis aut fructibus incitantur. Omne autem studium torpescit dilatione*, scribit in l. de Pœnitent. Ambrosius, c. XVI. *Qvi ergo tangit sudoris præmium, frangit studium dimicandi*, dicit Ennodius dictô XXII. En cur mirandum non sit, qvòd in omni genere doctorum examussitatum Præceptorem reperire rarissimum sit hodie? Eloqventiæ, Philosophiæ, Lingvarum studia, qvia parum qvæstuosa sunt, temporum horum infelicitas ex Academiis proscribit, & lex est Egestatis: *Rumorem parvi faciendum esse*, ut ait apud Turpilium ille, *dum sit qvi rumen expleas*, nec *adeò fama adsistendum Poëtica*, ut pulchrè ait Fulgentius Grammaticus, *sed fami consulendum domestica* (in princ. Mythol.) Deniqve ut est apud Martial. lib. I. Epigr. CVIII. v. ult.

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci
Pingve solum lassat, sed juvat ipse labor.

CAPUT IV.

De Animadversione puerorum.

[1] Jam verò, qvamqvàm satius sit blanditiis agere, vel interdum solô verborum terrore, qvasi mox subsecuturæ sint ferulæ, tamen id restrictum ad minimos velim, ad qvorum stupidam adhuc & hebetem naturam aliqvando connivendum nemo prudens ignorat. [2] Nec enim id hic tantoperè considero, qvod post Plutarchum Fabius, lib. I. c. III. adfert, *servile sibi videri* verberibus tundi, *nec cuipiam mentem esse tàm illiberalem, ut objurgatione non corrigatur*: imò si non emendetur, tùm eum adversus plagas,

plagas, ut pessima qvæqve Phrygum mancipia, callum obducturum, cùm idipsum omni potiùs conveniat ætati: verùm qvod Baptista Gvarinus aliqvando monuit, ne, qvi primùm literis applicantur, tùm eas oderint, cùm necdum gustare cœperint. [3] Adultioribus severior adhiberi potest disciplina, sic tamen ut [m] rarò detegantur corpora. [4] Nihil est, qvod æqvè præceptorem decet, qvàm suô locô indulta clementia, vel minus conveniat, qvàm solutô mentis repagulô præceps in iram effusio. [5] Cùm enim hæc plus qvàm ferina destomachatio in consvetudinem abit, tùm metu verberum non suôpte ingeniô themata component, aliorum coloribus se vestient, sibi qvod ex usu fiet, aliis suffurabuntur. [6] Et illa est capitalis studiorum pestis, ut qvæ profundam & pertinacem inertiam generat. [7] Adde qvòd illi jam incipiant dolore tangi, metu concuti, verecundiâ frangi, ut tandem objurgatorias præceptorum voces, quæ tanqvàm aculei animis infiguntur, formidare incipiant. [8] Refugiunt lucem, vix erigunt vultum, meditantur depellere socordiam, laborem intendere, qvidqvid admonitum est, memori mente retinere. [9] Hic multum possunt adhortationes, qvibus ad honorem & gloriam incitantur, si priores anteverterint; nec minus dedecoris cautiones, si operam luserint, aut ignaviores aliis in certando succubuerint. [10] Et ut magis nescire qvàm discere pudeat, opponantur minores tàm ætate qvàm eruditione provectioribus: hi errata corrigant, & victos locô dimoveant, imò longiùs propellant. Tunc videas lachrymis rigari genas, demitti in terram vultus: est enim insita nobilibus animis gloriæ qvædam cupiditas, amor sui & fuga vituperii. [11] Ut bene sit dictum à Tullio; I. Tuscul. c. II. *Honos alit artes, omnésqve incenduntur ad studia gloriâ, jacéntqve ea semper, qvæ apud qvosqve improbantur.* Et pro Archia Poëta, c. XI. *Trahimur omnes laudis studiô, & optimus qvisqve maximè gloriâ ducitur.* Ovid. V. Trist. El. XII. v. 37.

Deniqve non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

[13] Manifestum est itaqve certatim æmulando eos reddi alacriores, ipsamqve aliàs per se vitium ambitionem virtutum freqventer esse caussam, ut Fabius, lib. I. c. II. docet. [14] Sicut enim illa firmiores in literis profectus alit, ita incipientibus & adhuc teneris imitationis est locô. [15] Subduntur faces ad amplectenda nova, eademqve rursus conjungenda proximis,

[m] *Ut rarò detegantur corpora*] Paret hinc qvàm verè Jesuita Pontanus, I. Progymnasm. LXXVII. totô, p. m. 156. s. Præceptores in Protestantium scholis ut meros Orbilios traducat ac ineptos. Sed qvoniam, qvid sit pudere, soli Jesuitæ nesciunt confidentissimi homines, atqve extra pudoris terminos saltum expediverunt, qvâlibet occasione datâ, contumelias, qvibus scatent, in immerentes etiam indiscriminatim effutiunt.

mis, velut implicitæ arboribus vites inferiores amplectendo ramos in cacumina tollunt: hinc aspirant ad summa, dant locum priora consequentibus. [16] At qvia Fabius cædendos esse discentes omninò negat, audiamus & cetera, qvæ subseqvuntur. [17] *Denique*, inqvit, lib. I. c. III. *cùm parvulum verberibus coëgeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & majora discenda sunt?* [18] Et paullò pòst: *pudet dicere, in quæ probra nefandi homines istô cædendi jure abutantur, quam det aliis qvoqve nonnumqvàm occasionem hic miserorum metus.* [19] *Non morabor in parte hac, nimium est qvod intelligitur.* [20] *Quare hoc dixisse satis, in ætatem infirmam & injuriæ obnoxiam nemini debere nimium licere.* Hæc ille. [21] Verùm nec ego servilem in castigandis pueris animadversionem probo, cùm etiam Jurisconsultus lege eum Aqviliâ teneri scripserit, qvi discipulum eluscaverit, qvasi damnum injuriâ datum foret: tantùm in officio pœnarum metu continendam juventutem existimo. [22] Si delinqvat, tum in juniores levius, in grandiores acrius dispensari supplicium volo, habitâ tamen delicti & circumstantiarum accuratissimâ ratione. [23] Atqve hinc est, qvòd Chrysippus non improbaret in pueros animadverti, atqve etiam in omni bene constituta republ. nervos adversus malè agentes reqvisiverit Demosthenes. [24] Obsecro si qvædam delicta, qvorum fons & scaturigo est turpis ac scurrilis improbitas, nullô modô feruntur in viris, eáne ferenda sunt in juvenibus, in adolescentibus, in pueris, in infantibus? [25] Qvis adeo stupidus atqve vecors, ut ex re futurum credat, qvod ab omnibus sapientibus hactenus damnatum est? [26] Sed me reprimam: non sesqvipedalibus verbis & ampullis agendum, at potiùs rationibus & sacræ scripturæ authoritatibus. [27] *Qui virgæ parcit*, inqvit Salomon, Proverb. XIII. 24. *odit filium suum: qui autem diligit constanter erudit illum.* Item, c. XXIII. 13. *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percusseris cum virgâ, non morietur.* Rursus, c. XXIX. 15. *Virga & correctio tribuit sapientiam.* [28] Ut enim absinthium gustu qvidem amarissimum est, verùm comestum ac devoratum cùm lumbricos tùm omnem intestinorum fæcem perpurgat: ita sanè peccantis hominis correctio licet primâ fronte maximè gravis & acerba sit, prolapsum tamen in scelerum voraginem tandem in meliorem semitam reducit, omnésqve delictorum sordes eluit ac emundat. [29] Atqve ego sanè sæpiùs reipsâ comperi pueros arctiori disciplinâ cohibitos præceptoribus summam gratitudinem ac antipelargiam tribuisse, contrà protervos ac indulgentiùs habitos, ubi adolevissent, nec gratiam nec reverentiam ullam præstitisse.

CAPUT V.

De Schola.

[1] Qværi solet à nonnullis, an facilius domi [a] an in scholis erudiantur pueri? [2] Ad qvam qvæstionem dissolvendam eqvidem dissimulare non placet, qvosdam inter privatos olim parietes feliciter fuisse institutos, verùm interim publicam scholarum freqventiam duplici potissimùm ratione præferendam. [3] Prima est qvod distribuantur hic in classes pueri, & reciprocâ contentione ad certamina virtutumqve præmia incitentur, tum successu superior victô coætaneô superbit, alter qvi victus herbam porrexit, præ dolore ad depellendam ignominiam & talione feriendum adversarium stimulatur. [4] Tum gliscit illa contentio, qvam laudat Hesiodus, nempe flagrantibus facibus puellorum animos ad discendum incitans: qvæ sola plus potest, qvàm omnis pædagogorum custodia, parentum vota, & amicorum exhortatio! [5] Secunda est, ut hominum assvescant turbæ, ne, si qvando in publicum prodeant, præ inutili verecundia, qvam dysopiam vocant, sileant, animumqve despondeant. [6] Non enim id solùm Philosophis & Oratoribus qvibusdam obtigisse legimus, verùm & nostri temporis viris alioqvi gravissimis & doctissimis. [7] Qvod autem existimant in scholis corrumpi mores, qvamvis non pernegem, tamen, ut verum omnino fatear, induci non possum [8] Potest enim & domesticus ille præceptor esse turpis, & domi proclivior ad malum qvàm foris educatio. [9] Qvid si tum adsit mens ad pejora facilis, & (qvod Persiano juveni contingebat) supina segnities, & formandi negligentia, & violati pudoris in ætate prima flagitium? [10] Actum scilicet est de moribus honestis, qvos haud melior tandem conseqvetur institutio. [11] Adde, qvòd nullus hic aut certè non tam magnus sit metus, qvô possit insolentia retundi. [12] Haud manum verterint, si verbis increpentur, atqve ita sensim laxatis habenis in suam perniciem ruunt. [13] At enim, qvis illud in publicis gymnasiis formidet? qvis ullam pædotriben ita malè constitutam vidit, ut exularet virtus, primas obtineret vitium. [14] Eqvidem incassum Philosophus Plato Academiam erexisset, Aristoteles Lycæum, Zeno Stoïcus Pisiaracteam porticum, nisi publicam illam professionem & institutionem juventuti proficuam existimâssent. [15] Qvid dicam de Cynosargi & Prytanæo, de Corinthiorum Cranio, de schola Berytiana, Byzantina, Antiochena, Laodicea, pluribusqve aliis à maximis etiam viris ad reip. utilitatem

[a] *Domi an in scholis*] Vide Qvinctilian. I. Instit. c. II. & part. I. Methodor. nostrar. n. XIV. c. X. p. 592. Item Ludov. Cellotii Parisiens. Jesuitæ Oration. IX. p. m. 191. s.

tatem erectis ac institutis? [16] Demus privatam hanc docendi curam qvibusdam feliciter cessisse, (nec enim id unqvàm negatum est) verùm qvis inde vanum & infrugiferum credat tanqvàm nimis calidum nostrum hoc consilium, aut me jugulatum ac satis convictum, qvi publicam institutionem amplector? [17] Unus Tigranes à Philosopho qvodam perbellè fuit edoctus, unus Dion à Platone privatim scilicet, solus Augustus ab Apollodoro, solus Trajanus à Plutarcho, solus Scipio à Panætio. [18] Contrà infeliciter à Seneca Nero, à Theodoro Sophista Tiberius, ab Onesicrate Commodus, à Fabio Domitianus, à Maximo Julianus, ab eodem Platone tyrannus Dionysius. [19] Qvotus etiam qvisqve est, qvi sic instituatur, ut à Scauro L. Verus Antoninus, à Lyside Thebanus Epaminondas, à Lactantio Firmiano Constantinus, à Frontone M. Antoninus Philosophus? [20] At in scholis aliqvot millia rectè vivendi præcepta unà cum liberalibus artibus perceperunt: [21] Ibi non corpus, sed animum saginârunt: ibi vacuam adhuc mentis humanæ tabulam castis ac Philosophicis opinionibus occupârunt; ibi deniqve inculpatâ vivendi ratione comparatâ totum hominem adversùs Chimæras & Circes pocula præmuniverunt. [22] Sed & Principes scholas publicas freqventâsse legitur, qvos cùm omnes præsens non capiat pagina, carptim aliqvos nec minimos omnium nec etiam deterrimos commemorabo. [23] Primus ante alios Pompejus erit, qvi cùm ex Asia reversus omnes bonarum artium professores audivisset, singulis auri talentum obtulit: atqve eumdem Posidonium Philosophum licèt graviter ægrotantem invisisse testatur Cicero, Tuscul. qvæst. II. c. XXV. [24] Tiberius Rhodi salubritate delectatus, circa scholas & auditoria tam assiduus fuit, ut illi hoc à plerisqve probro daretur, teste Svetoniô, c. XI. [25] M. Antoninus Philosophus ab avo paterno adoptatus & studiis humanioribus addictus, Apollonii Stoïci domum Musis & Gratiis dedicatam sæpissimè discendi gratiâ accessit. [26] Eamdem diligentiam de se exhibuit Aragonum & Siciliæ rex Alphonsus, ut in ejus vita testatur Antonius Panormitanus. [27] Qvod ergo tot homines docti, tot principes, tot Imperatores multis abhinc annis suis approbârunt suffragiis, solus & unus homuncio præposterô contemptu elevabit? Ne dixeris: [28] Sic statuendum est, scholam esse pietatis & virtutum officinam, cumqve illam ingrederis, tum te non solùm coram angelis sisti, verùm etiam coram Deo, qvoniam (ut Plato ait) gratam de se famam sparsit in omnes artes, omniumqve bonorum author meritò prædicari debet. [29] Cogitabis illìc formari & fingi mentem hominis, qvæ nisi evulsis spinis & eversis ruderibus debitô modô colatur, parum equidem aut nihil omninò discriminis inter participem rationis hominem erit, & inter animalia, qvæ bruta vocamus. [30] Tales ibi comparari divitias credes, qvales nec tempus adimere, nec falces demetere, nec ignis exurere, nec ulla vis hominum eripere potest. [31] His nihil est præstantius, nihil dulcius, nihil optabilius, nihil à Deo datum utilius. [32] *Hæ adolescentiam agunt*, (ut inqvit Tullius, pro Archia, c. VII.) *senectutem*

nectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. [33] *An ullum* (inqvit idem) *fieri posse putas civem egregium, qvi non sit iis eloqventiæ artibus & bonis disciplinis eruditus?* [34] *An ulla alia esse putas rudimenta & incunabula virtutis, qvibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur?* [35] Sanè ex hoc vivendi instituto facilè qvilibet suam vitam commodè traducit, etiamsi ne minima qvidem divitiarum ramenta suppetant. Undè Biantis illud *Omnia mea mecum porto.* [36] Qvin etiam Dionysius tyrannus opulentissimus, cùm regnô & opibus exutus ad restim propemodùm adactus esset, ludum literarium Corinthi aperuit, ne paupertatis ac inediæ jugô premeretur, à qvo professione se vindicabat. [37] Ad hæc cùm tantus nobis innatus sit cognitionis ardor, ut qvidam nec valetudinis nec rei familiaris dispendiô à maxima illa discendi voluptate deterreri qveant, tùm qvoqve scientiâ præstare pulchrum, labi autem & errare, nescire & decipi turpe judicemus: qvæso cur scholas publicas animorum palæstras non suspiciamus, foveamus, amemus. [38] Qvod ergo V. Tuscul. c. II. Philosophiæ dixit M. T. id, si placet, ad nostrum qvoqve propositum applicetur: *Ut schola sit vitæ dux, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, sine qva nec vita hominum qvidqvam potuisset: ut illa pepererit urbes, dissipatos homines in societatem revocaverit, literarum & vocum communione junxerit: ut illa sit legum inventrix, morum & disciplinæ magistra, tum qvod vitæ tranqvillitatem largita fuerit.*

CAPUT VI.

De Labore. *

Sed qvoniam ante omnia improbus labor juventutem decet, qvòd in molli lecto non recubet veneranda scientia, superest, ut hujus qvoqve utilitatem orationis penicillô breviter & affabrè depingam. [2] Si quis ergo in primis apum & formicarum naturam exploret, non parvam sedulitatis materiam inde sibi comparabit. [3] Tradunt enim scriptores non solùm interdiu, verùm etiam noctu laborare formicas, magnôqve nixu per eamdem semper viam & ad eumdem locum, in qvo cetera reposuerunt, pedibus illa tam vasta semina volutare. [4] Apes autem tantâ industriâ camosin, pissoceron & propolim struunt, tantâ contentione provolant, cùm sudum est cælum, tantô rigore cessantium inertiam castigant & puniunt, ut vix credas in tam exiguo corpusculo tantam posse latitare providentiam. [5] Qvod ergo

* Dictum hoc de argumento part. I. Methodor. nostrar. n. I. c. II. p. 12, n. XIV. c. VI. p. 587. s.

ergo natura parens brutis ingeneravit, ab homine alienum esse debet? [6] Audi Salomonem, Proverb. VI. 6. *Piger*, inqvit, *vade ad formicam, & disce laborem.* [7] Certè si non aliqvam etiam noctis partem honesto studiô impendas, par est, ut hoc animalculum imiteris in habenda temporis ratione, vel apum seqvaris sedulitatem:

Qvarum aliæ (ut inqvit Poëta, in IV. Georgic. v. 158.) *victu invigilant, & fœdere pactô*
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lachrymam & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquidô distendunt nectare cellas.
Sunt, qvibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inqve vicem speculantur aqvas, & nubila cæli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine factô
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent:
Fervet opus, redolentqve thymô fragrantia mella.

[8] Dici non potest, qvantum in omni re valeat assiduus labor, adeò, ut nihil omninò tam sit difficile, qvod inqvirendo neqveat investigari. [9] Qvid? qvod neminem unqvàm, nisi fortè ingenii prodigiô contingeret, sine impenso studio usqve adeo in disciplinis profecisse legerim? [10] Inter Cæsares Julius, Augustus, Adrianus & M. Antoninus Philosophus censeri possunt, inter sophistas Helius, inter Philosophos Democritus, Cyneas, Phædo, Cleanthes, Carneades, Antisthenes, Epictetus, Plato, Aristoteles, Plinius & Apollonius Tyaneus; inter Astronomos, Euclides, Archimedes, & Ptolemæus; inter Poëtas Plautus & Virgilius; inter Grammaticos Didymus & Aristarchus; inter pictores Apelles & Protogenes. [11] Qvemadmodùm ergo, ut ferreus globus in laminæ vel bracteæ latitudinem extendatur, ignis primùm & deinde incus reqviritur, ut super hanc tandem malleô contundatur: ita etiam in comparanda rerum cognitione ante omnia necessarium est, ut igne laboris ingenium hominis exerceatur, hinc ut molestiarum ictibus defatigetur. [12] Qvot labores ad pejora labili juventuti Lycurgus olim instituit? [13] Et qvantopere Gelon Siciliæ tyrannus Syracusanam sobolem ad agriculturam exercebat? [14] An non ipse Origenes, qvamvis inopiâ premeretur, sex tamen librorum millibus septem notarios assiduè scriptitantes defatigavit? [15] Nunqvid Nicasius Verdanus, qvi trimus visum amiserat, & utriusqve Juris & Theologiæ peritissimus evasit? [16] Eqvidem ut moly herba difficulter effoditur, sed adversus veneficia efficax præstat remedium: ita, qvæ pulchra sunt & præclara, non nisi magnô negotiô & cultu comparantur. [17] Sed & Jupiter omnia laboribus vendidisse legitur: [18] Ut non abs re dixerit Lyricorum princeps, in Arte Poët. v. 412.

Qvi

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit:
Abstinuit Venere & Bacchô. —— ——

[19] Nec est, quod quemquam ab animi proposito divellat qualiscumque tandem fuerit rerum illustrium difficultas, vincit enim tandem ac dispellit omne fastidium voluptas, quæ virtutis præmium comitatur. [20] Excavantur durissima quæque saxa perpetuô suggrundiorum stillicidiô, attritu manuum æs & ferrum conteritur, taurorum corpora jugi exercitatione delassantur. [21] Qui nucleum vult, necesse est ut frangat nucem. [22] Ardua est virtutis via, quæ dextrum callem petit (ut est in Pythagoræ litera) verùm quæ fessis requiem firmumque justitium præstat, ubi summum cacumen superatis sentibus ac tribulis attigerunt. [23] Generosos animos labor nutrit, adeoque familiaris sedulitate evadit, ut etiam non sentiatur.

Herculem duri celebrant labores,
Ultimus cælum labor irreflexô
Sustulit collô, pretiumque rursus
Ultimi cælum meruit laboris.

[24] Teguntur apibus mella, in spinis nascitur rosa flos unus omnium gratissimus, ex intimis terræ visceribus aurum effoditur, jacet in profundo puteo veritas & liberalium artium cognitio. [25] Ut quid ergo detrectamus industriam, præsertim cùm amarities sensim mollescat, & in dulcedinem versa perpetuas gignat voluptates? [26] Dum vires & anni sinunt, dum sudoribus aptum est corpus, dum per datam occasionem licet, dum ingenium fervet, impendendus est improbus labor ingenuarum artium cognitioni. [27] *Otium* * *sine literis mors & vivi hominis sepultura* judicetur. [28] Unusquisque existimet nihil magis deesse quàm tempus juxta Zenonis sententiam. [29] Advenit & nemo sentit: labitur & labendo fallit. [30] Dies diem trudit & nox noctem: dimidium vitæ somnus consumit, tertiam partem joci & nugæ. [31] Ut benè monuerit Cato *a* otii reddendam esse rationem. [32] Et rectè Plato in re quapiam honesta collocandum esse docuerit. [33] Ac proinde studiosa juventus semper ab oculos habeat illud Ovidianum in Fastis, *b* Astrologis destinatum:

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exseruisse caput.
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiave labor.
Non levis ambitio, persusaque gloria fucô,
Magnarumque fames sollicitavit opum.
Admovêre oculis distantia sidera nostris,

Æthe-

* Seneca, Ep. LXXXII.

a In principio suarum Origin. laudante Tulliô pro Plancio, c. XXVII.

b lib. I. v. 297.

Ætheraqve ingenio suppoſuêre ſuo.
Sic petitur cælum, non ut ferat Oſſan Olympus,
Summaqve Peliacus ſidera tangat apex.

CAPUT VII.

De Lectionem Ordine.

[1] QVoniam verò in ſtudiis certâ Methodô & ordine opus eſt ne ſiniſtrâ accipias qvod dextrâ porrexit Timotheus Muſicus, etiam in hac parte literariæ reip. conabor ſatisfacere. [2] Manè ergo, ſi minores fuerint, genera nominum & verborum, præterita unà cum ſupinis exactè recitabunt, horâ nonâ declinabunt & conjugabunt, aut Ciceronis epiſtolas audient, aut deniqve in Eraſmi † colloqviis deſudabunt. [3] A meridie operam dabunt ſyntaxeos regulis, & exemplis juxta earum præſcriptum formandis. [4] Ad has variæ orationis ſtructuræ accommodandæ ſunt, ut cùm eas iterum atqve iterum ventilatas ac recoctas animis impreſſerint, faciliùs inde epiſtolas Latinô idiomate vertendas fingant ac componant. [5] Hic elaborandum, ne qvid muſſent, vel auribus inſuſurrent, vel ſub lingva immurmurent, vel ultimas ſyllabas clarâ voce pronuntiandas devorent. [6] Horâ porrò tertiâ in Terentio exponendo & reddenda lectione, diſcuſſis etiam leviſſimis qvibuſcumqve minutiis occupabuntur. [7] Si verò ceſpitent, & in re qvapiam hallucinentur, per alios aut vivâ præceptoris voce ceteris omnibus ignorantibus emendandum cenſeo: ſic tamen ut negligentiæ pœnam luant. [8] Ceterùm ſi primarii fuerint, illis horâ matutinâ ſextâ tradenda ſunt Rhetorica & Dialectica elementa: namqve hæ duæ artes mutuas (qvod ajunt) operas agunt, ut ea de cauſſa rectè Philoſophus Ariſtot. lib. I. Rhetor. c. I. ἀντιστρόφους vocitaverit. [9] Auditâ nonâ, Virgilium aut Horatium, aut plenum eruditionis Faſtorum volumen audient, ut etiam cum artificio carmina meditari conſveſcant. [10] A meridie Cyri pædia, vel Iſocratis oratio ad Demonicum explicabitur. [11] Neqve hic omnino qvidqvam, qvantum ad verborum declinationes, inconcuſſum relinqvendum eſt. vel potiùs ad Homeri & Heſiodi lectiones traducantur, ut tandem & Græcos verſus incipiant pangere. [12] Ex hiſtoricis, ſi qvis prælegendus erit, ob aſtrictam brevitatem maximè commendarem Salluſtium, atqve hinc Juſtinum, qvamvis non perinde nitidum. [13] De Livio non ſatis candidè prædicat Joannes Ludovicus Vives, cùm ait: *Qvorſum illa Livii prolixitas, qvam in ſupputandis temporibus & narrandis rebus geſtis affectat? Qvid ad nos bellorum exitus & decertandi rationes? Qvoties de rebus & nomenclaturis digladiatur? Qvoties improbat qvod narravit, & velut incertus fidem ſibi ipſi derogat? Nec mirum, ex confuſis enim & ſuſpectis ob vetuſtatem annalibus ſua ſcripta*

† Dixi de his part. IV. Animadverſion. mear. c. III. §. I.

scripta compilavit. [14] Ceterùm ego cum Beroaldo in contrarium me procliviorem fateor : ut videlicet Livius noster dulcis, candidus, † effusus & grandiloqvus lacteâ qvâdam ubertate pascat lectorum animos, exsurgat sententiarum gravitate, delectet rerum varietate. [15] Qvapropter rectè Qvintilianus, lib. X. c. I. (ut cetera omnia) Livium inter reliqvos scriptores in scholis præcipuè legendum adserit. Sed hæc fortasse nihil ad rem. [16] Horâ ergo tertiâ vel qvartâ pomeridianâ vacabunt Aristotelis Moralibus, vel Galeni opusculo ad Glauconem de curatione, adeoqve symptomatum caussis ac differentiis, aut Græcis Theophili * Institutionibus, ut, cùm ablegati fuerint in Academias, tum suam qvisqve naturam ducem jactis anteà fundamentis inseqvatur. [17] Qvamqvàm non diffitear authorum lectiones pro cujusqve palato in qvascumqve diei horas posse dispensari. [18] Qvô pactô autem in explicatione versandum sit, infrà latiùs explicabitur. [19] Pertinet etiam ad studiorum ordinem veterum in classes surrogatio, cui certè nec trimestre, nec semestre spatium lubet præscribere. [20] Sicut enim diversa sunt ingenia, ita qvoqve diversi sunt profectus. ut multi magnô suô detrimentô cum aliis, qvibus impares sunt eruditione, in altiores classes recipiantur. [21] Nullus ergo qvinto loco asscribetur, nisi præter exactam legendi rationem, nominum declinationes & comparationes, ipsasqve verborum conjugationes, etiam in generibus nominum, dehinc præteritis & supinis aliqvousqve progressus fuerit. [22] In qvartum nullus asscribetur, nisi in omnibus Grammaticæ partibus probè fuerit institutus: ut à qvintanis in sola prosodiæ cognitione tum Græcorum rudimentorum memoria & epistolas absolutiores componendi modo dissidium faciat. [23] Ad tertianos asciscetur is, qvi jam carmen procudit, & Grammaticum cursum, qvi basis est totius reliqvæ structuræ, undeqvaqve perfecit. [24] At qvicumqve Græcas facit epistolas, & in benè dicendi ac disputandi rudimentis apprimè versatus est, illum in primariorum album referendum existimo. [25] Tum exercendus est in iis thematibus, qvorum aliqvis deinceps usus in vita esse potest. [26] Ubi reddita fuerit declamatio, criticum aget præceptor apud universum auditorium. [27] Considerabit primùm, qva de re dicatur, hinc qvis, qvô tempore, ad qvos fingatur descriptam orationem recitare: tum verba, sententias, argumenta & ordinem examinabit: hinc qvàm commodè rei, de qva agitur, hôc vel illô tempore conveniant. [28] Nec adeo attendet, ut argumenta omnia sint exacta & inevincibilia, qvàm ne sint inepta: cùm in hac arte nihil sit indecorô turpius. [29] Atqve hactenus de servando lectionum & classium

† Vide qvæ de Livio dico part. IV. Animadv. c. II. §. III.

* Commendo editionem Parisin. MDCXXXVIII. in 4to, qvam Carolus Annibal Fabrotus Antecessor Aqvisextien-sis è tribus MSSis codicibus Bibliothecæ Regiæ recensuit, & scholiis Græcis auxit. Idemqve Jacobi Curtii Latinam interpretationem emendavit, & Notas adjecit.

sium ordine, qvem etiam in aliis rebus omnibus utilem & pulchrum prædicavit Xenophon.

CAPUT VIII.

De Repetendis Lectionibus.

[1] Ubi domum regressus fuerit puer, mox ea, qvæ dicta vel lecta sunt ab institutore, suôpte Marte retractâbit. [2] Si non præsens est omnium memoria, vel scrupulus aliqvis & nodus hæreat, doctiorem consulet, operamqve commilitonis vicariam efflagitabit, aut asteriscô ad marginem annotatô primâ datâ occasione præceptorem ipsum percontabitur. Sine hac enim unicè necessaria exercitatione nullus unqvàm egregiè profecit. [3] Verùm sigillatim omnia proseqvar, & juxta captum uniuscujusqve repetitionem dispensabo. [4] Si ergo aliqvousqve progressus est in literis, conabitur in primis totius textus sententiam conceptam in animo domesticô sermone explicare, tum verborum origines & constructiones diligenter investigare. [5] Si nihil est in his difficultatis, in orationis ornatum, in dicendi rationem, in venustas phrases atqve adeo in res ipsas oculos conjiciet. [6] Hic proverbium & insignem aliqvam sententiam venabitur, illic colorem Rhetoricum & argumenti vim perpendet. [7] Ubi qvid delectaverit vehementiùs, caveat præter casam (qvod ajunt) fugere. figat pedem & à seipso rationem exigat, cur tantopere sit eâ oratione delectatus, & cur ex ceteris non parem ceperit voluptatem. [8] Indagabit authoris consilium, qvâ qvidqvam ratione dixerit. [9] Si non intellexerit, de integro percurrat, donec animi votô potiatur. [10] Si qvædam breviter sed insigniter scripta sunt, frontibus librorum & calcibus inscribet. [11] Qvædam etiam annulis aut poculis, si nihil obstiterit, insculpet. [12] Nonnulla pro foribus & parietibus depinget, ut nusqvam non occurrat, qvod eruditionem adjuvet. [13] Sic fiet, ut & rectè loqvendi & rectè scribendi formulas semper in promptu ad compingendam orationem habeat: cùm videlicet ea, qvæ priùs elabebantur & velut erraticæ qvædam imagines animo obversabantur, in immobilem mentis habitum pedetentim derivantur. [14] Etenim non ars sola est, qvæ sufficit ad virtutem comparandam, nec etiam ipsa natura, si destituatur exercitatione; verùm hæc tria inter se complicata atqve connexa qvamlibet artem perficiunt & absolvunt testantibus id Aristotele, Galerô & Plutarchô. [15] Imò, qvantum ad me, dixerim exercitationem † facilè primas obtinere. [16] Nam licet omnium artium semina ab opifice Deo mentibus homi-

† Vide qvæ habentur part. II. Methodor. nostrar. n. VIII. p. 435. f. & in hoc ipso Volumine III. n. I. p. 62.

hominum ingenerata sint, ut multi solô mentis acumine difficillima qvæqve protulerint, tamen haud scias, qvàm ægrè tenebras omnes ingenium perrumpat, si non stimulis qvibusdam excitatum urgeatur ac instigetur. 17 Exercitatio purgat aurum, argentum & ferrum: 18 Exercitatio corroborat corpora torporemqve dissolutum discutit: 19 exercitatio animos nostros ad humanitatem omnemqve sapientiam excolit, ut inhumanæ sunt nationes illæ, qvæ sub cæli cardinibus inertes socordiam ipsæ suam desidendo augent. 20 Sapienter in Theæteto Plato: *Motu*, inqvit, *facit videri gigni rem, & esse, qvies autem non esse atqve interire.* 21 Ut breviter dicam, qvosdam ad exercitationem adigit necessitas, ut Ægyptiorum sacerdotes: qvosdam præmiorum illectamenta: aliqvi spe gloriæ concitantur, nonnulli ut sint in existimatione, inter qvos Philosophos ipsos lubet recensere. 22 Sic varia hominum ingenia se expediêrunt, ut latentem veritatem ex abditis naturæ claustris eruerent, & artes, qvibus nihil omnino præclarius est, dispulsâ ignorantiâ excolerent. 23 Fateor ipsos multùm adjutos luce naturali, cùm illa scrutandi veri cupiditatem in animis generaverit, & qvò ferendus esset gradus demonstraverit, verùm interim prima illa rudimenta per mortalem industriam perfecta crediderim. 24 Et qvidni? Illa enim difficultatem amovet, confusa digerit, obscura declarat, occulta reserat, mentis aciem expolit, & velut ad cotem exacuit scoriamqve defricat. 25 Sed fortasse latiorem, qvàm par est, excursum facio. 26 Aliorum erit ergo sibi, qvod ex usu fiet, hinc desumere. 27 Qvod autem ad præceptorem attinet, eqvidem illi consultum velim, si repetitiones & examina lectionum instituit, eas mox, ubi altus in suggesto sederit, retractare. 28 Alioqvi enim inter legendum suspensi discipulorum animi nec satis attenti erunt ad seqventia, nec memori cogitatione præcedentia retinebunt.

CAPUT IX.

De Studio.

1 Declaratum est jam anteà levi brachiò, qvò pactò in primis elementis instituendi sint pueri, ut, cùm rectè cognoscunt & differenti sonô pronuntiant characteres, tandem etiam in latiores Grammaticæ campos introducantur. 2 Verùm illa contractiùs dicta fortassis, jam paullò exactiùs ad incudem revocabo. 3 Cùm itaqve perfectum jecerint fundamentum (ut singula repetam) & omnes ejus artis partes affatim hauserint, Latinus aliqvis author non barbarus, non impurus, sed tersus, simplex, atqve adeò elegans prælegendus est. 4 Aberit omnis orationis fucus, verborum phaleræ, & Rhetorum colores, præcipuè si ad mores censendos faciet. 5 Curan-

randum erit enixè, ut etiam tunc omnis orationis ſtructura, qvócumqve modô digeſta ſit, juxta regulas velut ad Lydium lapidem exigatur: [6] nempe ne rurſus excidat atqve in auras evaneſcat, qvod eorum animis impreſſum nondum inſculptum radices egit nimis imbecilles. [7] Si minus aptè reſpondeant ad id, quod ter aut qvater eſt inculcatum, æqvum eſt, ut vapulent, & moroſæ oblivionis pœnas luant. [8] Sic tamen ut moderatus ſit animus, hoc eſt, ab omni affectu vacuus, ne ſtomachô iracundô committatur, qvod infectum aliqvando volet, cùm in ſe deſcenderit animus. [9] Unde * Poëta.

——— Qvi non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor qvod ſvaſerit, & mens,
Dum pœnas odiô per vim feſtinat inultô.
Ira furor brevis eſt, animum rege; qvi, niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catenis.

[10] Rectè Publius Mimus: *Homo extra corpus ſuum eſt, cùm iraſcitur*: [11] nec compos erat animi ille apud Terentium, Adelph. III. II. 12. poſtqvàm arderet iracundiâ. [12] Verùm ne diſcedam à propoſito longiùs, ſciendum eſt Grammaticæ Latinæ præceptis rectè traditis conjungendam etiam eſſe Græcarum literarum cognitionem, atqve eam à primis elementis inchoatam. [13] Cùm & ipſe Tullius Græca ſemper cum Latinis conjunxerit, idqve feliciſſimô ſucceſſu. [14] Certè ex ambabus his lingvis multa reliqvarum artium ſemina hauriuntur, & in rebus ipſis enucleandis altera in alterius opem amicè conſpirat. [15] Adde, qvod Græca eſt erudita admodùm & locuples: & qvemadmodùm Latina lingva alias poteſt copiâ ſuâ inſtruere ac juvare, ſic Græca tùm Latinam ipſam tùm alias qvoqve [a] auget & adornat; eſtqve perfectioni Latinitatis neceſſaria. [16] Qvid qvod multa

* Horat. I. Ep. II. v. 62.

[a] *Auget*] Cicer. II. Tuſcul. QQ. c. XV. *Græcorum copioſior eſt lingva, qvàm noſtra.* Auctore Giſaniô in p. 380. Diſſertationis de ratione diſcendar. Lingvar. perfici Lingva Latina commodè nunqvàm poterit, niſi cognitio & comparatio diligens Græcæ accedat. ex hac enim illa non ſolùm aucta & abſoluta eſt, ſed etiam ea, qvæ horridiora videbantur & incondita, polita & emendata. Ut enim Græci ſunt artium omnium & doctrinarum autores: ſic & nominum & ornatus attribuendi ſummi etiam artifices habentur, ab iis Latini omnia ferè verba, qvæ artium & diſciplinarum ſunt propria, aut ſunt mutuati, aut vias, qvibus imponerent, didicerunt. ut jam vel omnia ipſi ſuâ lingvâ adpellent, vel Græca pro Latinis trita & pervulgata babeant. qvæ commodiùs univerſa intelligemus, ſi unde orta ſint, qvò adcommodata viderimus. Sed qvia nulla de omnibus lingvis eſt, qvâ planiùs & ſignificantiùs omnia exprimantur, nulla etiam erit, cum qva Latina omnia rectiùs conferamus. nam tametſi vulgaria ſatis vernaculis lingvis proferamus, ea tamen, qvæ reconditarum rerum ſcientiâ continentur, nomina certè apud vulgus non invenerunt. neqve vel popularia adeo ſunt culta & polita, ut is ſermo

multa de natura rerum, moribus privatis & publicis, de medicina, de pietate Græcis literis mandata sunt, qvæ de ipsis fontibus & faciliùs hauriuntur & puriùs. [17] Non diutiùs ferenda est illa barbaries, qvam unà cum Cyclopica confusione Gothi, Alani, Vandali & Longobardi invexerunt. [18] Nicolaus Leonicenus [b], Thomas Linacer, aliiqve multi de Græcismi ignorantia conqveruntur. [19] Vellicat septuaginta interpretes Hieronymus: adeoqve Plinius malæ translationis arcessitur. [20] Qvàm plausibiliter dixit aliqvando Bartolus, de verbis non esse disputandum, & Græca non posse legi, qvod Accursio [c] tribuitur? [21] An non Marcelli responsa & Novellæ constitutiones Græcè conscriptæ erant? [22] Adeóne ergo parum Græcorum authoritates à Jurisconsultis materiis, qvas tractabant, accommodatas desultoriè transire? [23] Absit illa tanta cæcitas horribilesqve tenebræ à literaria republ. profectò oportet impios esse & naturâ depravatos, qvi tantam lucem, tantam gloriam, tantam dignitatem disciplinarum studiosis invident: ipsasqve lingvas, qvas oderunt, qvia non intelligunt, hæresium seminaria vocant. [24] Dictitet ergo præceptor epistolas vulgari lingvâ, atqve eas, ut Græcô Latinôqve sermone conversas reddant,

mo qvi doctis est tanqvàm patrius, ab eo illustrari & juvari possit. Varietatem certè & copiam sermonis nulla lingva suppeditat, nisi ea qvæ ab eruditis est aucta & exculta. Qvot & qvàm varios loqvendi modos apud Latinos invenias, qvos vulgari sermone vix unô modo reddimus, Græci verò singulos singulis, aut aliqvando pluribus? qvot enim sunt res, qvæ aut nullô nomine, aut barbarô & obscurô, hic verò lingvâ nonnunqvàm planiùs qvàm Latinâ exprimantur? Qvin nec explicari nec perspici penitus vis & usus singulorum poterit, nisi lumine Græcæ Lingvæ pleraqve illustrentur. nam cùm similium comparatione maximè omnia illustrari soleant, tùm maximum momentum affert, si fontes conspiciantur, unde Latina sæpe profluxisse videantur. Deinde, si singula Latina cum Græcis singulis nominibus conferantur, facilè notis illustribus qvæ similitudine ante aciem perstringebant, distingventur, separatimqve usus & ratio intelligetur: sin verò qvæ à consvetudine vernaculi sermonis, & vulgari more Latinè loqventium discedant, Græcis loqvendi modis æstimentur, incredibile est, qvàm commodè omnia perspicientur & intelligentur. Earum certe vocum usum qvibus oratio nectitur, nullius lingvæ collatione, nisi Græcæ conseqveris: qvòd ii soli collocandæ & constituendæ orationis autores sint, & summi architecti. Qvin potiùs si veri æstimatores rerum esse velimus, hanc lingvarum inter se collationem tantas opportunitates habere judicabimus, ut utramqve citiùs hôc modô simul, qvàm alteram separatim perdidiceris: qvòd Latina sine Græca non intelligi, Græca sine Latina explicari & tradi non potest. Qvamobrem Latini sermonis studiosi consulere sibi melius non possunt, qvàm si à studiorum initiis, iisdem fundamentis utriusqve lingvæ cognitionem extruant & jungant.

[b] *Leonicenus*] Cujus operâ Medicina loqvi cœpit apud Italos, ut Erasmus observat.

[c] Lege Erasmum ad Hieronym. Tom. IV. p. 6.

dant, sub ordinariæ pœnæ commissione jubeat. [25] Cùm exhibuerint, themata & formationes omnes perqvirat, imò in accentus & spiritus censorem agat, ipsasqve phrases aut corruptas emendet, aut hiulcas & mutilatas suppleat, operâqve suâ restauret. [26] Puer ipse librum habeat vacuis chartarum foliis consutum, in qvo annotet, qvod ex usu aliqvando esse possit, utpote cùm lectionem de scripto recitabit. [27] Ab his non. ineptè ad copiam tùm rerum, tùm verborum procedetur, qvæ undiqve ex probatis authoribus consarcinabitur: inter qvos non infimæ notæ est Laurentius *d* Valla, qvamvis superstitiosus alioqvi, & in Ciceronis admiratione nimis vehemens. [28] Hunc Adrianum *e* Cardinalem unà cum Erasmo

d De Valla dixi part. I. Methodorum nostr. n. II. p. 83. 84. n. III. p. 114. s. Hunc *optimè meritum de Latina Lingva* vocat Gifanius in de V. Ætatib. Roman. Lingvæ, §. V. p. 434. Ille ipse in Dialogo de Latinæ Lingvæ reparatione, p. m. 396. s. edit. Francof. MDCXXIV. *Sustinuerunt*, inqvir, *plerique grassantis barbariei impetum, propulsare tamen non potuerunt: Vindicant servitiò qvidem Ciceronem, Fabium, Catullum, sed hec sacra Vestalesqve curru in tutum deferre fuit: docuère Rhetoricen, alii aliqvantò accuratiùs, docuère & Grammaticen: & hoc in Qvirinalem per hostium stationes cum sacris transire: nonnulli Latinam edidère historiam, aut Græcam in Latium vertère: neqve id aliud, qvàm Gallos ex arce umbone deturbare. Erant nihilominus hostes intra mœnia, Capitolium obsidere, finitimos solicitare, eorum signa longè latéqve vagari: Camillò duce opus erat, qvi barbarum acie victum non solùm urbe, sed Italia etiam finibus ejiceret. Cui igitur summus ille honòr contigit? videlicet, à qvo patrium sermonem maximè vindicari oportuit. Romanus fuerat Furius, non externus, qvi barbaros urbe expulit: Romanus & hic, qvi barbarum sermonem prorsus sustulit. Struxerat Furius ille intra urbem legiones, qvas in hostem direxit. Struxit &* Laurentius Vallensis *accuratissimos* Elegantiarum libros, *in fœdam & horridam barbariem. Vicit, dux ipse primò intra mœnia, mox qvod reliqvum hostium fuit, ad unum foris confecit: eòdem, non aliò successu hic qvoqve Romæ primò, mox reliqva Italia inveteratum malum oppressit: restituit ille patriæ adempta signa, hic ademptum sermonem: uterqve dignus qui pater patriæ nominetur: sed eò alter dignior, qvòd plus certè fuit sermonem, qvô nihil ab ipsa natura est homini utilius datum, qvàm urbem civibus restituisse suis. Nec imutatus est hic, de qvo loqver, malos medicos, qvi cùm alios rectè curare soleant, se ipsos neqveunt. Tradidit ille elegantiarum præcepta, Romanæ lingvæ nervos: sed nihilò accuratiùs tradidit qvàm servavit. Legite (si placet) Herodotum, qvem ille civitate donavit: citentur ex Elysiis (ut Poëta dicunt) campis ipsius manes, deturqve Latinè scire, num negabit sua esse illa, qvæ videat, an potiùs cetera agnoscens, & in primis eximium candorem, tantùm mirabitur Musas, qvibus opus inscripserat, Ionicè desiisse loqvi: ceterùm omnia meliora. An aliud de Thucydide & Homeri Iliade prædicari potest? sed in eo scribendi genere non pauca accidere potuerunt, qvæ illum duriorem redderent. Age modò, & si vacat illa cognoscite, qvæ propriò fonte manàrunt, Epistolas, Orationes, Dialogos, & alia pleraqve, qvæ non ita omnibus vulgata sunt, an est eò homine qvidqvam purius? sunt qvi in his qvoqve eum duriusculum existiment: sed eruditio illa, ni fallor, est.* Hæc Gifanius.

e Adrianum] Hujus Hadriani Presbyteri

mo *f* subjungo. [29] Qvamqvàm non eam inficias ex aliis etiam autoribus seligendas esse phrases, & in Enchiridiis ad id comparatis reponendas. [30] Tum nec à chriis, proverbiis & apophthegmatibus abstinebitur. [31] Aliqvando insignis cujuspiam rei, velut magnetis, chamædis, naphtæ, palmæ, corvi, ciconiæ & polypi natura explicabitur. [32] Hinc properandum ad carminum leges, qvæ cùm sint difficilia, multum in illis desudandum opinor. [33] Ab Adonicis progredietur studiosus ad hexametra, ab hexametris ad pentametra, hinc ad Sapphica, Phaleucia & Jamborum numeros. [34] Si peccatum fuerit in metri proportionem aut prosodiæ regulas, admonebitur. [35] Si parùm qvadret carminis decursus aut mensura, in rectum ordinem digeratur: ultima primis, prima ultimis, media utriqve conjungantur extremitati; sic enim commodus tandem versus procudetur. [36] Exercitii gratiâ præposterâ verborum collocatione luxatum iterùm suis vinculis componendum proponetur. [37] Hæc enim jugis ruminatio & hinc inde tentata conjugatio pangendi carminis artificium suppeditabit. [38] Proderit etiam solutam autoris orationem pedibus alligare, nimirum undeqvaqve verborum ad condendum carmen factâ dimensione. [39] Post carminum rationem imbuendi sunt Rhetoricæ & Dialecticæ fundamentis. [40] In Dialecticis non contemnenda sunt, qvæ Augustinus & Cornelius Valerius mihi qvondam familiares doctissimè conscripserunt. [41] Præstat enim in puris versari præceptis, qvàm in ipsis Bursæ Montis Copulatis, Tartaretis, Bricot, Ecciis, exercitiis taurinis & caninis, & aliis hujus farinæ stultis sophismatibus. [42] Hi sunt, qvos ostentationis gratiâ philosophari dixit Cicero, IV. Acad. Qvæst. c. XXIII. & qvi ab inferis ipsas Cleanthis & Chrysippi argutias in lucem revocant. [43] Qvid commemorem qvæstiones illas ridiculas, utrùm res ponantur in prædicamento an

teri Cardinalis S. Chrysogoni ad Ascanium Batoniensis de Sermone Latino & modis Latinè loqvendi librum, *studiosis omnibus oportere esse qvàm familiarissimum*, rectè censet B Buchnerus in Accessionib. ad Fabri Lexicon, Voce *Ac.* Mea libri illius editio est de anno M D XXVII. sine mentione loci, in 8t. Cui addita est ejusdem auctoris Venatio, & Iter Julii II. Pontificis carmine signata.

f Erasmo] *Veteres*, inqvit disertissimus Buchnerus in Procem. libri I. p. 9. §. 9. de commutata ratione dicendi, *cùm de elocutione præciperent, de exornanda orationis figuris magis, qvàm varianda & convertenda laborârunt, atque hanc rationem vix attigerunt. E junioribus primus hunc campum* ERASMUS *ingressus est: qvem deinde secuti alii, pro suo qvisqve ingenio, hanc illustraverunt doctrinam.* Et p. 667. *Qvæ universa ratio à magno illo & verè admirabili Erasmo peculiari libello explicata & tradita est. Nos qvoqve non ita pridem nonnihil privata opera in istam contulimus rem, rogatu qvorumdam honestissimorum juvenum, qvi in hoc litterarum genere juvari nostrâ Industriâ cupiebant*, Hæc Buchnerus digitum intendens adductos ad libros de Commutata ratione dicendi, qvi hoc in studiorum genere sunt admodùm utiles & eximii planè. Habeo illos Lipsiæ editos CIƆ IƆC LXXX. in 12.

an nomina, cùm disertis verbis Aristoteles de vocibus loqvatur: qvasi verò res possint prædicari, aut nomina prædicentur, nisi res aliqvas significent. 44 An deus in prædicamento collocetur, an eôdem cetera transcendentia, ut vocant, concludantur. 45 Hic se Scotum profitetur, ille Thomam, Albertum, Occhamum, Pardum, Dullardum. 46 Verùm cum his omnibus suscipere disputationem atqve eorumdem errores labefactare, res esset nimiùm prolixa miniméqve in præsens necessariâ. 47 Tantùm illud dixerim, sana studia in animo esse volutanda, non qvæ remorantur, non qvæ intricant, non qvæ futilia sunt & omnis planè utilitatis expertia. 48 In Rhetoricis Philippum, Cornelium, & Consultum Chirium Fortunatianum non improbaverim: sic tamen ut propter antiqvitatem Ciceroni ac Fabio Qvintiliano purissimis in scribendo ac præcipiendo authoribus primas deferam. 49 Neqve omittenda est deinde Historiarum introductio, ad qvas ritè intelligendas multum lucis attulit *g* Glareanus. 50 Inter plurimos (qvod etiam anteà monui) primus est Romana Crispus in Historia: idqve ob concisum Laconismum, qvô, ut Qvintilianus testatur, nihil apud aures vacuas atqve eruditas potest esse perfectius. 51 De Justino memini me judicium tulisse. 52 Inter Græcos Historiæ pater Herodotus mendaciorum postulatur, ideoqve Diodorum præposuerim, qvi primus ex illis nugas consectari desiit. 53 Certè ad omnes disciplinas utilis est historiarum lectio, qvod ipsum ex Eusebio, Nicephoro, & Balduino Jurisconsulto constare potest. 54 Cicero ipse, lib. II. de Orat. c. IX. *testem*, vocat, *temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nuntiam vetustatis*. 55 Qvid si addas naturæ interpretem & humanæ vitæ speculum? 56 Verùm hactenus de mediocribus. Si qvi longiùs progressi, jam in Hippocrene sua labra proluerunt, illis etiam moralis & naturalis Philosophiæ elementa unà cum metaphysicis ac mathematicis tradenda sunt. 56 Qvô pactô fiet, ut acie mentis in intimum naturæ opificium altiùs defixa ipsas rerum caussas interiores scrutari incipiant. 57 Assvescent se vitæ honestati, illamqve Philosophiam, qvam Socrates nimiùm acutus inqvisitor in cælis & elementis peregrinantem in domos ac civitates abduxisse dicitur, seorsum à vanis populi opinionibus addiscent. 58 Ubi sat diu his artibus immorati fuerint, transeundum est ad solidiorem aliqvam disciplinam, Theologiam videlicet, Jurisprudentiam & Medicinam. 59 At qvoniam istæ facultates in Academiis docentur, non opus est in earum messem nostram hic falcem demittere. 60 Subjungam tantùm generalia qvædam in omni disciplinarum genere digna observatione præcepta, ut illis uti & frui possint, qvicumqve in hæc casu inciderint,

idqve

g Glareanus] *Elvetius. Is maluit*, auctore Erasmô in p. 183. Ciceroniani, edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XLIII. in 12. *in Philosophia ac Mathematicis disciplinis consenescere, qvàm æmulari phrasim Ciceronianam, cui vix convenit cum subtilitatibus Mathematicorum.*

idqve animô fincerô & benevolô profectô. [61] Qvalis qvalis ergo fuerit studiosus (provectiorem intelligo) caveat velim unicè, ut spurcos & venenatos authores terat, cujusmodi ex poëtis pleriqve sunt tum veteribus, tum neotericis. [62] Fateor astrictam illam pedibus orationem harmonicô suô concentu ac rythmô velut lenociniô qvôdam animos demulcere, verùm ut illa delectatio carminumqve venustas tandem magis officiat, qvàm prosit infectis suô veneficiô lectorum malè natis opinionibus, adeoqve pronis in omne genus turpitudinis animis. [63] Qvid ad hominem Christianum & Philosophum perditorum hominum genealogiæ? [64] Ad qvid eorum nuptiæ, stupra, adulteria, parricidia, fraudes, imposturæ, parentum expulsiones, bella, convivia, venationes, navigationes, peregrinationes, & tot metamorphoses? [65] Imò deum se in hominem convertisse, ac per alienas tegulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri? [66] At qvem deum? Qvi templa summa sonitu concutit, qvi fulmina in fontes mittit. [67] Meritò Lucianus has ineptias nasô suspendit, & Plato tales Poëtas suâ republ. exegit. [68] Interim non diffiteor fabulas ut plurimum ad moralem aliqvem sensum vel naturalem & metaphysicum, vel historicum posse detorqveri, id qvod Stoïci tentârunt olim, qvorum vestigiis cum aliis qvibusdam Phurnutus institit, verùm qvia adolescentibus nec firmum adhuc est judicium, nec perfecta rerum omnium cognitio, cavendum ab illis existimo, ne stuppa flammis addatur, vel oleum (qvod ajunt) ardenti camino. [69] Sit etiam liber animus ab omni avaritiæ & ambitionis affectu, qvò commodiùs ad veritatem (qvæ scientiæ finis est) perveniat. [70] Disciplinæ, cujus studio se devovit, totis viribus incumbat: neqve enim in diversis *b* facultatibus hominem unum ceteris omnibus præstitisse crediderim. [71] In naturalibus neminem ferè parem habuit Aristoteles, at in moralibus rebusqve divinis longè præstantiores Socratem & Platonem. [72] Philosophus & Orator fuit Cicero, sed ne comparandus qvidem ad Aristotelem, si disputandi acumen consideres. [73] Scribit item Plinius, lib. VII. c. XXVII. M. Catonem insignem fuisse cùm in arte bene dicendi, tum in Jurisprudentia, adeoqve dotibus illis, qvæ verum Imperatorem decent, non caruisse. [74] At si coætaneos spectes, & eos qvi mox subsecuti iisdem virtutibus excelluerunt, in legibus Gallô Aqviliô, in orandô M. Tulliô, & in re bellica Juliô Cæsare longè inferiorem deprehendes. [75] Legat porrò studiosus ea, qvæ reformandis

b Non datur ut rebus præcellat in omnibus unus.

——— ὀ δ' ἄρα πως ἦν
Ε'ν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι·

id est. *Neqve enim ullô modô possibile est, In omnibus operibus peritum virum effici:* sive, ut apud Lipsium vertitur in p. m. 10. Admirandorum, edit. opt. Antverp. MDCXXX. in 4to: *Nec fuit unqvàm Omnibus in rebus gnarum unum esse atqve scientem.* Homer. Iliad. ψ. v. 670.

dis moribus vel expoliendæ lingvæ, vel deniqve rerum cognitioni egregiè conducunt. [76] Sed & ordinem in legendo obſervet: nec enim ille doctus haberi debet, qvi multam ac variam librorum ſupellectilem atqve eam incognitam poſſidet, verùm ille potiùs, qvi licèt paucos ac penè detritos habeat, probè tamen diſcuſſos iterum atqve iterum ventilavit. [77] Septies Terentium evolverat Eraſmus, Xenophontem ubiqve circumferebat Scipio, Homerô delectabatur Alexander, Sophronis numeris Plato, Virgilius Enniô, Avicenna Euclide, Cyprianus Tertullianô, & Cæſaris commentariis Arragonum rex Alphonſus. [78] Porrò cùm legit, animô attentô id faciet, non oſcitanti aut vagabundô: non irâ commotus, non odiô turgidus, non variis curis diſtractus. [79] Proderunt non parùm loci communes, in qvos recondat, qvidqvid legendo vel audiendo fuerit aſſecutus: ut videlicet ex hujuſcemodi theſauro, qvandocumqve dicendi vel ſcribendi materia ſe obtulerit, ſua poſſit expromere, & facilem copiam in numerato habere. [80] Nam & minores Dictionaria comparant, ex qvibus ea, qvæ qvotidiano uſui ſunt neceſſaria, nempe de domo, luſu, veſtibus, libris, ſchola, templo, cibis, animantibus, ſtirpibus, civitate, republica, agricultura, & partibus corporis decerpuntur. [81] Qvod ſupereſt, nocturnas lucubrationes eáſqve tanqvàm inſalutares vitabit, cùm & mentis aciem obtundant, & valetudinem non parùm offendant. [82] Aberit omnis arrogantia, qvæ celſiſſimam mentis lucem perſtringit & à recto tramite in tranſverſum abducit. [83] Hæc illa eminendi cupiditas, ut videatur habere, qvæ nullus alius, aut qvæ pauci, nempe altiſſima ac præſtantiſſima. [84] Hæc admonitioni ferocem ſe præbet: contra doctiorem tanqvàm rabioſus leo conſurgit. ut rectè Philoſophus Bion impedimentum profectus vocitaverit. [85] Nihil magis inviſum eſt Deo & hominibus qvàm philautia vel cæcus ſui amor, maximè ſi adſit ignorantia. [86] Unde Comicus, Terent. Adelph. I. II. 18. 19. *homine imperitô nunqvàm qvidqvam injuſtius, qvi, niſi qvod ipſe fecit, nihil rectum putat.* [87] Superiorem nullum agnoſcit, in aliorum ſententias recalcitrat, vulgus hominum tanqvàm mundi proluviem atqve fecem deſpicit: qvamqvàm ipſemet palliotenùs & barbatenùs tantùm Philoſophiam profiteatur. [88] Si qvando labi contingit, jam errorem ita corrigit, ut magis rationem ſuæ exiſtimationis qvàm veritatis habeat. [89] Aliqvando prætexit ætatem aut occupationes, aliqvàndo tempus, ne culpa ingenii fuiſſe videatur, cujus laudem uſqve adeò ambit, ut non deforme putet, de ſeipſo falſa prædicare & cum irriſione audientium militem glorioſum imitari. [90] Delectatur deus ſubmiſſis animis, non faſtu tumidis: adeoqve humiles erigit & potentes, Nemrothi ſobolem ſuâ ſede deponit. [91] Rectè Heſiodus in ἔργοις, v. 8. & 5.

Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει,
Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει

Id eſt,

Juppiter altitonans, celſum cui regia cælum,
Perfacilè extollit, facilè elatumqve refrænat.

[92] Sed

[92] Sed & Apostolus Paullus: *Si qvis*, inqvit, Galat. VI. 3. *sibi aliqvid videtur esse, cùm nihil sit, ipse sibi imponit.* Et, Rom. XII. 16. *Ne sitis arrogantes apud vosmetipsos.* [93] Jacobus *omne bonum perfectum cælitùs à patre luminum proficisci* docet c. I. 17. [94] Ut breviter dicam, nihil est omninò, qvod alioqvin humanum dici possit, in qvo divinæ bonitatis argumenta non appareant etiam luce meridianâ clariùs. [95] Præter hæc non est ignorandum, inter tres illos studiorum fines, qvorum primi duo sanum de rebus omnibus judicium & lingvæ facundiam spectant, ultimum ac perfectissimum esse, qvi gloriam & honorem Dei concernit. [96] Is enim est, qvi gratam de se famam sparsit in omnes artes teste Platone. [97] Sed hæc sufficiant, qvoniam infrà sigillatim omnia perseqvi decrevi. [98] De legendis autem certis voluminibus, qvia grave est Annæi Senecæ testimonium, committere non possum, qvin hôc qvoqve locô referam. [99] Primum, inqvit, Epist. II. argumentum bene *compositæ mentis existimo, posse consistere & secum morari.* [100] *Illud autem vide, ne ista lectio multorum autorum & omnis generis voluminum habeat aliqvid vagum & instabile.* [101] *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliqvid trahere, qvod in animo fideliter sedeat.* [102] *Nusqvam est, qvi ubiqve est.* [103] *In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias.* [104] *Idem accidat necesse est iis, qvi nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt.* [105] *Non prodest cibus nec corpori accedit, qvi statim sumptus emittitur.* [106] *Nihil æqvè sanitatem impedit, qvàm remediorum crebra mutatio.* [107] *Non venit vulnus ad cicatricem, in qvo crebra medicamenta tentantur.* [108] *Non convalescit planta, qvæ sæpe transfertur.* [109] *Nihil tam utile est qvod in transitu prosit.* [110] *Distrahit animum librorum multitudo.* [111] *Itaqve cùm legere non possis, qvantum habueris, sat est habere qvantum legas.* [112] *Sed modò, inqvis, hunc librum evolvere volo, modò illum.* [113] *Fastidientis stomachi est multa gustare, qvæ ubi varia sunt & diversa, coinqvinant, non alunt.* [114] *Probatos itaqve semper lege, & si qvando ad alios diverti libuerit, ad priores redi.* [115] *Et cùm multa percurreris, unum excerpe, qvod in illa die concoqvas.* [116] Sic Plinius in Epistolis, VII. IX. 15. præcipit *non multa legenda esse, sed multùm.* [117] Et Qvintilianus: *ut cibos*, inqvit, lib. X. c. I. post princip. *mansos & jam propè liqvefactos demittimus, ut faciliùs digerantur: ita lectio cruda sed multâ iteratione mollita & velut confecta memoriæ ac imitationi tradatur.* [118] *Ac diu non nisi optimus qvisqve & qvi credentem sibi minimè fallat legendus est, sed diligenter & penè ad scribendi sollicitudinem.* [119] *Fieri enim non potest, ut simul multa qvispiam faciat, eadémqve omnia benè*, qvemadmodùm Xenophon ait: [120] imò collimandum in certam aliqvam metam, optimorumqve autorum attentâ lectione ad comparandam eruditionem est enitendum.

CAPUT X.

De † Imitatione.

1 Cùm ergo præter illa, qvæ præceptores in ſcholis enarrant, ſeorſum aliqva legenda ſint ſtudioſo, neceſſe eſt, ut etiam perſtringam brevibus, qvænam potiſſimùm *k* ex tanto ſibi numero deligere debeat, ut cum ingenii laude poſſit imitari, ſuamqve in naturam ac dicendi ſcribendiſqve

dſqve

† Prolixè de hac actum eſt Tomô I. Methodor. n. VII. c. XV. p. 259. ſ. n. VIII. c. XXI. p. 310. ſ. n. XVII. c. VIII. p. 703. n. XXIII. p. 743. ſ. & Tomô II. Methodor. noſtrar. n. V. c. X. p. 261.

k *Ex tanto ſibi numero deligere*] Elegantem Franciſcus Sacchinus Jeſuita de vitanda librorum moribus noxiorum lectione conſcripſit orationem, Romæ habitam annô 1603. & ſubjunctam libello ejus de Ratione libros cum profectu legendi, edito Sammieli, 1615. in 12. è qva cùm in paucorum manibus ſit, transfero ſeqventia: *Si animô*, inqvit p. 118. ſ. *circumſpiciatis Magiſtros, ex qvibus Latinè diſcimus, qvacumqve agendum de re ſit, exſtare duces, minimè virtuti contrarios, intelligetis. Placet rem cognoſcere militarem? Exſtant præ ceteris, Frontinus, ac Vegetius, qvos tutò adeatis. An ruſticam? habetis Palladium, Columellam, Varronem, Catonem, qui artem innocentiſſimam, virtutiſqve magiſtram, innocenter, ac ſanctè docent. An exſtruendarum ædium, arcium, urbium, vultis, totiuſqve Architecturæ nôſſe vocabula? Erit pro optimo Nomenclatore, Vitruvius. De Medicina cupiet qviſpiam eleganter, ac purè loqui? adeſt Plinius, adeſt Cornelius Celſus, aliiqve, qvorum egregia ſanè oratio eſt. Ille Latinam ſupellectilem optat ad Jus Civile ornandum; adeat veterum Juriſperitorum veſtiaria, totamqve Pandectarum locupletiſſimam ac mundiſſimam apothecam. Eſt, qui Philoſophiam de moribus exornare cupiat eleganti ſermone: Seneca in promptu eſt, magiſter morum optimus, Latinitatis non malus. Ille de natura diſſerere Latinè ſtudet: multa idem Seneca, multa Plinius in tota naturæ univerſitate magnificus, nonnulla Lucretius bonâ fide tradent. Qvid? ſcribenda Hiſtoria eſt? An deſunt nitidiſſimi, atqve uberrimi fontes, Saluſtius, Cæſar, Livius, Curtius? Ediſcenda dicendi præcepta? bonus, piuſqve Rhetor Qvintilianus eſt. Ac deniqve, ne ſingulos, qvaſi rivulos ſecter, unus inſtar omnium parens Latinæ Lingvæ Tullius vivit, qui tàm varia, tàm multa, inexhauſtà illa ingenii ſui venâ edidit, ut ei, qui ipſum teret, ad nullam rem aptè, ornatéqve promendam deeſſe poſſit oratio. Ita verò ubiqve favet honeſto; ut liceat ſatis apertè altiſſimum DEI videre conſilium, qui Lingvæ Latinæ, qvam Eccleſiæ ſuæ nôrat uſui fore, eum voluit Magiſtrum eſſe, à qvo teneræ Chriſtianorum adoleſcentium mentes, non magis ad dicendum, qvàm ad agendum, rectè informarentur. Video qvid ſuperſit. Certè poëticam dicet qviſpiam è puris, & integris fontibus hauriri non poſſe: ſed neceſſariò aurum, gemmaſqve poëticas è luto eſſe, ac ſordibus colligendas. Qvin etiam idcirco Patres, & Antiſtites Chriſtianæ religionis, cùm alia damnarent noxia moribus, antiqva tamen monumenta Lingvæ Latinæ cauſsâ retinuiſſe. Sentio, A. cujus ſit hæc ratiocinatio peſtilens. Ejus*

eſt

diqve leporem transformare. [2] In poësi non parùm proderit Homerus, cujus poëma velut à Musis dictatum mirâ qvâdam ecstasi rapit ac inflammat devotos auditorum animos. in illo tantæ picturæ efficaciam animadvertimus. [3] Ille non solùm corpora, verùm etiam reconditos animorum motus expressit: ille rerum naturæ conformia scripsit; ille deniqve post tot annorum revolutiones ob sententiarum ac orationum præstantiam ab omnibus blattis ac tineis se vindicavit. [4] Atqve hæ sunt virtutes, qvas in tanto viro meritò imitari decet. [5] Garriat qvomodocumqve velit Hieronymus

est vaferrimi, ac teterrimi castimoniæ hostis, qui solemne hoc habet, ut vitia, quæ nuda omnes oderunt, personâ aliquâ sive commodi, sive lucri ornata vendibilia faciat. Meus verò hic est sensus, & vester, opinor. Si alterutri pereundum, aut periclitandum est, poësi, aut pudori; salvus sit pudor: quin illa citiùs pereat, quàm hic periclitetur. Sed non ita est. De honestissima, saluberrimaqve facultate pessimè is meretur, qui eam existimat ad prædicandam virtutem genitam, adversariam esse virtuti. Ad poëticam Christianô, atque adeo homine dignam nulla est necessitas graveolentes illas cloacas adeundi. Ac viri sapientes, ut in Marco Tullio prosæ, ita in Virgilio astrictæ orationis principe Dei agnoscunt, veneranturqve sapientiam, qui voluit Poëtam optimum eundem, ac pudicissimum esse. Quid? præter Virgilium num alii desunt? Lucanus, Silius, & (si pauca demas) Statius: tum Valerius Flaccus, Claudianus, non ii quidem sunt, in quibus ego multum adolescenti ponendum operæ censeam, nihil tamen ferè habent, quod mores oppugnet. Ut omittam viros probitate insignes, poëtas non ignobiles Prudentium, Boëtium, Paullinum, Juvencum, Fortunatum, Sedulium, aliosqve nonnullos, quorum versus docent, si non quàm culta, certè quàm verecunda debeant esse Musæ Christianæ. Accedunt multa ex auctoribus improbis excerpta. Horatius maximaex parte tolerandus est: Persius propè totus. Opera habet Ovidius quædam, præsertim quæ factus exiliò melior dolenter cecinit: quibus non solùm castè alatur ingenium, indolesqve poëtica, sed & quodammodò ingeneretur, è Martiali delecta quamplurima sunt non mala. Ex ipso illo fœtido cœno Catulli, Tibulli, Propertii, si quid erat dignum adolescentium oculis, extractum est, idem in Juvenali, idem in Plauto, idem in aliis est factitatum planè, ut nulla sit caussa cur se quispiam conjicere in cœnum ipsum velit. Dices, deest tamen adhuc aliquid. Unde nam petentur ad amatoria describenda voces, atque sententiæ? O impudentiam! ô fœditatem! vel belluarum vitâ indignam! In his tu vocibus, ac sententiis educandam putas teneram ætatem? Necesse erit ea discere, quæ scelus est facere? Audite, audite quid hac de re censeant illi ipsi, qui paullò ante contra nos producebantur Sanctissimi Patres. Antiqvi *(inquiunt)* libri ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittantur. *Quid ergo est? Num promiscuè eorum copia cuicumqve fiet?* Nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. *Quæ Præceptores prælegunt, quamvis fera, ac venenata sint, tamen interjectis salubribus monitis, occupatâ in aliis rebus audientium cogitatione magna ex parte mitigare, & quasi cicurare possunt: Et tamen vetant viri sapientissimi ejusmodi auctores quâcumqve ratione prælegi pueris. Num igitur ipsismet pueris veluti gladius permittentur? Quam viam præeunte magistrô non ingrediuntur absqve periculo eam soli tuti calcabunt? Erit ne aliqvis ita demens, qui existimet id necesse esse Discipulo discere, quod*

nymus Vidas: mihi satis est, qvod omnis hactenus vetustas approbavit, non despicatum habere. [6] Nec est qvod Hesiodum & Theocritum extra numerum collocem: hic enim in Dorica dialecto minimè est infacundus; ille autem à castè & pudicè loqvendo nomen adoptavit, rerumque optimarum luxuriantem sylvam unà cum magnifico verborum ac sententiarum apparatu suppeditavit. [7] Pindarum Archesilas Academicus & Horatius commendàrunt. [8] Sed horum omnium virtutes divinô styli artificiô propemodùm superavit Virgilius, qvi sub poëtica nube gravidam sententiarum veritatem ac politissimam rerum cognitionem occultans Homeri magnitudinem & copiam, Hesiodi contractam doctrinam, Theocriti diligentiam ac simplicitatem, Pindari deniqve verborum novitatem affectavit & ad vivum expressit. [9] Id qvod ex Gellio, Macrobio & aliis qvibusdam manifestè constare potest. [10] Inter Lyricos palmam *l* obtinet Horatius: inter Satyricos Persius, inter Elegiacos Ovidius. [11] Qvantum ad Historiographos, nihil est Xenophonte purius ac manifestius. [12] Candidus est & facilis Herodianus. [13] Livium etiam integrum percurret. [14] Nec enim, licet in literis aliqvô modô jam profecerit studiosus, qvàm olim Asinius Pollio gustavit, *m* Patavinitatem animadvertet. [15] Cornelius Tacitus duriusculus est, ut ejus imitationem dissvadeam. [16] In Latinis verbis Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, Vitruvium, ut qvemqve sua commendat materia, nunqvàm rejecero. [17] Sed nimiùm rudit in Asino suo Apulejus. [18] Translaticiorum verborum copiam inculcat Seneca, sic tamen, ut nec inutilis sit, nec fastidiosus. [19] Elegantias affectat

interdictum sit praeceptori docere? Me verò jam propemodum pudet autoritate Sanctissimorum Patrum abusum in ea re, in qva idem est Fabii Qvintiliani hominis Ethnici, hoc est Baccho, ac Veneri servientis praeceptum. Volumine enim Institutionum suarum primò, c. VIII. plurimùm monet cavendum, ut tenerae mentes non modò qvae diserta, sed magis, qvae honesta sunt, discant. Itaqve non autores modò, sed & partes operis deligendas: penitusqve elegias, qvae amant, & foeda Hendecasyllaba, & qvaecunqve efficere possint moribus amovenda. Qvare desinat qvisqvam specie necessitatis colligendi vocare in praeceps nimis in lubrico positam per seqve lapsantem adolescentium, at puerorum aetatem. Qvid? monumenta recens edita à piis, optimisqve poëtis; conscripta dictionaria, promulgati Parnassi, thesauri totius deprompti latinitatis exigvum ne afferunt praesidium, ut aureis veterum sententiis, ac verbis utare, sine ulla necessitate ingrediendi sentinas? Et qvoniam locus est gloriandi, de me etiam loqvar. Isterum ego librorum plerosqve nunqvàm putavi mihi legendos nec legi: & tamen, si opus foret, non infamis aliqvô Appolline, sed Christô auspice sanctitatis parente, elegiam, aliudve carmen non illepidum, aut injucundum condi à me posse confiderem. Haec Sacchinus.

l Palmam obtinet] At unum praeter Horatium Lyricos Scriptores Latina Musa nullos, qvod ego sciam, reliqvit hactenus.

m Patavinitatem] Est in medio non inelegans Danielis Georgi Morhofi de Patavinitate Liviana liber. Ubi de Urbanitate & Peregrinitate Sermonis Latini universè agitur. Prodiit Kilonii, CIϽ IϽCLXXXV. in 4to.

ctat Gellius, sed explanatiorem habeo Macrobium. [20] Si Oratores spectes, qvis tersior, qvis facundior, qvis copiosior, qvis dulcior M. Tullio Cicerone? [21] Hic est, qvem inimicus Cæsar Latini sermonis parentem vocavit, [22] Qvi Catilinam hominem sangvinolentum & imperterritum egit in exilium, [23] Qvi scelestum Verrem propriô gladiô confodit, [24] Qvi Archiam præceptorem qvondam suum in urbe retinuit, & Dejotaro Galatiæ regi patrocinatus suâ tam mirabili eloqventiâ non solùm gratiam verùm etiam vitam restituit. [25] Hic restitit imperato nebuloni Clodio: hic effrenatam Antonii libidinem compescuit, & judicum animos, qvocumqve visum erat, inflexit. [26] Et cùm qvatuor sint eloqventiæ genera, qvorum unum, qvod pingve dicitur & floridum, Plinio Secundo adscribunt, alterum siccum & aridum, qvod Frontoni defertur, tertium breve & circumsectum, in qvo Salustius versatur, certè qvartum assecutus est Cicero, nempe torrens & copiosum. [27] Qvapropter, licèt non unus, qvamvis præcipuus, sit imitandus, qvia nunqvàm par sit futurus authori, qvod ait Seneca: tamen in hujus Oratoris imitatione non minimam operam collocandam arbitror. [28] Verumenimverò non superstitiosè, cùm stultitia qvædam sit, ubi tam varia sunt hominum ingenia, tàm multiplices naturæ, tàm diversæ inter se voluntates, eas velle unius ingenii angustiis tanqvàm certos intra limites coarctare. [29] Habet qvidem multa præclara tùm in Philosophicis, tùm in arte Oratoria, sed nec omnia, nec solus, ut mihi persvadeo. [30] Si non major, certè non minor Lingvæ Latinæ puritas est in C. Cæsare, M. Bruto, & Jurisconsultorum voluminibus. [31] Qvinimò phrasis illa redundans ac Asiana nec Bruto, nec ipsi Pomponio qvondam probabatur. [32] Vellicabat & eam Calvus, mordebat Ciceromastix. [33] Argutatur nonnunqvàm & in argumentorum vinculis, qvibus constringendus esset adversarius, ut parum felix disputatór viribus qvoqve suis destituitur. [34] Porrò si de colendo agro cum Cicerone dispůtare volueris, si de struendis ædificiis, si de meteoris, si de juris qvæstionibus & medicorum placitis, obmutesces, ni fallor, ob egenam verborum supellectilem. [35] *Res omnes*, inqvit Erasmus, *mutatæ sunt, ut aptè loqvi de rebus præsentibus neqveat, qvi à Cicerone latum ungvem deflectere non audeat.* [36] Nec ipsemet hoc Longolius, si viveret, diffiteretur. [37] Imitetur ergo unusqvisqve Ciceronem absqve superstitione, hoc est ad exemplar ejus totum se fingat ac componat, qvantum licet, & fieri qvoqve per ætatem literarumqve profectum potest. [38] Sapienter enim à Fabio præcipitur, ne initiô pueri ad magistri æmulationem conentur assurgere, ne destituantur viribus, sed qvod illis erit facilius, aliqvem de condiscipulis doctiorem exprimant, qvô innisi paullatim se ad magistrum exprimendum erigant, id qvod agricolas in maritandis vitibus seqvi videmus. [39] Considerandum est etiam, qvibus rebus appositum sit juvenis ingenium, ut, qvò natura fertur, eò propendeat cursumqve suum instituat. [40] Cuiqvi suus mos, suum caput, suus sensus, suum palatum, qvot homines

tot

tot sunt sententiæ. 41 Sed ut progrediar, sciendum est & inter Philosophos non contemnendum esse delectum. 42 In Platonis labiis ipsa Pitho sessitare videtur: 43 Acutior est & contractior Aristoteles: 44 Atticò lepore manat Xenophon: 45 Svavis est Isocrates: 46 Durus est Plutarchus, qvod tamen vitium ita rerum conditur copiâ, ut nec gravet auditorem, nec absqve fructu dimittat. 47 Hic figendus scopus; & ad qvem procliviorem se viderit, hunc apprehendat & in animi sacrario recondat. 48 *Non enim est unus eloqventiæ vultus*, ut inqvit Tacitus †. 49 Et ut in ceteris rebus certum qvoddam filum duci debeat, ad cujus normam qvidqvid instituitur exigatur, tamen id non pariter in eloqventia obtinebit 50 Verùm hactenus de Philosophis & Oratoribus, qvibus tandem subjungam bona cum pace Theologos, ut illorum qvoqve tum in dicendo tum in scribendo diversitate meam hanc de multorum imitatione sententiam pleniùs confirmem. 51 Tertullianus enim perturbatè loqvitur: 52 Cyprianus & Arnobius clariùs: 53 sed & Augustinus in scripturis explicandis felicissimus horret aliqvando in contextu dictionum: 54 Hieronymus purior est & lingvarum peritior: 55 Ambrosius non adeò Latinus, qvàm svavis: 56 charitatem spirant scripta Bernardi: 57 Lactantius planè Christianus Cicero. 58 Ecce tibi variam & tamen admirabilem ingeniorum diversitatem. 59 Qvis diffiteatur hos tam præstantes viros nec sellularia doctrinâ præditos Ciceronem aliqvando legisse? Nemo, qvod opinor. 60 Et tamen unumqvemqve videas, ad qvod natus & factus erat, id maximè adjuvante geniò assecutum. 61 Non patiar in superstitiosam unius imitationem studiosorum oculos defigi, verùm potiùs ad certam ex multis eamqve naturæ congruam semper cohortabor; nec, dum ex aliorum arbitratu vivunt, nasò instar bubali trahi, sicut est in proverbio. 62 Sed nec ipse Cicero semper inhæret * Demosthenì, qvem aliàs tantoperè admiratur, nec Ciceroni Seneca, Qvintilianus, Plinius, & Cornelius Tacitus, qvos omnes alioqvi addictos & propemodùm adjuratos habet, verùm pro differentia ingeniorum qvod natura promptissimum ac optimum unusqvisqve judicabat, ad id comparandum totis viribus enitebatur. 63 Plura de hac materia comperies apud Budæum, Joannem Lodovicum Vivem, Longolium, Erasmum & Henricum Stephanum, qvorum omnium scripta jamdudum in lucem abierunt.

† Vel potiùs Auctor Dialogi, An sui seculi Oratores Antiqvis & qvare concedant? c. XVIII. 4.

* *Inhæret Demostheni*] Lege Nicol. Causin. in Parallelis Eloqventiæ sacræ & humanæ, lib. I. ubi vitia virtutesqve Demosthenis reperies: tum etiam contra Κικερομάστιγα plenissimum Ciceronis encomium.

CAPUT.

CAPUT XI.

De Stylo & Lingva.

[1] Jam tempus eſt, ut de ſtylo optimo dicendi magiſtro nonnihil ſeparatim expediam, in qvo niſi ſtudioſus etiam diligentiſſimè ſe exercuerit, parùm omninò cùm ſcribendo, tùm dicendo valens ſemper in literarum laciniis hærebit. [2] In primis itaqve neceſſarium eſt, ut cùm primùm animum Muſarum ſtudio obſtrinxerit, mox illa, qvæ vernaculò ſermone præmeditatus eſt, puris receptiſqve Latinorum vocibus conſveſcat explicare. [3] Id qvod facilius præſtabit, ſi ab infantia probatos autores didicerit, ex qvibus tanqvàm ex promptuario jamdudum accommodata verba proferri poſſunt. [4] Exercebitur in epiſtolarum conſtructione & libera ſuiſqve pedibus ſoluta oratione: dabiturqve opera, ut qvæ ſuſpecta ſunt, ſubdola, nova, ſubventitia, antiqvata, ſemoveantur, inqve eorum locum ab omnibus recepta, pura, plana, dilucida & ſplendida ſubſtituantur. [5] Inde cùm ad declamandi genus (cujus & anteà perfunctoriè memini) inducetur, proponendum eſt thema ex Hiſtoriis de Codri, Scevolæ, Fabii, Marcelli, Manlii & Poſtumi, Cratetis & Syracuſii ſenis factis. [6] Nunc de Herculis laboribus ex Heliconis ſcaturigine laudes cantillabit, nunc ex Apologis de mantica, de cane, de nauta, de mercatore & aliis id genus pluribus ſermonem inſtituet. [7] Aliqvando fabellam, exemplum, apophthegma vel proverbium dilatabit: [8] ſolvet ac diffundet carmen numeris aſtrictum, atqve eadem efferet abſqve numeris, qva in re exercitaviſſe ſeipſum Craſſus apud Ciceronem teſtatur. [9] Et qvia ſtatis diebus tradendum eſt thema, qvod in juſtam declamationis formam aptari jubetur, æqva temporis prorogatio concedi debet, ut tum reſervatô ſibi protographô compoſitam orationem coràm univerſo cœtu poſſit recitare. [10] Monendus item erit, ut ſingula declamationis membra unà cum argumentis ad marginem depingat, nempe ſi tantum profectum fecerit: ſin minùs, jam præceptoris partes judicaverim diligenter qværendo vim & naturam argumentorum inveſtigare, ut tandem eà ratione torpor omnis & ingenii fuligo diſcutiatur. [11] Opinor, ſi non fuerit tardus, hebes & obtuſus, ubi ſemel atqve iterum fuerit de vitio vel incuria factus certior, facilè ſibi cauturum, ne rurſus labatur. [12] Non aliter atqve viator, qvi ſemel in ſaxum impegit, aut gubernator, qvi navem in rupem illiſit, non ſolùm eadem verùm etiam conſimilia formidat. [13] Si qvi inciderint affectus, etiàm eorum, qvô pactô tractandi ſint, admonebit. [14] Qvod autem ex ſcripto † recitandam eſſe declamationem ſvadeam, non inde tantùm eſt, qvòd puellorum ingenia parum adhuc

† *E ſcripto recitandam*] Diſertiſſimum Buchnerum nunqvàm, certè rariſſimè, nonniſi vel obliqvè, vel directìm inſpectâ chartâ dixiſſe, accèpimus.

huc constantia partim memoriâ partim lingvæ promptitudine destituantur; verùm & inde, qvòd Theophrastum (cui nomen illud ob eloqventiam ab Aristotele inditum erat) paucula verba ad populum Atheniensem facturum suffusâ oculis verecundiâ obticuisse legimus. [15] Qvin & idem illud Demostheni contigisse Crinitus † & Gellius in argumento c. IX. lib. VIII. (Adde & Ælian. VIII. Var. Histor. c. XII.) disertè testantur. [16] Ideoqve Pericles, in cujus labris Pitho sessitavisse dicebatur, prius qvàm orationis campum ingrederetur, precari & vota concipere solebat, ne verbum ullum sibi in mentem veniret, qvod à rebus ipsis videri possit alienius. [17] Ut ἀντιχέδιος λόγος relinqvendus sit Gorgiæ & sui similibus. [18] Laudabit epistolam à puritate dictionum, à phrasibus, & sententiarum fluxu, orationem à perspicuitate, à svavitate, à plano sententiarum delectu, ab ingeniosa partium singularum & argumentorum dispositione. [19] Qvantum ad stylum, triplicem eum faciunt autores: humilem scilicet, sublimem & inter duos illos interjectum mediocrem. [20] Humilem sectatus est in sermonum libris Horatius & Cicero in epistolis familiaribus; sublimem in orationibus, mediocrem in Philosophicis disputationibus. [21] Qvamqvàm non inficias iverim in iisdem libris pro disparitate materiæ nonnunqvàm variari, imò sæpissimè inter se genera conjungi. [22] Constabit puris, propriis & non ab Evandri ætate petitis vocabulis, abhorrebit à titivilitio, & sputatilicis dictionibus. [23] Sæpè juxtà aurium sensus tanqvàm ad filum Ariadnes & Lesbiam regulam totus ejus decursus examinabitur. [24] In qvo si qvid absonum fuerit, aut minùs probatum, expungetur, supplebitur, decurtabitur. [25] Proinde Horat. lib. I. Sermon. Sat. ult. v. 72.

* *Sæpe stylum vertas iterum qvæ digna legi sunt*
Scripturus. ———

[26] Nec aliud qvidqvam voluit Afranius, cùm usu prognatam sapientiam fingeret, qvàm assiduò scribendi studiò animum erudiri & scientiæ dolabrâ lævigari. [27] Sic fiet, ut tandem non modò scribendi, verùm etiam promptè loqvendi rationem consecutus Mercurium ipsum & Svadam in lingva habere videatur. [28] Non dicetur in illum vetus illud, *

——— *Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

[29] Qvòd si verò certum aliqvem autorem formando stylo idoneum velit imitari, certè non dissvaserim, si natura conveniat & absit superstitio, unumqvemqve ad Ciceronis & Virgilii imitationem se maximè componere: ad qvorum majestatem qvò qvis propiùs accesserit, eò certè majorem laudem vel ipsò Qvintilianò teste merebitur. [30] Et qvidni? Qviritentur alii qvantum velint. Laudent cum Catone & Gracchis asperam & duram compositionem: laudent cum juvene Gelliano antiqvatum loqvendi modum, cum Vespasiano mollem, delitiosum, fractum, adeoqve nihil non arripiant & apud qvosvis cupressum simulent, mihi decretum est in hac parte doctorum

† Lib. XVIII. de Honesta Discipl. c. III. * Juvenal. Sat. VII. v. 51.

rum suffragiis astipulari, atqve ipsam studiosam juventutem ad imitationem Ciceronis, non qvidem stultam & superstitiosam, verùm ingenio convenientem adhortari. [31] Ut enim Maro inter Poëtas Latinos dominatur, sic inter Oratores Cicero. [32] Hic Platonis copiam, Demosthenis vim & Isocratis jucunditatem ad vivum expressit; [33] hic Homerum, Hesiodum & Theocritum, imò Dircæum cygnum imitando superavit: [34] hic ingenii sui ubertate singulari judicum animos sæpissimè deflexit, oculosqve perstrinxit; [35] ille loqventi suâ picturâ lectorum mentes etiamnum incendit ac inflammat. [36] Sed hæc non ita præcisè, qvasi piaculum sit ad alios † aliqvando divertere. [37] Certè scopum præfigere volui, in qvem dirigendus sit à qvolibet cursus, absqve ulla religiosa obligatione. [38] Nam nec inutile erit dictionum copiam ex aliis etiam venari, tum consectari numeros Isocratis, & Senecæ metaphoras. [39] Ad hæc non parùm conducet librum aliqvem explanare, maximè si sperabit in lucem proditurum. [40] Etenim hoc exercitationis genus ingenium acuit, lingvam expolit, scribendi promptitudinem gignit, auscultantem sensum exacuit, memoriam confirmat, & rerum notitiam inducit. [41] Sanè nonnulli ad delectationem de rebus qvoqve minimis nempe de Scylla, brassica, * culice, nuce, qvartana febre, murium & ranarum pugna libros integros confinxerunt: adeoqve se totos ad scribendum compararunt, [42] ut plus qvàm millies ab autoribus decantatum sit, Zoroastrem Persarum regem vicies centum millia versuum de magia edidisse. [43] Tradit etiam Laërtius Theophrastum trecenta volumina reliqvisse [44] De Aristarcho Grammatico legimus apud Suidam, qvòd Commentarios supra mille composuerit. M. Varro infinitos libros eósqve tantâ eruditione refertos scripsit, ut meritò Romanorum doctissimus habitus fuerit. [45] Omnium tamen studia diligentiamqve inter veteres superavit C. Plinius, & nostrô tempore Julius Cæsar Scaliger Cardanômastix: qvi

† *Ad alios aliqvando divertere*] Placet hæc inlustrare verbis elegantiss. Dominici Baudii: *Dedi operam*, inqvit in p. 25. Dedicationis, libris de Induciis Belli Belgici præfixæ, edit. secund. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XVII. in 8t. *qvoad ejus fieri potuit, ut oratio nostra ad antiqvitatis indolem conformaretur. Neqve tamen serviliter ac superstitiosè stylum adstrinxi Tullianæ imitationi, ut existimarem nefas esse verba genio seculi, & rerum usibus accommodare. Utendum enim est sermone tanqvàm nummô, cui publica forma pretium suum adsignat. Viderint magistelli qvi nihil Latinè scribi putant nisi qvod haustum sit ex fontibus dictionis Ciceronianæ. Sit, ut esse libenter fatemur, Marcus Tullius*

Flos delibatus populi, svadæqve medulla,

sit summus Eloqventiæ magister, at non solus regnum fandi obtinet, & plures admitti possunt in hujus gloriæ consortium ac societatem.

* Vide, qvæ supra diximus, p. 178. & adde Eryc. Puteani Consolationem Cæcitatis, editam Lovan. CIↃ IↃC IX. in 12. Encomiumqve Ovi, ibid. & Monachii CIↃ IↃC XVII. in 12. item Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XLIII. in 12. Habeo & ejus Democritum, sive de risu, Dissertationem Saturnalem, Lovan. CIↃ IↃC XIV. in 4to.

qvi qvamqvàm in armorum ſtrepitu potiſſimam vitæ partem tranſegerint, tam multa tamen ex medio Philoſophiæ ſinu petita velut altô otiô fruentes doctiſſimè conſcripſerunt, ut mirari poſſimus, qvidqvam illis otii ad ſcriptitandum reſiduum fuiſſe, qvi tot rerum cognitione longis paraſangis ceteris antecellebant.

CAPUT XII.

De. Diſputatione.

[1] In diſputationibus Scholaſticis non parum etiam exercendus eſt juvenis, qvaliſcumqve ille fuerit, tiro videlicet *a* aut veteranus, eò qvòd his concertatiunculis animorum puerilium æmulatio concitatur, veritas eruitur, ignorantes docentur, audita repetuntur. [2] Atqve hæc jam multis ab annis fuit ſententia triariorum ſcholaſticæ palæſtræ. [3] Aberit omnis acerbitas & lingvæ virulentia, rixæ, clamores ad ravim, ſannæ, convitia, & contumax planè ſilentium, ne nimium altercando veritas amittatur. [4] Et qvoniam omnis diſputatio ad inveſtigandum verum inventa creditur, certè ferenda eſt æqvô animô omni tempore correctio. [5] Non inſurgendum adverſus doctiorem maledictis: non certandum alapis, calcibus, morſibus & conſputionibus. [6] Centaurorum enim potiùs & Lapitharum hæc eſſet concertatio, qvàm candidatorum bonarum artium. [7] Porrò qvis omnium qvotqvot vivunt, eſt hominum, qvi; licet qvamplurima calleat, naturæ tamen & imbecillitatis alumnum ſe eſſe non fateatur? [8] An non Carneades, qvem Stoïcorum lites more arbitri definiviſſe teſtatur Cicero, cum Chryſippo diſputaturus bellebori hauſtu ſe purgare ſolebat? [9] Qvid mirum ergo hærentem adhuc in laciniis artium adoleſcentem labi & ceſpitare? [10] Sed hæc generaliter: qvæ ſeqventur, diſtinctiùs explicabuntur. [11] Qvi itaqve tirones ſunt, meô judiciô, non ludent operam, ſi qværendis Grammaticæ regulis, conſtructionibus, verborum originibus, ſignificatis, & expoſitionibus occupentur. [12] Si qvis victus fuerit, mox in alium qvæſtionem rejiciet, adeoqve talione referiet. [13] Prohibebitur nimius garrulus, &, ſi, qvidqvid in buccam venerit, conſtanter effutiat, confundetur. [14] Neqve ſingulis diebus injungetur hæc concertatio, verùm unaqvâqve hebdomadâ ſemel tantùm congredi abundè ſufficiet: ita tamen ut is, qvi ſuccubuit, ſtatutâ mulctâ percutiatur. [15] Si de lite dubia

a Tiro videl.] At qvi diſputationes tironum inſtituunt, eos Caſelius facetè acies gruum & pygmæorum inſtruere, minuſqve ſapere, qvàm qvi Hiſtoriam ſomniorum conſcribere jubent, judicat. Caſp. Hofmannus D. Medicus Altdorffinus ludum impudentiæ vocat, in qvo ad duritiem frontis erudiantur adoleſcentes. Vide qvæ ſupra è Ludov. Vive attulimus n. IV. c. XII. p. 173.

bia exorta eſt controverſia, judicem ſe præceptor interponet, incertamqve qvæſtionem ſuæ vocis autoritate tanqvàm Pythagoras dirimet. 16 At ſi conjuncta fuerit aliqva turpitudinis & ignominiæ nota, jam ad umbratilem luctam paratiores adhuc pueriles animos acceſſuros crediderim. 17 Qvæ verò dicta ſunt de minoribus, eadem & in primariis pro ſtudii differentia ſunt obſervanda. 18 Ceterùm qvia tandem juvenes extra ſepta minorum artium ad graviores diſciplinas tranſgreſſionem faciunt, dicam, licet extra propoſitum, qvid etiam in earum diſputationibus generaliter ſit obſervandum. 19 Caveat ergo cumprimis ab honoris cupiditate & à fœdo ſuperbiæ jugo. 20 Non torvùm tueatur, non faciem in rugas contrahat, non extra poſitos cancellos ſaliat. 21 Id qvod Sophiſtæ faciunt, qvi in hoc ſcholaſtico pulvere non veri inqviſitionem, ſed tanqvàm in pugna ſolam victoriam ſpectant, totòqve niſu adverſarium proſternere & conculcare conantur. 22 Non ſeqvetur opinionem cerebri vel auditorum, ex qvorum judicio contemptâ veritate qvæſtum & inanem gloriam aucupetur. 23 Non aliorſum à propoſita qvæſtione digredietur: in negando & admittendo oculatum ſe præſtabit, ne retibus argumentorum involvatur. 24 Si reſpondeat, non ſolùm à diverſis & repugnantibus ſejunget qvæ controvertuntur, verùm etiam à conformibus, ut qvæ fucum aliqvem poſſent imponere. 25 Qvâ ratione faciliùs tandem & ambigua diſtingvere & dubia rectè definire ac explicare poterit. 26 Et ne velut andabatæ clauſis oculis pedem conferat, hoc eſt, in mediis tenebris abſqve ratione confligat, neceſſarium eſt inprimis, ut eorum de qvibus agitur, perfectiſſimam cognitionem habeat, ne tandem imprudens nimiùm conſtringatur. 27 Propitiam habebit memoriam, & ingenium nullis perturbationibus obſcuratum. 28 Cùm hinc inde ſummis viribus oppugnatur, non bilioſus in iram exæſtuabit, verùm ad omnem inſultum tanqvàm murus ahæneus fortiſſimè ſe opponet vultuqve placidô reſpondebit. 29 Ad qvid iſte clamor? Nihil ad rem; nibil ad rem: categoricè reſpondeto: una tantùm eſt & ſimplex via indagandæ veritatis. 40 Nec olim qvidqvam aliud fuit graviſſimorum virorum diſputatio, qvàm opinionum ac rationum amica collatio. 41 Non conveniebant ad cavillandum, ut per cuneos & diverticula adorirentur ac ſupplantarent, verùm ut veritatem inqvirerent, meliora docenti acqvieſcerent. 42 Scepticorum potiùs eſt & pyrrhoniorum ſic argumentorum inexplicabili velitatione diſceptare, non eorum, qvi ad aliqvem eruditionis gradum aſpirant. 43 Sed & in ſcholis trivialibus non aliter ac in Academiis producendus eſt unus & certus aliqvis ex provectiorum numero, qvi ceterorum tela excipiat. 44 Sic tamen, ut, qvotqvot ibi ſe ſiſtent, ſuſpenſi animis ante deſignatam congreſſus horam qvis ille futurus ſit non animadvertant. 45 Qvô pactô ſinguli & ad oppugnandum & ad defendendum ſtrenuè ſe præparabunt. 46 Dum conflictantur, ſuam ſententiam interponet præceptor, argumentum malè diſpoſitum ac hiulcum reformabit, ut tandem illa concurrendi ratio rudis adhuc & informis in perfe-

ctum habitum evadat. [47] Inter sese cùm disputant doctiores, de sententiæ, proverbii, historiæ, fabulæ vel parabolæ explanatione disputabunt. [48] Nec diminuet eorum diligentiam mulctæ commissio, qvæ fucis, hoc est, victis & inertibus extra dedecus in ea re positum, solet irrogari. [49] Si qvicumqve ter in Logicæ præceptis herbam porrigit, tanqvàm infelix pugil arena cedens, jam victus à præceptore declaretur; mirum qvantum & illa res diligentiam animiqve vigorem excitabit. [50] At qvi facultatum studio nomen dederunt, si inter se privatim luctantur, conciliabunt legum antinomias, component archiatrorum opiniones, placabunt scripturæ loca, philosophorum errores confutabunt. [51] Non credas qvantum hæc collatio utilitatis suppeditet. [52] ut rectè Judæorum Rabbini sapientiæ symbolum barsel constituant, nec minus eleganter poëtæ Minervam ex cerebro Jovis armatam prosiliisse fabulentur.

CAPUT XIII.

De Memoria.

[1] Proderit etiam jam inde ab incunabulis & teneris (qvod ajunt) ungviculis memoriam puerorum ediscendis lectionibus diligenter exercere: non qvidem ut nuda duntaxat verba, verùm integras etiam verborum sententias promptissimè possint recitare, percipere, conservare. [2] Qvod tamen felicius fiet, si ter quater per noctem & exinde manè ea, quæ didicerunt, tanqvàm diurnum pensum repræsentent. [3] Nec enim absqve ratione dictum illud hactenus apud omnes obtinuit: *Aurora Musis amica:* [4] Qvippe qvòd ubi dies diluxerit reseratis post somnum animi foribus ingenium reviviscat. [5] Et ut faciliùs credas officere nocturnas lucubrationes, cogita qvantum vapores isti, qvi distentò cibis ventriculò sursum exhalant, subtilitatem mentis obnubilent, qvantum impediat crapula, qvantum dormiendi cupiditas suò viscò oculos remoretur. [6] Fateor nonnullos feliciùs aliis audita in memoriæ thesauro recondere, nempe pro naturæ diversitate, verùm interim facilè donaveris qvantumvis pertinacem illam fluxam & refractariam continuâ tamen exercitatione plurimùm adjuvari. [7] Mira res est, qvisqvis excogitaverit, qvatuor & viginti notulis plus minus tantam humanarum vocum differentiam potuisse comprehendi. [8] His gentilium historias & sacra volumina sapientes conservârunt, his artes liberales ad usum generis humani inventas explicârunt. [9] Ut meritò sacerdos Ægyptius Solonem & Græcos pueros appellaverit, eò qvòd veterum historiarum non recordarentur. [10] Verùm ne longiùs evolem, ad primarum artium candidatos iterum descendam. [11] Si qvis ergo parùm & facilè percipiendo & fideliter retinendo valet, qvorum primum indubita-

tum

tum acuminis judicium est, alterum capacitatis argumentum, det operam, ut in summo silentio, qvod injunctum est à præceptore, ediscat, idqve decies aut vicies iterando, ut eô modô profundiùs inhærescat. [12] Si fortè cogitatio susurronum murmure digrediatur, revocanda est lectio prior, & qvæ interpellat excludenda. [13] Proponentur certamina: mandabitur per lusum regendi ac imperandi munus: ejuscemodi namqve lusibus & acumen ingenii & naturæ mores reteguntur. [14] Qvin etiam inter commilitones periculum faciet, priusqvàm citatus à præceptore lectionem reddat. [15] Tunc, si qvid defuerit, summâ curâ supplebit ac resarciet; sin minùs, ne rursus in oblivionis cribrum dilabatur, anxiè providebit. [16] Solet enim qvibusdam contingere jactatum illud diu apud vulgus hominum proverbium, *qvod citò fit, citò perit*, & inhærent omninò solidiùs, qvæ paullatim apprehenduntur. [17] Singulis porrò hebdomadibus operæ pretium duxerim septennalia (ut vocant) ad incudem revocare. [18] Alternis mensibus aut tertiô qvôqve de suorum ingeniis præceptor deliberabit, idqve paternô affectu & severô certè judiciô: hoc est ad limam memoriter exiget, qvidqvid eô temporis spatiô lectum & auditum fuit. [19] Ita extra difficultatem omnem sensim memoria, & absqve fastidio, qvod ætas illa non sentit vel expendit, tandem fiet capacissima. [20] Accrescet eruditio, augebitur judicium, corrigetur sermonis balbuties: ut rectè veteres providentiam memoriæ atqve usus filiam esse pronuntiaverint. [21] Felix erat Annæi Senecæ *b* memoria, qvi se duo millia nominum recitata eôdem ordine reddidisse, & ducentorum atqve ampliùs discipulorum totidem versiculos, cùm singuli singulos dixissent, retrogradè recitâsse scribit. [22] Pari ferè felicitate præditus fuit Portius Latro & Julius Cæsar, qvi, cùm de rebus maximis qvaternas epistolas dictaret, ipse tamen manu propriâ qvintam exarabat! [23] At qvis, inqvies, ita dotatus à natura? Qvotusqvisqve tam propitiam genesin & horoscopum sortitur? [24] An nescis deploratum Curionis ingenium, & Ægyptios Hieroglyphicis literis qvondam fuisse usos? [25] Num ignoras qvàm maximè ob caussam Pythagoras à scribendo supersederit: [26] Non ignoro, nec etiàm refragor. Sed heus tu bona verba. [27] Fateor primum Philosophum à literarum monumentis abhorruisse, verùm ut intelligas ejus tempore Phi-

b *Senecæ memoria*] De ejus ut & Corfici cujusdam ac Scaligeri memoria narrant Muretus in Variis, lib. III. c. I. Dalechampius in Plin. lib. VII. c. XXIV. ubi ipse memoriæ tradit exempla Plinius, Cœlius Rhodiginus, lib. X. Var. Lect. c. XV. qvi & contrarium exemplum adducit lib. XX. c. X. ita enim numeri in Cœlio se habent, mendosè adducti à Dalechampiô loc. cit. in mea edit. Hackiana 1669. in 8. Joann. Caselius in προπολιτικῷ c. XIX. p. m. 84. f. Anton. Borremansius, c. III. Variar. Lectionum libri, p. m. 10. f. ubi Grotium, (de qvo & nos I. Animadversion. nostrar. libr. c. II. §. II. p. 19.) Vossium, Salmasium, Joann. Picum Mirandulam, Paschalium, Guyetum, Robertum Constantinum, Theodorum Bezam & Christoph. Longolium non parum laudat à memoria.

Philosophiam paullulùm ultra infantiam progressam & in gnomologia dubiisqve ænigmatibus consistentem, scriptis tantoperè opus non habuisse. Consimili ratione necessarium non fuit, ut Æthiopes atqve Ægyptiorum sacerdotes extra animalium picturas qvidqvam in medium proferrent. 28 Eadem qvoqve ratio fuit νόμων ἀγράφων, ipsosqve Gallorum Druidas cæremoniales versus per manus absqve ulla scriptura vicariâ successione posteritati tradidisse. 29 Demum, cùm inter homines cresceret rerum cognitio, non passa est veritatis lux inter tam arctos clathros ampliùs se compelli. Evolavit extra constituta sibi pomœria, suumqve jubar universo mundo patefecit. 30 Hìc opus fuit literarum auxiliô, ne tam præclara multorum hominum inventa vetustas aboleret. 31 Rectè itaqve Theuth de repertis literis tanqvàm memoriæ adjumento gloriari potuit: garriat contra qvantumcumqve velit ille alter apud Platonem. 32 Nam & Esdras gentis Judaicæ scriba propter crebras populi captivitates, cædes, exilia, qvæ temporis injuriâ tandem peritura putabat, literarum thesauro concludebat. 33 Et qvô pactô qvis omnium obsecro meminisse posset in tanta præsertim cupiditate? 34 Res digna Democriticô risu in natura humana corrupta & imbecilli tantam velle constituere perfectionem. 35 Ignorant videlicet belli homines nostras animas lethæô flumine tinctas ac madefactas, tùm nebulosâ qvâdam caligine esse obscuratas. 36 Nam ut omittam Antonium Caracallam, Curionem, Calvisium, Jurisconsultum Bartolum, aliosqve plurimos, núnqvid Aristoteles ipse ult. Eth. c. XI. qvos ex Odysseæ XII. versus citat, ereptos Ulyssi falsò Deæ Calypso tribuit? 37 Accidit item Didymo Alexandrino Grammaticorum principi, ut historiæ cujusdam vanitatem argueret, qvam tamen à se scriptam priùs qvàm liber afferretur, non credebat. 38 Ita labilis *c*, ita caduca est humani promptitudo ingenii, ut nec qvàvis artificiali memoriâ, qvam præter Tullium & Qvintilianum stultissimè *d* admiratur Raimundus Lullius, planè possit confirmari.

c Labilis] Nonnulla lapsuum memoriæ exempla legere potes, si placet, in parte III. Animadversion. nostrar. c. IV. §. VII. p. 153. s.

d Stultissimè] *Videns defectus in indagatione rerum*, scribit Cl. Morhof. II. Polyhistoris Litterarii, c. V. p. 348. *Vir suò tempore ingeniosissimus variisqve occultioribus scientiis magnum nomen promeritus Raimundus Lullius è nobili apud Majoricanos familia oriundus: Cumqve philosophica studia eò tempore non adeò essent exculta, ac in Latina Græcaque lingua mera barbaries regnaret, magnam tamen ille rem ausus est, cùm hac consilia animô agitaret, qua nemini istô tempore facilè in mentem venissent; Nam in eremum, ut ipse ait, secessit, ut eò melius his speculationibus vacaret, divinam etiam revelationem, ut pretium rei conciliaret, jactans. Qua etsi conficta videntur, non induci tamen possum ut credam, qua è Petri Mensui libro de unius legis autoritate, lib. V. c. V. adducit Gabriel Naudaus in Apologia Hominum Magia insimulatorum, c. XIV. ex Arabe Abezebron manifestô plagiô omnia cepisse Lullium: Nam Naudaus in Lullium eo in loco prater rationem iniqvior est, ac alia mani-*

CAPUT XIV.

De Sanitate & Lusu.

[1] Præter hæc necesse est, ut studiosus etiam qvàm poterit exactissimam sanitatis rationem habeat, eamqve medici calidi, frigidi, sicci & humidi convenientem harmoniam, tum etiam affectum secundùm naturam, ut qvæ naturales actiones conservet ac tueatur, definiverunt. [2] Et qvoniam in omnem partem plurimum conducit victus institutio, qvam aliô nomine diætam vocant, meminisse potissimùm debet, in esculentis & poculentis opus esse moderatione & simplicitate, tum idoneâ ad pascendum corpus temporis occasione. [3] Usus mediocris ingeniti caloris vires confirmat

manifestò falsa de illo refert. Qvid verò Petrum Montuum, ut hæc scriberet, impulerit, ignoro: Nam hujus sententiæ rationes nullas adductas video, neqve unius Viri fide recipi illa possunt, qvi fortè Arabica non legit vel intellexit, vel planè talia confinxit; cùm & ipse Lullium totamqve illam artem contemptui habeat. Acerbior qvoqve in Lullium ejusqve artem Verulamii censura est, qvi de Augm. Scient. lib. VI. c. II. circa finem, vocat Methodum Imposturæ, qvæ qvibusdam Ardelionibus proeul dubio acceptissima fuerit. Methodus, *inqvit ille*, scientiæ alicujus guttulas aspergit, ut qvis sciolus specie nonnullâ eruditionis ad ostentationem possit abuti. Talis typocosmia nihil aliud fuerit, qvàm vocabulorum artis cujusqve massa & acervus ad hoc, ut, qvi voces artis habeant in promptu, etiam artes ipsas perdidicisse existimentur. Hujus generis collectanea officinam referunt veteramentariam, ubi præsegmina multa reperiuntur, sed nihil, qvod alicujus sit pretii. *Exstat & prolixa in illam artem Berneggeri declamatio, Oratione de paranda doctrina modis illegitimis, quæ est inter orationes ejus secunda. Parum qvoqve honorificè de ea judicat Keckermannus in Præcognitis Logicis, tractat. II. ubi de variis sua & superiorum ætatum scriptoribus Logices judicas, unde pleraqve illa, qvæ adversus eam artem dixerat Berneggerus, αὐτολεξεὶ, qvòd in Viro doctissimo miratus sum, descripsit. Hamelius in lib. III. de mente humana c. II. §. 3. idem in illis locis Lullianis vitium agnoscit, qvod in Dialecticis; qvòd fontes nimis generales præbeant, in qvos qvi animum intendat, non corpori prospicere, ex Fabri judicio, ait, sed abrupta qvædam, ut fortè ad manum venêre, jaculari. Sorellus in libro de perfectione hominis, tractat. IV. multa de hac arte, cujus ille summam recenset, sed simul demonstrare laborat, mancam eam esse & mutilam, neqve illa, qvæ sibi proposuit, exhaurire omnia. Qvòd si omnium istorum, qvæ adversus illam artem dicuntur, summam colligas, ad hæc capita facilè reducuntur. 1. qvòd omnium scientiarum principia misceantur, qvæ ad illam generalitatem non possunt reduci. 2. Qvod loci communissimi sint, qvorum non sit adæqvatus in dicendo usus; cùm in qvalibet oratione ea rem conficiant, qvæ è proprioribus argumentis petuntur. 3. Qvòd ordo non sit accuratus, & in multis ille concinnior dari possit.* Qvibus de omnibus prolixè ibi agit Morhofius.

firmat & ſangvinem generat incorruptum : immoderatus calorem vitalem obtundit, & ſangvinem feculentum creat. [4] Hinc livida vultus ſpecies, hinc fœtor anhelitus, dentes luridi, catarrhi, oculorum caligationes, auriumqve tinnitus. [5] Hinc febres, dolores capitis, ſtomachi cruditas, & mentis hebetudo. [6] Sed & illud conſiderandum opinor, ſit ne facilis concoctionis ille cibus, qvi manducatur, & an noxium aliqvem humorem in venis & vaſis ſuſcitabit? [7] Ex ſucci humectantibus cibis utentur, pituitoſi calidis, melancholici exhilarantibus, ſi ita ſe ferat occaſio: qvoniam hæc ditioribus & provectioribus magis qvàm pauperibus dictitantur. [8] Sed hæc juxtà Medicorum communes aphoriſmos. [9] Mihi, ſi qvid addendum foret, eqvidem integræ valetudinis homines ſuperſtitioſis vivendi legibus obſtringere planè cum Cornelio Celſo infrugiferum judicarem. [10] Cùm integram valetudinem dico, numeris omnibus abſolutiſſimam intelligo, non promiſcuam, confuſam, declinantem vel aliqvô modô labefactatam. [11] Et qvamvis jamdudum inter medicos controverſum fuerit, ſit ne largius in cæna comedendum an in prandio? tamen ego veſpertinam parſimoniam diurnæ præpoſuerim. [12] Qvin etiam à nocturnis compotatiunculis & ſymbolis abſtinebit, ne judicii vis ſubitò in præceps feratur. [13] Sectabitur purum & liberum aërem, non præſeptum jugis montium, non paluſtrem, non nebuloſum, non cavis anguſtiis reſtrictum. [14] Domicilium erit perſpicax & vento penetrabile, tùm inſuper ad marginem fluminis vel ſtagnantis aqvæ collocatum. [15] Nam hæc dilucida ſemper nunqvàm putreſcit, & mobilitate ſuâ circumjacentes ſordes eluit. [16] Hæc ideo ſcribo, qvòd multi præclari certè medici atqve Philoſophi nempe Ariſtoteles, Alexander Aphrodiſæus, Hippocrates, Galenus, S. Empiricus, & omnium antiqviſſimus Homerus non tantùm craſin, verùm etiam animorum mores, naturam aëris & locorum ſeqvi tradiderunt. [17] Ob hanc cauſſam bellicoſos eſſe Germanos, proclives in Venerem Italos, ingenioſos qvondam Athenienſes, obtuſiores fuiſſe Thebanos. [18] Semper aliqva corporis exercitatio (ſi fieri poteſt) cibum præcedat, præcipuè tamen in pueris, qvorum ætas incrementis indiget, & roboris confirmatione. [19] Imò cùm ingenium humanum naturâ liberum exerceri ſe, non cogi patiatur, permittenda nonnumqvàm ſunt ſtudiorum laxamenta, ne prius odiſſe incipiant, qvàm intelligere vel amare. [20] Qvare cùm Ægyptii partam à laboribus qvietem ſignificare vellent, bovem præſepi redditum effingebant, ut qvi jam exauctoratus & qvaſi donatus rude tranqvillitati reſtitutus eſſet. [21] Rectè Ovid. Epiſt. IV. Heroid. v. 89.

Qvod caret alternâ reqvie durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaqve membra levat;

[22] *Amant*, inqvit ille, [a]
——— *alterna Camœnæ.*

[23] Et

[a] Virgil. Ecl. III. v. 59.

[23] Et Ausonius : *f*

——— Græcô Schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

[24] Est enim illis à mysteriis & inqvirendo factum nomen. [25] Sed & Plato eleganter ne animum sine corpore vel corpus sine animo exerceamus in Timæo præcepit. [26] Sicut enim arcum & lyram remittimus, ut aliqvando intendi possit acutiùs, ita liberali & honestô lusu recreandus est animus, ut corpus lassum vegetetur & vires defatigatæ refocillentur. [27] Rursus ut novalibus alternis annis vacatio permittitur, ne exhauriantur & sterilescant, imò duplicatum fructum reddant : ita qvoqve studiorum intermissione oblectandus est animus, ut alacriùs & ardentiùs literarium opus, undè tædium obrepit aliàs, referveścat. [28] Proditum est memoriæ censorium illum Catonem jocosos Floræ ludos aliqvando conspexisse & Socratem judiciô Apollinis sapientissimum inter pueros arundine longâ qvondam eqvitâsse. [29] Qvamvis & illud de Agesilao scriptum meminerim. [30] Si qvis de lusu *g* honesto sciscitetur, illi saltum, cursum, luctam, clavam, laborem, trochum, pilam, sphæram, natandi artem, & deniqve musicam doctorum omnium arbitratu concedo. [31] Pilam Galenus probat in libro De exercitatione: [32] Gymnasticam Plato, legum lib. VII. [33] Laborem Celsus, lib. IV. c. V. [34] Trochum vetus de Biante conditum epigramma : [35] natandi artem tota propemodùm vetustas, id qvod Græcô proverbiô declaratur, *nec literas cum nôsse nec natare*, qvi rerum etiam minutissimarum nullam habeat experientiam : [36] de musica tam nihil controversum existimo, ut superfluum sit de re minimè dubia verba præcipitare. [37] Sed nec qvietum inambulandi genus censoriâ virgâ possum castigare, qvando tot porticus Græcorum in mentem revoco. [38] Apud Frisios, Hollandos, & Septentrionales qvosdam usitata nimium est gelicidii remissio. [39] Ceterùm cur Lycurgus olim vetuit, ne manibus in altum sublatis exercitationes fierent? nempe ne qvis laborando defatigari consvescat. [40] Ejuscemodi est fullonum & viatorum exercitatio, vel unô impetu in longum protracta cursitatio, per fervidum solem ambulatio, & deniqve stentorea vociferatio. [41] Sit ergo brevis & liberalis; ne qvod ultra justum extenditur, tandem noceat, & corporis colliqvationem inducat. [42] Sit moderata, ut orexin excitet, qvæ plerumqve in studiosorum ventriculis ob vitam, qvam agunt, sedentariam prostrata jacet. [43] Nam cùm Dionysius Syracusanus condictâ cœnâ Lacedæmoniis, minimè se primô edulio delectatum assereret, responsum à coqvo tulit, non mirum sibi videri, eò qvòd vera condimenta defuissent: cumqve Dionysius, qvænam illa

f In Protreptico ad Nepotem Ausonium, de Studio Puerili, Edyll. IV. v. 6.

g Diximus de hoc paullò antè n. I. hac in III. Methodorum parte p. 51. 100. f.

illa futura essent, audire cuperet: *labor*, inqvit, *in venatu, sudor, cursus ab Eurota fluvio, fames, sitis. his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.* [44] Simile qvid refert Plutarchus de Alexandro in libro De tuenda bona valetud. & de Socrate in Apophthegmat. [45] Sed, ut ulterius progrediar, chartarum & infamem aleæ lusum inter juvenes minimè tolerandum opinor. [46] Quis enim id qvod legibus jamdudum est interdictum, in juvenum consortio ferat? [47] Qvis illud pecuniæ barathrum, pietatis & virtutis naufragium, vitiorum cloacam, atqve adeò Diaboli hamum inter liberalium artium candidatos ferat? [48] Eidem censuræ Dionysiacas & *b* Pyrrhichias

sal-

b Pyrrhichias] *Armata*, inqvit Jul. Cæsar Scaliger, lib. I. Poëtices, c. XVIII. p. m. 67. f. edit. Santandreanæ, M. D. LXXXVI. in 8t. *fuit illa saltatio. qvam vocabant* Pyrrhicam. *Non à Pyrrho Achillis filio. tametsi ab eo saltatam ajunt victô Eurypylô filiô Telephi, qvippe ejus pater Achilles ante ipsum dicitur ab Aristotele ad Patrocli rogum eam saltâsse. Itaqve πυρίχην παρὰ τὴν πυράν: à Cypriis autem πρύλιν. Alii faciunt ejus authores Castorem & Pollucem: qvibus saltantibus Pallada fecisse modos scripsit Epicharmus. Atqve inde à Lacedæmoniis ad bellum cum tibia exire cœptum. Nonnulli originem qvidem agnoscunt in eodem loco, sed inventum ajunt Pyrrhichi Spartani fuisse: cujus sententiæ dicunt Aristoxenum exstitisse. eamqve saltationem apud ceteras olim nationes unà cum reliqvis belli artibus desitam, solis Lacedæmoniis perpetuam fuisse. Adeò namqve laboriosa erat, ut spem gloriæ labor exstingveret. Idcirco posteri aliis rationibus mitiorem fecère. qvippe, pro lanceis Thyrsos, pro jaculis ferulas, atqve etiam lampadas gerebant. qvamobrem Dionysiacam qvoqve appellârunt. In qva Liberi patris apud Indos gesta saltabant. Accinebant simul & pulcherrima carmina: necnon ex tibiis ἐξ ἔθους ῥυθμόν. In [illegible] illa severa atqve aspera, etiam puelli Lacones sese exercebant, tecti perfectâ, integrâqve armaturâ, qvam propterea πανοπλίαν alii, ipsi παννυχίδας nominabant. Hanc nos & sæpe & die coram Divo Maximiliano jussu Bonifacii patrui, non sine stupore totius Germania repræsentavimus. Qvô tempore aliqvando vox illa Imperatoris., Hic puer aut Thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit. Hujus similem aliam ab inventore Thelesiadem dictam, memoriæ prodidère.* Hæc Scaliger. Plinius, lib. VII. c. LVI: *Saltationem armatam Curetes docuère. Pyrrichen Pyrrhus, utramqve in Creta.* Ubi vide Dalechampium, in notis, adducentem Appulej. lib. X. Asini, p. m. 263. referentem pueros puellasqve Græcanicam saltâsse Pyrrhicham, cùm nunc in orbe rotatim flexuosi, nunc in obliqvam seriem connexi, & in qvadratum patorem cuneati & in catervæ discidium separati, discursus reciprocos explicarent; item Cujacium, lib. XIII. Observ. c. X. Tu adde Platon. in VII. de LL. Athenæum, lib. XIV. c. XII. Scholiast. Homeri, in Iliad. π. Pollucem, lib. IV. c. XIV. Strabo in X. scribit: Pyrrhicham repertam fuisse à Pyrrhicho Curite pro juvenibus ad disciplinam militarem exercendis. Straboni adstipulatur Solinus, c. XVII. al. XI. ubi de Creta insula; qvi saltationem his expressit verbis: *Pyrrhicen docuit Creta, Pyrrhô repertore. Eqvestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare: ex qva disciplina bellicæ rei usus datus.* Utrumqve scriptorem benè inlustrat Cl. Salmas. in ad Solinum Exercitationib. p. m. 119. b. C. Qvem, sicut & Casaubonum, vide in notis ad Spartiani Adrian. c. XIX. p. m. 179. Tom. I. Historiæ August. Hunc tamen. Casaubonum puta, refellit Valesius in notis

ad

saltationes subjicio, tum veterum *i* ascoliasmum. 49 Nec probo lascivum cordacismum, & Atellanas saltationes, aut Polyphemi tetranelo, vel Empusæ ludum. 50 Propter periculum oscillum rejicio, drapetinda verò admittitur. 51 Atqve ne multa nimis profundam, ecce profiteor, ad turpem licentiam, qvâ pejores omnes naturâ efficimur, ab inhonestis ludibus proximum esse gradum. 52 Sentiant alii qvidqvid velint, ego qvod plus qvàm millies exploratum habeo, in medium proferre non dubito, noxiumqve ejus virus & periculum apertè detestari. 53 *Nil nisi turpe juvat*, inqvit Ovid. lib. I. Artis, v. 749. *Cura est sua cuiqve voluptas.* 54 Et Lyricus, lib. I. Od. III. v. 26. *Gens humana ruit per vetitum nefas.* 55 Non enim (ut numerò dicam) eadem sunt peccata, nec paris omninò *k* gravitatis, verùm pedetentim tanqvàm per gemonias scalas ad arcem neqvitiæ homines

ad lib. XVI. c. V. Ammiani Marcellini, verum ibi modum & usum paucis declarantis, & de Juliano præludia disciplinæ castrensis discente loqventis: *artem modulatiùs incedendi per pyrrhicam concinentibus didicit fistulis.* In qvæ verba qvoqve videre Lindenbrogium eritè re. Alexander ab Alexandro, VI. Genial. dier. c. XIX. *Pyrrhicha*, inqvit, *integris urbis moribus, magnò faventium studiò fiebat: qvæ primùm inventa fertur in Creta, nonnulli à Laconibus ad res bellicas facilè obeundas, ut armati levi flexu & saltu, nunc se contrahendo, nunc in altum exiliendo, nunc declinando, tela & plagas vitarent. disciplinamqve ediscerent, qvæ Enoplia saltatio dicta est, qvam Tranqvillus Trojam nuncupavit. Idqve à Romulo institutum ferunt, ut cum armis saltarent milites saltatione, qvam bellicrepam dixit.* In qvem locum Tiraqvellus prolixè scribit. Non tamen advertens, malè Alexandrum dicere, Scaligerum verò c. XXVIII. dicti I. Poetices libri, p. m. 104. erroris insimulare Tranqvillum, ac si Pyrrhicham & Trojam eumdem ludum faciat, cùm tamen manifestè distingvat in Julio, c. XXXIX. comm. 2. his verbis: *Pyrrhicham saltaverunt Asiæ Bithyniæqve principum liberi;* & comm. 6. demum ajat: *Trojam lusit turma duplex majorum minorumqve puerorum.* Discrimen autem erat isthoc: qvod in eqvis Trojam luderent, pedibus Pyrrhichen. Cumprimis legi meret doctiss. Joh. Meursii peculiaris de saltationibus Veterum libellus, qvem Orchestram inscripsit, & qvidem p. 63. s. Confer & Polydor. Vergilium Urbinatem, II. de Rerum inventorib. c. XIII. p. m. 110. Optimum Berneggerum in Taciti German. Qvæst. CXXXI. extr.

i Ascoliasmum] Ludus ἀσκωλιασμὸς erat, qvi perficiebarur alterò pede subsiliendo, & alterò pede in aere libratò; apud Pollucem, lib II. c. IV. n. 30. & lib. IX. c. VII.

k Paris omninò gravitatis] Lubet hæc inlustrare verbis B. D. Danielis Arcularii, qvibus Tomò II. Disputat. Theologic. Marpurg. n. VIII. §. 154. s. p. m. 148. utitur, *Adparet aliud peccatum aliò gravius esse, tum qvoad ipsa peccata inter se comparata, tum qvoad peccatorum pœnas; ut alias interim circumstantias mittamus. Graviùs enim peccârunt Angeli, principatum suum deserentes, qvàm primi parentes; & gravius fuit peccatum Adæ, qvàm cujusqvam nostrûm; gravius item est qvod designatur in Deum, qvàm qvod in proximum; qvod in parentes, qvàm qvod in qvosvis alios. Christus inqvit, Joh. XIX. 11. Qvi me tibi tradidit, majus peccatum habet. Graviorem sibi attraxerunt*

nes progreditur. [56] Falsa est hæc Stoïcorum & Socratis opinio, nec digna Christianis auribus, posteaqvàm ex illa pessimè intellecta qvibusvis etiam peccatis præberetur occasio. [57] *Peccare*, inqviunt illi, *nihil aliud est, qvàm lineas justitiæ & æqvitatis transilire, unúmqve & idem est aurô onustam navem, an paleis repletam gubernator subvertat.* [58] O insolentes homines! O mentes divinô afflatu percitas, scilicet, ut ajunt homines! [59] An non Dominus Deus Deuteron. XXV. 2. 3. pro mensura peccati competentem plagarum modum ordinavit? [60] Qvid Esaïas? *ponam*, inqvit, *judicium in pondere & justitiam in mensura.* [61] Obsecro tandem, ut belli homines respondeant, sit ne majus peccatum cùm parentes occiduntur, aut magistratus pulsatur, an potiùs ubi privatus aliqvis injuriâ afficitur aut ferrô transfigitur? Si negaverint: ut qvid ergo per Mosen justissimus Deus pro delicto-

runt pœnam Angeli apostata, qvàm parentes protoplasti, & tolerabilius erit supplicium Sodomæ & Gomorrhæ, Tyri & Sidonis, qvàm Chorazin, Bethsaida & Capernaï, Matth. XI. 22. 24. Huc pertinet Luc. XII. 47. 48. Perniciosè igitur errârunt Stoici peccatorum æqvalitatem adstruentes: & παράδοξον illud: ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, in Ecclesia ferri non debet. Non enim, ut sentiebant Stoici, sublato peccatorum discrimine, veluti compendiô qvôdam homines arcentur ab improbitate, sed confirmantur multò magis. Qvibus enim persvasum est, nullum esse peccatorum discrimen tantidem facient parricidium atqve simplex homicidium, incestum atqve stuprum, sacrilegium atqve commune furtum. Parem etiam desperationis materiam habebunt, qvi semel tantùm carnis illecebris qvasi tempestate qvâdam abrepti in peccatum consenserunt, cum illis qvi perpetua peccati mancipia fuerunt, membra sua tradentes arma injustitiæ, Rom. VI. 13. Hæc Arcularius. Addo & explicationem sanctæ memoriæ Theologi B. Mentzeri, qvæ legitur in IV. Tomo Marpurg. Disputat. n. III. §. 14. p. m. 61. *Non tollimus*, inqvit, *nos discrimen & gradus peccatorum: ne qvidem in non renatis. Qvô nomine falsò accusat D. Lutherum, Melanchthonem, Chemnitium & alios Bellarminus, lib. I. c. IV. eosqve jungit Joviniano & Pelagio hæreticis. Etsi enim omne peccatum ex se damnabile est: aliud tamen aliô est atrocius. Sicut & in humano judicio multa sunt peccata capitalia, qvæ tamen ipsa suos habent gradus. Parricidium certè longè atrocius est furtô, vel etiam adulteriô. Unde & pœnæ capitales suas habent differentias, in decollatione, suspendio, sectione in multas partes, fractione rota, crematione, &c. Qvin & in æterna damnatione pœna alia aliis erunt majores & graviores, Matth. XI. 22. 24. Luc. XII. 47. 48.* Hæc præclarus ille Theologus, cum qvo in Theologicis & sentire & scribere semper studui. Et qvoniam Noster auctor in seqventibus *peccati venialis* mentionem injicit, laudatusqve Mentzerus in seqventi paragrapho id explicat, adjiciam & ex illa verba: *Qvare nos non attingunt qvæ disputat Robertus, c. V. VI. VII. Nec probamus, si qvi dicant, peccata prædestinatorum omnia esse venialia. Tametsi enim electi in peccatis contra conscientiam admissis finaliter non perseverant (alioqvi certè electi non essent: qvorum illud est proprium, ut in fide Christi, in qvo & per qvem electi sunt, à lapsibus resurgentes ad finem usqve perseverent, Matth. X. 22. c. XXIV. 13. Johan. V. 24. Rom. X. 10. 1. Pet. I. 5. 9.) sed resipi-*

delictorum ratione tam diversa statuit supplicia ? [63] Si cesserint, jam victoria nobis in manu est, suôqve, qvod ajunt, gladiô jugulantur. [64] Qvoties Christus Hierosolymitanæ urbi væ intonat ob interfectos Prophetas ? Nempe secabantur, lapidabantur, tentabantur, qvibus non dignus erat mundus, ob Euangelium diviniqve verbi sationem. [65] Imò verò si peccata ejusdem gravitatis essent juxta Stoïcorum paradoxon, certè multi de venia desperantes cum Cain & Juda damnarentur. [66] Atqvi eam impetravit Maria tot vitiis inqvinata : eam obtinuit Paullus cùm Ecclesiam Dei persecutus esset, eâ potitus est Petrus cùm dominum Jesum ter ante galli cantum abnegâsset. [67] Humanum est labi & errare, diabolicum in peccato perseverare. [68] Est qvoddam mortale peccatum, est veniale, est qvod in Spiritum S. committitur. [69] Nemo fit repentè pessimus: paullatim ad summa fit progressio. [70] Non solùm ex animo hominis æstimanda sunt mala, verùm etiam ex objecto. [71] Peccaverunt, qvi Stephanum martyrem interemerunt, ac magis, qvi Christum Dominum in crucem egerunt. [72] Verùm in hac parte moram trahens extra Stoïcorum terminos progredior. [73] Cetera cum Lycurgi parricidio lubenter silentiô transibo, ne saliam prorsus ultra septa, singulosqve obtestor studiosos, ut digressionem hanc propemodùm coactam æqvô animô ferant. [74] Nunc tempus est, ut iterum unde declinavi, revertar. [75] Inter honestos ergo lusus maximâ qvoqve morum civilitate opus esse sciendum est. [76] Si ergo puer in aliqvo certamine superetur, non mox aratam rugis frontem aut contracta supercilia ostendet, vel adversus collusorem in convitia prorumpet, verùm adversam fortunæ aleam æqvô animô sustinebit. [77] Nec insolescet penes qvem est victoria. non contendet cum adversario pertinaciter, nec Dei nomen in vanum testimonium evocabit. [78] Comitatem, urbanitatem, hilari-

resipiscentes per Christi gratiam peccatorum veniam consequuntur: tamen sæpe ad tempus gravissima peccata in illis regnant (ut in Davide adulterium & homicidium, 2. Samuel. XI. 12.) qvibus conscientia vastatur, fides excutitur, & amittitur Spiritus sanctus : id quod luculentis scripturæ testimoniis, exemplis & argumentis ferè infinitis demonstrari potest. Unde Augustana Confessio, articulô XII. damnat eos, qui negant sanctos justificatos posse amittere Spiritum sanctum. Hæc Dn. Mentzerus. Hôc nomine Stoicorum filios deridendos propinat M. Tullius in pro Murena Oratione, c. XXIX. extr. *Omnia peccata esse paria: omne delictum, scelus esse nefarium: nec minùs delinqvere eum, qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, qvàm eum, qui patrem suffocaverit.* Confer eumdem, IV. Academ. QQ. c. XLIII. & Justum Lipsium, lib. III. Manuductionis ad Stoicam Philosoph. Differt. XXI. p. m. 196. edit. opt. Antverp. MDCIV. in 4to. Augustin. Epist. XXIX. ad Hieronymum : *de parilitate peccatorum soli*, inqvit, *Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani.* Stoicos seqvutus est Jovinianus. Confer B. Casp. Finckium, Cent. III. Canon. Theolog. n. LII. p. m. 81. f. Matthiam Berneggerum, Qvæst. LXI. in Taciti libr. de Morib. Germ.

laritatem, facetias & jocosas *l* sales in ludendo sectabitur, easqve nullâ circumforaneorum gesticulatione, nullâ prophanâ petulantiâ conditas. 79 Atqve ut ab omni turpitudine abhorreat, svaserim sub venerando seniorum vel magistrorum conspectu lusibus indulgere. 80 Tum si qvis in alium verbis utatur asperioribus, ut parùm absit, qvin alteri in capillos involet, vel pugnum infligat, verberibus expiabitur. 81 Si ad pugnam ventum fuerit, in minòribus inconsultus ille motus virgâ lustrabitur. 82 Loqvetur etiam Latinè, sed præmeditatè, namqve ad id selectiores phrases in promptu semper habebit, ut ita nullum tempus absqve fructu dispereat. 83 Adeoqve verè Scipionis illud usurpet, * *ut nunqvàm minus sit solus, qvàm cum solus est; nunqvam minus otiosus, qvàm cum otiosus.* 84 Crebrò illi in mentem veniet, qvàm exiguum sit humanæ vitæ curriculum, qvàm velox & rapidum tempus, qvàm parum ad lusus & otia decidi debeat. 85 Semper erit sollicitus, ne qvid præter decorum committat, ut est longô testudineôqve gressu ad concitandum risum incedere, pegaséô more volare, per pedes (qvod cybistarum est) in crura se provolvere. 86 Sic enim ludendi copia in lascivam abiret licentiam. 87 Qvòd si defuerit locus & occasio ludendi, eò qvòd prælló non sint aprici campi, areæ, nemora, sylvæ, montes, flumina, nihil restat qvàm ut festivis & argutis fabulis & historicis narratiunculis animum oblectent. 88 Multum qvoqve delectabit Poësis aut Astrologiæ contemplatio, qvâ sursum animus in rerum cælestium admirationem rapitur. 89 Qvippe sicut à scorpiis icti ab iisdem solent remedium petere, eôdem modô qvicumqve lassitudinem ex studiis sibi compararunt, eorumdem auxiliô tædium omne, modò laborent, facilè discutient. 90 Interdum qvoqve latrunculorum *m* lusum, qvem elegantissimus Poëtâ Hieron. Vida descripsit, & leges, eò qvòd in mentis sagacitate consistat, permiserunt, non detrectabit. 91 Si pronior est ad rixam, non abdicabit seqvestros, qvi subortam controversiam interlocutoriâ suâ dirimant. 92 Denigve sic se gerat, sic loqvatur, cùm in libertatem ludendi vindiciæ factæ fuerint, ac si Deus ipse, qvi rerum humanarum curâ tangitur, omnia præsens (ut verè facit) inspiciat. 93 Id qvod etiam ex Homero constare potest, qvem Boëtius imitatur, cùm nullam terræ molem, nullas nubes, nullam noctis caliginem divinæ ejus providentiæ resistere docet, qvò minus ea qvæ sunt, qvæ fuerunt, & qvæ ventura sunt, non unô mentis ictu contempletur.

CAPUT

l Jocosas sales] Typographo non Auctori tribuo hoc vitium, hic enim ignorare non potuit *sales* non esse generis feminini. Fortè fuit in autographo *facetias jocosas & sales*.

* Apud Ciceron. III. Offic. c. I.

m Dixi de hoc suprà, p. 52. 57. f.

CAPUT XV.

De cubiculo & somno.

[1] Ubi in cubiculum vel Museum concesserit, laudatur in studioso silentium & verecundia, ac proinde mussitare potiùs in aurem proximo qvàm altâ voce garriendo ceteros impedire debet. [2] Id autem ut fiat commodiùs, subornandi sunt corycæi, qvi clanculum ex tenebris atqve latibulis prodeuntes strepentes rejiciendæ notæ pœnâ, vel suâ ad præceptorem delatione coërceant. [3] Inscribi qvoqve licebit postibus & laqvearibus dictatum illud, *digitô compesce labella*. [4] Tum videas cautum & providum unumqvemqve velut abortientem Linguâ Harpocratem se præstare, & ad qvemvis strepitum arrigentem aures aut Vergilium aut Terentium aut alium deniqve authorem adumbrare, dictata repetere, pensum injunctum absolvere, semper Romanâ, nunqvàm nostrati, lingvâ sermonem instituere. [5] Si qvid obvolitet animo vel in primoribus versetur labris, doctiores consulet, priusqvàm devoretur. [6] Qvod si non fiat, scholasticô more mulctam committet. [7] Atqvi si in ea solvenda dicto minus audientem se gerat, inobedientiæ coram magistro postulabitur: cujus officium erit diutiùs in obstinata pertinacia persistentem legitimâ tandem pœnâ afficere. [8] Cùm aliqvis improbiùs altercatur, illum itidem adversarius violatæ humanitatis arcesset, aut metu delationis continebit, non fœneratum illi rependet. [9] Præter hæc cavebit unicè, ne contra decorum aliorum oculis denudatum exponat, qvod ipsa natura tectum in nobis voluit. [10] Priusqvàm verò corpus ad qvietem componit, diligenter num qvid frugis in literis fecerit, an qvid laude dignum præstiterit, fuerit ne probus, moderatus, ad rem attentus, tacitè perpendet. [11] His enim notis * Vergilius virum bonum describit, cum ait:

Vir bonus & sapiens, qvalem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui totum se explorat ad ungvem,
Nec priùs in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia qvàm longi reputaverit acta diei:
Qvo prætergressus, qvid gestum in tempore, qvid non:
Cur isti facto decus absfuit & ratio illi?

[12] Meminerit somnum mortis qvamdam imaginem esse, ac proinde non deputandum in vita, qvidqvid somno impenditur. [13] Unde ingeniosus Poëta:

Infelix totâ qvicumqve qviescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna vocat.

[14] Pro-

* Adducit & hunc locum P. Lauremberg. Cent. I. Acerræ, n. V. sed neuter addidit locum Virgilii.

[14] Proditum est memoriæ, philosophum Aristotelem noctu plumbeam sphæram manu tenere solitum, ut illa, cùm somnus obrepebat, in æneum lebetem magnô strepitu delapsa dormientem excitaret. [15] Itidem Alexander Magnus brachiô extra cubile protentô argenteam pilam tenere solebat, ut, cùm nervorum rigorem sopor laxasset, elapsæ pilæ tinnitus somnum abrumperet, teste Ammianô Marcellinô. [16] Demosthenes antelucanis vigiliis omnes fabros superabat, ut rectè Pytheas enthymemata ejus lucernam olere responderit. [17] Pomponius Lætus scriptitando libros totas noctes exigebat. [18] Noctu præceptorem Judæum audiebat Hieronymus. [19] Proceres Romani in mediis belli occupationibus ἀναγνώστας conducebant, qvi epulantibus, dormientibus, lavantibus, ambulantibus, & iter facientibus semper aliqvid lectitarent. [20] Existimabant enim omne tempus perire, qvod lectioni bonarum literarum non impendebatur. [21] Ad hæc qvotqvot sunt animalia, oriente sole expergiscuntur: [22] Elephas adorationis qvôdam gestu jubar ejus salutat; Luscinia nonnunqvàm cantu antevertit; Leo somni parcissimus est. [23] Pudeat ab his superari rationalem hominem, adeoqve totâ nocte affixum nido profundè stertere. [24] Fateor ex Hippocratis lege noctu dormiendum & interdiu vigilandum. [25] Fateor somnô juvari concoctionem, atqve hyeme qvàm æstate diuturniorem esse debere, videlicet ob majorem ciborum ingluviem: verùm qvid illud ad nostrum studiosum? [26] Non prohibeo qvod natura instituit, non abrogo qvod necessitas sanxit, tantùm dormiendum ut vivamus, non ut dormiamus vivendum esse volo. [27] Est enim hoc magis ursarum & glirium, qvàm rationalis creaturæ. [28] Profectò qvi benè curat corpus, non bene saginat animum: & pingvis venter non gignit sensum tenuem, ut vetus habet proverbium. [29] Qvid? qvod septem horarum spatium ad promovendam digestionem juxta medicorum placita abundè satisfaciat? [30] Qvamqvàm neqve illud eô dixerim, qvasi meliorem noctis partem insomnem traducendam svadeam, imò habendam reor cùm personarum tum temporis & sanitatis rationem. [31] Qvorumdam valetudo versatur in præcipiti, qvorumdam consvetudo est altera natura: nec ullum violentum esse potest diuturnum. [32] Unusqvisqve sibi sumat, qvod absqve dispendio conducturum speret. [33] Est certus rerum omnium modus, sunt certi fines, ultra qvos & citra rectum neqvit consistere. [34] Ut tandem rectè Flaccus, II. Carm. Od. X. v. 5.

auream —— mediocritatem

dixerit, ipsasqve virtutes μεσότητας unà cum Peripateticis Chrysostomus appellaverit. [35] Plura possent hôc locô congeri, nisi Timantem imitatus qvædam orationis velô supprimere cogerer, ipsisqve etiam corruptis affectibus rationis frænum injicere. [36] Sed nec generatim eos tractabo tantùm, verùm etiam in suas qvasqve sedes vitiorum invectivas dispensabo.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Affectibus.

1 Haud facilè credas, qvantoperè etiam à recto tramite ſtudioſum diſtrahat perverſorum affectuum ſervitus, niſi fræno rationis ac judicii compeſcantur. 2 Dum enim procedunt, vires ſibi parant, & cùm nimis indulges, excluduntur † faciliùs, qvàm exſtirpantur. 3 Matura volunt remedia & in tempore adhibita non ſerotina, cùm per longas moras invaluerunt. 4 *Cùm primùm oriuntur, mederi oportet*, inqvit Seneca, *nec libertatem latiùs ſerpendi tantis malis concedere.* 5 Eſt autem inter omnes maximè impetuoſa iracundia, ut de illa præcipuè jam noſter inſtituendus ſit ſermo. 6 Qvidam enim homines hujus fervore uſqve adeò inflammântur, ne dicam dementantur, ut ob res nihili vel lanam caprinam in convitiorum plauſtra, qvæ potiùs ganeones & diobolares agyrtas qvàm probos decent, plenis (qvod ajunt) velis effundantur. 7 Qvibuſdam adeò ſatis non eſt verborum commutatione digladiari, ut ſæpè etiam pugnis, calcibus, fuſtibus & ſicis in mutuam perniciem ruant. 8 Si hanc commotionem & impetum à civibus abeſſe voluit philoſophus Plato, qvantò magis aberit à Chriſtianis & humanioribus ſtudiis dedicatis hominibus? 9 Nec enim illi turbidis motibus agitari debent, verùm ab omni fervore longiſſimè ſeqveſtratam rationem habere. 10 Adeò certè ut niſi qvis renuntiaverit affectibus, qvantumvis in cyclopædia verſatus ſit, verè tamen doctus haberi vel dici non debeat. 11 Hæc enim duo humanitas ſcilicet & eruditio indiſſolubili qvôdam nexu complicata ſunt, nec ullum diſſidium patiuntur. 12 Rectè Poëta; lib. II. Ep. IX. ex Ponto, v 47.

Adde, qvòd ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

13 Et A. Gellius, lib. XIII. c. XVI. princip. *Qvi verba Latina fecerunt*, inqvit, *humanitatem appellârunt id propemodùm, qvod Græci παιδείαν vocant, nos eruditionem inſtitutionemqve in bonas artes dicimus: qvas qvi ſinceriter cupiunt appetuntqve, ii ſunt vel maximè humaniſſimi. hujus enim ſcientiæ cura & diſciplina uni homini data eſt, idcircòqve humanitas appellata eſt.* 14 Atqvi hæc humanitas liberum etiam ab omnibus pravis affectibus animum reqvirit, ut, qvi aliqvando ſeſſuri ſint in puppi, totiuſqve mundi clavum gubernaturi, inter multos tanqvàm ſplendentes ſuâpte luce faces emineant. 15 Age producantur in medium illuſtrium virorum exempla; qvibus Muſarum æmulis omnem planè humanitatem convenire doceatur. 16 In primis qvantâ qvæſo patientiâ cùm incuſſum à protervo juvene colaphum, tum moroſæ & litigioſæ Xantippes intemperies toleravit Socrates? 17 Mirabantur

† *Excluduntur*] Prolixus eſt in hoc inluſtrando Seneca, l. de Ira, c. VII. & VIII. Item Ep. CXVI.

ergo bonas sed malas potiùs & perversas animorum commotiones temperandas censeo, hoc est, ut judiciô mentis tanqvàm pædagogô ad mediocritatem revocentur, vel magis stirpitùs evellantur. [40] Si namqve virtus est, in medio iræ impetu seipsum cohibere, qvod nemo negabit; ergo virtute carebit qvisqvis irâ destituitur. [41] Si virtus est libidinem corporis coërcere, virtute careat necesse est, qvi libidinem, qvam temperet, non habet. [42] Atqve ita Homerus fingit Achillem, cùm iratus gladium stringeret adversus Agamemnonem, retractum à Pallade suô capillitiô, ne iracundiâ compulsus facinus pœnâ dignum committeret. [43] *Noli esse amicus*, inqvit Salomon, Prov. XXII. 24. 25. *homini iracundo, neqve ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* [44] Si fieri potest, cum omnibus pacem nos habere vult Apostolus, Rom XII. 18. 19. 20. tum iræ locum concedere. Scriptum est enim: *Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus, si sitiverit hostis, noli claudere viscera misericordiæ: da cibum, da potum: cùm enim hoc feceris, carbones ignis congeres in caput ejus.* [45] Hæc omnia si rectè perpendas, parum aut nihil tam ipsi Stoïci qvàm Peripatetici à divinis scripturis dissentient. [46] Oportet enim eniti ad * perfectionem, qvantum per imbecillitatem naturæ licet: & qvamvis illa ad malum pronitas funditùs non possit tolli, placet tamen Deo voluntas hominis & Christiana obedientia, qvæ si non perfectionem, mediocritatem tamen consectatur. [47] Sed ad literatos revertor, qvibus cùm lepidum qvoddam & elegans juvenis exemplum impartiverim, lubens conqviescam. [48] Sic se habet historia: Adolescens qvidam, cùm per aliqvot annos Zenoni Stoicorum principi, ut philosophicis præceptis imbueretur, operam dedisset, in patriam revocatus ad parentes iter instituit: ad qvos reversus tandem ille magnam qvoqve amicorum omnium lætitiam experiebatur. [49] At pater, qvia tôt sumptus promovendis filii studiis impenderat, qvosqve in literis progressum fecisset, & qvid utilitatis ex ejus acroamatis domum referret, seriò rogitabat. [50] Cúmqve ille se ad primam occasionem specimen aliqvod daturum responderet, diuturnioris moræ impatiens pater, qvantum poterat instare, omnemqve procrastinationem amovere. [51] Verùm filiô semper sollicitam expectationem suspendente, tandem exacerbatus parens, eò qvòd omnem operam in filio se lusisse putabat, sublimem corripiebat juvenem, adeoqve tenerum corpus flagris lacerabat, ut jam omnem humanitatem exuisse videri potuisset. [52] Cúmqve jam iterum rogitaret, qvem profectum sub tanto philosopho fecisset, tandem placidô benignôqve vultu non superciliosô satis id à se ostensum filius respondebat: *Hoc enim fructus,*

* *Perfectionem*] Exstat de Perfectione Christiana elegans tractatus Dn. D. Philippi Jacobi Speneri, qvem præfationis locô præfixum invenies Dialogo Balthasaris Köpke de Tribus Sanctor. Gradib. Lips. edit. M. DC. LXXXIX. in 12. in nupera verò editione Amstelædam. M. DC. XCVIII. in 12. omissum.

Eus, inqvit, *repertavi*, *ut adversus omnem fortunæ insultum velut cautes Marpesia vel dura silex immobilis consistam*, *hoc est*, *ut ad qvævis verbera*, *ad convitia*, *ad omnem denique injuriam animi mei patientiâ firmiter occalleam.*

CAPUT XVII.

De Invidia.

[1] Deferbuit inter studiosos ira, superest, ut invidiam atqve obtrectationem meô qvoqve stylô confodiam. [2] Et ne longiùs excurram, ecce genuinam ex Ovidio † descriptionem:

Pallor, inqvit, *in ore sedet*, *macies in corpore toto:*
Nusqvàm recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingva est suffusa venenô,
Risus abest; nisi qvem visi movêre dolores.
Nec fruitur somnô, *vigilantibus excita curis:*
Sed videt ingratos, *intabescitqve videndô*
Successus hominum: carpitqve & carpitur unà,
Suppliciumqve suum est. ——— ———

[3] Qvemadmodùm enim rubigo ferrum, sic invidia suum authorem consumit juxta dictum Antisthenis. [4] Nec minùs rectè sapientissimus omnium hominum Salomon, *putredinem ossium*, livorem nuncupavit, Proverb. XIV. 30. [5] Bernardus & Basilius, *viperam*: *inexstingvibilem ignem*, Chrysostomus. [6] Qvòd enim nihil aliud sit, qvàm sui ipsius carnifex, ossiumqve putredo, significavit etiam Alexander, cùm invidos homines *propria tormenta* vocaret. Et Horat. lib. I. Ep. II. v. 60. *Invidus*, inqvit, *alterius macrescit rebus opimis.* [7] Ad hæc qvemadmodùm vipera conceptâ prole ventreqve tandem perruptô interficitur, ita sanè invidia sibimet exitii caussa clanculum corroditur & contabescit. [8] Et qvoniam nihil aliud conatur, qvàm suâ labe omnem virtutis atqve honestatis florem miserè labefactare, rectâ hominem suô tirociniô in avia ducit, ipsiqve diabolo mancipem facit. [9] qvamqvàm si qvis Annalium veterumqve scriptorum memoriam in animo velit replicare, nullum is (qvantum mihi apparet) vel fortitudine, vel justitiâ, vel doctrinâ, præstantem virum comperiet, qvi non ab invidorum telis fuerit impetitus. [10] Summa namqve petit livor, & non aliter atqve umbra solis individuam virtutis comitem se præbet. [11] Ut rectè Pittacus tam diu se felicem fore prædicaverit, qvàm diu se malevolentes homines insectarentur. [12] *Nulla*, inqvit Val. Max. *tam moderata felicitas est*, *qvæ invidiæ dentes vitare possit.* [13] Zoilus detrectabat Homero, hydra Lernæa fortissimo Alcidi: Bavius & Mevius Vergilio, Ibis Calli-

† Lib. II. Metam. v. 775.

Callimacho, Ciceromastix Largus Licinius M. Tullio. [24] Magna semper invidorum colluvies fuit, ubi virtus suarum alarum remigiô in altum enitebatur. [25] O tetram pestem & deplorandam hominum lanienam! [26] Hæc omnium rerum turpissima rem longè pulcherrimam gloriam scilicet insectatur! [27] Hæc est illa pestis, qvæ viros eximios opprimere conatur, & contra resistentes contentiosiùs intumescit. [28] Unde Apollonius Tyanæus majus periculum homini sapienti ab invido, qvàm naviganti à tempestate, vel pugnanti ab hostibus imminere scitissimè prædicabat. [29] Semper nostri nosmet pœnitet: *Optat * ephippia bos piger, optat arare caballus.* Nemo suâ sorte contentus. [30] Qvi in otio est, negotium qværit; & qvi negotiorum est satur, otium affectat. [31] Atqve, ne longiùs excurram, brevibus explicabo, cui maximè animalium invidiosus comparari debeat. [32] Certè qvoniam inter homines censendus non est, qvi cuivis perniciem machinatur, ad bruta potius relegabo, & ad polyporum noctuarumqve consortium velut capite diminutum redigam. [33] Qvid? An non sicut noctua caligine delectatur, lucemqve exosam habet, ita ille alienâ calamitate afficitur, & ipsum virtutis splendorem in occulto dente plus qvàm Theoninô arrodit? [34] An non ut polypus post devoratos alios pisces sua qvoqve brachia tandem depascitur, ita post aliorum caninos morsus se qvoqve corrodens miseras pœnas in animo luit? [35] Congererem plura, nisi me labor aliorsum revocaret. [36] Hoc unum addam, præclara ingenia nunqvàm aut rarò invidiæ stimulis agitari solere. [37] Ut enim tinea non nascitur in nobili & perpetuò virente cedro, cujus ligna non sentiunt cariem, ita etiam in sapientis hominis animo, dummodo conjunctam habeat immortalem virtutem, invidia non procreatur. [38] Unde proverbium: *ἀφθόνοι τῶν μακρῶν θυρῶν.* [39] Qvicumqve ergo studiis humanioribus se mancipavit, absit ab illo qvæso tam pestilens noxiumqve venenum. [3] Cogitet hôc deleteriô hominem in beluinam naturam transformari, nec tantùm in se virus illud, verùm etiam in patriam totamqve rempublicam redundare.

CAPUT XVIII.

De Obtrectatione.

[1] Invidiam proximô gradu seqvitur obtrectatio, qvæ per cuniculos invadens absentem calumniâ proscindit, ut eâ ratione melior, fortior, justior atqve nobilior æstimetur. [2] Sis licet cautus, sis providus, sis rerum sagax qvantumcumqve velis, non tamen mortiferas calumniæ delationes, qvas clanculum auribus insusurrat, omninò declinabis. [3] Ab listibus...

* Horat. I. Ep. XIV. v. 43.

[21] Si namqve S&ô Turpilianô ſtatuta fuit calumniatori pœna, profectò vacare debent tam exſecrabili catharmate non manu facta S. Sancti domicilia. [22] Ethnici iniqvos delatores in Gyaros inſulam relegabant; nos, ſi placet, ſcholarum terminis ejiciamus. [23] Lex Rhemnia parem cum reo pœnam irrogandam cenſebat, nos illud cum primo lacte in pueris obſervemus, ne prava calumniandi conſvetudo tandem in naturam abeat. [24] Elegans illud Horatianum, lib. I. Sat. IV. v. 81. ſ.

——— Abſentem qvi rodit amicum,
Qvi non defendit aliô culpante: ſolutos
Qvi captat riſus hominum, famamqve dicacis,
Fingere qvi non viſa poteſt: commiſſa tacere
Qvi neqvit: hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

[25] Velim itaqve Lyrici Poëtæ ſententiam tanqvàm Lesbiam in hac parte regulam ac ducem unuſqviſqve ſeqvatur. [26] Cogitet qvô pactô Deus adverſus Chore, Dathan, Abiram, Doëg, Abſolonem, atqve ejus farinæ qvamplurimos alios excanduerit. [27] Ut eos gladiô conſumpſerit, laqveô ſtrangulàrit, profundis terræ hiatibus abſorbuerit. [28] Credat horribile illud peccatum eſſe proximi famam confictis mendaciis lacerare, qvâ ſemel amiſsâ poſteà nullus erit: tum fortaſſe ſemetipſum iis maximè obnoxium eſſe, qvorum alios inſimulat. [29] Ut meritò priuſqvàm in alios lingvæ ſuæ virulentiam effundit, manticam à tergo dependentem contemplari, inqve propriis delictis lyncea vel ſerpentem Epidaurium ſe præſtare debeat. [30] Sed & illud minimè prætereundum eſt ſilentiô, qvod hoc vitium plerumqve ab hypocritis aut profligatis nebulonibus, vel deniqve adverſariis in bonos & pios committatur: [31] nam, ut præcedentia taceam, ſanè talia erant, qvæ qvondam Juſtini tempore de Thyæſteis epulis, concubitu promiſcuo & aſinini capitis adoratione Chriſtianis objiciebantur, qvæqve Nero in eosdem conjiciebat de Romanæ urbis conflagratione. [32] Qvòd autem in veram doctrinam ac religionem, ejuſqve profeſſores ut plurimùm calumniando peccetur, manifeſtum eſt ex eo, qvod Paullus Act. XXVI. 9. 10. ſ. de ſeipſo teſtatur, nempe multos ſe coëgiſſe blaſphemare, hoc eſt, veritatem agnitam exſecratione qvâdam deteſtari, & turpem palinodiam canere. [33] Dent itaqve operam præceptores, qvantum poſſunt, ut labilem juventutem ab hac diabolica virtutum peſte deterreant, idqve propoſitis non ſolùm S&i Turpiliani & legis Rhemniæ pœnis, verùm etiam aliis de præciſione lingvæ vel eâdem per occiput eximendâ: hujuſcemodi namqve flexibili ætati ſtuporem ac formidinem incutiunt.

CAPUT XIX.

De ebrietate † *& vino.*

[1] Jam verò qvantoperè, non dico rhedarium aut cerdonem aliqvem, verùm Musarum alumnum ebrietatem vitare deceat, paucis qvoqve demonstrabitur. [2] *Sapientis viri super mensam celebre dictum est*, inqvit Appulejus, in Florid. p. 363. *prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, qvarta ad insaniam.* [3] Rogatus Anacharsis (qvi tres botros viti tribuisse legitur, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium mœroris) qvânam ratione qvis effugere possit temulentiam, respondit, *Si indecores ebriorum motus præ oculis habeat.* [4] Unde Lacones vinô madidos Helotas pueris spectandos exhibebant, ut cùm illorum inconditos ejulatus audirent, & qvas edebant ineptas saltationes tuerentur, tam ridiculô moti spectaculô, ebrietatis fugitantes evaderent. [5] Plato vinosos ad speculum relegabat, ut in eo conspectâ fœditate vitio repudium mitterent. [6] Pittacus qvam legem tulerit, jam lippis & tonsoribus est notum. [7] Audiantur ergo fructus tam venenatæ dulcedinis, ut vel ex iis qvantoperè vitatô opus sit, breviter declaretur. [8] Sic inqvit Horatius, lib. I. Ep. V. v. 16.

Qvid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

[9] Ovidius, lib. I. Amorum, Eleg. VI. v. 59.

Nox & amor vinumqve nihil moderabile svadent,
Illa pudore vacat, Liber amorqve metu.

[10] Propertius, lib. II. El. XXXIII. v. 33.

Vinô forma perit, vinô corrumpitur ætas.

[11] Deniqve Virgilius: *

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Unô namqve modô vina Venusqve nocent.

Ut

† Picturam hominis ebrii & Characterem ebrietatis è Libanio repetit harum rerum non imprudens B. Joh. Henr. Ursinus, Ecclesiæ Ratisponensis qvondam Pastor & Superintendens, in Paradigmatib. Exemplô LX. p. m. 210. & in Analector. Rhetoricor. lib. II. p. m. 379. ubi & similem ebrii hominis characterem habes, qvem Rutilius Lupus, lib. II. de Figur. Sententiar. è Lycone Græco Rhetore adfert. Addas velim & Philippum Melanchthonem, nec enim hunc unqvam in talibus negligere soleo, Tomô I. Declamation. p. m. 690. s. Item Petr. Martyr. Comment. in Judic. f. 100. b. 101. a. s. B. Salom. Glassium, part. II. Exeges. Euangel. & Epist. p. m. 224. s. edit. in 4to. part. IV. p. 405. s. Vocandus est in has partes qvoqve Plinius, lib. XII. Nat. Hist. c. XXII. toto.

* Sive qvisqvis auctor est Carminis de Venere & Vino.

Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſus, debilitatqve pedes.

12 Hæc podagram, chiragram, & arthritidem generat, hæc tremulas manus & caligantes oculos gignit: hæc noxiam memphitim ventriculô exhalat, hæc vertigines, furiales ſomnos, pendulas genas, cataphoras & ſitim inexhauſtam profert, hæc nervos & robur omne corporis infringit. 13 Etenim vertigine periit Chryſippus, podagrâ laboravit Ennius, in Terentiano Chremete nec pes, nec mens ſatis officium præſtabat. 14 Tanqvàm mente captus oberrabat Maximinus, cùm largiùs vinum bibiſſet, ut rectè Seneca † nihil aliud ebrietatem dixerit, qvàm voluntariam qvamdam inſaniam. 15 Sed & vox crapula à vibratione capitis nomen obtinuit, ut ne qvid ampliùs accumulem ad confirmandum propoſitum. 16 Præter morbos autem terreni corporis gignit etiam hæc peſtis profundam divinarum rerum oblivionem, dum mens (ut inqvit Iſocrates) rectore ſuô privata idem planè perferre cogitur, qvod currus, qvi, excuſsô aurigâ, citatiſſimô curſu per devia fertur. 17 Hinc tandem voluptates, cædes, & contentiones oriuntur, ut Noë denudatus fuerit, ut Loth inceſtum commiſerit, ut Aman cruce perierit, ut Holophernes capite truncatus fuerit. 18 *Ubi dolor*, inqvit Salomon, Proverb. XXIII. 29. 30. *ubi triſtitia, ubi rixa, ubi vulnera, tremor, debilitas oculorum? nimirum in comiſſationibus.* 19 Sic Magnus ille Alexander Clyti ſangvine regales epulas commaculavit: ſic in Parmenionem & Philotam ſæviit, ſic deniqve conſobrinum Amyntam unà cum noverca ſuiſqve fratribus interfecit. 20 Etenim inter menſas & pocula facilis eſt ad iram provocatio. 21 Eôdem modô degener Ciceronis filius M. Agrippæ ſcyphum impegit. 22 Nihil hic dicam de Balthaſaro, de Benadabo, vel de Græcorum Parthorumqve gloria in bibendo: tantum finge tibi jam ante oculos dari ebrium illum Antonium, qvem in II. Philipp. traducit Cicero: Hauſerat enim in Hippiæ nuptiis tantum meri, ut in coïtu populi fruſtis eſculentis redolentibus adhuc vinum & gremium ſuum & totum tribunal impleverit. 23 Finge, inqvam, & concipe in animo tam belli hominis picturam: & cùm conceperis, ſincerè tuum in hac re profer judicium. 24 Niſi me fallit ſuſpicio, mox obrepet tædium, & velut nauſeabundus ab ejuſcemodi contemplatione abhorrebis. 25 At qvanto magis formidabis ipſe divinum illud plaſma falernô conſpurcare, templumqve Sancti Spiritus gurgitem & fœdam cloacam efficere, ut cum Diabolo in unum corpus coaleſcat? 26 Tum ſi te (qvod omen Deus avertat) præ largiore potu vitâ defungi contingat, qvam qvæſo rationem es ſubducturus? Qvid omnipotenti Domino reſponſi feres? 27 At ne te ludum jocumqve fieri putes, cùm feriò loqvar, ecce tibi Promachum, qvi poſt triduum mortuus fuiſſe traditur, cùm bibendo coronam auream ceu victor ab

† Ep. LXXXIII. Ita Pythagoras ajebat, τὴν μέθην μανίας εἶναι μελέτην· *Ebrietatem inſaniæ meditationem eſſe.*

ab Alexandro Magno promeruisset. [28] Idem propè de Arcesilao philosopho scribit Diogenes Laërtius, lib. IV. c. XLIV. [29] Ceterùm objicies illud Sapientis, Proverb. XXXI. 6. *Date siceram mœrentibus & vinum his, qvi amarô sunt animô.* [30] Qvod etiam Teucer apud Flaccum, lib. I. Od. VII. v. 30. s.

O fortes pejoraqve passi
Mecum sæpè viri! nunc vinô pellite curas:
Cras ingens iterabimus aqvor.

[31] Item qvod Melchisedech Rex Salem, Abrahæ post qvatuor regum internecionem reduci vinum ac panem protulerit; Gen. XIV. 18. [32] tum qvòd Paullus propter stomachi debilitatem & crebras infirmitates ejusdem potum Timotheo præscripserit, 1. Timoth. V. 23. [33] Imò nec Salvator, inqvies, à vino abhorruit in Cana Galilæa, Joh. II. 3. 7. s. [34] Si itaqve non indebitô modô, verùm sobriè, modestè & frugaliter bibas, acuet ingenium & sanitatem confirmabit, tantum abest, ut obtundat ac debilitet. [35] Nullum hìc obicem pono, nec etiam refragor. [36] Qvis enim unqvam hanc camerinam movit, aut qvis præter Manichæos & Tatianistas in creatura Dei Bonitatem negavit? [37] Non de rectò usu, verùm de ebrietate hactenus est disceptatum, qvæ juxta Cyrillum, *venenatô felle caput invadit, in ventre ardet, vigorem confundit, fallit imaginationem, hebetat sensus, rationem destruit, tollit mentem, visum obnubilat, nervos laxat, lingvæ balbutiem infert, devenustat os, debilitat manus, inflammat pectus, spumat luxuriam, vim genitivam enervat, gressus deniqve inordinatos efficit, ita ut à planta pedis usqve ad verticem nulla planè sit in homine temulento recta valetudo.* [38] Non est ergo qvod bonitate creaturæ tuum luxum ac intemperantiam prætexas, & nihilosecius æternæ beatitudinis consortem te futurum speres. [39] Non capit vitiorum sentina limpidissimum clarissimumqve Spiritus S. influxum. [40] Resilit ab illa tanqvàm ab homine pietate & oratione munito diabolus. [41] Hinc rerum divinarum Lethæa qvædam oblivio: hinc salutis *ἀμνησία*. [42] Sed qvanto satius mediocritati studere, lingvam & palatum cobibere, ventri frænum injicere? [43] Cùm & ipsô Plinio teste; *servata in vini potu sobrietas, sangvinem alat, nervos juvet, stomachum recreet, ciborum appetentiam invitet, expellat algorem, somnum verò concilict?* [44] Qvid turpius in studioso, qvàm ut *φίλοινον* atqve Biberium (Tiberium dixerim) traduci? [45] Qvid turpius qvàm in vitiis Endymionis somnum stertere, virtuti reluctari, semper humi repere? [46] Qvi sobrietatem negligit, is vitiis propemodum omnibus viam aperit: qvi mediocritatem spernit, is ad omne nefas declinat. [47] Tum tandem oriuntur contentiones, seditiones, & bella funestissima: tum rationem sede suâ dejiciunt rebelles affectus, & mens ad imaginem Dei condita prorsus obbrutescit.

CAPUT

CAPUT XX.

De Gula, Voluptate & Amore Venereo.

[1] De Voluptate qvid aliud proferam, qvàm qvod olim Prudentius in Psychomachia, nempe januam eam esse ad mortem, & generis humani pestem, animásqve humanas in tenebrosum mortis fundum demergere? [2] Hæc furta & homicidia docet, hæc oculos præstringit, hæc pecuniam emungit: hæc rete est & aucupium larvarum infernalium, foeda generis humani lues diraqve pernicies. [3] Sectati sunt hanc inter Philosophos Epicurus & Aristippus, inter Hæreticos Adamitæ & Chiliastæ, inter consulares Asinius Celer, qvi mullum unum septem millibus nummûm mercatus est, & inter reges præter infinitos alios Xerxes & Sardanapalus: ut tandem non sine caussa ab omni honestatis studio turpe divortium fecerint. [4] Qvando enim aviditas gulæ iterum atqve iterum ad illicita mortales provocat, mirum qvantoperè vis omnis ingenii debilitetur, qvantásqve foveas diabolus struat, ut claudicantes atqve incertos hominum animos in rerum terrestrium amore confirmet. [5] Edunt citra famem, bibunt citra bibendi appetitum: tempus ipsum inanibus terunt fabulis, lascivis gestibus apparatus condiunt. [6] De Deo ne verbulum qvidem. Qvodsi de cælestibus nonnihil proponas, inverecundè dissimulant, aut risu sannisqve disputationem dirimunt, aut deniqve in datam alibi communicandi liberiùs oportunitatem rejiciunt. [7] Addunt nonnulli fritillum, aleam, & chartas lusorias, adeoqve totas noctes & integros dies hujuscemodi ludibriis impendunt. [8] Qvid hinc aliud mihi conficies, qvàm supinam divinarum rerum oblivionem & summum in voluptate bonum? [9] Sicut Philoxenus egregius scurra gruis collum à diis sibi datum exoptabat, ut edendi bibendiqve cupiditate diutiùs titillaretur: [10] & Apicius primus omnium, juxta Senecam, de Consolat. ad Helviam, c. X. professione culinæ Romanos infecit. [11] Hæc est illa echidna multorum capitum, qvæ nos à Deo seqvestrat, & non aliter atqve poëtæ de Actæone canunt, mirabili metamorphosi in beluinam naturam transformat. [12] Adest præ foribus Christus, & omnes, qvotqvot vivunt, homines ad cælorum contubernium invitat: [13] Huc, inqvit, accelerate, ecce de vivo fonte limpidas vobis & vivas aqvas propinabo. [14] Qværite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. [15] Addit svavissimum esse suum onus, se patrem & mediatorem, nec qvemqvam suâ ope destitui. [16] Qvid agit mundus? surdaster est: curat reduviam, & in specu Platonico fasciis & catenis obvinctus jacet. [17] Curemus cuticulam adipalibus cibis, inqviunt juvenes, tandem ingravescente ætate pœnitentiam agemus. [18] Qvid opus est nosmet ipsos mœrore conficere, inqviunt senes, aut manes anticipare? Namqve illud Rutilio & M. Lepido contigisse historiæ prodiderunt. [19] Ut brevi-

breviter dicam, nemo de vitæ & morum correctione cogitat. [20] Sed huc usqve de gulosa voluptate, nunc de Venerea, qvâ nullum capitaliorem hostem à natura datum docuit Architas Tarentinus:

Qvippe nec ira Deûm tantum nec tela nec hostes,
Qvantum sola noces animis illapsa voluptas:
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

[21] Rectè Plautus: *Amor*, inqvit, Cistell. I. I. 71. *& melle & felle est fœcundissimus, gustu dat dulce: amarum ad satietatem usqve oggerit.* [22] Et Seneca: *Indulgere voluptati principium est omnium malorum*, tantum abest, ut res indifferens sit juxta Zenonis placita: [23] Idem de Beata vita scribens, *altum qviddam est*, inqvit, c. VII. *virtus & excelsum, voluptas humile, servile, imbecillum, cujus domicilium fornices & popinæ sunt.* [24] Cicero qvoqve Tusculanarum qvartô nullam omninò animi perturbationem esse dicit vehementiorem, ut rectè cum ignibus tum etiam facibus Terentius comparaverit. [25] Hinc Medea apud Ovidium, Epist. XII. Heroid. v. 33.

Et vidi, & perii, nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.

[26] Et Damon Virgilianus, Ecl. VIII. v. 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

[27] At enim, qvis non horreat, frontemqve (ut ajunt) caperet, si fœdas Romanorum libidines & lugubres amores secum revolvat? [28] Qvis non exsecretur clandestina cum hostibus colloqvia, proditiones, & rerumpublicarum eversiones, qvas unius voluptatis illecebræ suscitârunt? [29] Hæc philtris gaudet & hippomanes qværit: [30] hæc est Scyllæa rabies, palustris hydra & inexplebilis vorago. [31] Hæc Trojam evertit & Lydorum regnum ad Gygem transtulit. [32] Hæc fortissimum superavit Herculem, & teretem fusi vertiginem lascivienti pollice rotare coëgit. [33] Interim cùm plus aloës qvàm mellis habeat, certè curarum ac solicitudinum mater non immeritò vocabitur. [34] Demosthenes se non emere tanti pœnitere prostibulo cuidam, cui nomen erat Laidi, respondisse legitur. [35] Aristoteles monebat, ut abeuntes non venientes voluptates contemplemur: venientes enim fucatâ suâ specie blandiuntur, abeuntes pœnitentiam ac dolorem relinqvunt. [36] Qvò pertinet illud Juvenalis, Sat. XIII. v. 1. s.

Exemplô qvodcumqve malô committitur, ipsi
Displicet auctori, prima est hæc ultio, qvod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba qvamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

[37] Sed & Aristoteles alibi scribens improborum animum à seipso diffidere, nihil aliud significat, qvàm scelerum conscientiâ velut pungi, perpetuisqve verberibus flagellari. [38] Qvicumqve ergo studiorum & Musarum sacerdotiô fungeris, age Persianum illud cum pipere & palmis sapere diligenter

genter perpende, linqve nuces, & emptam dolore ſperne voluptatem. 39 Humilis illa res eſt & puſilla juxta Senecam & in nullo habenda pretio, cumqve brutis animalibus communis, animæqve partes ſummas à virtute detorqvens. 40 Imò ſi vir temperans voluptates fugit, ut Philoſophus tradit, qvantò magis is qvi in Philoſophiæ hortis ſpatiatur ac delitias agit? 41 Qvid? Cùm Tullius neget in regno voluptatis virtutem poſſe conſiſtere, tene putas conjunctam individuâ ſocietate virtuti eruditionem conſecuturum? Negaverint id etiam nundinarii ambulones, qvos aliô nomine agyrtas & circumforaneos dicimus. 42 Una qvædam voluptas eſt & unus amor, qvem qvidem qvàm maximè vellem te conſectari, non autem è Jove prognatus, vel ἐκ τοῦ ὁρᾶν καὶ ὁράσεως, juxta Platonem atqve ejuſdem Sectatorem Plotinum, ſed è cœlo genitus, & abſqve naturæ adminiculo in generoſis animis fixas certáſqve ſedes ſibi deligens. 43 Hanc, inqvam, velim qværas, ames, foveas atqve conſerves. 44 Verùm ne neſcias, qvis ille ſit & qvalis, qvantumqve differat à præcedenti, audi Beroaldum ſuis ipſum coloribus ingenioſè depingentem. ſic ait:

Dogmata divini memorant ſi vera Platonis,
Sunt geminæ Veneres, eſt geminatus amor.
Cæleſtis Venus eſt nullô generata parente,
Qvæ caſtô ſanctos nectit amore viros.
Huic comes eſt magnus Deus, ambroſiuſqve Cupido,
Qvem docti nôrunt egregiiqve mares.
Altera ſed Venus eſt totum vulgata per orbem,
Qvæ Divûm mentes alligat & ſuperûm,
Improba, ſeductrix, petulans, laſciva, proterva,
Blandiloqva, illudens, imperioſa, procax.

45 Si tibi cordi eſt tua ſalus, vide ne picem tangas, & omnibus modis à te abdica momentaneam hanc delectationem. 46 Facilius enim eſt fœdum & impudicum amorem declinare, qvàm validos illos nodos & caſſes perrumpere, cùm ſemel fueris implicatus. 47 Unde Ariſtippus non ingredi ad meretricem, ſed egredi non poſſe, turpe judicabat. 48 Sed enim ut abſqve negotio arcem malorum omnium (nam ſic vocavit Diogenes) poſſis evitare, fac ſemper aliqvid agas, ſemper ſcribas, ſemper legas, ſemper mediteris, ut tentator diabolus te inveniat occupatum. 49 Interrogatus enim Theophraſtus qvid eſſet amor? reſpondit πάθος ψυχῆς σχολαζούσης. 50 Diogenes amorem otioſorum negotium vocavit; Hieronymus pulvinar diaboli: utrumqve tibi poterit in hac re eſſe documento. 51 Adde qvòd nihil commercii cum literis habere poteſt, qvi luxum & Cupidineum amorem ſeqvitur: 52 Id qvod non ineleganter poëtæ Palladis & Muſarum fabulis deſignârunt, nempe qvas omnes intactas & inviolatas virgines eſſe finxerunt.

CAPUT.

CAPUT XXI.

De Avaritia & Liberalitate.

[1] Ventum eſt ad Avaritiam, qvam idolorum ſervitutem vocat Paullus, Eph. V. 5. omnium malorum metropolim Diogenes, crudelem tyrannum Chryſoſtomus. [2] Reſtat itaqve, ut in hanc, aciem qvoqve ſtyli ſtringam, atqve ejus turpitudinem omnibus ante oculos ſtatuam. [3] Et in primis Trajanum, divitis avari gazam lieni comparâſſe, ſcribit in vita Juliani S. Aurelius. [4] Qvid ita? Ut enim creſcente ſplene cetera membra tabeſcunt, ita creſcente fiſcô ſubditorum divitiæ affliguntur. [5] Qvamqvàm eâdem ratione non ineptè comparari poſſit hydropico vel etiam Danaïdum dolio. [6] Tu, ſi placet, à poëtarum Tantalo comparationem deducas. [7] Nam ut ille apud inferos in aqvarum medio ſiti cruciabatur, ita qvicumqve Mammonæ ſervit, qvò magis inter ſpinas volutatur, eò certè majori cupiditate fervet atqve torqvetur. [8] Unde Horat. lib. III. Carmin. Od. XVI. v. 17. *creſcentem ſeqvitur cura pecuniam, Majorûmqve fames.* [9] Et Mimus: *Tam deeſt avaro qvod habet, qvàm qvod non habet.* [10] Rurſus † Horatius:

Creſcit amor nummi, qvantum ipſa pecunia creſcit.

[11] Verùm hic ſubſiſtam, ne ſolis poëtis videar immorari. [12] Hoc certiſſimum eſt rempublicam Romanam tantiſper virtutum exemplis floruiſſe, donec populi & imperatorum animos auri ſacra fames non invaſiſſet. [13] Tum enim ex nimia habendi cupidine Midæ regis auriculas ſibi aſſuerunt, hoc eſt, omni judiciô privati fidem ſimul & probitatem ceteraſqve virtutes ſubverterunt. [14] Hinc indies imperium decrevit, & virtus bellica in muliebrem timiditatem degeneravit. [15] Succeſſit in locum ſuperbia & dominandi libido, qvam neceſſariò conſeqvebantur ſeditiones, ac cædes inteſtinæ, per qvas tota reipubl. compages miſerè tandem luxabatur. [16] Deniqve venalia facta ſunt jura, & ſpe lucri leges fuerunt abrogatæ. [17] Ut planè verum ſit illud Hieronymi: *divitem hominem aut iniqvi dominum eſſe aut heredem:* [18] atqve illud Senecæ, *avarum nihil rectè facere, niſi cùm ipſe moritur.* [19] Tu ergo Studioſe fac ſemper turpiſſimum eſſe tibi perſvadeas, neceſſitatem non uſibus naturæ ſed cupiditatis terminis metiri, non acqvieſcere conſiliis Euangelii, non illud deſpicere, qvod nemo gentilium philoſophorum non egregiè contempſit. [20] Cogites piis etiam illud ſatis eſſe, qvod naturæ parum eſt. [21] Numqvid Chriſtus ipſe philargyriam nobis interminatus eſt, cùm ad liliorum & avium in diem viventium imitationem nos

† Falsò, Juvenalis enim habet, Sat. XIV. v. 139. Si verò Horatium audire vis, is lib. II. Od. II. v. 13. ſ. canit. *Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops* &c. Adde & Ovid. I. Faſt. v. 211. Senec. Ep. XCIV. & CXIX.

nos exhortatur? *Ante omnia*, inqvit Matth. VI. 33. *qværite regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* [22] Qvid ita? Certè dominus Christus ad virtutes animi cælestésqve thesauros, qvæ nec putrescunt, nec ut externa bona auferuntur, animos nostros exsuscitat. Neqve id immeritò. [23] Etenim cùm divitiæ laboribus acqvirantur, periculis & solicitudine serventur, doloribus amittantur, adeoqve mille curis hominem involvant, qvænam esse poterit in avaro supernarum rerum contemplatio? [24] Pari modò qvisqvis ad solidam eruditionem contendit, ab avaritiæ laqveis caveat sibi necesse est. [25] Nullum enim veritas hostem cupiditate majorem habet. [26] Amat illa candorem & libertatem, odit vultures & formicas Indicas. cum servili & ignavo hominum genere nihil commercii habet. [27] Sed qvoniam dispudet in describenda avaritia diutiùs occupari, liberalitatem ac beneficentiam dotibus suis jam potiùs exornabo. [28] Hæc illa virtus est, qvâ proximi necessitatibus succurrimus, & fontes nostros foràs derivamus. [29] Hæc est illa virtus, qvâ nos ipsos illustramus & Deo conspicuos facimus, siqvidem hilari, candidô & devotô fiat animô, non elatô, non laudis cupidô, non ex bonis malè partis, vel rebus legum auctoritate interdictis. [30] Cùm liberalitatem dico, non prodigalitatem intelligo vel profusionem, qvalis fuit in Caligula, Antonio & Vitellio, sed Deo gratam & ex charitate proficiscentem beneficentiam. [31] Facessant ergò voces istæ lurconum & nepotum: meus hic est fundus, mea domus, mea hæreditas, ac proinde meô arbitratu, si diis placet, abutar. [32] Si profundo, si dilapido vel abligurio, qvid tuâ refert? mihi testamentô obvenit. [33] Ignorant illi videlicet se œconomos bonorum à Deo, non dominos esse constitutos. [34] Nec sciunt ad benefaciendum natos esse homines, id qvod Gratiarum nominibus poëtæ significârunt: qvibus etiam vel hanc ob caussam in urbium meditullio templa consecrâta fuisse dixerim. [35] *Si videris nudum*, inqvit Esaias, c. LVII. 7. *operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Idem: *Frange esurienti panem, tunc invocabis, & Dominus exaudiet.* [36] Et Salomon, Proverb. XXI. 13. *Qvi obturat aurem ad clamorem pauperis, vicissim clamabit & non exaudietur.* [37] *Qvi largiter serit, copiosè metet*, inqvit Paulus, 2. Cor. IX. 6. [38] Neqve hic respectus est habendus personarûm, *cùm & sceleratis sol oritur, & piratis maria pateant*, inqvit Seneca, lib. IV. de Benef. c. XXVI. 1. (Conf. & c. XXVIII.) [39] Si non ut homini dandum existimes, da potiùs ut homo, juxta Phavorini philosophi dogma. [40] Magna est cum qvovis mortalium communio: Utitur eôdem aëre, constat ex iisdem elementis, pari modô nascitur, eidem domino post nativitatem tingitur. [41] Qvapropter si non ob meritum, saltem ob naturæ vinculum improborum necessitatibus succurre. [42] Scortator est? Forsan vitam in melius reformabit. [43] Paricida est? Forsan pœnitentiam aget. [44] Interim non parum discriminis est in ejus animo, qvi beneficium confert. [45] Si enim citra omnem delectum donationes effundat, eqvidem juxta Socratis illud ex Gratiis, qvæ virgines alioqvi sunt, scorta comparabit. [46] Si malevolus & invitus adfuerit animus,

mus, ut qvia caret omni serenitate, favore, lætitiâ, benignitate, certè beneficii nomen talis collatio non merebitur. 47 Id qvod tum ex Hectoris & Ajacis monomachia, tum ex illo veterum adagio τ ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, elegantissimè probari potest.

CAPUT XXII.

De Ambitione & Gloria.

1 Contra Ambitionis æstum multum omninò proderit, si qvis tacitè secum revolvat, qvàm grave sit saxum illud Sisyphi ventilare, qvàm periculosum in lubrico pedem figere, & cum Icaro sursum evolare, ne rursus liqvefactis pennis, priusqvàm gloriæ choragium asseqvi potest, turpiter delabatur. 2 Si cogitet qvantum felicitatis sit in eo vitæ genere, qvod ab omni susurronum strepitu & aura populari semotum nullos dolos aut pericula formidat. 3 *Avaritiæ*, inqvit Silius, *fœdissima nutrix.*

Ambitio, qvæ vestibus foribusqve potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum.

4 Hæc ex virtutis fuco laudem venatur, jura pietatis ignorat, societatem violat, inimicitias conciliat, libertatem eripit, ad res injustas impellit, plena cupiditatis & solicitudinis, ut inqvit Tullius. 5 Illa ad qvemvis rumusculum & falsam fabulam horrescit, illa ora omnium atqve oculos intuetur, illa ceteris præstare contendit. 6 Si qvid voto minus respondet, mox panicô velut casu consternatur. 7 Ex æstuariæ fortunæ nutu, qvotus & qvantus est ejus sectator, pendet. 8 Prout ventus est exin vela vertit: semper solicitus, semper in aliorum oculos intentus. 9 Seneca, epist. XCIV. ad Lucilium: *multi sunt*, inqvit, *qvi ante se agunt agmina, ut tergis hostium graves instent, & ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant.* 10 *Nemo illis venientibus resistit, sed nec ipsi ambitioni crudelitatiqve restiterant.* 11 *Tunc cùm agere visi sunt alios, agebantur.* 12 *Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat.* 13 *Ne Cn. qvidem Pompejo externa inire bella aut domestica virtus aut ratio svadebat, sed insanus amore magnitudinis falsæ, modò in Hispaniam & Sartoriana arma, modò ad colligendos piratas ac maria pacanda vadebat.* 14 *Qvid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? gloria & ambitio & nullus super ceteros eminendi modus.* 15 *Qvid? tu C. Marium semel consulem, cùm Theutonicos Cymbrósqve concideret, cùm Jugurtham per Africa deserta seqveretur, tot pericula putas appetîsse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio.* 16 Sed qvid Chrysostomus? *Qvi primatum qværit in terra, confusionem*, inqvit, *inveniet in cælo.* 17 O sacram aureisqve litteris exarandam sententiam! 18 Qvid Christus? *Qvi se exaltat, humiliabitur.* Luc. XVIII. 14. 19 Nemo est

est honore dignus, qvi honorem affectat: etenim gloria fugientem seqvitur & seqventem fugit. [20] Verus honor à virtute proficiscitur, non à fumo rerum humanarum; à Deo, non ab hominibus. [21] Qvapropter nec vires, nec fama, nec genus, nec opes, qvæ tàm malis qvàm bonis contingunt, veram possunt suppeditare gloriam: ut deridiculi sint, qvi tam fragili fundamentô nisi, solidam illam & expressam non, adumbratam verò bonorum laudem aucupantur.

CAPUT XXIII.

De Superbia.

1 Nihil prætereà deformius est, qvàm de seipso prædicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium gloriosum militem imitari, ut inqvit Arpinas orator. [2] Mihi si per Ciceronem loqvi concessum fuisset, nihil omninò stultius & imprudentius judicâssem. [3] Ut enim vanos utres & folles inflat ventus, ita vesanos fastus atqve superbia. [4] Sic Gorgias de qvavis re promptè se mox etiam dissertarum promittebat, & Pelops medicus omnium rerum caussas & effectus profitebatur. [5] Qvamqvàm & inter nostros eò stultitiæ tandem devolutus fuerit Angelus Politianus, ut in Miscellaneis Corasius † annotavit. [6] Ceterùm philosophus Socrates Alcibiadem ob divitias & agros multos, qvos possidebat, tumidum in qvemdam urbis locum seduxit, ubi inspectâ tabulâ, in qva terræ periodus continebatur, jussit ut Atticam regionem inqvireret, ut dixit se invenisse: Jam, inqvit, tuos agros mihi demonstra; sed cùm illorum picturam uspiam videri negaret Alcibiades, His igitur superbis, ait philosophus, qvæ in nulla parte terræ videri possunt. [7] Intumescit ergo animus ob divitias? Cogita, sublatâ vulgi opinione, nihil aliud esse aurum, qvàm rubram terram, nihil aliud amplissimos fundos, qvàm tantillam terræ portiunculam. [8] Placet tibi venustas & pulchritudo corporis: Spurinnæ juvenis & Nereï historias tecum revolve. [9] Placet robur & fortitudo? Gigantomachiam expende. [10] Jactitas doctrinam, vel qvod utriusqve lingvæ latifundia messueris? Conjice in illos oculos; ad qvorum comparationem Penelo-

† Verba Joannis Corasii Tolosatis JCti, lib. III. Miscellaneor. juris Civil. c. XVI. n. I. p. m. 269. edit. Lugdunens. M.D.LII. in 8t. hæc sunt: *Angelus Politianus, vir Græcè Latinéqve impensè doctus, & inter auctores Latinos non postremi nominis: cùm in glossematis juris civilis Senis jactaret se, vel Accursium superare posse, rogatus à Mariano Socino JCto ætatis suæ doctissimo, qvisnam in jure Civili* suus hæres *diceretur, parum feliciter obmutuit.* Egimus de Politiano in parte III. nostrar. Animadversion. c. I. §. X. p. 22. s. c. II. §. V. p. 51. s.

nelopes telam texuisse videaris: vel potiùs Socratem non tam lingvâ qvàm vitâ philosophum, illudqve tantum se scire affirmantem qvod nihil sciret, & tamen Apollinis judiciô sapientissimum diligenter imitare. [11] Summatim nulla via est ad evitandum hoc vitium magis compendiaria, qvàm juxta Phœbæi templi programma seipsum benè cognoscere. [12] Et qvô pactô tandem? Nempe si miseriam & calamitatem identidem rationis bilance trutinet, si terram & cinerem se esse meminerit, imò putredinem ex ortu, bullam totô vitæ stadiô, vermium escam post solutum naturæ debitum. [13] Si porrò volutet, qvid detractum cælô Luciferum rudentibus inferni tradiderit: [14] Si replicet secum Deum esse unum, qvi superbis * resistit & humilibus dat gratiam, illum erectas cervices deprimere & omnes colles in plana deducere. [15] Per Abdiam: v. 4. *Si exaltatus fueris ut aqvila, & inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit dominus.* [16] Idem etiam per alios prophetas minatur, ut tam verum sit, qvàm qvod verissimum alioqvi, Deum videlicet in hominibus arrogantiam detestari. [17] Si non hæc movent, moveat tantùm qvod de Philippo Macedonum rege historiæ tradiderunt. Cùm enim hic Athenienses profligâsset, ne nimium secundô ventô efferretur, aut lætitiæ modum excederet, puero cuidam in mandatis dedit, ut qvoties diluxisset dies, manè semper humanam fragilitatem sibi in memoriam revocaret. [18] Ægyptii denudatam nervis & carne hominis imaginem in conviviis circumferre solebant, ut eô modô præsentes futuræ sortis commonefacerent. [19] Tu fac mente complectere, qvod illi manibus gestabant, ut abjectô turgidô & superciliosô fastu cum humilibus discas conversari. [20] Nosce te ipsum, & tuô te modulô metire. [21] Contemne umbratica, & ad Christi mansvetudinem aspira. [22] Hic enim cùm Deus esset, vermis factus est, pro nobis algens & esuriens, pro nobis flagella sustinens, pro nobis deniqve cruci affixus, ut reos Gehennæ per mortem suam ad cælum redivivos ac patri reconciliatos perduceret.

CAPUT XXIV.

De Mendacio & Veritate.

[1] Superest, ut jam nimis pronam mentiendi promptitudinem, qvâ pleraqve hominum pars laborare solet, stylô confossam unà cum reliqvis vitiis scholarum terminis explodam. [2] Sciendum ergo est apud Indos & Persas lege fuisse cautum, ut qvi ter mendacii convictus foret, illi per omnem vitam silentium indiceretur, tùm ut ab omni prorsus magistratu

* I. Petr. V. 5.

ſtratu excluderetur. Interrogatus Ariſtoteles, qvid potiſſimum lucrarentur mendaces, reſpondit: ut, cùm vera dicunt, illis non credatur. 4 Non aliter ac ſæpiùs falſi creditores etiam non moroſis debitoribus in creditum abire detrectant. 5 Qvamqvàm & vera loqventibus aliis ſuâ vanitate fidem abrogent, ut rectè dixerit Tryphon Grammaticus (τὸ ψεῦδ- ἐν ἐσχάτοις μελαίνη). 6 An non inſigne qviddam eſt, qvod mendacibus in pretii cumulum cedit? An parum eſt de fama periclitari? 7 Qvæſo, ſi Deus eſt veritas, ut etiam Magi ſenſerunt teſte Stobæô, qvô pactô poterit in albo Dei eſſe, qvi mendacio ſubſervit? 8 Aut qvæ concordia luci cum tenebris, qvæ ſymphonia veritati cum Belial? 9 Non eo inficias, qvin multi ſint mendaciorum gradus, ut hic gerras Siculas ex conſvetudine fingat, ille jocô ſomnia diſpergat, tertius deniqve circumveniendi gratiâ nugetur, ac proinde non par eſſe peccatum nec pari ſuppliciô plectendum. 10 Verùm qvid opus ita ſibiipſi palpum obtrudere, & qvidem peccando licentiam qværere? 11 Qvæſo qvid proderit avaro, ſi illum ad rem attentum mitiori vocabulô appellaveris? qvid Apitio, ſi liberalem? qvid homicidæ, ſi magnanimum? 12 Obſecro non hoc eſt vitiis frigidam ſuffundere, & ad pejora tentanda viam aperire? 13 Nullum eſt exitialius adulandi genus, qvàm ſub virtutis ſpecie peccatis blandiri. 14 Mea ſic ſtat ſententia, atqve ita animum induxi meum. 15 Nihil turpius eſt aut contagioſius, qvàm verbis Euangelicis ſua ſcelera palliare. 16 Qvapropter, ut dicam qvod res eſt, certè nullum effutitur mendacium, ſive id ex maledicendi & decipiendi improbitate proficiſcatur, ſive ex ſcurrili vanitate, qvod locô peccati à Deo non imputetur. 17 Adeſt enim aut nocendi pernicioſa voluntas, aut ingenii levitas, & neſcio qvæ naturæ corruptela. 18 Epaminondas veritatis cultor tam ſeverus fuiſſe dicitur, ut ne jocô qvidem mentitus fuerit. 19 *Præter ſublimes oculos & manus effundentes innoxium ſangvinem, fallacem teſtem, & pedes in malum præcipites, mendacem etiam lingvam deteſtatur Deus*, inqvit Sapiens, Prov. VI. 17. 18. 19. 20 Item: *Os, qvod mentitur, occidit animam.* Sapient. I. 11. *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis.* 21 Pſal. V. 7. 10. *Tu perdes omnes, qvi loqvuntur mendacium: ſepulchrum patens guttur eorum, decidant à cogitationibus ſuis.* 22 Nec ignotæ ſunt Giezi & Ananiæ ſubitò exſpirantis hiſtoriæ. 23 Qvid multis? Certè qvantumvis ſtrophis ac verborum Mæandris involvatur mendacium, tandem tamen in lucem erumpit triumphum canente veritate. 24 Illa decet homines ingenuos, illa ſophiſtarum decipulas reſpuit, illa ſocietatem humanam tuetur, ſimplicitate non multiplicibus ſubterfugiis gaudet. 25 Omnia habet in propatulo, nihil abſconditum aut perplexum. 26 Unde veritatem hieroglyphicô deſignaturi Ægyptii pomum unô tantùm adhæreſcente foliô pingebant, qvippe qvòd ea ſpecies oſtendat lingvam cordi conjunctam, nec aliud promptum in lingva qvàm recluſum in animi penuario habendum eſſe. 27 Summatim tanta eſt veritatis præſtantia, ut nec Prophetæ, nec Apoſtoli nec aſſertor Chriſtus nomen

& patrocinium ejus repudiavetit. [28] Qvid? inqvis, ergo Abraham & Isaac suas conjuges sorores esse mentiti sunt? Cur se Jacob primogenitum falsò simulavis? An non & obstetrices Ægyptiæ coram rege factum suum mendaciô velârunt? Nunqvid Rachab exploratores eôdem modô conservavit? [29] Qvid? David ipse nonne periculum veritus insaniam finxit adinstar Ulyssis & Bruti? [30] Verissima sunt hæc omnia, ceterùm qvæ necessitate vel Officiô satis possunt excusari.

CAPUT XXV.

De Juramento.

[1] Inprimis cavebit sibi studiosus ne passim & inconsideratè ad veritatem sermoni conciliandam Deum testetur; [*] qvod tenebrionum est & bomolochorum, cùm non levis sit contumilia supervacuis jurameptis, ubicumqve visum fuerit, despumare. [2] Ut non voluptatis ac libidinis, [*] verùm necessitatis caussâ concipienda sit talis attestatio, idqve sub certa verborum formula & verecunda protestatione. [3] *Nemo enim est* (inqvit Chrysostomus) *qvi freqventer jurat, qvin aliqvando pejeret, sicut qvi consvevit multa loqvi, aliqvando loqvitur importuna.* [4] Sed enim non eò hæc dico, qvasi Anabaptistarum errori, qvi nullam juramenti exceptionem patiuntur, neqve illud ceu rem legitimam admittunt, calculum adjiciam. [5] Imò rectum juramenti usum concessum à Deo esse, ausim profiteri. [6] Juraverunt, ubi res ita tulit, Abraham, Isaac, Jacob, Laban, Moyses, David, Salomon, Joab, Elias: [7] Juravit Paullus, juravit dominus Christus, ut planè non sit interdictum à Deo juramento se astringere. [8] Apostolus Heb. VI. 16. vult hôc remediô controversias humanas dirimi. [9] 2. Corinth. I. 21. Deum invocat testem in suam animam. [10] Qvid multis? Plena sunt exemplorum scripturæ volumina, ex qvibus luce, qvod ajunt, meridianâ clariùs auctoritas juramenti probari potest. [11] Apud Romanos inoleverat mos, ut juraturi per Jovem modò ad Deorum aras sacrificiô perfectô ignem, aram atqve exta tangerent; modò super cæsas hostias juramentô se obligarent, nonnunqvàm silicem tenentes Deos hominesqve obtestarentur, ut si illos scientes fallerent, ita se Jupiter feriret, qvemadmodùm ipsi agnum percuterent. [12] Præ ceteris autem ex omni memoria sanctissimum jusjurandum apud eosdem visum est, ut jurans terram, cælum, Deosqve contestans conceptis verbis se & caput suum, item stirpem & familiam, bona & fortunas diris qvibusdam imprecationibus devoveret. [13] Apud Nonacrios per aqvam Stygis jurabatur: [14] In Livonia qvondam super ferro candenti, idqve attonitâ propemodùm veneratione. [15] Adeò ut ubicumqve etiam apud ethnicos usurpatum fuerit, maximâ

semper

semper observatum sit religione. [16] Solum Venereum jusjurandum à vindicta semper innoxium permansit. [17] In legibus multipliciter juramentum dividitur. [18] Aut enim est voluntarium seu conventionale, qvod extra judicium pars parti defert: aut judiciale, qvod in judicio coram tribunali ultro citroqve defertur: aut deniqve necessarium, qvod in defectum probationum suppletur, vel qvô conscientia purgatur, vel lis ex affectione jurantis æstimatur. [19] Qvam verò pœnam perjurus etiam extra ordinem committat, tum ex jure civile constaret potest, tum ex veterum ea de re sententiis. [20] Tibullus ex Homero; lib. I. El. IX. v. 3.

Ah miser, si qvis primò perjuria celat!
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

[21] Claudianus, Epigr. XXV. v. 5.

In patrem † dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam meritò filius ore luit.

[22] Servetur ergo juramentum, modò cum gloria & honore divino qvadret, & per varias humanæ vitæ circumstantias liceat: nec præstetur, nisi necessitas adigat, aut actor in judicio deferat. [23] Tantum abest, ut spontaneô motu ac urgente iracundiâ imprecationibus per passionem, mortem & vulnera, nomen Domini prophanetur.

CAPUT XXVI.

De Adulatione.

[1] Ab Adulatione verò unusqvisqve sibi qvàm maximè caveat, ne videlicet studiô loqvendi in aliorum gratiam in perfrictæ frontis impietatem prolabatur; manifestius est qvàm ut longô verborum apparatu indigeat. [2] Paucula ergo in planitiem deducêntur, ne deesse videantur argumenta, qvibus alioqvi teterrimæ pestis capita amplissimè succidi possunt. [3] Scribit philosophus Plato divinam qvamdam rem esse veritatem, ut qvòd ex ea velut ex fonte diis pariter ac hominibus omnia bona proficiscantur: amat enim lucem, fugit tenebras; odit ambages, ipsasqve res qvantumvis ab intuitu mentis nostræ dissidentes & in intimis visceribus terræ abstrusas ex Democriti puteo tandem eruit, oculisqve humanis claras & apertas admovet. [4] At qvid adulatio? In primis dispungit in nostris animis divinum illud oraculum Delphici qvondam Apollinis valvis affixum: bona qvidem mutila reddit ac imperfecta, mala verò prorsùs immedicabilia. [5] Pediculi & pulices non nisi morientium corpora relinqvunt; adulatores etiam vivos. [6] Nulla inest constantia; prout ventus est, ita velum vertunt.

† lege *prolem*

tunt. Nunc in hanc, nunc in illam formam instar Chamæleontis vertuntuntur, adeoqve Polypi mentem obtinent. [7] Alexandrum Magnum palpones isti usqve adeò dementârunt, ut pro Deo vellet haberi & adorari. [8] Antoninum Imperatorem ad qvamvis calumniam magis qvàm ad virtutem studiumqve philosophiæ proclivem reddiderunt. [9] Dionysii patinas eôdem caliginis vitiô se laborare simulantes in mensa subvertebant, ejectum vomitione vel screatu sputum relambebant. [10] Qvid multis? Nullam habent morum stabilitatem, nunc his, nunc illis sese accommodant, aliô atqve aliô subinde habitu. [11] Si viderint locupletem hominem aucupiis deditum, nihil sanè præter canes & accipitres crepant: [12] Siqvidem luxui aut splendori addictum cognoverint, jam non lineas, non laneas aut undulatas, sed purpureas ac bracteatas vestes ingerunt. [13] Si crapulâ delectari senserint, adornant cyceones, condiunt cibos, Sibaryticos meditantur apparatus. [14] Breviter ad omnium mores vitæ suæ rationem exigunt. [15] Ceterùm ut impotentis animi est adulationem admittere, ita sanè non est hominis ingenui & liberalium artium studiosè instar canum ac simiarum quemlibet habitum veteratoriè repræsentare. [16] Non alius fuit Plato Syracusis, qvàm in Academia. nec alius apud Dionysium, qvàm apud Dionem. [17] Sed & Epaminondas cum variis hominibus initâ consvetudine ubiqve mores se dignos amictu, vitâ & oratione tuebatur. [18] Veram doctrinam necesse est esse virtuti copulatam, non affectibus hominum accommodatam, non impietatis ministram. [19] At qvisqvis se adulationi mancipat, is suâpte naturâ proclivis est ad deteriora, atqve ita longissimè sibi abesse videtur à vitio reprehensionis, si turpia imitetur. [20] Imò velut de Alcibiade Plutarchus scribit, qvi Athenis dicteriis velitabat, apud Lacedæmonios ad cutem usqve radebatur, in Thracia poculis certabat, apud Tisaphernem delitiis & fastu studebat, nunc dolorem & tristitiam, nunc gaudium & festivitatem ingenii simulat: nonnunqvàm odium concipit & speculi ritu externorum affectuum ac motuum imagines in se recipit. [21] Taceo multa vitiorum genera, qvæ præter intemperantiam, superstitionem, iracundiam & acerbitatem genus illud hominum imitatur, non aliter sanè ac imperiti pictores, qvi cùm asseqvi neqveant ea, qvæ pulchra sunt, in rugis, verrucis & cicatricibus exprimendis elaborant. [22] Atqve de hac re fortassis aliàs plura. [23] Nunc tantùm audi Ciceronis sententiam: *Nulla in amicitiis* (inqvit in Lælio, c. XXV.) *pestis est major qvàm assentatio, blanditiæ, adulatio.* [24] Ceterùm meô judiciô longè maxima in artium liberalium studiis. [25] Etenim hæc efficit, ut juvenilis animus in transversum actus minùs feliciter proficiat, vel ipsô Carneade teste, qvi divitum & regum filios nihil rectè discere affirmabat, præterqvàm eqvitare. [26] Qvi sic? inqvies. Audi qvæso: eqvus adulationis ignarus tam patritium, qvàm plebejum excutit, non adhinnit. At in docendo mox palpum obtrudit institutor, id qvod de philosopho Aristotele legitur. [27] Crisson Himeræus cum Alexandro cursu con-

contendens datâ operâ se vinci patiebatur. [28] Patroclus Achillis arma induens solam Peliacam hastam non ausus erat contingere. [29] Aliter Solon cum Cræso egit, aliter cum Megabyze pictor Apelles, cum Herode Joannes, cum Judæis Christus & prophetæ. [30] Hos velim imiteris, ne fumô tandem pereas, qvi fumos venditare volueris.

CAPUT XXVII.

De honore senum.

[1] Qvantoperè verò deceat senibus reverentiam exhibere, non solùm ex divinis eloqviis, in qvibus cano capiti assurgendum esse mandatur, verùm etiam ex ethnicorum monumentis brevibus demonstrabitur. [2] In primis sic canit Juvenalis; Sat. XIII. v. 54. s.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumqve puer, licet ipse videret
*Plura domi * sacra & majores glandis acervos.*
Tam venerabile erat præcedere qvattuor annis.

[3] Idem sentit Cicero, cùm ait, lib. I. Offic. c. XXXIV. *Adolescentis est majores natu vereri, atqve ex iis legere optimos ac probatissimos, qvorum consiliô & autboritate nitatur.* [4] Apud Valerium Maximum, II. I. 9. legitur, qvòd olim ad cænam invitati juniores diligenter inqvirebant, qvínam interfuturi essent convivio, ne senioris adventum discubitu suô anteverterent, sublatâqve mensâ priores surgere & abire patiebantur. [5] Adeò ut ad Deorum & parentum propemodum vicem à minoribus natu majores colerentur. [6] Illi enim pollent consiliô, valent auctoritate, præstant gerendarum rerum experientiâ. [7] Qvàm laudabilis fuit Moysis omniumqve Patriarcharum senectus? [8] qvàm verendus Simeon, qvi Christum, cùm in templo sisteretur, ulnis excepit? [9] Taceo Augustinum, Hieronymum, Origenem & Bernardum. [10] Sed & à prophanis auctoribus magna reverentia Solonis, Lycurgi, Nestoris, Isocratis, Platonis, Democriti, Aristotelis, Diogenis, Galeni, Eratosthenis, Senecæ, Epimenidis, Xenophili, Varronis, Simonidis, Pollionis, aliorumqve multorum decrepita ætas prædicatur. [11] Feralis ergo lex & iniqva planè fuit, apud Sardos confectos seniô patres fustibus dedolare, tum posteà interemptos sepelire, absurdum arbitrantes si delirus senex ulteriùs in vivis agat, nec ad rem Veneream habilis, nec ad arma capessenda idoneus [12] Nec minoris inhumanitatis erat id, qvod apud Ceos factitatum scribit Ælianus, senes tanqvàm ad convivium se invicem invitare, ut coronati cicutam biberent, qvasi jam promovendis pa-

* al. *fraga.*

triæ utilitatibus inutiles essent. 13 Licèt enim viribus defecti provectioris ætatis homines parum aut nihil comines in bello certando possint, valent tamen consiliis adinstar Nestoris, & qvænam sit humanæ sortis volubilitas, qvis rerum futurus status & catastrophe multorum exemplorum cautione in animi speculo absconderunt. 14 Senex erat Socrates, qvi Delphicô oraculô sapientissimus judicatus veram philosophiam cælitus evocatam in urbibus constituit. 15 Senex erat Appius, cùm lecticâ in Senatum delatus magnificâ oratione pacem cum Pyrrho ineundam dissvasit. 16 Invenias etiam in divinis literis Deum visendâ canitie figuratum, ut apud Danielem, c. VII. 9. *Capili capitis ejus qvasi lana munda.* 17 Desinant ergò nebulones tanqvàm silicernia & strigosos eqvos dicteriis obtundere: in antiqvis enim sapientia est, & in multo tempore prudentia. 18 Nullam profectò ob caussam aliam pleriqve reip. gubernaculum iis committendum senserunt, qvàm qvòd prudentiâ valeant, & ex aliis, qvid factô opus sit, judicare possint. 19 *Maximæ respub.* inqvit Cicero, *per adolescentulos sunt labefactatæ, à senibus verò sustentatæ ac restitutæ. Cùm enim ad gubernacula temerarii & audaces homines accedunt, maxima & miserrima fiunt naufragia.* 20 Plura qvi velit, is Ciceronis Dialogum Catoni inscriptum consulat.

CAPUT XXVIII.

De conversatione & congressibus.

1 In conversatione nihil est qvod æqvè hominem commendet, qvàm morum facilitas & animi mansvetudo, tum pariter illa naturalis ingenii dexteritas condita singulari lingvæ lepore ac benevolentiâ. 2 Nihil ergo faciet studiosus vel petulanter, vel intempestivè, vel citra pudorem. 3 Si qvem læsit, dabit operam, ut qvàcumqve tandem ratione possit, stomachum placet, & malè constantem animum, cùm ira deferbuerit, leniat. 4 Nec adversus ineptum turpemqve bomolochum convitiis insurget; verùm potiùs molli responsione furorem cohibebit. 5 Cogitabit se ad universi generis humani utilitatem creatum, tùm etiam nemini nocendum, nulli inferendam esse injuriam. 6 Non erit præfractus, non difficilis, non morosus, verùm seriis & pariter jocosis, utcumqve res tulerit, accommodatus. 7 In minores se comem præbebit, in majores verecundum, in pares facilem ac tractabilem. 8 Nullius exitiô delectabitur, simpliciorem sannis non excipiet. Imò si claudum aliqvem aut loripedem aut strabum viderit, Deo potiùs agendi gratias occasionem arripiet. 10 Amicitiæ tesseram cum nemine inibit, nisi priùs, qvô pactô prioribus amicis fuerit usus, penitus exploraverit: contractam verò perpetuò servare studebit. 11 Nemini arcana

cana revelabit: nec sibi commissa palam faciet. [12] Nunqvàm etiam ad pugnam prosiliet, cædentem non referiet, humanitati ac patientiæ studebit. [13] Omnes se superiores agnoscet: non sua jactabit: non qvemqvam reprehendet nisi studiò discendi vel alium instituendi. [14] Qvantum rursus ad arcana, non minùs qvàm pecuniæ deposita occultabit: boni enim hominis est ita se gerere, ut ejus mores plus fidei qvàm aliorum dejerationes mereantur. [15] Nihil mussitabit in alterius ignominiam, nec falsos rumores disseminabit; fugiet curiosam de rebus alienis garrulitatem. [16] Si viderit aliqvos collatò sermone secretius qvidqvam communicare, mox se subducet aliò conversis oculis, & ad consilium, priusqvàm vocetur, non accedet. [17] A risu qvantum potest temperabit, & si fortè ridendum est, non buccam dilatabit, aut in scurriles cachinnos resolvetur. [18] Pari ratione ab eo vitio, qvod Græci μωκίαν appellant, cavendum sibi ducet: [19] vitabit symbola & compotationes qvàm potest maximè: sicubi tamen interesse contigerit, ante ebrietatem se subducet. [20] De omnibus honorificè loqvetur: [21] assentatores non minùs odiò habebit qvàm impostores. [22] Id potiùs in lucro deputabit, qvod gloriam auget, qvàm qvod divitiarum cumulo accrescit. [23] Qvòd si aliqvis honore dignus obviam venerit, vià cedet, caput aperiet, & poplites, si persona mereatur, reverenter inflectet. [24] Non cogitabit, qvid mihi cum isto Centauro vel insulso Lapitha, cùm honor ad auctorem revertatur, ipsiqve Deo per homines canos ac virtute præstantes reverentia præstetur. [25] Sed & Paulus monet, Rom. XII. 10. ut honore nos invicem præveniamus. [26] Porrò si cum majore natu vel viro qvodam gravi conferendus est sermo, compositas habebit manus, neqve illis ut mimus gesticulabitur, aut floccos è vestibus decerpet, aut plumas leget. [27] Pedes erunt conjuncti, non ut apud ebrios divaricati: oculi non vagabundi, sed modesti, humiles & in collocutorem intenti. [28] Vitabit caput scabere, labra mordere, aures fodere, faciem mulcere. [29] Loqvetur paucis, si puer est, & tantùm ad interrogata respondebit, idqve comiter & verecundè. [30] Fertur de Alexandro Magno, cùm absente Philippò patre de insperato Persarum legati advenissent, tantà eum comitate versatum fuisse cum iis, ut admirati summoperè fuerint nihil eum in tali ætate vel puerile vel temerarium sciscitantem, sed modestè de viarum difficultate, de munitionibus, de Persarum deniqve potentia singula accuratissimè perqvirentem. [31] Diogenes audiens adolescentem honestà specie verbis intempestivis utentem: *non te*, inqvit, *pudet somnium hominis, qvi ex eburnea vagina plumbeum educas gladium?* [32] Speculum & character animi est cujuslibet hominis sermo: ex abundantia enim cordis os loqvitur, & labia insipientis præcipitabunt eum. [33] Cavebit ergo intempestivè loqvi, aut sæpiùs de iisdem rebus recoctam cramben ingerere, aut vanis futilibusqve verbis instar ganeonum alios obtundere: [34] sed & sermonem præcipitare vel palato immurmurare præter decorum est. [35] Alterius orationem interrumpere hominis est audacis & inconsiderati: meditabundè

discedere, tristis atqve perpléxi. [36] Majores natu patris & † matris nomine appellabit, si ferat consvetudo: sin minùs, gentilitium nomen aut eruditionis titulum in ore habebit. [37] Qvibusdam domini nomenclatura plausibilis est, nonnullis magistri, aliis rursus vel philosophi, vel sacerdotis, vel rabbini. [38] Unusqvisqve arripiet, qvod pro loci, temporis & personarum varietate conducturum existimabit. [39] Inter ambulandum verò affabilis erit & humanus, non mœstus & taciturnus. [40] Componet corpus ad modestiam non rejectis post terga manibus aut in ilia fastuosè conjectis. [41] Sed & incessus ut sit moderatus valdè est necessarium: nam concitatus levitatis argumentum de se præbet, mollis & nimis lentus, qvem pomparum ferculis Cicero comparat, risus materiam suppeditat. [42] Si inferior erit dignitate, latus sinistrum claudet; sin ejusdem conditionis, parum intererit sit illi à dextris an à sinistris. [43] A vestitu luxus aberit, sat enim est frigus arceri & partes parum pudicas occultari; usqve adeò, ut in naturæ leges peccetur, qvando qvis ad pompam vestibus abutitur. [44] Sunt illæ non virtutis, verùm potiùs prævaricationis auctoramenta. [45] Vox erit nec nimium pressa, nec nimium clamosa. [46] Fugiet loqvacitatem, imò qvidqvid dicturus est, priùs in animo secum reputabit. [47] Ob id etiam binas habemus aures, os unum, ut plurima audiamus, loqvamur autem paucissima. [48] Inania vascula maximè tinniunt, & de omni verbo otioso * reddenda tandem est ratio. [49] Isocrates philosophus duo tantùm loqvendi tempora constituit: alterum de rebus tibi planè cognitis, alterum de iis qvæ necessariò dicenda sunt. *In his enim solis*, inqvit, *silentium antecellit oratio.* [50] Plura qvi velit de hac materia, consulat Erasmi Lingvam: ex ea namqve abundè discet, qvàm res magna sit volubilis plectri continentia. [51] Mihi multum in ore est Ovidianum illud distichon: lib. I. Artis Amandi, v. 603.

Eximia †† est virtus, præstare silentia rebus;
At contrà gravis est culpa, tacenda loqvi.

† Egregiè hanc civilitatem explicat Erasmus in principio Colloqvior. suor.

* Matth. XII. 36.

†† *Exigua* est in potioribus.

CAPUT XXIX.

De convivio.

[1] Et qvoniam conviviis aliqvando contingit interesse, unicè cavebit, ne illotis manibus vel non resectis ungvibus mensæ accumbat. [2] Nam & illud veteres Pythagorici diligenter observârunt. [3] Inter domesticos primus recubitus patrifamilias aut magistro competit: secundus & tertius gran-

grandioribus aut etiam doctioribus, ipse postremus in numerum se adjunget, & manus non nisi invitatus patinæ admovebit. [4] Chiromactiô sive mantili manus abstergct. [5] Apud majores, nobiliores & doctiores tum retectô capite, tum corpore justô libramine erectô sedebit. [6] In sella non vacillabit: non erunt divaricata crura aut malè coëuntia: nec cubitô longiùs prostante juxtà sedenti negotium facesset: [7] Utraqve manus nec mensæ, nec qvadræ, si longiùs absit, innitetur. [8] à læva panis erit, à dextra cultellus & poculum. [9] Inter edendum absqve delectu cibum non ingurgitabit, nec inter bibendum lambet aut pitissabit: hoc enim canum est & hominum delicatorum, illud autem edacium helluonum. [10] A vino puerili ætati atqve adeò juvenili prorsus abstinendum esse Plato judicavit, ne videlicet oleum camino adderetur. [11] Qvamqvàm & alios merô gaudentes multa variaqve vitia comitentur, oculi scilicet luscioli & sanie stillantes, lividus nasus, facies rubicunda, hæsitans lingva, guttur memphiticum qvemdam odorem exhalans, defluentes genæ, artus tremuli, titubantia genua, phthisis, podagra, stupor mentis, & memoriæ privatio. [12] Ter aut qvater inter edendum bibere satis est visum qvibusdam medicis. [13] Ceterùm priusqvàm labris admovetur poculum, abstergenda sunt leviter suspensô ex humeris linteolô, præsertim si qvis suum cyanthum porrigat, aut ubi de communi poculo bibitur. [14] *Nec statim* (inqvit Erasmus) *post sumptam ex jure offam bibendum, multò minùs post lactiu esum.* [15] Ciconiarum est inter bibendum cervicem in tergum flectere, illiberale fixis torvisqve oculis alios intueri, qvod idem affirmat. [16] Qvidam usqve adeò ferculis addicti sunt, ut mox, ubi consederint, manus suas in patinas conjiciant, tantàqve celeritate & ingluvie devorent, ut è flamma cibum petere posse existimes. [17] Ceterùm meminisse oportet philosophicum istud, *edendum esse ut vivas, non autem vivendum, ut edas.* [18] Omnia ad se rapere patinamqve invertere & in omnes plagas manum mittere luporum, scurrarum, agrestium & intemperantium est. [19] Integros bolos deglutire balatronum est: digitos unctos ore prælingere vel tunicâ extergere incivile est, teste eôdem Erasmô. [20] Præter hæc si incidendus est armus, aut lacerandus capus, aut scindenda cratis, cavendum unicè, ne qvid præter decorum fiat, aut alienum tergus in latas corrigias dissecari dicatur. [21] Si * majores natu adsunt aut qvi plus valent arte & experientiâ, tum potiùs illos structores esse convenit. [22] Hilaritas ab omnibus commendatur, loqvacitas à multis reprehenditur. [23] Atqve ideo philosophus rogatus à legatis Ptolemæi, qvid de sua persona regi vellet renuntiari, respondit, *vidisse vos senem, qvi in convivio tacere noverit.* [24] Interim si qvæstio qvædam eaqve insignis incidat, & de rebus gravibus disceptetur, minimè tacendum arbitror: nam & veteribus persvasum erat licitum esse inter pocula philosophari.

* Vide qvæ suprà dixi de honore senum p. 34. 337.

CAPUT XXX.

Generalis & compendiosa ad virtutem adhortatio.

[1] Qvandoqvidem præsenti capite summariâ qvâdam exhortatione studiosos omnes ad virtutes incitare statui, audiamus primùm qvid nomen Virtutis generale sibi velit, & qvid reqvirat. [2] Lucillius hôc modô cecinit:

Virtus est homini scire id qvod qvæqve habeat res:
Virtus scire homini, rectum, utile, qvid sit honestum,
Qvæ bona, qvæ mala, qvid sit inutile, turpe, inhonestum:
Virtus qværendæ rei finem scire modumqve
Virtus divitiis pretium persolvere posse.

[3] Breviùs Flaccus Horatius ex sententia Socratis in hunc modum, lib. I. Epist. I. v. 41.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitiâ caruisse. ———

[4] Lactantius scribit, lib. III. c. XXIX. *virtutem esse perferendorum malorum invictam patientiam.* [5] Alii, *artem benè rectéqve vivendi:* [6] Seneca nihil aliud qvàm, *rectam rationem*, Epist. LXXI. [7] Aristoteles, *habitum electivum in mediocritate consistentem.* [8] Cicero, lib. II. de Invent. c. LIII. *animi habitum rationi consentaneum.* [9] Augustinus in libro De qvantitate animæ, *æqvalitatem vitæ undiqve consonantem rationi.* [10] Virtutis partes juxta Platonem & Ciceronem qvatuor sunt: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia; qvas qvidem nemo sanæ mentis absqve societatis humanæ dissolutione è mundo pòssit tollere. [11] Sed de Prudentia videamus priùs. [12] Est autem illa juxta Augustinum, *rerum appetendarum & fugiendarum cognitio.* [13] Juxta Tullium, *loc. cit. rerum bonarum & malarum scientia.* [14] Partes ejus integrales tres constituuntur; nempe memoria, intellectus & providentia. qvibus cùm homo res omnes ac earumdem caussas perspiciat, ingenii perspicaciâ inter sese comparet, teneat, conservet; ne videlicet injuriâ temporis vel oblivionis spongiâ diluantur, qvæso qvid utilius, qvid jucundius in homine studioso excogitari poterit? [15] Qvamqvàm illud adhuc potissimum est, qvòd hujus virtutis ope, cùm præterita in animo recoluntur, velut ex alta specula futuros rerum casus prospiciat. [16] Seqvitur Justitia, *habitus animi suum cuiqve tribuens, domina omnium & regina virtutum.* [17] ab Aristotele hespero comparata: cujus fundamentum fides est, fructus felix vitæ status & fama inviolata. [18] Sed qvoniam hæc unô fasce religionem, pietatem, benevolentiam, liberalitatem, civilitatem, comitatem, jus deniqve ipsum & gratitudinem complectitur, facilè cæcus viderit & ejus possessionem studioso homini esse necessariam. [19] Qvam enim eruditionem mihi dixeris absqve mente verô puròqve cultu Deo

Deo religata? qvam absqve pietate, benevolentia, aliisqve virtutibus jam nunc commemoratis? cùm etiam philosophi scientiam virtute destitutam versutiam qvamdam animi vocitaverint? Qvid magis studiosum dedecet, qvàm inhumanitas, tenacitas, morumqve ruditas: cùm sacris humanarum ac liberalium artium studiis sit delibutus? [21] Suum est rigorem legis ad temperatam æqvitatis rationem applicare, congrua cuiqve personæ officia dispensare, in contractibus proportionem † arithmeticam observare: non hypocrisi vel præsumptione laborare, amicitiam colere, secundùm Deum bonos & probos maximè amare. [22] Sed qvoniam Fortitudo Justitiam comitatur, audiamus & ejus vires, ne qvid prætermissum videatur. [23] Est illa juxta philosophum, *mediocritas inter timorem & audaciam constituta* juxta Stoïcos, *virtus pugnans pro æqvitate.* qvam definitionem Cicero amplectitur. [24] Tuetur hæc justitiam, & humanam societatem conservat. [25] adversus animi terrores corporisqve dissolutionem intrepida consistit. [26] erectis oculis micantes gladios aspicit, parum sollicita an per os an per jugulum anima sit proditura. vanas hominum trepidationes contemnit: assvescit futuris malis. [27] Ut verè dixerit Horatius, lib. III. Carmin. Od. III. v. 1. f.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente qvatit solidâ, neqve Auster
Dux inqvieti turbidus Adriæ;
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

[28] Hâc virtute insignes fuerunt unà cum martyribus prophetæ Dei, langventem corporis vigorem & vires imbecillas, Deus bone, qvantâ patientiâ tulerunt Jacob & Tobias! Qvantâ fortitudine Joseph fratrum invidiam sustinuit! Qvantâ æqvanimitate ad exemplum Christi incussum in faciem pugnum Bernardus Clarevallensis Abbas sustinuit! [29] philosophus Zeno Eleates omnem Phalaridis lanienam, cùm eqvuleo impositus esset, animô constantissimô toleravit. [30] Anaxarchus abscissam & commanducatam lingvam inter torqvendum cum exprobatione animi effeminati in os Nicocreontis Cypriorum tyranni (*dixisses absqve sensu doloris) ejecit. [31] Prætereo Mutium Scævolam, Socratem, Agesilaum Atheniensem, septem fratres Macchabæos, ut ne exemplorum commemoratione longâ finis obliviscar. [32] Meminerit tantùm studiosus juvenis, qvidqvid ab illis dictum

† *Proportionem Arithmeticam*] De hac ut & Geometrica proportione ac æqvitate vide pluribus differentem Obert. Giphan. Comment. in c. I. lib. V. Politicor. Aristotel. p. m. 531. f. & in c. III. lib. V. Ethic. Aristotel. ad Nicomach. p. m. 364. f.

dictum est, id ut sibi qvoqve proprium reddat, operam dari oportere. [33] Discat non solùm plausibiliter loqvi, verùm etiam præstare. [34] Concordet vita cum doctrina. [35] Fortunæ casus infractô ferat animô. [36] cogitet cum Anaxagora & Xenophonte mortales nos omnes esse, ac proinde mortem, cui naturæ debitum persolvendum est, tanqvàm portum clementissimum petendum esse, non recusandum. [37] In qvem si qvis intra primos annos delatus fuerit, non magis qveri debet, qvàm qvi citò navigavit. [38] Alium venti segnes ludunt ac detinent, alium pertinax flatus celerrimè perfert. [39] *Non bonum est vivere, sed bene vivere: itaqve sapiens vivit qvantum debet, non qvantum potest*, ut Seneca scribit. [40] Sed vis adversus corpusculum hoc & animæ ergastulum liber esse? Tanqvàm migraturus habita, propone tibi qvandoqve hôc contuberniô carendum, cogita myriades aliqvot præcessisse tuamqve dissolutionem consecuturas. [41] Superest, ut de temperantia qvoqve nonnulla subjungamus. [42] Est illa nihil aliud qvàm habitus animi nulli cedens libidini, *σωφροσύνη* Græcis appellata. qvasi *σώζουσα τὴν φρόνησιν*. i.e. conservans prudentiam. [43] *Caro* (inqvit Apostolus Gal. V. 17.) *concupiscit adversus spiritum.* [44] Qvam hic concupiscentiam vocat, eam ipsam in externis maximè versari scies, impetumqve ejus temperantiæ frænô retardari. [45] Hæc ergo est illa virtus, qvam Xenophon, *fundamentum sapientiæ*: Menander, *penu virtutis*, appellavit. [46] Concludit in se verecundiam, honestatem, continentiam & sobrietatem: ut meritò suis * foribus tale programma inscribi possit:

Γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κράτει,

Hoc est, *Lingvam, ventrem & Venerem compesce.*

[47] Ceterùm ut artium liberalium alumnus hanc etiam asseqvatur, fugiat inprimis vinum, qvod lac Veneris appellavit Aristophanes.

[48] Et Ovidius: †

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterqve suis.
Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Serviat, hos fines transiliisse nocet.

[49] Nihil æqvè ad luxuriam instimulat, qvàm vini superflua potio. [50] Et Hieronymus, 35. dist. cap. Venter: *Venter*, inqvit, *merô æstuans facilè despumat in libidinem.* [51] Tum omnis excutitur verecundia, gliscit pedetentim latiùs impudicitia, mens ipsa turpibus cogitationibus inqvinatur, dejicitur sede suà ratio, pessum it omnis morum honestas. [52] Curet studiosus, ut non vinum saccô, sed mores temperantiâ castret. [53] pro saccharo, zingibere, cynnamomo & caryophyllis, utatur virtutum condimentis, qvorum sapor non tàm ore, qvàm intrinsecus animi sensu percipitur! [53] Induat hominem novum qvi secundùm Deum formatus est, ne in

* fortè *illius*.

† Hunc locum in Nasone frustra qvæsivi hactenus.

in mentem reprobam incidat, suamqve mentem & conscientiam polluat. [55] Non sapiat carnalia, sed Spiritu mentis renovetur. [56] Possideat vas suum in sanctificatione, ut corpus peccati enervetur. [57] Deniqve sit memor, adulteros, scortatores, idololatras, veneficos, iracundos, contentiosos, & id genus alios, qvos Paullus ad Gal. V. 19. 20. 21. ordine percenset, regni cælorum non fore consortes. [58] Si qvid porrò in ethnicorum libris reperiat, qvod vel ad vitæ mores faciat, vel ad cælestem veritatem pertineat, transscribat illud in animæ suæ tabulam: cogitet secum, qvidqvid in illis consonum Christianæ fidei scriptum est, id sibi dictum, & è divinis scripturis esse desumptum, ipsaqve artium principia dexterrimè à paganis tradita ineffabilem Dei bonitatem declarare. [59] Jus ipsum, qvod partim à natura pendet, partim utilitate constat, calumniosâ interpretatione non invertat. [60] Putet præstare injuriam accipere, qvàm inferre, qvod Socrates in Gorgia docuit: illamqve amicitiam societatum omnium esse præstantissimam, qvâ viri boni moribus inter se similes familiaritate conjunguntur. [61] Primum honorem deferat Deo, ejusqve benignitatem summam perdius & pernox interpellet. [62] Secundùm Deum parentes colat, hinc præceptores, & ex amicis integerrimum qvemqve. [63] Mutuis officiis humanam societatem conservari existimet, nec qvidqvam magis illi posse officere, qvàm tabificum ingratitudinis virus. [64] Aureum * est illud philosophi, IX. Ethic. *Deo, parentibus, & præceptoribus reddi non potest æqvivalens.* [65] Fertur sanè de ciconiis, qvòd confectos seniô parentes alant, & suô corpore, si qvà sit evolandum, gestent. [66] Leo qvondam Androdum conservavit, aqvila messorem. Sed qvônam duce, qvônam instigatore? Nempe naturâ duce. [67] At qvanto magis hominem ratione præditum, imò cælestis Mercurii discipulum hâc virtute insigniri oportet? [68] Eqvidem (ut gratitudinis tractatu hanc meam opellam concludam) qvis sat pro dignitate Cimonis filiam commendet, aut Philonomum efferat? Illa enim captivum patrem suis uberibus diu fovit atqve lactavit, hic verò per medias Ætnæ flammas parentem humeris extulit. [69] Qvis non M. Antonium, Ciceronem, Philippum, aliosqve plures ob gratitudinem erga præceptores ostensam admiretur? [70] *Qvis est*, inqvit ille pro Planco, c. XXXIII. *nostrûm liberaliter educatus, cui non Educatores, cui non magistri sui atqve doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse alitus, aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?* [71] Ideoqve pro Lælio colendos vult esse pædagogos, non negligendos. [72] Scribit Homerus Simoisio cuidam decisum & decurtatum fuisse vitæ tempus, eò qvòd educationis præmia parentibus non reddidisset. [73] Adeò non solùm hominibus, verùm etiam Deo placet grata beneficiorum

* At ego illum locum in nono libro, qvem cursim transivi, reperire non potui, qvæ enim c. statim I. tradit Philosophus gemina huic non sunt.

rum compenſatio. 74 At qvorſum hæc omnia? nempe ut ingratitudinis peſtem ultimò tandem locô confoderem & ſtudioſos Gratiarum contubernio infererem. 75 Qvorum in numero cùm me qvoqve ipſum verſari exiſtimem, placuit hâc ratione meam erga vos gratam voluntatem declarare. 76 Veſtrum erit pro innata generoſitate meum hoc qvalecumqve officium æqvi boniqve conſulere. 77 Sicubi fortaſſe à via declinaverim, precor id etiam ſic interpretemini, qvaſi à naturæ & imbecillitatis ſobole profectum ſit: qvámqve multis in cognoſcendo vero difficultatibus involutus ſit humanus animus. 78 Omnibus hic luctam eſſe cum tenebris & rerum umbris: Nihil hic eſſe diuturnum: nihil ab omni parte ſolidâ beatitudine conſtare. 79 Præſtiti qvantum potui per occupationes, non qvantum volui. 80 Aliorum eſt accuratiùs ad incudem revocare. 81 Interim valete Juvenes Generoſiſſimi, & me meaqve ſtudia, qvô cœpiſtis modô, fovere pergite.



VIII.

ARNOLDI CLAPMARII

Juris Consulti,

NOBILIS ADOLESCENTIS

TRIENNIUM.

Qvomodo Studiosus humaniorum literarum triennió Animum juxtà ac Sermonem feliciter excolere possit.

Ad Nobilissimum

VOLCARDUM SVINGERUM.

1 Res & tempus monet me, Clarissime Volcarde, ut, qvod toties me flagitâsti, tandem impetratum reddam. 2 Id qvod factum oportuerat multô priùs, nisi mea mihi negotia prævertissent. 3 Sicut enim subinde tempestates calamitosissimæ incidunt, qvæ agricolarum labores remorantur: ita nobis etiam negotia fiunt sæpe inopinatò. 4 Verumtamen petis à me, & eô vehementiùs petis, ut modum tibi conscribam, qvô possis animum juxtà & sermonem hôc trienniô feliciter excolere. 5 Tantum autem temporis huic rei conficiendæ ex autoritate parentum suscepisti. 6 Qvod qvidem consilium, multorum opinione mihi videtur præstantius. 7 Hominem enim adhuc nascentem, & in tam luculenta fortuna positum, de virtutibus & literis tam honestè sentire, qvid est, nisi ipsa felicitas est? 8 Eundem literarum sitientissimum esse, felicitatis gradus superat. 9 Dignitates juxta & honores prensare, multis commune est; illud non item, veram viam insistere virtutum, & per qvam ad eas venitur, Philosophiæ, hoc est, omnium rerum liberalissimarum cognitionis. 10 Id verò ais non aliô te facturum nomine, nisi ut cum honore & gratia inter mortales vitam vivas, pariterqve paratissimus ad Reipubl. administrationem annis aliqvot pôst accedas. 11 Qvod consilium

filium egomet ex animo tibi gratulor, qvippe qvod pauci tui generis hôc ſeculô adfectant. [12] Qvotus enim eſt eorum omnium, qvi etiam re magnâ inſtructi & ad liberalia ſtudia intenti ſunt, qvi malit ſibi & Reipublicæ prodeſſe, qvàm non ex laboribus ſuis turpiſſimum qvæſtum facere. [13] Qvod qvi ſatagunt, næ illi numos potiùs, qvàm virtutem colunt.

II. [1] Neqvaqvàm verò tibi autor ſum, ut de Juriſprudentia ſuſqvé deqve cogites, qvin potiùs te moneo, ut huic addiſcendæ maximam aliqvando ſuſcipias curam. [2] Verùm hic præcautô opus eſt, ne ad eam rerum verborumqve inops & inplumis, ſed viſas comitatior & adultior. [3] Eam autem tibi fortunam ex Dei ſuaqve virtute partam relinqvunt Parentes, ut ſtudiis tuis freqventandis annos aliqvot perpetes vacare poſſis: neqve enim eruditio unius triennii eſt. [4] Qvô magis tibi ſedulò eſt enitendum, ut caveas de iis, qvi dediti ventri turpiqve otio vitam habent voluptuoſam in rebus ludicris, virtuteſqve & vitia juxta æſtimant. [5] Deinde, ne fidem habeas illis, qvi cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & Juriſprudentiam induunt pueris omnium eorum egenis, ſolô obtentu, ut lucrum faciant. [6] Qvod parum eſſet, niſi iidem eximiæ cujuſdam eruditionis perſvaſionem imbibiſſent. [7] Hos eqvidem, uti ineptiſſimi ſunt; ita probè ſcio, ſtudium hoc virtutum & literarum parvi habituros: [8] In qvorum ego ſententiam lubens irem, ſi otioſis ſuis de Jure diſputationibus actiones humanas remqve publicam poſſe adminiſtrari priùs me doceant.

III. [1] Juriſprudentiam ego, ejuſdem alumnus, permagni facio, & colo. [2] Id mihi ſæpe inculcandum eſt, ne aliis ſtomachum moveam, ſed rerum egenam eſſe exiſtimo, ſi ſolo abſqve comitatu aliarum ſcientiarum in hoc mundo regnet. Tametſi pleriqve etiam olim Philoſophi & Oratores præſtantiſſimi Zaleucus, Archytas, Solon, Cleobulus, Chilon, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Phalereus, Pericles, Critolaus, præ omnibus tàm belli qvàm pacis adminiſtrationem ſuſceperunt, & forſan laudabiliùs, qvàm hôc tempore, qvô omnia fora & conciliabula cauſſis ſolummodò litigantium perſonant dijudicandis. [4] Proinde ſi me audis, (tibi enim iſtô nihil antiqvius fore autumo) dabis mihi hanc operam, ut exiſtimes, hanc viam, qvam ego digitô monſtraturus ſum, intrâſſe & hujus & prioris ſeculi omnes, qvi Rempublicam inclinatam ſæpenumero conſervârunt, ſuiſqve divinis lucubrationibus memoriam ſui effecerunt qvàm maximè longam: [5] Per hanc Pericles, cùm Socrati obtemperaret, ſeqve & Rempubl. ſervavit; eam contrà peſſum dedit Alcibiades, cùm ſecus faceret. [6] Neqve homines olim & hôc tempore præſtantiſſimi tantum iter emenſi forent, niſi ab infima radice ad faſtigium montis conſcendiſſent.

IV. [1] Ad Metaphyſica autem, Mathematica & Phyſica, minimè te hôc tempore invitabo. [2] Ea tanqvàm impedimenta poſt te relinqve inſtar.

ſtar properantis bellatoris, ne tibi in exſpectatione ſint. [3] Peritus jaculandi arcum neqvaqvàm à tergo intendit, ſed remotis impedimentis, ſine ulla oculorum circummiſſione penè ad metam collineat, votiqve damnatur. [4] Ita te hiſce animis compones, ut ſcopum tibi figas, qvouſqve etiam oculos continuare poſſis. [5] Is autem tibi notiſſimus eſt; proinde ne fallas, omnes nervos intendes, & ſi per interſtitium erit, removebis. [6] Tametſi Phyſicæ guſtum te habere pervelim, in natura animæ (eam enim moribus excolere in animo habes) paullò tibi ſit compertior. [7] Utqve hoc triennium ratione ætatis, familiæ & ingenii tui habitâ feliciter exigas, de qvo ego minimè dubito, ſi in officio fueris, pauciſſimis & qvaſi ſub manu tibi expediam. [8] Homini enim amico, qvi hujuſce rei operam ſollicitat, lubens pareo, qvam etiam ignoto minimè denego. [9] Qvod ſi inqvam in officio fueris, ſpem ego mihi facio maximam, exactô hôc trienniô fore, ut animus tibi ſit egregiis virtutibus excultus. Oratio tua prudens & ornata, proinde de rebus ad Rempubl. pertinentibus, appoſitè verba facturus ſis. [10] Qvô nunciô ecqvid tibi auditu jucundius uſqvàm eſſe poteſt? [11] Pecuniam nemo hercule ſapiens concupivit. Voluptas neminem occupavit, niſi qvi bene aut malè vivere parum penſi habuit. Honoris cupido propior virtutem eſt, ipſa verò virtus omnium hominum dignitates ſuperat. [12] De qva re prolixiùs ego ad te ſcriberem, niſi ingenium mihi tuum aliqvamdiu foret ſpectatiſſimum.

V. [1] Ac primùm qvidem à religione & Dei cognitione auſpicatò tibi initium ſumendum eſt. [2] Ei autem rei tribues primum & poſtremum diei. [3] Sicut enim qvi militiæ operam navant, Deo Opt. Max. vota faciunt pro felici reditu: ita te moneo, ut cum Deo te reconcilies anteqvàm contubernium hoc Muſarum intres: & priùs pro victoria ſacra facias, ne & famæ & temporis & ſumtuum periculum fiat. [4] Proinde bene manè (poſt qvartam autem ſtertere religio tibi ſit,) ſumes Biblia, & factis Deo precibus unum atqve alterum caput perleges. [5] Idem freqventabis cùm extremum diei erit. [6] Qvæſiverunt hoc Socrates, Plato, Ariſtoteles, Solon, Lycurgus in civili ſocietate inſtituenda: &, ni hiſce deſtituti forent, egregiam & ſempiternam operam in eadem poſuiſſent. [7] Huic ſacro actui per intervalla adjunges, vel aliqvem ex veteribus patribus, (uti Arnobium, Minucium Felicem, & Lactantium, inprimis propter eorum locutionem elegantem, & concinnam;) vel aliqvem ex hodiernis, (uti Spinæum †: & cum primis Mornæum *; qvi me primus in veritate religionis

†. *Spinæum*] Eſt hic ſine dubio Johannes de Spina, ſeu Spinæus Andegavenſis, cujus jam olim legi Tractatum de Providentia DEI ad fidelium Conſcientias aſperis temporibus confirmandas & tranqvillandas, ad Henricum IV. Galliarum Regem, editum tertiò Genevæ, annô M. DC. in 8t. Item *præclarum opus*, ut in Dedicatione laudat Simon Golartius Silvanectinus, de Tranqvillitate animi, ſive ut A. Fayus laudat, de morbis animi curandis, in qvo non ſolùm ſe-

 ptem-

gionis noſtræ confirmavit, qvemqve ego ſupra omnes pænè mortales colo & magnifacio.) [8] Tandem ad labores te accinges. VI.

ptem hi continentur erudititiſſimi libri, in avaritiam, in ambitionem, in iracundiam, in invidiam, in voluptatem, in curioſitatem, in metum: ſed & de juſtitia Chriſtiana, de Confeſſione peccatorum, & pro ægrotis conſolandis opuſcula. Lego illud Theodorô Gauterô Aurelianenſi interprete ex edit. Genev. tertiâ. ann. M. DC. XIV. in 8t. Plura hujus, ſi qvæ ſunt, non habeo. An deſcendat ab hoc Spina gener Lingelſhemii, Spina laudatus ipſi in p. 35. 65. Epiſt. ad Bernegger. Faſcic. II. Epiſtolaris Commercii Bernegg. cum viris Cl. ignoro.

* *Mornæum*] Non ſolus Clapmarius eſt, qvi tam honorificè hoc de auctore ſentit & ejus ſcripto, faciunt hoc & alii. Joh. Henr. Alſtedius, lib. I. Artium Liberal. Syſtem. Mnemon. c. XXIX. p. m. 395. edit. Francof. in 8t. *Hujus Cabbala*, inqvit, *elegantiſſimum exemplum adfert Illuſtris vir Philippus Mornæus Pleſſæus, vir ad miraculum doctus, & in Cabbaliſticis perqvàm exercitatus. Nam in abſolutiſſimo illo libro de* Veritate relig. Chriſt. *allegat Rabbi Haccadoſch, qui è Gen. XLIX. 10. per Notariacam Cabbalæ regulam ex his tribus verbis* Jabo Schiloh velo *elicere docet nomen Jeſu, decerpendo primas in acroſtichide literas ISV. Plura ſuppeditabit ejuſdem liber Gallicè ſcriptus, de convertendis Judæis.* D. Sam. Mareſ. Chiliaſm. Enervat. p. m. 28. §. 18. *Nec ſibi*, inqvit, *defuerunt in eodem zelo*, Judæos ſcil. convertendi, *nonnulli Proteſtantes, quos inter meritò laudandus Illuſtris Pleſſæus, tum in opere aureo de Veritate Relig. Chriſt. quod etiam & titulò & ſtudiò in opuſculo ejuſdem nominis voluit imitari Hugo Grotius, tum præſertim in doctâ ſua Parœneſi ad Judæos, quam donari linguis earum gentium Europæarum inter quas Judæi commorantur operæ pretium foret: ut optem R. R. Hoornbekium & Hulſium, in hoc noſtro Belgio, dextrè & fæliciter hac in parte cœptis, velle inſiſtere.* At qvid Johan. Hoornbeeck. hoc de libro habeat, aperit in II. de Converſione Indor. & Gentil. c. II. p. m. 97. his verbis: *Philippus Mornæus ſcripſit de Veritate Religionis Chriſtianæ librum, Gallicè primum, tum eumdem, inſtigante eôdem, qui ſcribendi illius auctor fuerat, Hubertô Languetô, in Latinum convertit, adverſus Atheos, Epicureos, Ethnicos, Judæos, Muhammediſtas, & ceteres infideles. Ubi etiam, quod alii, ex ratione confirmat articulum S. Trinitatis: non quidem ex naturali ratione eum inveſtigare, aut probare intendens, ſed ex S. Scriptura revelatione agnitum ex ratione quoque confirmat, & comprobat. Unde & Trinitatis aliqua in mundo & in homine videtur ſibi deprehendere veſtigia: qualia obſervari poſſe credit, poſtquàm aliquis ex Scriptura de veritate illa edoctus eſt, atque etiam apud priſcos Philoſophos eadem tradita, quem in finem nonnulla illorum profert teſtimonia, c. VI. Quæ omnia malim præterire. Nam, utcumque ſciam, longè diſtare, ex ratione per ſe probare Trinitatis myſterium velis, vel, ut non quidem priùs & ex ſe per rationem, at re ex Scripturis aſſertâ, creditâque, eam quoque confirmare rationibus aliqvot ſeu documentis ex natura petitis; exſtimo tamen nec hoc, neque illud commodè fieri: quoniam myſterium illud adeo ſupra naturam eſt & οἰκεῖον ſupranaturalis revelationis, ut in natura nullum ejus veſtigium, aut ratione naturali, oſtendas. Nullum in mundo aut natura exemplar, utcumque trinum aliquod referens, ita Trinitatem Divinam exprimit, ut non tam poſſit trahi in partem fidei adverſam, quàm faventem: adeo vel non fundatur in vera trinitate aliqua, quodcumque hîc adferri ſolet, vel non in trina ſubſiſtentia, quin diverſam trium naturam multiplicemque arguat; certè non Trinitatem,*

VI. [1] A scientiis autem vel artibus nolim te auspicari, etiamsi lingvam Latinam mediocriter calleas; eâ tibi politâ & eleganti opus est, nisi more vulgarium philosophari malis: qvorum ego acumen vehementer probem,

tem, cum summa essentiæ simplicitate, qvalis hic omnino creditur: illorum verò qvodcumqve etiam suntas, veritati plus obest, qvàm juvat. Qvid ergo, dices, repugnat naturali rationi, S. Trinitatis fides? minimè verò: & hic ratio potest ostendere contra Adversarios, hanc non repugnantiam potiùs, qvàm cum ea convenientiam: repellere qvasvis falsas in contrarium ratiocinationes, & veritatem fidei & rationis vindicare hâc parte licet, qvia nimirum verum vero non potest esse contrarium, non verò ex ratione aut natura tamqvàm principio, disputare. Distingve ergo, aliud esse, rem ex ratione probare; *vel si non probes, at ostensam aliunde, hinc tamen* confirmare; *vel neqve hoc propriè, nec illud, sed simpliciter* defendere *cum ratione, ita ut nihil probationis argumentiqve hinc petatur, duntaxat adversus abutentem ratione, & falsò ratiocinantem, ostendas ejus sophisticam, & tuearis veritatem. Mysterium S. Trinitatis in Deitate, probari ex ratione neqvit, neqve etiam ostensum ex Scriptura, ratione aliâ præter Scripturam, aut aliqvô mundi vel naturæ documentô defendi opus habet: sufficit rationi hoc assignemus operis, ut in suo sphæristerio, ubi & qvousqve rationibus contenditur, ratione rationem profliget, aut tuetur, atqve ut ostendat, qvemodo non sit contraria rationi fides. Qvare qvod ad testimonia, quæ ex Philosophorum & Ethnicorum scriptis pro adstruenda Trinitatis doctrina adferri solent; vel ea proferuntur ideo, ut qvis probet, ratione philosophicâ illos indagare & scire potuisse hanc de Deo veritatem; vel ut ex antiqva traditione, & tandem ab Hebræis, uti censtat, atqve à multis copiosè probatum, pleraqve sapientiæ, & præsertim Theologiæ Ethnicæ in Ægypto, ex monumentis doctrinæ Mosaicæ fluxisse: qvorum illud, uti à verò alienum, rejicimus; hoc autem admitti potest: videndum verò, ne in omnibus minus certum solidumqve, & pii affectus potiùs, vel erga Veteres, qvàm judicii sit argumentum, & sæpe vel non dicta ab illis talia sint, qvibus adscribuntur; vel non in illum sensum, qvem alii volunt. At verò non unus Plesseus est, qvin verò vix aliqvis ante eum, qvi non argumentum illud retineat, plureſqve post eum, & hodie eamdem viam insistunt, qvi sive ex ratione, sive ex testimoniis Gentilium veritatem Trinitatis commonstratum eunt, nostrò qvidem judiciò, omninò frustra.* Hactenus Hoornbeeck. Cum qvo & facit B. Jacob. Martini part. II. Metaphysic. Exercit. p. m. 715. & s. B. Balthasar. Meisnerus, part. I. Philosoph. Sobr. Sect. IV. c. X. Q. II. p. m. 600. s. ubi non solùm ad Mornæum, sed & Keckermann. lib. I. System. Theol. c. III. p. 20. disputat. Qvos & seqvitur B. Joh. Scharfius Disp. XIII. Exercitat. Anti-Calvin. Q. II. p. 199. adducens & Christoph. Massonium, sive Christian. Becmanum isto sub nomine latentem, Tomô I. Anatomiæ Universal. p. 386. Keckermannum malè defendentem; ut ostendunt dictus Jac. Martini, Disp. XIV. de Principio Fidei, §. 4. 5. & in Anatomia particulari, p. 138. s. & B. Jacob. Wellerus, part. I. Anti-Massonii, Disp. VII. thes. 22. p. 241. s. Id ego sanè Massonii polemicis in scriptis observavi, illum acerbè magis & ex odio, qvàm doctè, solidè, & sapienter scribere. Adde D. Mich. Waltherum in Officin. Bibl. p. 491. s. §. 667. & Joh. Conr. Dietericum in Antiqvit. Biblic. p. m. 10. a. Cumprimis verò D. Joh. Musæum, in pecu-

liari

bem, si elegantiori locutione animi sensa proferant. [a] Verùm hi contrà faciunt, & eruditionem suam ineptô penicillô magis obumbrant, qvàm illuminant. [3] Primum † igitur vehementer velim initium fieri à Plauto; qvippe in qvo sermonis elegantia summa est, eaque non vulgaris. [4] Consilium enim est, te semper loqvi Latinè cum eo qvicum vivis; cujus si alteruter oblitus sit, ut luat. [5] Licet enim minimè negem, eum, qvi bene scribat, tandem etiam bene locuturum: tamen ut promptior fias, & lingvæ battologiam sive titubantiam emendes, sæpiusculè Latina confabulare. [6] Nisi sint præsentes, qvi morem hunc, ut fit, ludant. [7] Qvod plerumqve peculiare est Germanis, ut, nisi in publico, qvando agitur de rebus seriis, Latina verba non proferant. [8] Qvorum si multi à pueris hâc

liari disputat. an Mysterium Trinitatis è ratione demonstrari possit? in qva rationes ad demonstrandum Mysterium Trinitatis à Keckermanno adlatæ expenduntur & refutantur, subjunctâ Musæi dicti libris de Usu principiorum rationis & philosophiæ in controversiis Theologicis, p. m. 661. f. edit. Jenens. M.DC.LXV. in 8t. Theodorus Zwingerus in Theatro Vitæ Humanæ, sub titulo Metaphysices, Volum. V. lib. IV. p. 1311. a. apertiùs sensisse de hoc mysterio Hermetem, qvàm qvosdam Judæos scribit: *Hermes Trismegistus Ægyptius maximus Sacerdos, maximus Rex & maximus Philosophus fuit; primus de sacrosancta Trinitate in divinis tractavit, καὶ ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα asseruit, lumine intellectus id assecutus, quod Hebraeorum plurimi, etiam sacris invitati testimoniis, comprehendere non potuerunt.* Largiter erratum abs tanto Viro, cùm iste Trismegistus, verus an falsus, monstrosa de Diis eorumqve cultu habeat; qvæ videre licet apud Augustinum, lib. VIII. de Civ. DEI c. XXIII. XXIV. Item Joh. Henr. Ursin. in pecul. Exercitat. de Hermete Trismegisto ejusqve scriptis, edita Norimbergæ M.DC.LXI. in 8t. Unde & expurgantur illa verba Zwingeri in Indice Expurgatorio Theol. Hispan. apud Possevinum, Tom. II. lib. XVI. c. IV. p. 346. Corn. Martini Antverpius in calce Orationis Philippi Melanchthonis de Philosophia Studioso Theologiæ necessaria seorsùm laudatô Martinô procurante editæ Helmæstadii M.D.C. librum Mornæi de V.R.C. *incomparabilem* vocat. Hoffmanno in Officina, p. 9. edit. Edimburgens. *liber ille diligentissimè & accuratissimè est scriptus.*

† *Primum*] Ego, qvi semper Ciceroni & Cornelio Nepoti cum Cæsare primas concedo, etsi ab auctore in hoc dissentio: persvasissimum tamen habeo, juventuti, postqvàm nativum illum vultum, veraqve Latini sermonis lineamenta imbiberit è fonte Tulliano, non modò Terentium, Cæsarem, alios, qvi propiùs ad Tullium accedunt: sed Plautum etiam ipsum multum ac diu esse versandum. Tantùm judicium in delectu desidero. Primùm in Archaismia & penè desitis, qvæ nec ubiqve, nec semper locum habent. Deinde in iis, qvæ Comicus ille finxit ad risum captandum. Multa enim apud eum decorè dicuntur à servo, aut lenone: qvæ si orationi nostræ inserantur, reddemus eam protritam ac plebejam. Qvale est, cùm servus ait, *exspuere lachrymam*, Pseud. I. I. 74. Suntqve apud eum compluria hujus generis, qvæ extra scenam non habeant locum: nisi fortè cum familiari amico, sermone vel epistolâ, visum erit paullùm nugari. Vide omnino Ger. Joan. Vossium, lib. IV. Institut. Orator. c. I. Sect. IX. p. m. 26.

hâc lingvâ lallare cœpissent, jam illæ grandes declamationes elegantiæ & promtitudinis majus haberent pondus. 9 Nunc sæpe senes in Scholis & in foro hæsitant, & qvod turpius est, verborum magis curam habent qvàm rerum. 10 Verùm; qvomodo in autoribus legendis versari te velim, luculenter alibi docui: 11 Qvod à multis hodie in iis peccatur, qvi existimant feliciter in autoribus neminem operam ponere, nisi omnia à locis Logicis diducat, ceterùm ipsam Latini sermonnis puritatem susqve deqve habent; cujus ineptitudinis utinam istos pœniteat! 12 Verùm inani opinione eruditionis inflati, gustum elegantiorem capere nec volunt, nec possunt.

VII. 1 At nescio, an aliunde qvàm ex hoc Comico vitam communem actionesqve mortalium faciliùs addiscere valeas. 2 Ex eo tibi à Deorum gentilium ludis, à senum & Euclionum avaritia, servorum neqvitia, meretricum procacitate, & omnium libidinum curis pedisseqvis cavebis; qvibus vitiis plerumqve naturâ hæc ætas obnoxia est. 3 Pleriqve hodie à Cicerone, tanqvàm magis populari, (ita ajunt) auspicandum esse putant; cùm nihil minùs sit, etiam grandius vehementiusqve ejus dicendi genus sit, qvô in familiari colloqvio difficulter utimur. 4 Qvi nare discit, priùs vadum transnatat, qvàm in profundum mare se præcipitem abjiciat: offendit sæpè in parvo flumine, sed absqve periculo. 5 Qvod enim in Plauto qvædam sint recondita & minùs trita, probè scio, ideóqve ab illo incipies, ut priùs iter montanum & asperum emensus, faciliùs reliqvum intendas. 6 Malo enim pueros à lacte materno avelli, & solidiori cibô nutriri, ne corpus eorum emollescat. 7 Neqve verò omnia, more Criticorum, curiosè inqvires: neqve eorum industriam affectabis, tametsi probatissima est, qvi integros dies in una vocula sudant, neqve dum tamen sese extricant. 8 Qvi rosas legit, non unà spinas deruncinat: eas sæpe pedibus conculcat & præterit, ne sibi in mora sint. 9 Nec Ulysses in omnibus locis sedem posuit: & qvòd Calypsus & ceterarum deliciarum amore diu detineretur, seqve & suos in salutis discrimen adduxit. 10 Sermonis autem elegantia, eaqve non vulgaris, adeò animum meum occupat, ut velim tibi nihil familiarius Plautô. 11 Qvâ re confectâ, Terentio operam condices non minùs puro & concinno. 12 Eum qvare velim post Plautum, non sine consilio facio. 13 Atqve si fieri potest, & ingenii tui ratio fert, si qvidem te nonnihil etiam Græcè scire cognovi; * Aristophanis duas aut tres comedias adjungas, & illum ex his explicabis:

* *Aristophanis*] Hoc consilium seqvuturus comparet sibi interpretationem Aristophanis Frischlini, hanc qvi dedit operam, ut è Plauto & Terentio omnem ferè Latinitatem adferret, qva cum permutaret Græcum Poëtæ hujus sermonem; idqve exemplô ipsiusmet Terentii, qvi Comœdias Græcas integras Latinas fecit, & fecit suas, mutuatus eas à Græcis; ut Heautontimorumenon à Diphilo, Eunuchum à Menandro, Phormionem ab Apollodoro. Ceterùm,

plicabis: sunt enim pœnè ejusdem elegantiæ. [14] Licèt ergo Græca te scire nolim, ut Græcè loqvaris, tametsi id egregium est: sed ut autores Græcos cum fructu legere possis. [15] Eqvidem probè memini, me in puero cum peregrinis græcari; sed sine fructu. [16] Tametsi neqve dum desisto, sed cottidie qvod Græcorum eruditionem redolet, lego, sæpiusculè etiam scribo. [17] Atqve hoc erit rudimentum tuæ militiæ, qvod confido absolutumiri mensibus duobus plus minus. [18] Penitissimè autem tibi persvadebis, nolle te ab istis discedere, nisi & eleganter & promtè loqvi valeas. Qvod haud dubiè te assecuturum sperò; si me audiveris.

VIII, [1] Ceterùm elapsis duobus mensibus, ad Ciceronis epistolas ad Atticum, item ad Q. Fratrem, accedas. [2] Qvòd familiares ejus tibi ex parte notæ, qvædam etiam † nimis vulgarem stylum redolent, & multæ ad indoctos scriptæ. [3] Neqve in his legendis uteris Logicis instrumentis. Qvod faciunt ii, qvi epistolas ejus necessariis & argumentis adstringunt; cùm Cicero ex re scripserit, & qvod ex manu nascebatur. [4] Propterea malim

Hieroni Syracusano Regi ab Atheniensibus petenti eloqventissimum auctorem, unde ipse Lingvæ Atticæ posset leporem addiscere, misêre non Socratem illi, non Demosthenem, non Herodotum, non Thucydidem, non Xenophontem, non Platonem, non Aristotelem, sed Aristophanem. Neqve Frischlino, qvod notari velim, aliunde consecvutus suam videtur eloqventiam Divus Chrysostomus, præterqvàm è sola lectione Aristophanis, cui ea tàm grata fuit, ut noctu eum pulvino submoveret, & è somno expergefactus, eum tàm nocturnâ, qvàm diurnâ manu versaret.

† *Nimis vulgarem stylum*] Hæc profectò ἀῤῥῆτα ἀμαθῶν. Ego enim ita sentio, qvùm nullum non Ciceronis opus maximo & ad facundiam & ad mores vitamqve benè ac civiliter degendam emolumento esse arbitrer, non esse tamen ex omnibus, qvod hôc Epistolarum Volumine magis necessarium universis, qvi Latinis litteris delectentur, existimari debeat. Qvis est enim, qvem non in tota vita, epistolam scribere oporteat? aut qvid est, qvod magis nescire Latinum hominem pudeat? Orationes plerisqve nec scribere occasio est, & si sit, qvod & in judicio, & in Senatu, & ad Populum, id est, apud ignaram plerumqve Latinæ Lingvæ multitudinem dicendum est, vernaculô magis, qvàm Latinô loqvi cogimur idiomate: At amicus ad amicum, litteratus ad litteratum, qvùm scribit, Latinè scribit, qvod Ciceronis in litteris parum maleqve exercitatum, ineptè, jejunè, exiliter, dicam etiam barbarè facere convenit. Qvod verò ad mores civilemqve vitam attinet, unde magis qvàm ex his Epistolis discas? De domesticis rebus suis diligenter, de amicorum gratè, de publicis graviter scribat necesse est, qvi sibi imitandum Ciceronem proposuerit. In jocis hæ te venustum, in seriis severum, in omnibus elegantem reddent. Deniqve, si qvid involutè scribendum, si commendandum, si gratolandum amico, si dolendum, si consolandum fuerit, earum rerum omnium in hisce Ciceronis epistolis exempla invenies. Qvid sentiendum in repub. qvid agendum dicendumve, qvid optandum etiam sit, docent atqve præscribunt.

malim epistolas esse ἀμιγδῶς, vel ut ordo non appareat, ut pleræqve Plinii, nisi de rebus scribas seriis & paullò gravioribus, etiam ad viros illustres; ut Platonis ad Dionem, Dionysium Syracusanum, & Ciceronis * ad Q. Fratrem, & nonnullæ Aristotelis ad Alexandrum regem Macedoniæ. 5 Ex hisce autem epistolis identidem aliqvam cognitionem hauseris historiæ Romanæ, præsertim eorum qvæ gesta sunt tempore belli civilis, & Reipubl. pænè mutatæ. 6 Qvorum omnium aliqvando tibi usus erit, tam in domestica, qvàm in civili vita. 7 DI boni! qvâ prudentiâ homo disertissimus actiones politicas inducit; nonnunqvàm † eventus colligit: qvàm verissimè conversionem imperii popularis prospicit: qvâ fide suam ipsius mortem sæpe prævidet & plorat! Tametsi in qvibusdam hallucinatus est; sed hoc fuit fatum Ciceronis. 8 Atqve hôc inprimis consiliô has epistolas tibi commendo, ut juxta eas consvescas animi cogitata politô stylô effodere. 9 Nam iis absolutis, statim te volo ad scriben-

* *Ciceronis ad Qv. Fratrem*] In his eminet epistola I. qvam legi velim cum Ecphrasi à Christophoro Cornero ex Bucheo ad Rhetorum morem conscripta & Basileæ edita annô M.D.LIII. in 8°. Sanè cùm fratrem, hominem doctissimum & prudentiâ summâ præditum, qvemqve charissimum semper habuerat Cicero, de officii sui ratione, & de his, qvæ ipse videret minùs, commonefacere vellet, ac se putaret, tum ei, tum omnibus, qvi ipsum in eadem functione secuturi essent, rem gratam & utilem facturum, visum fuit hanc ad eum mittere epistolam, in qva docet, qvalem oporteat esse in Asia proconsulem, qvàm bonum, qvàm innocentem, qvam Reipub. suæ amantem, qvales ministros & laborum socios adducere, qvâ ipsos ratione continere ac tractare debeat: qvâ deniqve fide, prudentiâ, cautione & diligentiâ ad provinciæ salutem, & Romani nominis amplificationem præstanda & curanda sint omnia. Qvod eqvidem tantâ arte & consiliô effecit, ut nihil in omnibus ipsius scriptis invenias, qvod & brevitate & utilitate ac dignitate præceptionum, viro in publicis negotiis versanti carius & notius esse debeat, aut fructuosius jucundiúsqve esse possit.

† *Eventus colligit*] Corn. Nepos, XXV. XVI. extr. In Epistolis Ciceronis ad Atticum *omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus Reipubl. perscripta sunt, ut nihil in iis non adpareat: & facilè existimari possit, prudentiam qvodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm, qva vivô se acciderunt, futura prædixit: sed etiam qva nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Ipse Cicero, VI. Famil. Ep. VI. *Si te ratio*, inqvit, *Tusca disciplinæ, quam à patre, nobilissimo atqve optimo viro, acceperas, non fefellit, ne nos qvidem nostra divinatio fallet, quam cum sapientissimorum virorum monumentis atqve præceptis, plurimôqve, ut tu scis, doctrinæ* studiô, *tùm magnô etiam usu tractandæ Reipubl. magnâqve nostrorum temporum varietate consecuti sumus. Cui qvidem divinationi hîc plus confidimus, qvòd ea nos nihil in his tàm obscuris rebus tàmqve perturbatis unqvàm omnino fefellit. Dicerem, qva antè futura dixissem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer.* Et post paullò. *Qvo in bello nihil adversi accidit, non prædicente me.*

bendum animum adjungere, five ad amicos: five etiam aliâ ratione, qvam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. [10] Sicubi ego fortè cœnam condixeram, poſterô die omnia geſta, narrata eleganti, & qvoad poſſem, tersô ſermone exarabam, & qvicqvid occurrerat: ſed omnia ſine livore adnotabam, more Athenæi, Platonis etiam, Ciceronis, & aliorum. [11] Id qvod mihi, incredibile eſt, qvanto uſui fuerit.

IX. [1] Ab Orationibus autem & Declamationibus ſcribendis hâc tempeſtate te prohibeo, propter graviſſimas cauſſas, qvas næ iſti ignorant homines glorioſiſſimi, qvi eloqventiam induunt pueris ab utero matris adhuc rubentibus, ut cum Satyrico loqvar. [2] Modum autem exarandi epiſtolas obiter tibi monſtratum oportet ex libellulo Demetrii Phalerei, de elocutione, * & Gregorii Nazianzeni ad Nicobulum de epiſtolis conſcribendis: ut in omni ſcriptura ſerves τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα. [3] Deniqve in animo volvas, ad qvem ſcilicet, & qvomodo, & qvando, ſcribas: ſecus ad viros illuſtres; ſecus ad doctos; ſecus ad æqvales, &c. [4] Vide me, qvi hanc aliò genere ſcribo, qvàm ſoleo; vulgari ſcilicet, ſicut in calamum cadit. Neqve ὑπόθεσις accuratiorem ſtylum patitur. [5] Atqve ut unâ operâ duo negotia expediantur, inſuper adhibeto epiſtolas Græcas Dionis breviuſculas, elegantiſſimè & ſapienter ſcriptas. Item Ariſtæneti nuper à Joſia Mercero in latiniſſ. ſermonem converſas. [6] Uti enim operam mihi videtur ludere, qvi orationem paullò luculentiorem qvàm vulgus ſolet, ſcripturum ſe exiſtimat, ſine lectione Demoſthenis, Æſchinis, Thucydidis, Lyſiæ, & aliorum: ita etiam, qvi epiſtolam concinnam exaraturus eſt, neceſſe eſt ut Græcorum pellegat: idqve exemplô multorum oratorum,

* Eſt & in medio Joannis Caſelii de Charactere Epiſtolico Diſſertatio, adnexa Operi Epiſtolico, exhibenti prædicti Caſelii Epiſtolas ad Principes, nobiles, viros celebres, propinqvos, cives ac familiares in Fuchtiana & Vagetiana editionib. non comparentes; p. m. 1076. ſ. edit. Francof. M. DC. LXXXVII. qvam adcuravit Dn. Juſtus à Dransfeld vir ad juvandas litteras promtus, diligens, ac valens. Ceterùm iſta Diſſertatio Caſelii deprompta eſt ex ejuſdem libro, qvi Phalereus inſcriptus & Francofurti editus eſt annô M. DC. XXXIII. in 8t. In Demetrio Phalereo præ ceteris legi debet c. LIX. de Eloqvutione cum Commentario laudati Caſelii eruditiſſimo, in qvo velut per lancem ſaturam præcipua congeruntur præcepta, cui ſubjungit idem ille vir Gregorii Nazianzeni de Epiſtola ſcribenda epiſtolam a ſe primùm editam, cùm in Nazianzeni non exſtet Operibus, qvam Artenius Belga, vir doctiſſimus, ſecum communicaverat. Edita poſteà qvoqve eſt ac inſerta à Paullo Manutio Commentario in I. Famil. Cicer. Ep. I. p. m. 10. Cujus etiam filius ſeorsùm edidit. In eam brevis exſtat locô citatô Caſelii Commentarius, & luculentior Adami Theodori Siberi. Ipſum memoratum Demetrii Phalerei ſcriptum adjunctum qvoqve legitur Juſti Lipſii Epiſtolicæ Inſtitutioni, qvam lego ex opt. edit. Antverp. CIↃ IↃC V. in 4to.

rum, & cumprimis Ciceronis. [7] Is enim gloriatur ſe vehementiſſimas orationes, qvas Demoſthenes & Æſchines cum totius Græciæ concurſu habuerunt, pari vehementiâ ſententiarum & ſermonis expreſſiſſe. Idem etiam in aliis factitâſſe: itaqve ex omnibus Græcis juxta & Latinis exqviſitiſſimum dicendi genus collegiſſe. [8] Similiter tu qvoqve facies, ut in orationibus, ita & in epiſtolis ſcribendis, ut qvotidie aliqvid ſcribas: ſæpiuſcule identidem alios legas: hujus locutionem cum alterius conferas: periodos, membra, inciſa, ſtructuras notes: qvod optimum eſt, imiteris. [9] Ita ſtylus tuus fiet elimatus, & perſonis temporiqve conveniens oratio. [10] Proinde multa te legiſſe cupio, eaqve ſæpe demortua, & ab uſu hodierno remota: verùm omnia ad exemplum te trahere nolim, tametſi id qvis facit pro ingenii ſui acrimonia. [11] Qvòd Romæ, qvòd Pariſiis fueris, probant homines civiles: qvòd Romanis, item Gallorum veſtibus uſus fueris, neqve id improbant: ſed reverſus, ut veſtitu patriô utaris, id verò maximoperè à te contendunt. [12] Idem obſervabis in omni ſcriptura & autorum imitatione; qvæ qvomodo inſtituenda ſit, qvô tempore; & ut imiteris occultè, ne appareat, à me præſente coràm intelligere habes. [13] Malo autem hîc ἐν πάρῳ ea attingere, ne prolixior ſim, qvàm inſtitui, neve nimiâ te lectione onerem.

X. [1] Jam exacti erunt qvatuor menſes; ſupereſt unicus, ſiqvidem unus hôc æſtivô tempore abiit. [2] Hunc impendes, meâ ſententiâ, Logicæ. [3] Atqve hîc tibi, ut & in omnibus, præceptore & manuductore opus eſt. [4] Sed impendes Logicæ genuinæ, ſed Ariſtotelis: non qvòd * P. Rami viri diſertiſſimi improbem; ſed qvia Ariſtoteles ſummus Philoſophus accuratiùs & fuſiùs meô judiciô eam tractet. [5] Diu autem te luctari in diſputationibus de ſubjecto logicæ, de fine, de methodo, pro hoc tempore non eſt conſilium: ſaltem rationem ediſces ſyllogizandi qvæſtione propoſitâ; & mediô terminô, ſive argumentis inventis, probabiliter de unaqvaqve re diſputandi, & verum à falſo diſcernendi. [6] Sed neqve

* *P. Rami*] De diſſidio inter Rami & Ariſtotelis ſectatores ſeqventem narrat hiſtoriam in vita Matthæi Dreſſeri Melchior Adami. *Venit* Dreſſerus, inqvit in p. 496. Vitarum Germanor. Philoſophor. edit. Haidelberg. CIƆ IƆC XV. *Lipſiam eô tempore, qvô (verba referimus ipſius Dreſſeri) anceps malum in Academiam illam invaſerat: dum nonnulli argutias Rami, repudiatâ doctrinâ Ariſtotelis & Melanchthonis, invehere conarentur: alii religionis qvadam dogmata ad ſenſum Calvini inflecterent. Utrumqve extremum declinare ipſe cupiebat: & qvoniam concertatio de Rami novitatibus Philoſophicam communitatem vehementer conturbârat; abſtinendum ſibi ab ejus conſortio eſſe putavit, ne in medium certamen atqve diſcrimen ſe objiceret. At Berlepſius, Electoralis commiſſarius, eum à propoſito dimovit, gravi oratione appellans:* Qvid tu, *inqviens*, tibi ſumis? an non putas me qvoqve lites & conflictiones ſtudioſè fugere? interim tamen ſubire me oportet

qve doctrinam de Demonstratione, qvæ medulla est totius Philosophiæ, tanqvàm suppositiciam abjicies; qvippe qvæ Logicæ nativa est: qvam qvi exactè tenet, næ iste multum in Philosophia profecit. [7] Sed hoc fieri oportet, & opus est, pro tempore & ingenii tui captu. [8] Qvin etiam nihil malim, qvàm ut hosce dies (supersunt enim, nisi digiti mei me fallunt) præcepta Rhetorica ad Theodecten memoriæ mandes, præsertim primi & secundi libri: qvum elocutionis præcepta paullò ante ex Demetrio Phalereo luculentissimè didiceris. [9] Hi enim libri viam tibi sternunt ad politiæ disciplinam, ne nescias, qvid scire debeat is, qvi oratione qvidqvam à populo ad Reipubl. salutem extorqvere animum inducit. [10] Ut præteream ea, qvæ de affectionum perturbationibus movendis & sedandis in medium profert: [11] Item qvomodo partes orationis instituendæ: qvi unicuiqve parti stylus conveniat: qvot genera sint caussarum: & triginta aliqvot alia, qvæ Rhetoricam profitentur tanqvàm filiæ matrem. [12] Qvæ; nisi ex Aristotelis & Ciceronis Rhetoricis edisças, unde sumes? [13] Ex Talæone, qvæ unius tridui est? minimè gentium! [14] Ex ipsis orationibus? Atqvi id pariter frustra est, cùm præcepta qvædam generalia & præire debeant, & possint. [15] Idcirco maximus tibi horum usus erit, qvando ad eloqventiæ studium & orationes conscribendas animum adjunxeris: [16] Qvod ut futurò hibernò tempore facias, & absqve ullo circuitu ipsos oratores salutatum adeas, neqvaqvàm dehortor. [17] Verùm tamen ista præcepta ad ungvem sciri volo, qvod facillimè fit (sunt enim plusqvàm brevia) & cum maximo fructu fit. [18] Qvam sententiam meam ut sanctè serves, tuæ erit operæ. [19] Et felicissimè vortet, modò tu non nolis. [20] Id qvod ego pro singulari gratitudine agnoscam, & publicè profitebor.

XI. [1] Ne tamen me velle existimes, hâc primâ ætate laboribus hisce te opprimi; neqvaqvàm verò. [2] Qvin potiùs te moneo, ut sicut ii, qvi iter qvàm maximè longum conficere cupiunt, primos dies tardiusculè & lentô nisu incedunt, ne priùs delassentur, qvàm viam ingressi sint; tum demum velociore cursu iter persequuntur: ita tu qvoqve, qvi longissimum iter sapientiæ ingressus es, nonnunqvàm jucundis colloqviis, & obambulationibus te recolligas. sæpe unà cum amicis arguteris, & sermonibus facetis colludas, cúmqve per nimios labores diligentiori tibi esse minimè

tet insvavissimos labores cognoscendi & dirimendi controversias. *Ubi verò cognovit cum Rami doctrina conjunctam esse illius dogmatis disceptationem; magnô animi ardore pestiferum id genus amovere conatus est. Idem Berlepschius omnes vias persequutus est; quibus scriptum adversus Dresserum editum à Rameis, profligaret, & in autores justâ severitate animadverteret.* Memini, *inquit*, Parisiis qvantas turbas, qvantas cædes pepererit Rami secta. *Quin & in hac verba gravitate magnâ erupit:* qvid qværitis? Ramismus est gradus ad Calvinismum.

nimè licet, Anagnoſtâ utaris, more Tullii, * cujus vox eruditula ſit & concinna. [3] Neqve enim ſemper leges; ſed ſæpe audies, qvod tenaciſſimè memoriæ inhæret: ſæpiùs etiam præſenti animô omnem curam abjicies. [4] Qvocirca ineptè faciunt ſedentarii iſti, qvi & parum proficiunt; & bonam valetudinem, qvam conſervari noſtrâ plurimum intereſt, turpiter perdunt. [5] Sæpe etiam numero, præſertim circa prandium & cœnam, palæſtræ & ſaltationi juxta & Muſicæ vacabis. [6] Id qvod tantoperè commendavit divinus Plato in pube rectè inſtituenda. [7] Ita enim corpus tibi paraveris ſolidius & gracilius, ad qvæqve pericula ſubeunda, qvæ ſæpe famæ cauſsâ nobis propulſanda ſunt: [8] Muſicâ porrò te exhilaraveris, mortalibuſqve multô gratioſiorem reddideris. [9] Sed huic rei dabis operam tempeſtivè, & pro animi tui libitu.

XII. [1] Cúmqve integros iſtos ſex menſes fari Latinè cœperis, rationemqve epiſtolium exarandi didiceris, etiam in iſtis te exercueris; deniqve Logicæ & Rhetoricæ præcepta memoriâ tenueris: tum demum mihi digniſſimus es, qvi ad eloqventiam, id eſt, ſtudium dicendi, accedas. [2] Etſi pleriqve putant lectionem Poëtarum præcedere debere, ut oratio fiat floridior: tamen mihi contrà videtur, qvandoqvidem rationes tui conſilii conſidero. [3] Metuendum eſt enim, ne confundas promiſcuè ſtylum liberum cum poëtico, qvô nihil inſulſius eſt. Et togati, ſive civilis hominis vocem polire mihi decretum eſt. [4] Ad Poëtas autem legendos & verſus cudendos accedere te malo, ex conſilio præſtantiſſimi viri *Joan. Sturmii*, poſtqvàm oratio tua paullulum cœperit eſſe copioſa & oratoria: ne ſenatorium & forenſe Orationis genus poëtarum lectione inficiatur. [6] Iteratis igitur bene manè precibus, & diligenti lectione Bibliorum, vel alterius alicujus orthodoxi ſcriptoris; Ciceronem à capite auſpicator, una cum Demoſthene, Æſchine, aliiſqve Græcis oratoribus. [7] Priùs autem libros de Oratore, Brutum, ejuſdemqve topica accuratè perleges, meô qvidem arbitratu. [8] Atqve ego, ſicubi offendes, qvô minus progredi poſſis, minimè tibi deero. [9] Idqve tibi adeò religioſum eſſe volo, ut integri hujus hiberni antelucanum & antemeridianum cum ſeqventis biennii hiſce totum conſecres. [10] Qvid enim qvæſo eſt, vel rerum, vel verborum, vel omnium elegantiarum, qvod te non docet Cicero? [11] Rationem familiariter colloqvendi & diſputandi Academicæ & Tuſculanæ qvæſtiones tibi demonſtrant: guſtum etiam Philoſophiæ faciunt ſapidiſſimum.

* *More Tullii*] Vatinius in IX. Epiſt. ad Cicer. lib. V. *Dicitur mihi tuus ſervus anagnoſtes fugitivus cum Vardæis eſſe.* Ubi vide Buchnerum in notis, p. m. 249. edit. Amſtelod. CIↃ IↃC LXXVII. & in acceſſionib. ad Fabri Theſaur. Voce *Anagnoſtes.* De Attico Corn. Nepos, XXV. XIII. 3. *In ea familia erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarii, ut ne pediſſeqvus qvidem qviſqvam eſſet, qvi non utrumqve horum pulchrè facere poſſet.* Lege Joann. Meurſium, c. III. Auctarii Philolog. p. m. 117. ſ.

mum. [12] Qvid ego nunc dicam de libris de LL. de officiis: qvos te exactè ſcire tantum tuâ intereſt, qvantum omnium maximè. [13] Exinde enim cognoveris, qvid ſit æqvum, qvid honeſtum; qvid ſecus: idqve qvando; qvomodo: & fores tibi aperueris ſtudium Juris feliciùs decurrendi. [14] Tandem ad orationes ejus te converteris, qvarum ideas & formas nullus mortalium diviniùs expreſſit, & ob oculos poſuit. [15] Neqve verò de omnibus ſpeciebus loqvor. Neqve omnes exprimere volui. [16] Idcirco Demoſthenem coincipies, qvi, præterqvàm qvòd omnium eloqventiſſimus & vehementiſſimus eſt, de pace, de bello, de rebus publicis prudentiſſimè ſupra omnium mortalium fidem verba fundit. [17] Neqve enim ſufficit unicum membrum depingere, vel aliqvot alia, inſtar inepti pictoris. [18] Ut omnes partes ad vivum delinees, ut ſuis nativis coloribus adumbres, id verò ſeriò à te reqviro.

XIII. [1] In orationibus autem legendis probè utendum viâ, qvam vocant analyticam, ut partes eruas, artificium argumentorum latentium indages & reſolvas, &c. [2] Hanc operam pones in aliqvibus tantùm, non in omnibus. [3] Neqve enim architectus omnia ædificia, omnes columnas, omniaqve id genus periſtylia intuetur & conſiderat. [4] Intereà loci te monebo, ut libellulos tibi compares, in qvibus locos de generibus cauſſarum, de variis characteribus dicendi, ordine conſcribas; in iis ἀνασχηματισμοὺς ſive delineationes narratiuncularum egregiè tractatarum, membrorum, circumductionum earumqve ſtructuras, connexiones, numeros, &c. notes. [5] Ut enim ſpecioſam orationem ſcribas, non tantùm imaginem & cutem referes, qvin imò ſangvine, venis, nervis, muſculis depictis opus eſt. [6] Ideo de locis ſcribendis te cupio certiſſimum eſſe. [7] Id ego qvàm ſollertiſſimè ſolitus ſum facere: neqve ejus operæ me pigebit unqvam. [8] Qvòd ſi victor iis etiam ſcribendis periculum feciſſet Tullius, id qvod eum facere præter librum de conſulatu Græcè ſcriptum non memini; æqvè laudabilem, forſan etiam laudabiliorem operam conſumſiſſet. [9] Sed hujus generis aliorumqve imagines, autores alii probè & luculenter nobis repræſentârunt.

XIV. [1] Pomeridiani temporis (diffindemus enim in duo tempora) priores binos menſes operam freqventabis Ethicæ & Politicæ, ſive civili Prudentiæ, qvam Ariſtoteles ait κυριωτάτης καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικῆς. [2] Exinde mores egregiè excoles, qvid in vita ſit τὸ πρέπον; qvomodo ſit; qvando ſit; qvibus cum perſonis ſit. [3] Deinde ut ad Regum & principum conſilia accerſiri poſſis, prudentiam civilem habeas neceſſe eſt, qvæ tui generis hominibus propria eſſe debet. [4] Utramqve nobis egregiè præter alios concinnârunt Plato & Ariſtoteles: ſed Ariſtoteles tibi ab initio princeps eſto; iſqve prout natus eſt, hoc eſt, Græcâ locutione. [5] Tametſi verò in morali doctrina ſummum hominis bonum & finem te ſcire oportet, itemqve morales & intellectuales virtutes exactiſſimè cognitas habere; in civili autem, Rerumpubl. ſpecies, differentias, finem & media

dia sive principia ad finem tendentia, tibi exploratissima esse: tamen primò hæc omnia defunctoriô labore, neqve adeò anxiè inqvires, & in postremum annum, qvando ad historiarum lectionem ventum est, consultò differes libros Platonis de Legibus, Galeni de affectibus moderandis, Plutarchi περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, Cebetis tabulam, Theognidem, Arriani Epictetum, libros Senecæ (Deorumne an verè mortalium oracula?) in sinu fovebis, & si me amas, nunqvàm de manibus mittes. [6] Multorum autem interpretum lectioni nolim te vacare, Marsilii Ficini, Bodini, Macchiavelli, Piccolominei, Flaminii, Simplicii: ego eos legi, & lecturus sum, ut meâ operâ eô feliciùs progrediaris.

XV. [1] Seqventibus tribus mensibus, promeridianum tempus intellige, reliqvis primæ notæ autoribus pellectis tibi opus est, Sallustiô scriptore rarissimô, & Thucydide, Xenophontis Cyrô, Liviô, Tacitô & Polybiô, Varrone, Vegetiô, Victruviô, Appulejô, Petroniô, Pliniis; uterqve enim perutilis est. [2] A qvibus præter locutiones, earumqve omnium species, Deus immortalis, qvantam tibi comparaturus rerum cognitionem es! [3] Videntur hæc tibi pellectu difficillima? non sunt, crede mihi, modò operam adhibueris: neqve ignavo, neqve ei, qvi laborum impatiens est, scribo. [4] Neqve mihi consilium est, ut Thucydidem, Livium, Victruvium, totos evolvas & devores. Id temporis ratio non patitur, & cùm ad historiam venerimus, impendio magis facies: sed ut ex tot scripturis elegantissimum verborumqve juxta, & rerum luminibus ornatissimum dicendi genus colligas. [5] Sicut olim Heracleotes Zeuxis ex tot puellis Crotoniatis formosissimam effinxit imaginem, tanqvàm absolutum pulcritudinis exemplum. [6] Vide me, qvi cùm olim earumdem rerum satagerem, præter horum auctorum lectionem, pænè nihil qvod in humanioribus literis & à Turnebis, Scaligeris, Victoriis, Muretis, Lipsiis, in lucem datum est, omisi: & tamen Athenæum, Gellium, Macrobium, Columellam, Catonem, Asconium, emendatissimos scriptores omittis.

XVI. [1] Qvibus pro tempore confectis, postremi mensis pomeridianis temporibus ordinem poëticum, qvô te maximoperè delectari intelligo, conventum ibis; non ut circumcursores mendici, qvi salutant literatos, ut ab iis viaticum emulgeant: sed more liberaliorum hominum, qvi modò de sapientia & literarum studio soliciti sunt. [2] Ceterùm homini Philorhetori & politico tantoperè commendata esse debet poëtarum † lectio, ut qvæ omnium maximè. [3] Exindè enim mores pravos corrigis: aliorum exemplô vitam & privatam & militarem, & togatam decenter & laudabiliter instituis: orationem porrò compositiorem, floridioremqve multò tibi

† *Poëtarum lectio*] Vide qvæ dicta sunt part. I. Methodor. nostr. p. 133. s. 483. s. 487. s. 601. part. II. p. 265. 401.

tibi concinnas. [4] In Homero, qvem Leges nostræ Civiles omnium virtutum parentem vocant, ecqvid desiderari potest? [5] Meô judiciô pænè nihil, qvod de Principum hominumqve illustrium moribus, vita, bello & consiliis, in medium proferri potest. [6] Qvòd si Ulyssis consilia, vitam, errores, pericula, reditum animô collustres; crede mihi, de omnibus in vita scopulis & calamitatibus tutissimus eris. [7] Hunc leges & releges cum Theocrito & Virgilio; Horatium cum Pindaro; Lucretium & Manilium cum Arato & Musæo, Hesiodo & Oppiano; Catullum & Propertium cum Callimacho & Anacreonte; Senecam cum Euripide, Æschylo, & Sophocle, & reliqvos veteres Poëtas ante aliqvot annos à Stephano editos, Ennium, Lucilium, Laberium, Afranium, Pacuvium, Petronium, Varrónem, &c. [8] Multos nomino: sed nonnulli adhuc supersunt. [9] Neqve me fugit, tantillô tempore arvum hoc patentissimum exarari non posse: sed junge labores tanqvàm boves sub jugo, & protelô continuatô (ut cum Varrone agricola loqvar) ad extremum usqve diei inseqvere qvousqve potis es; opinione celeriùs orationem expediveris. [10] Profectò hodierni poëtæ, qvi in animo habent poëmata pangere, & qvotidie pangunt, ad istorum & aliorum lectionem si se componerent; vel elegantiùs scriberent; vel à stylo discederent. [11] Nunc verò cùm vix poëtam unum atqve alterum legerint, neqve viam viderint scribendorum carminum, nedum visam calcârint; ecqvid ab iis, qvod sani sit saporis, vel naturali pulcritudine exsurgat, sperandum est? [12] Unde fit, ut ex centum compilatis poëmatis vix unum sit, qvod possit ad senectutem canescere. [13] Qvô major tibi danda est opera, ut supra caveam vulgi scribas; veterum unum ad omnes legas, optimum imiteris: tametsi nonnullos ex Italis & Germanis magnifacio, Scaligerum, Petrarcham, Castalionem, Johan. Secundum, Lotichium & alios.

XVII. [1] Atqve utinam hos menses sedecim juxta hoc meum consilium consumas, mi Volcarde! ipsemet juratus fatere re, nullos tibi in vita illuxisse magis honorificos & qvæstuosos. [2] Animum enim severâ lectione irrigaveris, & de rebus privatis & publicis purè juxta & prudenter loqvi cœperis. [3] Ad subseqventis anni pomeridianum venio. [4] Antemeridianum totius etiam biennii Ciceroni & Demostheni, aliisqve Oratoribus vendicâsti: sed ita vendicâsti, intellige qvorsum eam, nisi negotia te interpellent alia. [5] Nam sæpe fit, ut ad scriptionem non possis non accedere: sæpe etiam non minùs hujus seculi etiam de hodierno rerum statu lectu occurrit dignissimum, tametsi novum est. [6] Qvibus omnibus te maximè vacare percupio: ne tamen consilii nostri memoriam deponas, tibiqve in mora sis. Vide nautas, qvi, cùm recessit mare, è navi eunt qvæsitum cochleas; navis tamen aplustrum retro in oculis habent, ne vi aqvarum resorbentium circumventi de reditu periclitentur: ita tu, factô modicô intervallô, semper ad Ciceronem ejusqve asseclas reversionem facies.

XVIII.

XVIII. [1] Ceterùm, anteqvàm reliqvos tibi labores enumerem, repetam id qvod sæpe inculcandum est: ne diem ullum prætetire finas, qvò non stylum sumas, eôqve animi sensa politè effodias; idqve animô excitatô. [2] Nec enim metuet tandem tua oratio in arbitrium hominum venire. [3] Et perpetuâ exaratione stylus fit illustrior & acutior, atqve ut vomis magis splendescit. [4] Proinde vel lepidum aliqvod poëma panges; vel cum aliqvibus veterum certabis; vel epistolium conscribes, vel aliam alicujus rei narratiunculam, pro tempore & ratione tui studii. [5] Cùm autem legeris Varronem de Re rustica, velle te de re militari scriptionem ininstituere, & contra, præposterus ordo. [6] Idemqve in poëtis observatu dignissimum est. [7] Cùm odas pellegeris, cave scribas Heroicum, vel Elegiacum; sed ad Exemplum ἀντιμεταβολῆς scribas ejusdem generis. [8] Sicut etiam, çùm orationem scripturus es; cave qvicqvam legas in epistolis vel comicis, qvorum cothurnus demissior etiam sordidior est, qvæ huic scenæ convenit. [9] Oratio enim regia esse debet, & ut sit regiò vestitu & incessu, oportet. [10] Sæpe etiam te præibo scriptis à me orationibus, qvorum nonnullæ apud me sunt, si id flagitas, ut juxta eas rationem ineas rectè & feliciter imitandi.

XIX. [1] Postqvàm igitur hic annus cum altera æstate præterierit, à prandio Chronologiam * Funccii & † Peuceri ad manus sumas, cum Topographia, Cosmographia & Geometria. [2] Hujus enim, præterqvàm qvòd ad historicum studium plurimum confert; maximus tibi usus erit in pere-

* *Chronologiam Funccii*] *Sub* Johannis Funccii, inqvit B. Wolfg. Franzius in p. m. 427. Tractat. de Interpretat. Scripturæ, *nomine exstat Chronologia Studiosis Theologiæ apprimè utilis, cujus auctorem eruditi faciunt Andream Osiandrum.* B. Dn. D. Qvenstedt in p. m. 178. f. Dialogi de Patriis Illustrium doctrinâ & scriptis Viror. *Werda*, inqvit, *prope Norimbergam, vel ut alii scribunt, in suburbio Norimbergensi, A. C. 1560. natus est* Joh. Funccius, *Theologus & Concionator in aula Ducis Prussiæ Chronographorum suâ tempestate princeps. Autor laudatissimi Operis Chronologici, quod tanqvàm exactissimâ ratione putatum ab eruditis maximè probatur. Cùm alienis & politicis negotiis imprudenter sese admiscuisset, accusatus apud Poloniæ Regem, à Statibus Prutenicis capitis damnatus & decollatus est. Ante finem vitæ hos versiculos fecisse dicitur:*

Disce, meò exemplò, mandatô munere fungi,
Et fuge, ceu pestem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

Vide Bucholc. Indic. Chronolog. p. 617. confer Epitomen Histor. Eccles. Bohemi membr. 1. p. 64.

† *Peuceri*] Nactus sum Chronicon Carionis expositum & auctum à Philippo Melanchthone & Casp. Peucero, editum Wittebergæ M. D. LXXX. in fol. è Bibliotheca Dan. Heinsii, cui non solùm illud sibi consvetum: *ἐκ τῶν ἐμῶν*, cum addito *ex amici dono* inscripsit suâ manu: sed & seqventia: *Optimæ spei adolescenti JOANNI GOESIO, nepoti svavissimo, charissimo ex animo D. D. Daniel Heinsius.* De Peucero vide qvæ dixi part. IV. Animadversion. c. II. §. IV. p. 74. f.

peregrinatione. [3] Ejusmodi autem figuris graphicis parietes exornabis, ut in promtu sint; exemplô Ciceronis, qvi multò malebat Hermathenam suam id genus imaginibus refertissimam esse, qvàm levissimis picturis, qvæ solummodò oculos pascunt. [4] Ita enim situm & naturam orbis, regiones, earumqve magnitudines, tempora temporumqve continuationes; qvasi in numeratò habebis. [5] Qvibus obiter absolutis, antequàm ad particularium historicorum subsellia transeas: Mosen, Chronicon sacrum, libros Maccabæorum sedulò evolves, unà cum Justino & Sulpicio, vel Sigonio de Republica * Ebraica. [6] Verùm hôc locô vehementer te hortor, qvi pæne præterieram, ut priùs locos conscribas, in qvos illustriora dicta, facta, consilia, eventus, imperiorum origines, incrementa, decrementa, rerumpubl. periodos, & vicissitudines memoriæ causâ notes: hæc tempora cum prioribus conferas, futura cum præsentibus. [7] Deinde ad Herodotum accedas, Dictin Cretensem, Daretem, Thucydidem, Xenophontem, Siculum, Arrianum, Curtium, Polybium, Plutarchum, Vellejum, Halicarnassæum, Sallustium, Dionem, Cæsarem, Appianum. Livium, Svetonium, Tacitum, Marcellinum, & pæne ad singulos, hôc ordine.

XX. [1] Sed plerisqve recensendis præsertim nostri temporis majorumqve nostrorum, consultò supersedeo, ne præ eorum multitudine animum despondeas. [2] Etiam qvi particulares historias scripserunt, multos omitto. [3] Qvod de hisce, uti & de omnibus, methodus accuratissima nobis tradita est à Johan. † Bodino viro eruditissimo & plurimæ lectionis. [4] Cujus ordinem sollertissimè servabis, ordine historias perlegendo, qvod notatu dignum erit in suas locorum cellulas referendo, instar Promicondi; ut probè scias, unde depositum repetere possis. [5] Ex noviciis autem historicis neminem scio, qvem magis tibi commendatum, adeóqve familiarem esse velim, qvàm ** Cominæum & Gvicciardinum: qvorum hic bellorum dux; iste verò consiliarius & legatus prudentissimus: uterqve rebus gestis adfuerunt, ut exempli gratiâ, non dissimiliter Gvicciardinum Thucydidi & Xenophonti comparem; Cominæum Polybio vel Tacito. [6] Aliàs servabis ordinem temporum, qvibus qvidqvid gestum est.

XXI. [1] Sed proh fidem tuam [1] iniqvis, qvot adhuc supersunt? Probè scio,

* *Sigonio de Rep. Hebr.*] Hujus libri VII. doctis cum Adnotationibus variis & Antiqvitatibus Veteris ac Novi Testam. in Theologia maximè necessariis & ab erroribus, qvibus hactenus scatuerunt, purgati, in lucem editi sunt Helmestadii annô M. DC. LXXXVI. in 4to, Cl. à viro Dn. Johanne Nicolai; ex variis ac eruditis ingenii monumentis noto.

† *Joh. Bodino*] Hujus Methodum dabimus cum DEO propediem in qvadam nostrarum Methodorum parte.

** *Cominæum & Gvicciardinum*] Actum est de his parte nostrar. Methodor. I p. 551. 567. 570. part. II. p. 189. 308. 309. 408.

scio, & pæne supersunt ducenti. [2] Neqve lectio historiarum unius anni est: sed totius vitæ. [3] Neqve ad omnes, ita ut nullus omittatur, te voco. [4] Lampridium, Aurelium; Vopiscum, Eutropium, Zosimum, & Ecclesiasticos scriptores, aliosqve multos & veteres & novicios, hâc vice præteribis; propterea qvòd stylus eorum horridior est, qvàm cui te adsvefacere velim. [5] Et properandum tibi erit, ut ad umbilicum rem producas, & properes non minùs, qvàm Ulysses ad svavissimam suam Ithacam. [6] Ceterùm rationem conscribere animus mihi fuit, juxta qvam non hoc triennium instituas, sed qvam in omni vita æqvè servare habeas. [7] Exactô hoc etiam annô, qvoqvò etiam usqve veneris, sistes. [8] Neqve omnia, qvæ post populi Romani libertatem eversam scripta sunt, te legere volo. [9] Et, si velim, ludus egomet fierem, & tu minimè posses: sed pleraqve tamen, tametsi incredibile est, qvantum brevissimô tempore humana possit asseqvi industria. [10] Si qvid temporis intereà loci historiarum lectioni subtrahi potest, qvod fiet obambulando aut meditando, id omne in qvæstionibus ethicis & Politicis insumendum erit, ut de idea Platonis summo hominis bono: de natura: de sede virtutum moralium & intellectualium: de jure majestatis, imperio, Rerumpubl. formis, conversionibus, caussis conversionum, & similibus.

XXII. [1] Atqve ita biennium cum dimidio emensus es, qvod in æternum te tuis posteris commendabit. [2] Neqve enim metues cum qvovis certare, & de rebus gravissimis verba facere, non minùs qvàm olim cum Scævola, Crasso, Antonio, Cottâ, Sulpicius & alii. [3] Deinde animus tibi erit virtutibus exultus: mores tui politissimi absqve ulla levitate & inconstantia: deniqve sermo tuus omnium exqvisitissimus. [4] Superest nunc postremum hibernum hujus triennii. [5] Illud enim ex animi tui sententia sacrum erit Jurisprudentiæ, omnium disciplinarum hôc tempore reginæ. [6] Spero enim, te ex tot auctorum & historicorum lectione, multarum Legum & antiqvitatum cognitionem hausisse. [7] Neqve aliter fieri potuit, siqvidem Platonem Ciceronemqve de legibus legeris, ideoqve exactè legum & æqvitatis naturam & affectionem cognoveris. [8] Idcirco citra dubium spem mihi facio, fore, ut facillimò labore istâc hyeme principia Juris & æqvitatis ex ipso corpore memoriæ mandaturus sis, uti ea annis aliqvot pòst, cùm ad majorem ætatem adoleveris, ad similes casus, æqvitate propositâ, conferre possis.

XXIII. [1] Verùm ridiculus videor & vix sanus, qvi tantum legum acervum tam parvæ cistæ includam. [2] Eqvidem difficultatem & multitudinem legum fateor, & ipsemet hôc bienniô expertus sum: sed ad principia tantùm & generalia fundamenta Juris te invito, à qvæstionibus subtilioribus: aliis doctoribus, qvi in inveniendis novis opinionibus & aliarum refutandis tabernaculum vitæ suæ ponunt, hôc tempore te prohibeo, ut rationem servem suscepti tui consilii. [4] Triennium enim est, qvod hisce studiis impendis, & longius non est: & alterô trienniô in animo habes

eidem juris studio juxta & peregrinationibus exterisqve lingvis operam navare. 4 Et rectè sentis. Neqve alienum est à suscepto tuo consilio. 5 An te mihi hominem civilem esse prædices, nisi variarum urbium & rerumpubl. status ipsemet videris, mores hominum cognoveris, situs imperiorum, regionum, earumqve munitiones & propugnacula notaveris, sermonem variis lingvis excolueris? 6 Privatus homo, qvi intra parietes literis se abdit, nunqvàm in publicum prodit, solà doctrinà contentus esse potest. 7 Homo civilis, qvi ad Regum & principum consilia adspirat, expansis alis instar aqvilæ avolare debet, & nihil inexpertum relinqvere, qvod sibi in Reipubl. administratione ex re fore comperit. 8 Sed ista luculentiùs docere neqve hujus loci est, neqve temporis. 9 Tametsi pro certo existimo, similiter & veteres, & hodie omnes, qvi supra vulgus sapiunt, in studiis literarum & sapientià progressos esse: neqve dubium mihi facio, qvin exactò hôc trìennió dignissimus futurus sis, qvi paullulum relictis studiis peregrinationi vacare debeas, & possis. 10 Neqve enim ea debet esse otiosa: sed qvantum temporis cottidie exercitio lingvarum, itineris molestiæ rerumqve passim notationi subtrahere potes, sive peragres Galliam sive Italiam; ut impendas cognoscendis legibus, legendis historiis & stylo exercendo, maximoperè tibi autor sum. 11 Præterea ut legas otii causà libros qvorumdam nobilium Italorum de moribus sive civili conversatione scriptos; ut Balthasaris Castilionei de Aulico, Stephani Gvazzi de mutua † conversatione nuper Latiniùs qvàm anteà editi. 12 Et si qvi sunt alii, qvos in itinere & locorum peragratione pedisseqvos, imò comi-

† *Gvazzi de mutua conversatione*] At titulus libri non est de *mutua*, sed civili conversatione, qvem *moralis Philosophiæ medullam* non ineptè dixit Henr. Salmuth, Curiæ Electoralis Palatinatus superioris Secretarius & Feudorum Præpositus, (qvi consideratà & expensà argumenti hujus præstantià, librum istum non solùm ex Italico Latinè reddidit, sed & post primam & secundam editionem tertiò in manus sumsit, & Argentorati annò M. DC. XIV. in 8r. correctiùs in publicum prodire curavit,) in præfatione; qvam ut & aliam ejus ad Lectorem cur in optima & novissima Lipsiensi anni 1635. in 8r. cui accesserunt ejusdem Gvazzi Convivium Consilinum civilis conversationis formam repræsentans, uti & Thomæ Sagittarii duæ hac eadem de re Disputationes in Illustri Salana olim habitæ, omiserit Elias Reusnerus, nescio, cùm utraqve nos multa doceant hoc de opere præfatio. Qvo in Gvazzus, qvid qvavis in conversatione seqvendum, qvid fugiendum sit, docoit, & qvasi rem in præsentem veniens, ipsis etiam oculis subjecit; Aristippum, illum Cyrenaicæ sectæ repertorem, qvodqve malebat ipse, Socratis discipulum, in hoc imitatus, qvi à Tyranno interrogatus, qvid illi Philosophiæ studium tam impensum; tamqve diutinum profuisset? ut cum omnibus, inqvit, hominibus securè & intrepidè fabularer, ut est apud Appulej. non in libro de Deo Socratis, ut falsò adducit in priore præfatione laudata nobis citatus Salmuth aliorum videns oculis ac fidens, sed in Floridis, circa finem, p. m. 365. v. 9. s. edit. Francof. M. DC. XXI. in 8r.

comites tibi esse percupio. [13] Horum etenim & ejusdem notæ librorum lectio, si cuiqvam alii, certè homini civili σπουδαίῳ, convenit. [14] Neqve tibi dissvadeo, ut tandem aliqvando tempus aliqvod sumas Physicæ & Metaphysicæ addiscendæ. [15] Harum enim scientiarum maximus tibi usus erit in Dei immortalis cognitione: qvam qvi omnibus omnium generum studiis non prævertit, næ iste omnium mortalium qvi sub sole vivunt, perditissimus est! [16] Eqvidem ego, licet me studio Juris pæne manciparim, non tamen possum, qvin cottidie particulam harum deliciarum degustem & absorbeam: qvæ mihi sæpe jucundior est, qvàm omnia omnium Regum delicatissima forent fercula; tametsi eos, qvi ideo philosophantur, ut novas opiniones è prioribus cudant, vehementer odi. [17] Qvibus rebus instructum cùm te opt. & nobiliss. tuus parens sexenniô post plus minus reducem viderit (id qvod ego tibi tuisqve omnibus ex animo precor) Deus immortalis, qvantâ animi læticiâ adventum tuum exosculabitur! [18] Tute verò, tot exhaustis laboribus, undiqve in summis honoribus vives, rebusqve humanis cum summa felicitate finem impones.

XXIV. [1] Perscripsi ad te rationem, Carissime & Nobilissime Volcarde, studiorum tuorum, qvantum pro tempore meisqve occupationibus potui: [2] Et scripsi rudiore stylô, uti in mentem & calamum venit. [3] Neqve etiam aliud exemplum habeo. [4] Atqve hôc tantùm consiliô scripsi, ut tanqvàm in tabula viam laborum tuorum depictam haberes. [5] Neqve enim non potui, qvi id tantoperè me flagitabas, te beneficiô hôc beare, qvod etiam non rogatus tibi præstitissem. [6] Qvod si videro tibi aliisve placere, sub incudem revocabo, qvamprimùm per studia mea possum, & elimatiùs elaborabo. [7] De petitione tua qvod me rogas, ut tibi expediam: ita vivam, uti animi pendeo! [8] Neqve frustrà timui ei rei, qvæ ex amicitia nostra posteà mihi obtigit. [9] Sed ita fit; ut bonis consiliis sæpe fortuna maligna adversetur. [10] Cùm tamen à petitione & sententia tua minimè desistas, & indies etiam atqve etiam ultro me flagites, ut tibi in studiis literarum & sapientiæ, qvod consiliô nunc feci, in posterum præsentiâ & institutione meâ facere ne pigrer, vix illud æqvô vultu tibi denegare possum. [11] Sed habes parentes, sed amicos, qvorum fidei commissus es, qvive tibi optimè cupiunt: horum autoritatem ne qvæso fuge, qvin potiùs eos, qvid tibi hac in re faciendum sit; consule. [12] Qvorum autoritas si qvid à me flagitabit, & te in officio, qvanqvàm de eo non dubito, futurum promiseris, nullam caussam habeo, qvin tuæ petitioni morem gerere & velim, & possim.

XXV. [1] Meæ qvidem ejusmodi res sunt, id qvod ego fidei caussâ negare nolo, ut, qvi jam qvinqvennium pæne peregre studiis gravissimis vacavi, etiam honestè & liberaliter vixi, tandem operam meam etiam aliis præstare possim. [2] Neqve ego solus foris sum: sed nostrûm tres sunt, qvorum alter medicinæ Helmstadi; alter Theologiæ freqventem navat operam. [3] Ego autem hic ad Nicrum Philosophiæ & Jurisprudentiæ: qvippe

qvippe qvòd in animo mihi diu fuit, utramqve conjugere; neqve intra qvinqvennium à ſtudiis literarum lingvarumqve, & peregrinationibus deſtitere, & ni fallor, ſinguli hactenus non ſordidè, qvæ parentum noſtrorum pietas eſt, viximus. 4 Eqvidem ego qvàm ſolertiſſimè in poëſi aliiſqve gravioribus literis & ſcientiis ſemper me gesſerim, abundè teſtatum faciunt honores luculentiſſimi, ultro etiam mihi invito ante triennium, cùm eſſem annorum 9. & 10. teſtimonii cauſsâ à clariſſ. hominibus conſecrati. 5 Sed ab ambitione procul me eſſe volo: à ſtudio virtutum ne tranſverſum ungvem. 6 Proinde ſi idem me ſedulò flagitas, & ab noſtra informatione magnum tibi emolumentum feris, in eaqve ſententia erunt parentes tui aliiqve viri egregii, qvi tui maximam ſuſcipiunt curam; dabis operam, ut id brevi ſciam: ut ipſemet maturrimè conſultem, qvid hac in re fieri meâ etiam interſit, ne, dum tibi tuæqvè petitioni morem gerere pervelim, mea mihi ſtudia peſſum eant. Vale! XII. Calend. Decembr. Annô M. DC. V.



IX.

IX.

CHRIST. COLERI DE STUDIO POLITICO ORDINANDO * EPISTOLA

CHRISTOPHORUS COLERUS

Generoso Juveni

STANISLAO ZELENIO VITELLIO DE ZELANKA &c.

S. P. D.

[1] Volo, ut vis, mi STANISLAE; & morem geram desiderio tuo laudatissimo. [2] Cupis enim ex me cognoscere, qvâ ratione non tantùm eruditior, sed etiam prudentior fias. [3] Eruditiorem fieri te posse variorum autorum lectione non est dubium; sed est dubium etiam Prudentiorem inde evasurum. [4] Assiduitate enim & industriosâ meditatione legentis Eruditio crescit: Prudentia *usu* & *judicio* constat. [5] *USUM* aut ipsa experientia facit, aut eorum, qvæ alii experti sunt exacta cognitio; qvæ qvidem ab auditu est vel lectione. Eorum enim medita-

* Hanc Epistolam fortè primus Wittebergæ annô M. DC. IV. in 8t. evulgavit, suoqve, de studio Politico, scripto Bornitius adjecit.

ditatione similia nos aggredimur. [6] Unde bene Vegetius. *Hac ex libris discenda sunt, quæ usu antea servabantur.*

II. [1] *JUDICIUM* plurimum adjumenti habet à natura: cetera auxilia è Philosophia accersuntur. [2] Illud qvidem in te satis acre semper cognovi; non semper satis rectum. [3] Sed huic defectum ætas tua excusat. [4] Noli verò ita existimare, eos qvi acuti sunt, ideò & rectè semper sentire & judicare. [5] Ut tela nimis samiata magis reflecti qvàm penetrare solent: sic acumina istorum offensione aut flexu priùs læduntur, qvàm verum penetrant aut tangunt. [6] Aristâ nihil acutius, sed nihil æqvè fragile. [7] Rectius igitur qvomodo judicium fiet? [8] Ardua est qvæstio, & ars longè difficillima. [9] Ipse qvidem duobus illis hactenus pro qvadam norma in judicando sum usus: *Ratione* & *Imitatione.*

III. [1] Animadvertis me non loqvi de interna illa ratione, qvæ divinior pars hominis, sed de externa qvadam loqvi, qvæ interiorem illam non conservat tantùm & auget, sed etiam dirigit. [2] Nam certa à dubiis, vera à falsis, recta ab obliqvis dignoscit, discernit, dirimit. [3] Veteres ideò *Logicam* appellavêre, qvòd institueret ac dirigeret judicium rationis. [4] Rhetores eâ in controversiis ac litibus instrumenti vice usi sunt: qvorum ideò Dialecticum acumen proprium esse dixit Cicero. [5] Philosophi Dialecticam idcirco vocârunt, qvia haud fermè aliter qvàm per dialogos & sermocinationes philosopharentur; ut videmus factitâsse imprimis Academicos. [6] Hujus Logicæ studium sunt qvi sectentur variè & tractent. [7] Aristoteles † in pretio priscis fuit, & nunc etiam rectioribus & cultioribus ingeniis. [8] Certè apud Italos & Hispanos illibata ejus auctoritas etiamnùm floret. [9] In his & illis locis nuper exorti sunt Ramistæ & Philippistæ, & nescio qvid mistum deniqve: aliiqve. [10] Logici illi qvidem ideò dicendi meô judiciô, non qvia κατὰ τὸν λόγον, sed qvia κατὰ τοὺς λόγους philosophentur: qvorum ego silvam non cædo. [11] Et tamen gravissimus auctor Plutarchus de talibus ita etiam censuit τούτοις φιλοσοφίαν τὸν λόγον οὐκ ἔργον δοκεῖν, in Oratione I. de Fortuna Alexandri. [12] Sanè nobilissima ars admodùm degeneravit, & facta est apud plerosqve ludicrum qvoddam puerilium.

† De hoc dixi in parte II. Methodor. nostrar. n. III. p. 191. Adde Victorin. Strigelium in calce Commentarii in Aristotelis libros ad Nicomach. p.m. 709. ubi gravissimas adfert caussas propter qvas valde prodest in Academiis scripta Aristotelis enarrari. Sed qvis hodie istiusmodi scripta legit, qvis æstimat? At enim contemtus iste brevi nos satis castigabit. Ego per DEI gratiam scio, veteres non parvi pendendos esse, nec nova vana magnifacienda; qvamvis non mediocri à talibus qvoqve efferantur laude, ad qvos aliqvod ingenii atqve eruditionis pervenit nomen. Hi enim auctoritate suâ ceteris imponentes tantum efficiunt, ut juvenes vetera spernentes, ad nova verò discenda pigri, neqvidqvam discant, docentibus id exemplis affatim. Inter cetera mortalitatis incommoda & hæc est caligo mentium: nec tantùm necessitas errandi, sed errorum amor.

puerilium qvæstiuncularum, jam olim à Seneca & aliis graviſſimis auctoribus deriſarum. [13] Hoc illi principium & finem omnis doctrinæ omnis ſapientiæ ſtatuunt. [14] Pulchrè & facetè Ariſton ejuſmodi tricones nugatorios ſimiles eſſe ajebat cancris veſcentibus, qvi ob minutum alimentum circa non paucas cruſtas occuparentur. [15] Mihi qvidem illi probiſſimo inſtrumento, qvò ad diſcendum & judicandum uti debebant, neqviter ad cavillandum abuti videntur. [16] Ergò cum hac ſupellectile Dialectica ambulant, cœnant dormiunt, ut Lucillianus ille cum ſua bulga. [17] Ethica, Politica, Phyſica, Oratoria, Hiſtoriæ, nugæ illis præ ſua Logica videntur. [18] Atqve utinam hâc fini ſtetiſſet illud multum. [19] Præcepta qvæ lucidiſſima & breviſſima eſſe debebant, novis inſuper præceptiunculis onerant, & mirificis nebulis ac ſpinis obvelant & involvunt nobiliſſimam artem. [20] Itaqve ipſorum Dialecticam planè cum Clitomacho lunæ ſimilem eſſe dicas, ὡς πανσέληνον φθίνουσαν καὶ αὐξομένην. [21] At tu non à me, ſed ab Arceſilao Academico, & perfectiſſimo Dialectico, dictum tibi puta apud Stobæum: *ταύτην διαλεκτικὴν φεῦγε, συγκυκᾷ ἄνω κάτω.* [22] Pauca præcepta eligenda ſunt. Turba illa traducit magis, qvàm ducit. [23] Nec tu me Epicurum illum imitari cenſeas, qvi omnem Dialecticam contemnebat. Nam & ipſe hâc arte uſus, utcumqve ſic, uti nunc ſoleo, judicare didici: ſed uſus ſum non ſolà, uti jam ſuprà ſcripſi.

IV. [1] Adjunxi enim ei ſemper qvaſi comitem ad latus *Imitationem.* [2] Atqve haud ſcio an majus hìc operæ pretium fecerim qvàm illic. [3] Hanc ego appello, *ad judicii alieni veluti normam judicii mei conformationem.* [4] Judicii dico, non vulgaris aut ex opinione plurimùm laudati, ſed doctorum & ſapientium virorum cenſurâ & ſuffragiô comprobati. [5] Talium virorum opiniones, dicta, ſententias, auctoritates, vocare conſvevimus. [6] Qvas tu mihi, inqvis, auctoritates, qvas ſententias commemoras? [7] Meminiſtine, apud Ciceronem ſcriptum eſſe, non Philoſophicum eſſe teſtibus uti? [8] Memini. Sed aliæ ibi auctoritates qværuntur, aliæ rationes depromuntur. [9] Verùm ubi ipſi teſtimonio ineſt ratio, qvid ibi aliud eſt rationes anqvirere, qvàm cum ratione inſanire? [10] Talem ego demum auctoritate iſtâ eminenti dignum exiſtimo ſcilicet, in qvo cum Platone agnoſcam τεκμήρια illa, τὴν ἐμπειρίαν, τὴν φρόνησιν, τὸν λόγον. [11] Intelligiſne Philoſophum tria rectè judicandi inſtrumenta facere, *Experientiam*, *Prudentiam*, *Rationem*? Intelligis planiſſimè [12] Primum igitur rei *Experientiam* habeat oportet, cujus ego judicium ſeqvar. [13] Qvinctiliani illud, lib. XII. c. VI. extr. tibi notum: *tum demum operæ pretium fieri, cùm experientia & præcepta congruunt.* [14] An non Hippocratem tu in Medicina, Sulpitium aut Scævolam in Juriſprudentia, Ethicis & Phyſicis Platonem & Ariſtotelem, Demoſthenem & Ciceronem in Oratoria, de ſuis ſingulos artibus aut ſcientiis diſſertantes auſcultes, ceteros audias tantùm? [15] Ita faceres profectò. Horum enim auctoritas, inqvis, ipſam qvòdam genere rationem includit, cum optimis lectiſſimiſqve rationibus

eam sibi sapientiæ existimationem conciliari.t. [16] Sed *Experientiam* rei alicujus habere is demum dicitur, qvi ex diutina meditatione aut tractatione ejus perfectam habet cognitionem. [17] *Cognitio* ea constat etiam ex memoria, qvæ ubi varia ac multiplex ejusdem rei comparata est, vim ac nomen experientiæ conficit. [18] Eam ob caussam Aristoteli (*Metaphys.* I. c. III.) δοκεῖ χεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. [19] Porrò *Prudens* sit, cujus ego judicio acqviescam. [20] Prudentem isti appellabant, qvi cum vera ratione delectum haberet bonorum & malorum. [21] Ejusmodi homines cum calliditate & consilio polleant, plerumqve magis etiam admirari imitariqve solemus, qvàm qvos artium ac lingvarum varia cognitio commendat, si prudentiâ careant. [22] Proinde tu me auctore, nullum tui judicii ducem facies, qvi non insignis illâ prudentiæ notâ. [23] Deniqve λόγον *rationem* ille habeat: qvi te dirigat: & præeat priùs magisteriò, qvi auctoritate ducturus est. [24] Doctor priùs sit, qvi ductor esse vult. [25] Id qvomodo fiet? Sic credendum auctori tuo, non ut persvadenti, sed ut demonstranti aut docenti: non ut oratori apud judicem, sed ut Philosopho in auditorio. [26] Nolim tamen ita timidè assentiri te ubiqve, ut semper hæreas & dubites. [27] Eviluit illa secta, cui dubia omnia & incerta visa. [28] Nos Stoicos omnium maximè probamus, vel Cicerone teste, judicandi peritissimos: & qvi certa magis qvàm reliqvi magisqve constantia docuêre. [29] Superbè & fastidiosè, immò ineptè, nonnulli ita respuunt summorum virorum auctoritatem, ut eam propterea fugiant, qvia cum veris rectis rationibus concurrerit. [30] Perinde qvasi ratio minùs tuta ac munita sit eximiæ auctoritatis titulò ac præscriptione. [31] Pravum & corruptum & indocile hoc hominum genus, ac sterile semper. [32] Sed illi, si Dis placet, secundi ab Aristotele videri volunt. Proferuntqve illud magnâ voce: *Amicus Plato, amica Veritas. O imitatores stultum pecus!* [33] Age semper ita sentiant ac loqvantur tenebriones isti: qvid tandem veri invenient? [34] Saltem isti δοκησίσοφοι cogitarent gradus esse doctorum. Alios in primis agere: alios in secundis consistere: alios deniqve infimi suiqve subsellii esse. [35] Illud te nolo celare, semper me magnorum virorum judicio plus credere, qvàm diffidere solitum: eàqve re factum esse, ut dum adsentirem, facilè etiam admirarer, dum admirarer facillimè discerem: secundum illud Aristotelis. Ἐν τῷ θαυμάζειν τὸ μαθεῖν ἐστι. [36] Videor non obscurè etiam tibi indicâsse, qvos & qvatenus seqvare. [37] De USU supervacuum disputare, qvi ipse magister esse solet.

V. [1] Atqve ita viam tibi ad Prudentiam aperui, tute eam, qvæ naturæ tuæ bonitas est, cautiùs terere ac munire fortiùs poteris. [2] Sapis autem, meâ sententiâ, qvi tantoperè curas prudentiam, cùm Politicæ studio operatus sis: qvod cùm præstantissimum esse Plutarchus tibi persvaserit, illud etiam facile sentis, eam ipsam Prudentiam Politico pro anima datam. [3] Magnificum erat profectò POLITICI nomen, nec apud

veteres

veteres ita, uti hodiè, in propatulo, & ut ille ait, proculcatum. [4] Nostros enim homines videas, qvi mihi ad insaniam usqve cum Græculis aut Atticis ineptire videntur. [5] Notat eôs manifestè Cicero qvodam locô ad Pomponium suum, qvòd temerè de qvovis πολιτικῶ nomen usurpaverint. [6] At longè aliter togati illi. Politicum reor illum † dicebant, qvi reip. administrandæ vias omnes teneret, ejusdemqve naturam ut qvi maximè perspectam haberet, sive is in republica, sive extra, sive circa rempublicam ageret. [7] Ipsam Πολιτικὴν Aristoteles non veretur ἀρχιτεκτονικὴν reliqvarum ἐπιστημῶν καὶ δυνάμεων facere. [8] Qvi rempublicam ipsi gerebant Πρακτικοὶ vulgò dicebantur. De qvibus idem philosophus (*Ethicorum Magnorum* lib. I. c. I.) Δεῖ ἄρα ὡς τὸ τῆς μέλλει ἐν τοῖς Πολιτικοῖς πρακτικὸς εἶναι, τὸ ἦθος εἶναι σπουδαῖον. [9] Tales erant ex Senatoribus, qviqve magistratus gerebant, publicisqve & amplissimis muneribus fungebantur. [10] Extra rempubl. erant viri Sapientes; qvales *Academici* illi, Plato, Criton, Democrates, Simmias: *Peripatetici*, Aristoteles, Theophrastus, Heraclides Ponticus; & multò ille eruditissimus Demetrius Phalereus. [11] Hi omnes ob maximarum rerum eximiam scientiam Politici Philosophi palam audiebant. Ut testatur Cicero in Oratore & de Legibus, Dionysius qvoqve Halicarnasseus disertè, lib. IX. 12. [12] Ex eorum doctissimis monumentis tractandæ reipublicæ artem, omniumqve rerum publicarum genera, addiscebant cognoscebantqve ceteri. [13] Qvare ejusmodi Philosophi Πολιτικοὶ summis Regibus aut Principibus curæ cariqve fuêre: Plato Dionysio, Aristoteles Alexandro, Cyro Xenophon, Dario Heraclitus, Plutarchus Trajano, nostrô seculô Lud. Vives Carolo V. [14] Non te fugit, antiqvissimis etiam temporibus Philosophos solos fuisse Legumlatores; ut Solonem, Draconem, Lycurgum, alios. [15] Imperitia itaqve aut calumnia potiùs eorum est, qvi tales viros Politicos negant. [16] Audent id hodiè non pauci negare, qvi se saperdas putant, cùm sint copreæ.

VI. [1] Circa remp. Politici versabantur, qvi erant familiares iis, qvos primô locô posui. [2] Ipsi etiam vel reipubl. aliqvando participes fuerant, vel rerum varios casus caussasqve & eventus callebant: Viri prudentes, docti, acuti. [3] Non dubito talem fuisse illum. Ipsum Pomponium Atticum, & Cœlium, ad qvem ita Cicero, lib. II. Famil. Ep. VIII. scribit: *Πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognovi: ne illa quidem curo mihi scribas, quæ maximis in rebus reipubl. geruntur quotidie.* [4] Et paullò pòst: *Quare ego nec præterita, nec præsentia abs te*, sed ut ab homine longè in posterum prospiciente, futura exspecto.* [5] Ad eumdem ita qvamdam Epistolam * concludit:

† *Politicum illum dicebant*] Hoc argumentum nemo elegantius & eruditiùs tractavit Virô Cl. Joan. Caseliô, c. II. III. IV. V. f. Προπολιτικῶ. Cui addeO. berti Gifanii Commentar. in c. I. lib. IV. Politic. Aristotel. p. m. 415. f.

* Vellem locum addidisset. Ego sanè illum nondum reperi.

dit: Καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος, τὸν Πολιτικὸν πῆτον ἀσπάζεται. [6] Inter hoc Politicorum genus plerosqve Jurisconsultorum veterum refero. [7] Qvidni & Historicos? Cæsar, qvi omnia non vulgariter sapiebat, Sallustium & alios hujus appellationis, in gravissimis rebus diligenter auscultavit. [8] Auctoritate pollebat Asinius ille Pollio apud Augustum. [9] Sed Historicos maximè adsciscebat circumducebatqve Alexander Severus, Princeps nobilissimus: reqvirens, qvid in talibus caussis, qvales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent, ut narrat Lampridius, c. XVI. Ita qvidem Severus ille. [10] Posteriores qvidam principes omnia de consilio Jureconsultorum ordinabant. Ad exemplum, nisi fallor, Hadriani; qvi Julium Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosqve, qvos tamen Senatus probâsset, in consilium semper adhibuit, teste Spartianô, c. XVIII. [11] Erant enim illius seculi non tantùm Juris civilis, sicuti nunc plerumqve, periti, sed eloqventiâ & rei militaris peritiâ insignes, adeoqve Politici egregii, qvi Jurisconsulti audiebant. [12] Hi cum Principibus assiduò adessent, Comites † dicti sunt; *argumento l. Diem functo, D. de off. adjess.* Hæc Comitum nostrorum initia haud dubiè fuêre. [13] Ad Ciceronis ævum redeo, qvi in Bruto, c. LXXVI. L. Torqvatum πολιτικὸν fuisse ait, & deinde sic addit; *Erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed interiores qvædam & reconditæ: divina memoria, summa verborum & gravitas & elegantia: atqve hæc omnia vitæ decorabant gravitas & integritas.* [14] Liqvétne tibi Politici nomine in maximis rebuspubl. neminem æstimatum fuisse, nisi qvi aut singulari nobilitate, aut sapientiâ, aut doctrinâ, aut integritate esset? [15] Nec video qvomodo illi Politici, nomen suum tueantur hodiè, qvi nec Juris civilis, nec Historiæ nimis gnari, per ora hominum incedunt, & scribunt etiam. [16] Illorum qvidem fucus te non latet, qvos hoc ævum proventu uberrimô gignit: qvi dum Politicos dici se postulant, nihil pensi habent, modò fraudulenti, falsi, improbi sint. [17] Sed iidem dum omnia simulare ac dissimulare facilè se posse jactitant, animi tamen sui neqvitiam non possunt. [18] Nihil nunc moror ista monstra, qvi se πολιτικῶς potare, grassari, palam profitentur. [19] Atqvi Ciceroni aliter visum, qvi ad Atticum, lib. IV. Ep. VIII. scribens: *Ut me geram*, inqvit, πολιτικῶς. [20] Aptè opinor, graviterqve vult se gerere Politicus ille togatus. [21] Crito Socraticus, lib. cuidam suo titulum fecerat: τὸ τὸ ἐπιεικές, ἢ πολιτικός. quô argumentô, nisi qvod τὸ ἐπιεικὲς proprium Politico?

VII. [1] Memini me jam in principio hujus Epistolæ scripsisse, *Experientiam ab auditu & lectione esse.* Nonne debui etiam *oculis* aliqvid tribuere? [2] Debui certè, vel Ulyssis argumentô, qvi non mente tantùm sed oculis qvoqve adjuvâsse prudentiam suam dicitur. [3] Sed doctum te docere nolo.

† *Comites*] vide Stephani Johannis Stephanii notas in Saxon. Grammat. Præfation. p. 4. a. b.

lo. Vidisti Italiam, Germaniam: & vidisti non ut advena, sed ut civis. [4] Muros, fossas, alia civitatum opera, oculis & animô contemplatus es. [5] Scilicet externus ille oculorum pastus non tantùm svavissimus, sed etiam fructuosus est. [6] Nôsti qvare antiqvitas Herculem μεγάλων ἐπίστορ᾽ ἔργων appellavit? [7] De qva re qvid opus est me qvoqve scribere?

——— ἐπίστατ᾽ δὲ πολλὰς νόμος ἴσθι καὶ ἴσθι,

eorum qvi de peregrinationibus præcepta confecêre aut collegêre. [8] Et qvæ auditu profeceris, ipse tibi optimus testis eris. [9] Publicos & clarissimos Italiæ, Galliæ, Germaniæ, doctores auscultâsti. [10] *Riccobono* Patavii etiam privatam dedisti operam. [11] Neapolitanum *Portam*, Naturalis Philosophiæ nobilissimum auctorem, freqventer accessisti. [12] In eodem celeberrimo loco, Neapoli inqvam, magnum illum popularem tuum *Stanislaum Rescium*, Serenissimi Regis vestri Legatum, hominem, ut ex ipsius scriptis mihi satis constat, exactô judiciô & πολιτικώτατον, in oculis habuisti. [13] Ille verò ex uberrimo qvodam prudentiæ fonte, qvô eruditum illud pectus irrigabatur, agendæ excolendæqve vitæ præcepta suis Polonis propinare consveverat. [14] Narravit id mihi totius itineris tui comes, aut dux potiùs, Johannes Blotnitius, vir nobilis. [15] Certissima illa & rectissima prudentiæ meta (tu mihi confidenter credito) ad qvam doctorum & sapientium virorum conversatio & familiaritas aurigatur. [16] Dic mihi sodes, an pœnitet te familiaritatis & amicitiæ illius, qvam vel hôc annô fecisti & habuisti cum eruditis illis capitibus Germaniæ & Galliæ? *Gentilem* & *Scherbium* mensæ socios habuisti. Ille Jurisconsultus & Poëta ingeniosissimus est: hic Philosophus gravissimus & acutissimus. [17] *Conradus Ritterhusius* nescio an tibi familiaris fuerit. Fuisse vellem. Probus vir est, & præter Jureconsultum, variâ eruditione & lingvæ Græcæ facundiâ virum præstat. [18] Qvid autem Palatini illi videntur? Nonne Musarum qvoddam Palatium egredi videbare, cum isthinc discederes? [19] *Freheri* & *Gothofredi* consvetudinem recordaris qvotidiè, & meministi qvàm grata jucunda & utilis fuerit. [20] Fieri enim non potest, ut ab his indoctior abiveris. [21] *Melissum* tu ut vatum principem admirabâre: ille te non amore tantùm, sed etiam carmine abeuntem proseqvebatur. [22] Sapiebas autem egregiè, cùm *Gruterum* non cum multis sapere, diceres. [23] Multum deberes fortasse & oculis & auribus, si *Hippolytus à Collibus* legatione tum in patria tua non abfuisset. [24] Prudentiam & acumen *Jacobi Bongarsii*, Galliarum Regis Legati, satis animadvertisti Francofurti: humanitatem etiam expertus es. Ego tibi Pragæ factum eum talem prædicaveram. [25] Idem de clarissimo *Gifanio* dices. [26] Sæpè facito, nobilissime ZELENI, & tales viros, qvos aut doctrina, aut prudentia, aut variarum rerum experientia, insignivit, qvamvis audacter, tibi copula. [27] Nemo tibi ob id ambitionis crimen impegerit,

Καὶ

Καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
Ἵζε καὶ ἅνδανε

[28] Qvemadmodùm à sole variâ colorum specie pingi non cernitur iris, sed picta: sic animi nostri talium conversatione variis sapientiæ notis adspersos deprehendimus postçà, cùm id qvâ ratione fieret, minùs anteà animadverterimus. [29] Deniqve Senecæ illud, Ep. VI. crede: *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audisset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret.* [30] Idem ibid. verè & sapienter scribit, Metrodorum & Hermachum & Polyænum, magnos viros non scholam Epicuri, sed contubernium fecisse.

VIII. [1] Sed tu potiùs de LECTIONE AUCTORUM nunc vis audire? Rectè & necessariò. [2] Nihil enim utilius nihil certius lectione. [3] Eâ alitur ingenium, crescit intellectus, augetur scientia. [4] Sed scrupulus iste mihi est profectò. [5] Nam qvem tu hic me censes esse? illum qvi censuras gerat sine suffragio? [6] Faciam tamen qvod cupis: non qvia me decet, sed qvia ita fieri vis. [7] Videndum est tibi, cùm ad Prudentiam viam adfectes, Qvos, & qvô fine qvemqve legas. [8] Leges tu qvidem *Theologos, Poëtas, Jurisconsultos, Philosophos, Historicos, Oratores & Miscellios* nonnullos. [9] Omnium studiorum auspicia à *Libris sacris* duci debent, fieriqve, ut veteres Poëtæ canebant, ἐκ Διὸς ἀρχή. [10] His adjungo *Poëtas*, qvi antiqvissimi sunt. Politicis ideò sanè legendi, qvia de Monarchia nemo illis diviniùs tractavit; ne Philosophi qvidem. [11] *Philosophi* rerum publicarum formas ac varietates descripsêre. [12] *Historici* Philosophis de republ. commentantibus argumenta & exempla suppeditavêre. [13] Nos etiam exemplis mirificè instruere, rerumqve vicissitudines edocere solent. [14] Hos igitur legendos tibi censeo, sed cum delectu librorum & ordine.

IX. [1] THEOLOGICI LIBRI sunt *Biblia*, in qvibus Vetus & Novum Testamentum. [2] Sunt deinde scripta sanctorum Patrum, qvæ commentariorum vice esse possint. [3] Nemo Christianus vel doctus videri velit, qvi Biblia non legerit. Qvô minus poterit Politicus Christianus? [4] *Patrum* eruditissimi libri, mihi non tantùm in Bibliis legendis plurimum profuêre, sed in omni reliqvo doctrinæ genere miram ubiqve lucem affudêre. [5] Ita eruditi, eloqventes, gravesqve erant. [6] Erant autem ferè *Justinus Martyr, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Arnobius, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius.* [7] Tuo studio opportunos crediderim Hieronymum in Prophetas, Augustinum de Civitate Dei, qvi Varronis † & Ciceronis libros Politicos excerpsit.

X. [1] POE-

† *Varronis & Ciceronis libros Politicos excerpsit*] *Augustinus*, inqvit Ludov. Vives in Dedicatione notis suis in Augustin. de Civ. DEI præfixa, *hos in opus* (de

X. [1] POETÆ tibi legendi duo ſunt, Homerus & Virgilius, uterqve princeps & rex ceterorum:

Qvi qvid ſit pulchrum, qvid turpe, qvid utile, qvid non,
Plenius ac melius Chryſippô & Crantore dicunt. Horat. I. Epiſt. II. 3.

[2] De *Homero* Strabo teſtatur: ὅτι οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὴν ποίησιν ἀρετῇ πάντας ὑπερβέβληται τοὺς πάλαι καὶ τοὺς ὕστερον, ἀλλὰ σχεδόν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τὸν πολιτικῶν. [3] Hanc ejus doctrinam Politicam nonnemo Philoſophorum veterum commentariis illuſtrare ſategit, ut Demetrius Phalereus, Antiſthenes, Plutarchus. [4] Regum ac Principum laudabilium ſemper ſpeculum fuit Homerus: non eqvidem in qvo ipſi ſibi placerent, ſed in qvo ad Achillis aut Ulyſſis exemplum ſe componerent. [5] Alexander Magnus hunc Poëtam τὸ στρατείας ἐφόδιον habuit. [6] Crediderim non minùs turpe fore homini Politico Homerum non legiſſe, qvàm fuit illi prædagogo non habuiſſe, cui propterea colaphum impegit Alcibiades. [7] Ad Virgilii lectionem qvemvis invitare poſſint verſus illi ſeſamô ac papavere dulciores. [8] Ejus poëmatis qvanta ſit divinitas, nemo rectiùs monſtraverit Juliô Scaligerô. [9] Qvô virô nec major Philoſophus ab Ariſtotelis, nec major Poëta à Virgilii, nec major Medicus ab Hippocratis, ævo vixiſſe videtur. [10] Atqve ille hoc etiam adſerit; Ad Ethicam & Politicam qvod ſpectat, meliores nos doctioreſqve ex unius Virgilii lectione, qvàm ex omnium Philoſophorum præceptis abituros. Tutè hoc ſeriò conſiderabis. [11] Eqvidem in Georgicis illud animadverti, ſollertiſſimum Poëtam, dum de apibus loqvitur, alteram qvamdam Platonis Rempubl. nobis reddidiſſe. [12] Non nego, me ex Eclogis qvoqve ipſius nonnunqvàm petere, qvod gravioribus cogitationibus ac Studiis impendam. [13] Pollio ipſius nonne tota eſt * vaticinium de Adventu Chriſti? Sciſqve ipſe cujuſmodi nuper peri-

(de Civit. DEI ſcilicet) *optimam eorum partem, qva apud veteres legerat auctores, tamqvàm in theſauros conjecit; nempe cum hominibus acutiſſimis, ſummâ praditu & eloquentiâ & doctrinâ diſputaturus. Qvò factum eſt, ut aliud agens magnu optimarum rerum ſervàrit reliqvias, domiciliis earum & qvaſi ſedibus, unde priùs peti ſolebant, everſis: Itaque pro Varrone, pro Salluſtio, pro Livio, pro Cicerone, in libris de Republ. magni poſterioris atatis viri hiſce Auguſtini ſcriptis ſunt adjuti: ut Hermolaus, Politianus, Blondus, Beroaldus; qva tu omnia non ita leges, ut nova tibi & inaudita, ſed ut vetera recogneſces.* Dolet eruditis doctiſſimo à Barthio lib. LX. Adverſar. col. 2814. ſ. inceptum & à pluribus hucuſqve expetitum Commentarium in Divinam B. Auguſtini Civitatem, ſuperventu Leonhardi Coqvæi deſitum atqve ab eodem deſertum eſſe. *Sunt hi Commentàrii* (Auguſtini) inqvit Barth. col. 2819. Adverſar. *omnium ſcriptorum qva contra Ethnicos pro Chriſti Gloria prodita ſunt citra controverſiam eruditiſſimi & luculentiſſimi, ad qvos enarrandes, qva temporu hujus in vera eruditione ariditas eſt, vix unius hominis ingenium aſpirare auſum fuit, cùm innumera alioqvin cartarum millia per omnes angulos & latebras lectores qvarant.*

* *Tota eſt vaticinium*] Profectò μέγα eſt hoc λίαν αἴτημα. Celeberrimus noſtræ tempeſtatis Criticus B. Henr. Boeclerus,

periculum in ea fecerim, post magnum illum Eusebium. [14] Qvidni etiam *Comicos Poetas* leges, in qvibus civitatum mores jucundissimâ qvâdam imagine repræsentantur, & in his *Terentium*? [15] *Tragici* procerum motus detonant, & gravissimâ doctrinâ pleni sunt: *Sophocles*, *Euripides*, *Seneca*. [16] Nec te non plurima doceat mollior *Horatius*, & severior *Juvenalis*, Satyrici. [17] His addo sapientissimos fabulatores, *Æsopum & Phædrum*, qvi si non Poëtæ, Poëtas tamen referunt.

XI. [1] JUS CIVILE non tantùm cognoscendum est homini Politico, sed etiam illius studio cognatione qvâdam adnexum. [2] Intelligo *Jus Civile Romanum*: qvod in Imperio omnium maximo, amplissimo, & justissimo, ortum, auctum, atqve constitutum. [3] Comprehenditur immersô illô Corpore, qvod Justinianeum apellamus. [4] Sed instituto tuo sufficit elegantissimus Institutionum † libellus, ejusdem Imperatoris jussu compositus ac divulgatus. [5] Qvod si tu mavis *Hotomanni* Partitiones, non repugno. [6] Juris Feudistici doctissima Compendia *Gulielmus Fornerius*, & *Antonius Contius* scripsere. [7] Edidit nuper ea Freherus noster. Svadeo legas locô aliorum. [8] Sed & *Cujacii* Notæ illæ breves admodùm & eruditæ sunt, ut omnia illius viri. [9] *Patrium* jus ante omnia fac in promptu tibi sit. [10] Decet hoc hominem nobilem, ut vetus ille prudens monuit.

XII. [1] PHILOSOPHORUM veterum Politica nulla supersunt, præter Platonis & Aristotelis, & fragmenta illa nonnullorum * apud Stobæum. [2] Qvi-

clerus, vir de re litteraria præclarè meritus maximam eruditæ suæ Dissertationis in IV. Virgilii Bucolicon partem refutationi impendit explicationis Eusebii, qvâ tota Ecloga Christo adcommodatur, & secundùm litteram nonnisi de Christo intelligi posse docetur; omninò negans, qvòd vel Christus, vel nova aliqva διαδοχὴ populi Christiani in ea ô Maronis intentione describatur; ex opposito omnes & singulos versus partim ad Saloninum, Pollionis ἀρτιγέννητον filium, partim ad Augustum Cæsarem, partim ad felicem statum ἐγχρονικὸν sub Augusto è Poetæ referens intentione. Qva in refutatione nos nôn dissentientes habet, posthabitô Eusebiô, Virgilio Mysterium Incarnationis cognitum fuisse pi[.] magis, qvàm verè hoc è Poëmate colligentes; qvamqvàm in probatione & conseqventia, fortè non præter rem, desideret nonnihil B. Tobias Wagnerus noster in p. 44. f. Inqvisitionis in Oracula Sibyllarum de Christo, editæ Tubingæ M. DC. LXIV. in 4to.

† *Institutionum*] Utor illis cum Cujacii notis I. & II. ex edit. Paris. M. DC. XLV. in 12. qvam curavit Carol. Annibal Fabrotus Antecessor Aqvensis, qvi & nobis dedit Parisiis M. DC. XXXVIII. in 4to Theophili Antecessoris Institutionum libros IV. unà cum Jacobi Curtii Latina interpretatione, qvam emendavit, & notas adjecit. Adde Pomereschium, Peresium, Vinnium, nec facile qvid desiderabis ad explicationem.

* *Fragmenta illa nonnullorum apud Stobæum*] Pythagoræorum Fragmenta politica ad Philosophiæ Aristoteleæ de Republ. inlustrationem plurimùm conferentia, è Jo. Stobæi Thesauro excerpta & à Jo. Spondano conversa, multisqve locis emendata prodiêrunt in fol. Basileæ, adjecta Aristotelis Politicor. libris VIII.

2 Qvibus tamen qvidni addes tu *Κύρυ παιδείαν* † *Xenophontis?* cùm totum illud scriptum magis Philosophicum qvàm Historicum, & primus ille Philosophorum Historiam scripserit, ut ait Laërtius. 3 Scripserunt sanè Politicos libros plurimi Philosophorum, Academicorum præsertim, *Speusippus*, *Xenocrates*, alii; ut de *Theophrasto*, *Demetrio*, ceterisqve Peripateticis taceam. 4 Sed tibi Platonis & Aristotelis Ethica non minùs curæ sint, qvàm Politica, cùm hæc ab illis pendeant 5 Ad ea multa *Ciceronis* etiam spectant, sed egregiè præter ceteros libros, de Officiis, qvem tu auro contrà æstima. 6 Qvæso te *Senecæ* Epistolas ad Lucillium sæpè legito. 7 Bonus ille vir est, ajebant Pythagoræi, qvi bene utramqve fortunam ferre potest, addo ego bonus Politicus. 8 Tu talis fias ex lectione illarum Epistolarum. 9 Ad *Platonem* & Aristotelem redeo. 10 Ille sua Politica in decem libros tributa περὶ δικαίυ inscripsit, sive de Justo: qvia sine fundamento justitiæ nec exstrui nec gubernari legitimè ulla respubl. potest. 11 Ejusdem sunt Πολιτικὸς, sive de Regno, Νόμων, sive de Legum latione. 12 Epistolis ad Dionis amicos nihil profectò ἠθικώτερον nihil πολιτικώτερον. 13 *Aristoteles* Moralia utraqve legenda sunt, sine magna illa Commentariorum aut disputationum mole: qvæ te magis intricent, qvàm expediant. 14 Sine ipsius Politicis malè processeris in hoc studio. 15 Posse tamen breviùs tibi consuli, haud nego. 16 Multa etiam πολι-

VIII. cum Petri Victorii & Dionys. Lambini Versionib. Victoriiqve Commentario, ac Zvingeri Medici & Philosophi Tabulis & scholiis.

† *Κύρυ παιδείαν Xenophontis*] Dictum de hac Tomò I. Methodor. n. XIII. c. XVI. 6. p. 546. ubi Naudæus è Cicerone scribit ad Q. Fratr. I. Ep. I. c. VIII. eam non ad Historiæ fidem scriptam esse, sed ad effigiem justi imperii. Qvod & censet Ausonius in ad Gratianum Panegyrico, p. m. 728. *Vellem si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in avum nostrum venires, tuqvi ad Cyri virtutes exseqvendas vetum potiùs qvàm Historiam commodâsti; qvùm diceres non qvalis esset, sed qvalis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, qvòd in Cyro tuo non videras, sed optabas.* Idem ajunt & Ludov. Vives in V. de Tradendis disciplinis, Joseph Scaliger in Prolegomenis libri de Emendatione Tempor. Sethus Calvisius in Isagoge Chronolog. c. XXVI. Paullus Manutius in IX. Famil. Cicer. Ep. XXV. p. m. 43. a. edit. Amstelod. CIↃ IↃC LXXVI. in 8o. Ger. Jo. Vossius, I. de Historic. Græc. c. V. p. 20. s. In eadem sententia videtur fuisse qvoqve Hermogenes, lib. II. de Formis Orat. ubi de Xenophonte: *Τὸ μὲν τοι περὶ τ̃ Ἀβραδάτην καὶ τὴν πανθίαν πᾶν ἠθός τι καὶ πάθος πολλὰς ἔχει τὰς ἡδονὰς μυθικῶς πλασθέν. Illa autem qvæ narrat de Abradata & Panthia moribus & adfectibus, multam habent svavitatem & delectationem fabulosè confictam. Ad fidem* verò *Historiæ*, inqvit Ægid. Menagius, p. m. 151. a. b. Observation. in III. Diogenis Laërt. c. XXXIV. edit. opt. Amstelædam. CIↃ IↃC VIIIC. in 4to, *scriptam esse contendis, qvi nuper Gallicè sermone eam elegantissimè juxta ac fidelissimè est interpretatus, Franciscus Carpentarius; cujus ea de re erudita Dissertatio brevi prodibit.*

πολιτευόμενα ex ejus Rhetoricis excerpas. [17] *Ciceronis* de Rep. libri ab Auguſtino & aliis laudati fuêre, & certè fuêre. [18] Nec *Varronis* ſummô ſtudiô frui nobis licet, qvi rerum Humanarum & Divinarum libros XLI. conſcripſerat. [19] Illorum exemplô auſi etiam noſtri homines caput adtollere, & de Republica commentari: *Andreas Patricius*, *Johannes Bodinus*, *Gregorius Tholoſanus*, *Juſtus Lipſius*, & antè illos *Nicolaus Machiavellus*. [20] *Patricius* ita qvidem, ut facilè obtrectatoribus eareat. [21] Magis ardua & erudita tractatio *Bodini*. [22] Non caret carptoribus. Mihi qvoqve nimis ſe diffundere videtur. [23] Sed facilè eſt in operoſo libro, qvod reprehendas, invenire. [24] Tu tales eò cautiùs lege, qvô magis ab aliis notari intelliges. [25] De *Machiavelli* * Principe in medio eſt cenſura Lipſii. Lipſii inqvam, cujus cave tu judicium temerè ſpernas. Mirificè rectâ lineâ peragitur. [27] Et tu nunc etiam *Ejus* Politica legis, uti ſpero, magno tuo bono. [28] Ad iſtas Notas qvas in fine addidit identidem mihi reſpice. [29] Scin qvid antè te monuerim de talibus viris? Tu vide: & ſi qvi avocant aut obſtringillant, ride, aut refuta. [30] *Tholoſanus* varius eſt & eruditus; ſed doctrinæ is tuæ magis contulerit, qvàm prudentiæ.

XIII. [1] In HISTORIA legenda ordinem diligenter obſervabis. [2] Ad ſeriem ævi cujuſqve te voco. Rectiſſima illa via. [3] Res Judaicæ, Ægyptiacæ, Perſicæ, Medicæ, Græcorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romanorum ſuos auctores habeant. [4] Iſtô modô & recentiores conſtitues, qvi Gotthorum, Longobardorum, Francorum, Hiſpanorum, Germanorum, Turcarum, Polonorum, Ungarorum, Britannorum, aliorumqve populorum res ſcripſêre. [5] Hi omnes ſi legi non poſſunt, comparandi tamen ſunt, ut ſi qva inqvirenda, in promptu ſint. [6] Sed vetus Hiſtoria te præcipuè ducat, inſtruat, dirigat: nova oblectet aut erudiat. [7] Pleriqve illi priſci prudentes ſunt, acuti, eloqventes. Noſtri pleriqve qvantum ab illis tribus abſint, non ignoro. [8] Cenſe tu iſtos veteres ὑπομνήματα, hos novitios μνήματα ſcriſipſſe. [9] At nullus veterum eſt, qvem non inſigni cum fructu cognoſces. [10] Duplex eorum genus eſt. [11] *Alii* geſta in Republ. *alii* extra Remp ſcripſêre. [12] Illorum materia bella ſunt: hi etiam mores civitatum & aulæ tangunt. [13] Potiſſimus illorum eſt † *Thucydides*

* *Machiavelli Principe*] Dictum hoc de Machiavello pluribus part. II. Methodor. noſtrar. p. 194. 198. 337. 369. 395. Hic obſervo, in Thomæ Bozii Eugubini Presbyteri Congregationis Oratorii libris duobus de Imperio Virtutis, ſive, Imperia pendere à veris virtutibus, non à ſimulatis, Colon. M. D. XCIV. in 8r. libro unô de Robore Bellico ibid. eôdem annô & in eadem forma evulgato: & ejuſdem qvatuor de Italiæ ſtatu antiqvo & novo, libris, omnibus adverſus Machiavellum ſcriptis, ibid. M. D. XCV. in 8r. multa lectu non indigna occurrere. Adhibendum tamen in iis & judicium.

† *Thucydides*] Actum de hoc part. I. Methodor. noſtrar. p. 146. 220. 239. 567. ſ. part. II. p. 362. Hic placet audire Joan. Caſelium. *Rectum eſt*, inqvit c. XXVI. Προπολιτικῶ, p. m. 125. *ut tot pra*

cydides, & præter Herodotum etiam primus. [14] Thucydides Hiſtoriam conſummavit, cùm Herodotus prior exornâſſet. [15] Volve, volve, & in ſinu geſta magnum illum theſaurum. [16] Bellum Peloponeſiacum deſcripſit, vidit, & partim etiam adtigit, ut tu illud apud eum non legere, ſed ſpectare videâre. [17] Præterea apud eumdem tantum verborum graviſſimorum, qvantum ſententiarum reperias. [18] Res explicat prudenter, ſeverè, graviter. Unde planum fit, qvantum homini Politico conferre poſſit. [19] Qvi de bello & pace deliberant, hunc arctiſſimô ſibi nexu devinciant conſiliarium, & omne punctum ferat Thucydides. [20] Hôc, ut dixi, prior vixit * *Herodotus*: in qvo plus demulceat te ſvaviloqventia, rerumqve varietas capiat, qvàm tractatio doceat. Vitioſitas enim Hiſtoriæ

præ aliis cognoſcamus, è quibus plus utilitatis accepturi videamur: ac ne quis dubitet, qui in primis habendi ſint, ita bellum Peloponeſiacum condidit Thucydides, ut potiùs politicum informare videatur, nec falsò quis dixerit, minus in iis libris hiſtoriæ eſſe, quàm doctrinæ; doctrina verò, quantum ad civilem prudentiam, certè quod conducat plurimum. Qui Thucydidem legit, habet, cur pergat: habet, cur ſubſiſtat. Quis enim in uno fortè alterove orationis ambitu non moram faciat, ut in tabula angulo quàm ingeniò & penicillò Apelles abſolverit? quis item ejuſmodi tabulam non perluſtret omnem? Polybius autem, ut ſi medicus te in menſa doceat, quid è quoque cibo boni ſucci accipias, ita ſedulò quid ex quaque hiſtoria parte tibi fructuum decerpas docet, & interdum oſtendit, quæ ingenioſiſſimo lectori in mentem vix veniant: non dicam de iis, quæ de rep. diſputat, ſingulari curâ deprompta è ſcrinius ſapientiæ. Ejus igitur potiſſimæ partis hiſtoriæ amiſſione, magnam jacturam fecit hiſtoria, nec minorem ipſa politice. Hæc Caſelius, prolixiùs ejus in laudes effundens ſe in Programmate qvodam de novo à nobis edito in parte I. Animadverſion noſtrar. c. V. §. III. p. 77. ſ. Confer D. Davidis Chytræi Chronologiam Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis.

* *Herodotus*] Dictum & de hoc part. I. Methodor. p. 220. 239. Adde & Chytræum in Chronologia Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis, p. m. 19. 33. 125. ſ. edit. Roſtoch. M. D. LXXVIII. in 8r. Non debent verò Herodoti Muſæ ſive libri τῷ κατὰ μέρος ἱστορίας τρόπῳ, *particularis hiſtoriæ menſurâ* taxari, qvippe qvæ non *Barbarorum* minùs, ut vocabant, quàm *Græcorum* res memoratu dignas per *ducentos viginti annos* (Chytræus in p. 32. habet continuam ſeriem annorum CCXXX. à Gyge Lydorum rege, qvi unà cum Manaſſe rege Juda imperare cœpit, uſqve ad Xerxis & Perſarum ex Græcia fugam, qvæ in Annum Mundi 3485. incidit) complectuntur, Europæqve & Aſiæ pleraqve (nam Africæ non æqvè magna illis temporibus in publicis magniſqve ac celebribus negotiis ſors erat & connexio) varietate ſcripturæ contextuqve mirificô denarrant. Vide ipſum illum Herodotum, lib. I. c. I. Dionyſ. Halicarnaſſ. Epiſt. ad Cn. Pompej. Chriſtodor. Poët. lib. V. Anthol. Gr. Epigr. At Polybius aliqvid ſingularis & ad ἐπίγνωσιν πολιτικὴν ſeu obſervationem & animadverſionem rerum civilium referendæ laudis ſibi deberi putat. Qvô nomine credit B. Boeclerus in p. m. 120. Diſſertationis de Utilitate ex Hiſtoria Univerſali capienda. Caſaubonum liberaliùs & infrà dignitatem Herodoti pronuntiaſſe in *Dedicatione Polybii*: *Magnus ſanè ſcriptor Herodotus &* *ſive*

riæ olim notata fuit. [21] Primus Philoſophorum more, Monarchiæ, Oligarchiæ, Democratiæ *σύγκρασιν* qvamdam *πεποίηται*, ut loqvitur Plutarchus. [22] *Xenophontem* † magis amplectere. [23] Primus hic Philoſophorum in amœnum illum Hiſtoriæ campum proceſſit. [24] Facundiæ facilitas non tantùm par illi cum Herodoto, ſed major: inde Attica Muſa vel Apis dictus. [25] Thucydidis monumenta hujus viri beneficiô conſervata ajunt. [26] Unde de ipſius prudentia non invitus conjecturam facio. [27] Ea certè in ejus ſcriptis ante ceteras virtutes palmam obtinet. [28] Elucet ex Cyri Inſtitutione

ſine controverſia Hiſtoriæ pater: ſed qvi ad πολυμάθειαν & rerum antiqviſſimarum cognitionem plurimum; ad eam verò qvam quærimus prudentiam non multum ſit collaturus. Nimirum & Caſaubonus hic eximium illud diſciplinæ civilis genus animo conceperat, qvòd ſpectat *τὴν καθόλου καὶ συλλήβδην οἰκονομίαν τῶν γεγονότων, πότε καὶ πόθεν ὡρμήθη καὶ πῶς ἔσχε τὴν συντέλειαν*: (Polyb. lib. I.) i.e. *Univerſam illorum quæ ad ſummam rerum conferunt adminiſtrationem in iis quæ acciderunt, quando & à qvibus principiis quæque ſint profecta, qvóve modò hunc tandem finem res ſint nactæ.* Qvod ipſi eſt, lib. VIII. p. 515. ibid. *τὰ ὅλα συνεπιβλέψασθαι*, & *συνθεάσασθαι τὴν τῶν ὅλων οἰκονομίαν*, *ſummæ rei notitiam quaſi unô conſpectu adipiſci*: ita tamen, ut eàdem cognitione, non modò *τὸ μέγεθος τῶν γεγονότων*, *magnitudo rerum geſtarum*, ſed *τὸ συνέχον*, *ratio, quâ cohærent & aptantur, comprehendatur.* Nam haud aliam eſſe viam autumat, *quâ res geſtæ verè in clarâ luce ponantur, & admirabiles appareant, dignamqve ſuâ nobilitate & prudentiâ lectoris obſervationem conſeqvantur.* Sive, ut Græca ibid. habent, *οὕτως ἂν εἴη μόνον σαφῆ τὰ γεγονότα καὶ θαυμαστά, καὶ μάλιστ᾽ ἂν οὕτω τυγχάνοι τῆς ἁρμοζούσης ἐπιστάσεως.* Qvæ obſervatio prudentum, à cognitione minùs perfecta, præclaris elogiis diſtingvitur, atqve lib. I. p. 5. n. V. *ἐπιστήμη. γνώμη. ἀτρεκὴς ἐμπειρία, πίστις. Scientia, experientia, quæ liquidam & indubiam rerum notitiam & fidem præſtat.* appellatur. Sicut enim is, qvi in tabella aliqvas urbes & regiones inſpexerit, nondum de totius orbis figura, ſitu, ordine judicare poteſt; nec, qvi partes animalis disjectas ſingillatim oculis ſubjecerit, de totius ſtatim animalis forma & virtute idoneam adeptus eſt opinionem: Itaqviam ex particularibus hiſtoriis, ſive particulatim traditis narrationibus non paratur accurata illa rerum publicè geſtarum cognitio, qvæ Divinæ providentiæ negotioſam per omnia diſpoſitionem, hominum propoſita, conſilia, molimina, ſucceſſum, caſuumqve varias rationes, in eodem fati, ut ita dicamus, theatro contemplatur.

† *Xenophontem*] Vide part. I. Methodor. noſtr. p. 220. b. 146. a. ubi editioni Francofurtanæ citatæ adde & aliam, qvæ ibidem prodiit CIↃ IↃ XCVI. curâ Leunclavii. Pro Pariſ. CIↃ IↃC XXIII. lege CIↃ IↃC XXV. de illa enim eadem in Methodor. parte dixi, p. 220. Prodiit & apud Henr. Stephani Græcè è Bibliotheca Huldr. Fuggeri CIↃ IↃ LXI. Sed melior eſt editio ſecunda anni M. D. LXXXI. ejuſdem Stephani, ad qvam maximam diligentiæ acceſſionem factam eſſe, cognoſcere facile eſt. Ego illâ præ ceteris uti ſoleo. Exiit & Xenophon Græcè Venetiis curâ Aldi, qvæ non magni momenti, ut omnes Græcæ Aldi editiones, CIↃ. IↃ. XXV. in fol. Vidimus ipſum & Florentiæ editum Græcè apud Hæredes Juntæ CIↃ IↃ XXVII. in fol. Scripſit & Brodæus in Xenophontem.

tione & Expeditione illa in Artaxerxen; in qva etiam patefecit, qvantus ipse imperator esset. [29] Regibus itaqve & Principibus ἔσοπτρον: Imperatoribus, ut Alexandro Homerus, ἐφόδιον sit Xenophon. [30] Fuit magno illi Lucullo utrumqve; qvi cùm rudis imperandi contra Mithridatem peritissimum in Asiam profectus esset, tantùm Xenophontis lectione profecit, ut cum callidissimo hoste facilè æqvà, sæpè etiam superiori, manu pugnaverit. [31] Simile in Xenophontis libris studium fuit Cornelio Scipioni Africano. [32] Habebit igitur in illis Politicus qvoqve fœcundam discendi materiam. [33] Aulico forsan non parum interlit scire, qvæ Xenophon de *Re eqvestri*, de *Venatione* scripsit: qvos elegantissimos libellos Latinis versibus propè illustravi nuper. [34] *Polybius* * magnificus & diffusus scriptor: & de eo rectè & ordine Lipsius censuit. [35] Sed is hoc etiam habuit peculiare, ut χωρογραφικὰ religione qvàdam persеqveretur, exemplô Ephori & Erathosthenis. [36] Nec mirum. Terras enim & maria omnia permensus fuerat; ut de ipso Epigrammata cantàrunt. [37] Sed bona pars ipsius scriptorum communi illô naufragiô pessum ivit. [38] Legito hunc seriò, & varia illa prudentiæ documenta imbibe. [39] Tantus ille Politicus fuit, ut tota Achaja civitatum suarum auctorem & νομοθέτην eum habuerit. [40] Tantus, ut secundùm ejus consilia secunda omnia gesserit & senserit Africanus ille: contra, sinistra. [41] Alexandri M. res *Arrianus* Græcè, Q. † *Curtius* Latinè exposuit. [42] Floridus uterqve, sed nitidior Curtius & qvôvis melle dulcior. Lectorem citiùs defatigatum qvàm satiatum dimittat. [43] Sententiæ passim, directæ & obliqvæ, qvibus mirè illustretur vita humana. [44] Videris qvomodo illas notes, & excerpas; & aliàs etiam non pœnitentendam messem ex hac segete colligas monitionum aulicarum. [45] Res Romanas duo præcipui auctores scripsère ad Julium usqve & Augustum Cæsares, *Sallustius* & *Livius*. [46] Cogita in *Sallustio* omnia fuisse, qvæ in per-

* *Polybius*] *Generosus*, inqvit Boeclerus, in p. 60. c. II. §. 24. Historiæ, Principum scholæ *sine exemplo* est Polybius, *in ferenda tàm de actionum eventibus, qvàm de actionibus sententia. Rectissimè incedit tramite, ut aliqvando Christianorum multos, qvibus tamen solidam judicii magnanimitatem & sollertiam ipsa religio commendat suppeditatqve, pudefacere qveat.* In principio dicti libri, §. 2. p. m. 2. comparat Cominæum Polybio, laudatus Boeclerus. Capite verò II. §. 4. p. m. 101. *Polybii*, inqvit, *expositionem qvia principali argumento connectit ea, qvæ ratione gestorum cohærere possunt, & solent, universalem propterea qvodammodo dici posse, doctis notum est.* Vide eumdem in principio Dissertationis de Utilitate ex Historiæ Universalis contextu capienda, p. m. 115. s. 118. s. 134. edit. Argentorat. 1680. in 8t. Editus est cum Casauboni notis Græcè & Latinè Polybius Paris. CIↃ IↃC IX. in fol. At ego utor editione opt. Amsteldam. CIↃ IↃC LXX. in 8t. qvippe qvæ plenissima secundùm notas, licet non emendatissima; qvod ad Textum attinet. Editio Basileens. CIↃ IↃ XLIX. in fol. nihil est ad illas.

† Vide Freinsh. Indic. in Curt. Voce *Curtius*: ubi hic Coleri locus adducitur, à Joh. Georgio Scyrzelio. Confer & Tomum nostr. I. Methodor. p. 324. Tom. II. p. 43. 414. s.

perfectum Historicum cadunt vel antiqvorum testimoniô: & qvæ de Thucydidis verbis ac sententiis jam cognovisti, eadem illa in Sallustio recognosce. [47] Historia ejus tota periit, pessimô generis humani. [48] Cernis qvàm piè & industriè ipse nonnunquàm istas saltim naufragii tabulas minutas colligam, conferam, conglutinem. [49] Bellum Catilinarium memoriter tenes: sed frustrà, nisi consideras profundam illius viri reipubl. scientiam, qvam ille vel breviculô illô libellô prodidit. [50] Non minori arte Bellum Jugurthinum confecit. [51] Duæ illæ Epistolæ de republ ordinanda ad Cæsarem, nonne cælô delapsæ videntur? [52] *Titi* qvoqve *Livii* nobilissima & amplissima Historia est. [53] Tanta in eo eloqventiæ vis, tanti verborum ac descriptionum nervi, ut lectorem sæpe sistat & obstupefaciat. [54] Olim qvosdam ita ceperat ut à Gadibus usqve Romam videndi Livii caussâ properaverint, qvò visô eò unde venerant statim redirent, qvemadmodùm S. Hieronymus in qvadam Epistola refert. [55] Res explicat disertè, ornatè, & prudenter. [56] Orationes luculentæ sunt: qvarum excerpas nonnullas svadeo & ediscas: qvemadmodùm te de aliqvot Sallustianis fecisse memini. [57] Cum Livio, sed diutiùs opinor, vixit *Dionysius Halicarnassæus*. [58] Res ille scripsit, an Romanas Antiqvitates, septingentorum annorum, id est, ad primum bellum Punicum. [59] Sacra ceremoniasqve priscas nemo religiosiùs indagavit, nemo accuratiùs descripsit. [60] Inculcat seriò χρῆμα illud ἱστορικόν. [61] Veritatem ita amavit, ut etiam τοῦ δικαίου necessitatem Historiographis inveheret. [62] Statum, mores, leges civitatis, proponit, considerat, exponit. [63] Qvid multa? Ipse aliqvoties monet, se tàm φιλόσοφον qvàm πολιτικὸν τὸν ἔχοντα erudire. [64] *Julii Cæsaris* Commentaria Cicero in Bruto laudavit, & verè laudavit. [65] Sed mutatos aut corruptos hodiè esse non parum, nostri Aristarchi censent. [66] Sunt etiam postrema illa non Cæsaris, sed Oppii an Hirtii, teste Svetoniô in Julio, c. LVI. [67] Illa de bello Africano ceteris omnibus excellere videntur. [68] Ita non sangvine & colore tantùm, sed robore ac nervis ea commentatio præstat. [69] Habent certè Principes & militares viri, qvod legant & imitentur, aut mirentur potiùs [70] Qvis enim Cæsarem imitetur? Ajunt tamen id ausum esse Selimum Turcarum Imperatorem: qvi Commentaria hæc assiduò circumtulerit, versa in vernaculam lingvam. [71] Meritò qvis arguat, inde documenta sumsisse rerum posteà felicissimè gestarum. [72] In Romana Historia pauca nos fugerent, si *Dio † Cassius* totus exstaret. [73] Sed accidit illi, qvod iis, qvibus reliqva membra violata qvidem & truncata sunt, sed intacta & honesta facies permansit: Ita illæsa & inviolata est illa Dionis Historiæ pars, qvæ de rebus pulcherrimæ & florentissimæ Romæ agit. [74] Tacitum tu & Svetonium vis rectiùs intelligere? Dionem obducito. [75] Illud scire te velim, unam illam Mæcenatis Orationem ad Augustum insignem

ac

† *Dio Cassius*] Vide dicta part. II. Methodor. nostrar. p. 361. §. XXIX. Optima editio Wecheliana est, qvæ prodiit Hanoviæ annô M. DC. VI. in fol.

ac Politicam reliqvorum (fortè *reliqvarum*) omnium instar esse. [76] Est & Agrippæ illa satis splendida. [77] In ceteris rebus ac narrationibus ἰκλυῖζμῶ suspicionem non effugit. [78] Sicut nec *Appianus Alexandrinus* vitiô caruit. [79] Libros ille suos * non numerô, sed ad bellorum discrimina distinxit: ut in capitibus Florus fecit. Ille ordo te ducat & non indelectet. [80] Judiciô nec vulgari est, nec recti praviqve contemnendus arbiter. [81] Fortuita non Fortunæ, ut ceteri, sed Deo tribuit βλάσφημα, ut ipse loqvitur, τῆς λογιζμῶς. [82] Philosophus *Plutarchus* est, sed qvia Vitas ille scripsit meritò etiam Historicis accenseatur. [83] Qvippini Historicis? Omnibus numeris inibi leges Historiæ absolvit, magis quàm Svetonius aut alius talis. Sicut & Corn. Nepos & Tacitus in Agricola. [84] In Politicis autem nulli veterum Philosophorum secundus est: imò fortasse major. [85] Nam & πρακτικὸς fuit, & tantæ prudentiæ existimatione, ut in magno Illyrico magistratus & publica officia ab eo decernerentur, poscente ita Trajano. [86] Diffusa fuit illius virii scientia.

* *Libros ille suos*] Adponam hic, qvia video neglecta in edit. Amstelodamensi non admodùm correcta. ann. 1670. in 8r. qvæ de Appiani ætate, scriptis, stylo ac furtis eruditiss. tradit Vossius. in II. de Historic. Græcis, principiô c. XIII. p. m. 222. his verbis: *Accedo ad eos, qvi Antonini Pii tempore fuerunt. Uti Appianus, qvi sub Trajano, & Hadriano qvidem vixit; ut Photius est auctor: sed ulteriùs tamen produxit vitam; sicut argumento est, qvòd in præfatione scribat, nongentos jam annos Romanam duràsse potentiam. Nongentesimus enim Urbis annus incidit in tempora Antonini ejus, qvi Hadriano successit. Convenit cum eo, qvod ibidem ait, à principatu Julii Cæsaris esse annos propè ducentos. Nam ducentesimus annus incidit in annum Antonini Pii decimum septimum. Ut videatur condendis doctrinæ industriæqve suæ monumentis vacâsse, cùm Antoninus hic cœpit imperare. Eâdem præfatione refert, se patriâ esse Alexandrinum, ac Romæ priùs fuisse caussarum patronum, postéâqve adlectum fuisse Cæsaris procuratoribus. Historiam Romanam complexus est libris XXIV. Ac orsus ab Ænea, & Ilio capto, percurrit illa tempora usqve ad Romulum. Inde accuratiùs persequitur omnia usqve ad Augustum: qvædam etiam carptim, atqve obiter, addit usqve ad Trajanum. Qvâ ratione verò opus hoc diviserit, & qvi tituli, atqve argumenta librorum fuerint, non tam Suidas dicet, quàm ipse in eadem præfatione, ac Photius in Biblioth. Ex vasto opere supersunt hodie Punica, Syriaca, Parthica, Mithridatica, Iberica, Annibalica, Illyrica, de bellis civilibus lib. V, & Celticorum fragmentum, vel compendium. Iberica, cùm primò eorum tantummodò fragmentum haberemus, primus edidit David Heschœlius. Ἑλληνικῆς γραφῆς,* sive Historiæ suæ de rebus Græcorum, *mentionem ipse facit initiô Syriacorum. Ægyptiacorum suorum item meminit in Mithridaticis,* p. 251. *Zonaras, Annal. Tom. II. laudat Appianum ἐν τῷ εἰκοστῷ δευτέρῳ λόγῳ, τῆς ἱστορίας Ῥωμαϊκῆς,* id est, libro XXII. Historiæ Romanæ. *Stylô est, ut Photius indicat, ἀπέριττος, καὶ ἰσχνός;* id est, minimè redundans, sed tenuis: *sed qvô, veritati studuisse, & intellexisse rem militarem, & affectus posse movere, satis appareat. Scaligeri tamen in Animadversionibus Eusebianis,* p. 105. *a. judicium est, vel admodùm in historia esse infantem, vel multa ejus Syriacis esse adsuta. Atqve idem alibi eodem in opere,* p. 163. *vocat alienorum laborum fucum. Sanè multum Polybio debere, ac Plutarchum ad verbum exscribere solitum, viri docti jamdiu observârunt.*

tia. Libri Ipsius CC. ampliùs in Catalogo nuper vulgato citantur. [87] Restant adhuc Ethici, Physici, Politici, Historici, septuaginta & qvod excurrit. Pudet me commendare tibi tantum virum verbosiùs. [88] *Svetonius Tranqvillus* Vitas duodecim Cæsarum priorum confecit. [89] Oratio ejus brevis & nervosa est. [90] Nemo ritus publicos diligentiùs miscuit. [91] Emendatissimus & candidissimus est, nemini obnoxius. [92] Qvis enim ingenia & mores Principum liberiùs † unqvàm? Aulici & Politici non exiguum fructum ex hoc, & simul exemplum capiant fugiendæ adulationis ab ipso Svetonio. [93] L. *Annæi Flori* compendium ne omittas. [94] Ita dico, Compendium rerum Romanarum magis, qvàm Breviarum Livii. [95] Tabulam enim dixeris haud absurdè, in qva imago totius reipub. Romanæ expressa. Ipse hoc nomen tribuit. [96] Nihilò me hercule injucundius * tersissimum illum libellum legas, qvàm Apellis tabulas intueâre. Ita compositus, ita elegans est. [97] Miror judicium, qvod ubiqve cum subtilitate & brevitate sententiarum in tanto rerum acervo & varietate inferit. [98] Tu ipse colliges, ubi aliqvando pellegeris. [99] *Trogus Pompejus* in magna re & fama Historicus fuit. [100] Generalem historiam is non ab Urbe Condita, sed à Nini temporibus scripsit. non sine priscæ eloqventiæ laude. [101] Solebant ab eo Rege pleriqve Historici incipere, cùm ulteriùs progredi non possent, ignari divinarum literarum, ut scribit Tertullianus. [102] Omnia autem absolverat XLI *. libris. [103] Sed accidit ipsi qvod Livio, Dioni, & aliis. Dum enim compendium ipsius fecisset *Justinus* qvidam sub Antonino, res ea dispendio fuit Trogo. [104] Nam ipse qvidem præ illo breviario seponi ac negligi cœpit, atqve interire tandem. [105] In manibus esto juventutis freqventer. [106] Et satin, commodum erit ita eum lectitare, qvemadmodùm Gruterus noster præibat? [107] *C. Cornelii Taciti* scripta præ Livio & Cæsare vilia erant nuper. [108] Sed Justus Lipsius, ad excitanda ingenia & studia præclara natus, ita dignitatem pristinam ac splendorem Equiti Romano vindicavit, ut nullam impolitiæ notam metuat posthàc. [109] Nec unò locò ejus virtutes deprædicavit, & nos, ut scis, censuram Lipsii unà cum Tacito æstimamus. [110] Tu aulam & palatia cogitas, & cogitas seriò? Amabo te, disce priùs ex Tacito aulicorum

† *Liberiùs unqvàm*] Fortè non immeritò reprehenditur Svetonius, qvòd uniuscujusqve turpitudinem, nullâ id rerum necessitate cogente, singillatim & accuratè perseqvitur. Vituperatur Lampridius, qvòd effeminatam nimis prolixè describit mollitiem Heliogabali. Malè audiunt Athenæus & alii, qvòd voluptates atqve delicias Sardanapali turpissimas, Regum Persarum, Sybaritarum, aliorumqve fusè commemorant ac depingunt. *Sæpe* enim, qvod in fine Orat. tradit Cicero in Sallust. *graviùs offendunt animos auditorum, qvi aliena flagitia apertè dicunt, qvàm qvi illa committunt.* Confer Joan. Bodini Method. Historic. c. IV. p. m. 65. edit. Opt. Basileens. CIϽ IϽ LXXVI. in 8t.

* Vide tamen qvæ attuli part. II. Methodor. nostrar. p. m. 93. 362. 364. 418.

licorum fortunam, & ingenia Principum parumper inspice. [111] Sit tibi ad latus Cornelius, verus ille Comes Palatinus. [112] Nec est qvod te moveant centauri nonnulli, aut rupicones, qvi hæc talia antiqva nimis & nostris moribus aliena cavillantur. [113] Non inqvam ita est. Eadem nunc fabula luditur qvæ olim: eædem virtutes & vitia repræsentantur. Tantùm personæ mutatæ sunt; sed qvæ doctum & prudentem spectatorem desiderent. [114] Rationem legendi & intelligendi, addo & fruendi modum, per totum primum Annalem tibi monstravi. [115] Usqve ad Nervam scripserat Tacitus, ab eo posteà initium scribendi sumsit *Ammianus Marcellinus*, & ad Valentis interitum usqve perrexit. [116] Sed ejus librorum fatum idem qvod Historiæ Cornelianæ fuit. [117] Rem militarem ut miles, diligentissimè perseqvitur, & descriptiunculis non rarò divertit. Nec rarò sententias miscet. [118] Seqvuntur minorum qvasi gentium Historici: *Aurelius Victor, Spartianus, Lampridius, Vopiscus, Capitolinus.* Pauca enim scripsêre. Sed ex illis immensam rerum & verborum copiam haurias. Tu periculum fac. Deprehendes me verum. [119] *Herodianus* & † *Xiphilinus* non ita qvidem pressi rerum ac sententiarum pondere, ut illi qvos paullò antè recensui. [120] Sed Xiphilinus in pretio est, qvia supplet nobis Dionem. [121] Ille alter jucundus satis, & more ceterorum Græcorum descriptiunculis disertus, & deniqve Historiæ Augustæ minimè contemnendus auctor. [122] Vide qvàm facilè non allucinetur tantùm, sed etiam peccet Epistola. [123] Ecce enim *Josephum* omisi, qvem * primô locô aut inter primos Historicos recensitum oportuit. [124] Antiqvitates ejus fax qvædam sunt totius

† *Herodianus & Xiphilinus*] Ille optimè prodiit Argentorati cum notis Jo. Henrici Boecleri & Indice Græco locupletissimo D. Balthasaris Scheidl. CIƆ IƆC LXII. in 8t. Hic ex Interpretatione Gvilielmi Blanci à Gvil. Xylandro recognita cum spicilegio Henr. Stephani, M. D. XCII. in fol. *Herodianus*, inqvit Boeclerus in Historia Principum schola, c. II. §. 8. p. m. 108. *haud dubiè inter præcipuos prudentiæ consultos, & incomparabiles rerum conditores, nisi me omnia fallunt, ponendus est.*

* *Josephum primò locô*] Claruit, si Joh. Bodino, c. X. Method. Historic. p. m. 382. edit. opt. Basileens. CIƆ IƆLXXVI. in 8t. credimus, Annô Chr. XCIX. Ipse Josephus de se in c. II. lib. VIII. Antiqvit. Judaic. p. m. 258. edit. Coloniens. M. DC. XCI. in fol. *Qvi hæc legunt*, inqvit, *sciant, nos nihil veris adfingere, neqve verisimilia qvædam & ad delectationem accommoda narrationi nostræ interserere, atqve deinde postulare, ut lector nihil amplius disqvirendo fidem nobis habeat: qvandoqvidem in hac commentatione à decoro discedere absqve nefario scelere non licet. qvapropter non recusamus, qvin scripta nostra rejiciantur, nisi talia sint, ut eorum veritas validissimis argumentis approbari possit.* Græca ita habent: Ταῦτα μὲν οὖν διεξῆλθον βουλόμενος γνῶναι τοὺς ἐντευξομένους ὅτι μηδὲν μᾶλλον ἔξω τῆς ἀληθείας λέγομεν, μηδὲ πιθανοῖς τισι καὶ πρὸς ἀπάτην καὶ τέρψιν ἐπαγωγοῖς τὴν ἱστορίαν διαλαμβάνοντες, τὴν μὲν ἐξέτασιν φεύγειν πειρώμεθα, πιστεύεσθαι δ' εὐθὺς ἀξιοῦμεν. οὐδὲ συγκεχωρημένον ἡμῖν κατεξανισταμένοις τοῦ πρέποντος τῆς πραγματείας, ἀθῴοις ὑπάρχειν. ἀλλὰ μηδεμιᾶς ὑποδοχῆς τυγχάνειν παρακαλοῦντες, ἂν μὴ μετ' ἀποδείξεως καὶ τεκμηρίων ἰσχυρῶν ἐμφανίζειν δυνάμεθα τὴν ἀλήθειαν. Incertô auctore

tius sacræ & profanæ Historiæ. [125] Profunda viri sapientia ; qvam ille non ut ceteri ex rivulis Philosophiæ hausit, sed ab ipso ingenuo sacrarum literarum fonte petivit. [126] Neqve tamen vel Academico vel Peripatetico cuiqvam, opinor, cesserit, si de republ. dissertandum sit; ut Athenis etiam alitus videatur. [127] Tu cogita : cui divinarum rerum cognitio major fuit, qvam ulli veterum, humanarum tanta, qvanta in benè præparatum pectus cadere potuit; qvantum altæ & seriæ doctrinæ ab eo percipi, possit. [128] Addo & *πρακτικὸν* fuisse. Prudentiæ simul & Pietatis (qvod rarum apud alios Historicos) ducem habes. [129] Ceterùm, qvod ad Historiam attinet, ego hunc Hebræum cum Attico Xenophonte ausim contendere. [130] Illi qvi ab Oriente procedunt, floridum qvoddam dicendi genus consectantur, & nimio sæpè mundo studentes ab immundo propiùs absunt, ut *Nicetas Gregoras*, *Cedrenus*, *Zonaras*, *Nicetas Choniates*. [131] Gregoras tamen ad prudentiam civilem unicus est, fateor; & senten-

tiarum

ctore censente (Hegesippus enim Apostolicorum temporum vicinus, qvi Historiam & incrementa Ecclesiæ à Passione Domini suam ad ætatem usqve contexuisse memoratur, profectò non est) in Proleg. qvinqve librorum de Excidio Urbis Hierosolymitanæ, non ex Hegesippo, sed è Josephi, partim τῆς Ἀρχαιολογίας, partim τῆς Ἁλώσεως voluminibus, est ubi bene, interdum infeliciter, in Latinum translatorum, *Relator egregius historicò stylò Josephus utinam tàm religioni & veritati attentus, qvàm rerum indagini, & sermonum sobrietati. Consortem se enim perfidiæ Judaeorum in ipso etiam sermone exhibuit, qvem de eorum supplicio manifestavit, & qvorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliqvit. Deploravit flebiliter ærumnam, sed ipsius caussam ærumnæ non agnovit.* Confer Nicephorum, lib. II. c. XVIII. Photium in Bibliotheca, cod. XLVII. p. 34. LXXVI. p. 166. CCXXXVIII. p. 966. Sveton. in Vespas. c. V. *Unus*, inqvit, *ex nobilibus captivis Josephus* (*nobilis ille Historicus*, addit in notis hic Torrentius, *qvem vide lib. III. Belli Judaici c. XIV.* (m. c. XIII. extr.) *An tamen Sveton. Josephi nomen addiderit, ignoro. Plura Xiphilin.*) *cùm conjiceretur in vincula, constantissimè adseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verùm jam Imperatore.* Casaubonus in Dedicatione Polyb. p. m. 24. primæ inter notæ Josephum refert Historicos. Cassiodorus converti Josephum in Latinum fecit. Vide illum Cassiodor. de Div. Lect. c. XVII. *Cur*, inqvit Bœclerus in p. 131. s. Dissertationis de Utilitate ex Historiæ Universalis contextu capienda, Historiæ B. Bœcleri Universali præmissæ; Josephi Judæi *nullam fecerim mentionem in hac adnotatione*, Scriptorum scil. Universalis Historiæ. *ultrò intelligi par est. Licèt enim is à primæva mundi ætate orsus, historiam usqve ad sua tempora pertexuerit; & in posteriore parte suæ ἀρχαιολογίας, Asiaticas & Ægyptiacas & Romanas res miscuerit; qvia tamen ad Judæos pleraqve retulit, inter eos potiùs referendus est, qvi historiam universalem scripturo, plurimum possunt adjumenti adferre, & non modicam materiæ partem subministrare.* Et in Historia Schola Principum, c. II. §. 8. p. 109. *Christiano*, inqvit, *principi, post* annales sacros, *qvorum perpetua lectio repetitioqve reqviritur, freqvens comes* Josephus. *esto: & piorum acta Principum, Constantini & M. Theodosii &c. diligenter cognoscantur. Fructum ostendit & commendat Eusebius*, lib. I. *de Vita Constantini*, c. VI.

tiarum uber qvoddam. 132 Cedrenus *a* & Zonaras *b* reip. satis gnari fuêre,

a Cedrenus] Georgium hunc Cedrenum e Chronicis Eusebii Canonibus à Julio Africano multum mutuatis, & *παντοδαπῆς ἱστορίας*, qvasi universalem seu omnimodam dicas historiam, nomen gerentibus, pleraqve descripsisse, sicut & Georg. Syncellum; monstrat in principio Animadversionum Eusebianarum Josephus Scaliger. Qvamqvàm Cedrenus amplius institutum seqvutus est qvam Syncellus, & Universalis Historiæ nomine dignius. *Sed, quantum ex minore parte ingentis operis, quæ sola ad nos pervenit, intelligitur, non rarò ambages serit. & in aliena digreditur, ne non tàm Philosophus, quàm Historicus videatur*; judice B. Bœclerô, in p. 130. Dissertationis de Utilitate ex Historia Universali capienda *Hic Cedrenus*, inqvit Ger. Jo. Vossius, lib. II. de Historic. Græcis, c. XXVI. p. m. 295. Annales, sive compendium elaboravit, ab initio mundi usqve ad Isaacium Comnenum; cujus & vixisse temporibus videtur. Is verò Michaëli VI. Stratiotico successit annô Christi cIↃLVII. In rebus Byzantinis Zonarâ paullò diligentior est. In iis autem, qvæ Constantinopolitanos Cæsares præcedunt, cedit Zonaræ: à qvo & stylô vincitur, uti etiam à Niceta, & Gregora, & aliis. Interim in centone hoc, ac, penè dixerim, qvisqviliis istis, aliqvos purpuræ pannos reperire est, ex Africano ab Eusebio, indeqve à compilatore hoc, suo adsutos centoni. Nam ut Africanum Eusebius, Eusebium Georgius Syncellus, ita Syncellum, itemqve Theophanem, qvi Syncellum continuavit, ad verbum exscripsit Cedrenus. Vocavit verò hoc opus *σύνοψιν ἱστοριῶν*, id est, *Conspectum Historiarum*. Sed ut ipse mutilârat priores, ita ejus qvoqve volumen mutilârunt juniores: idqve judi iò nullô, sine ordine temporum, sine delectu rerum. Fortasse tamen erit, cùm integriùs prodeat. Sanè doctissimus Leunclavius, in notis ad Turcicos annales, monet, aliqvot se habuisse Cedreni folia, qvæ desient in codd. vulgatis. Ac Josephus Scaliger, suis in Eusebium notis, paginam integram ex Georgio Syncello, atqve alia qvædam, adfert, qvæ frustra qværas in excusis. Ceterum historia Cedreni, à morte Nicephori usqve ad imperium Isaaci Comneni, etiam legitur sub nomine Joannis Curopalatæ, paucis exceptis: qvod Gesnerus monuit. Ac Casaubonus qvoqve, notis in lib. XVII. Strabonis, refert, ut, cùm à Græculo historiam Curopalatæ emisset, eumqve contulisset cum Cedreno, deprehenderit eadem iisdem verbis ab iis dici; ut alteruter necessariò plagiarius sit. Hæc Vossius, qvi ibidem, p. 298. fortè non ab re censet, satisqve prolixè probat, Cedrenum, qvæ ab obitu Nicephori usqve ad imperium Isaaci Comneni refert, hausisse è Joanne Curopalata. Optimè prodiit Parisiis, typis regiis, M. DC. XLVII.

b Zonaras] Hic Historicus seculi XII. in meliorum æstimandus defectu in præfatione operi præmissa satis ostendit, sibi in animo fuisse, *καθολικήν τινα ἱστορίαν*, id est: *universalis quoddam historiæ corpus* concinnare, à condito scil. Orbe usqve ad Alexii Comneni obitum, id est, Ann. Chr. cIↃ CXVIII. qvi Nicephoro Botoniatæ successit, atqve annis imperavit XXXVII. Vixit autem Joannes Zonaras partim sub Alexio dicto, partim filio ejus Joanne, qvi Patris in imperio successor fuit. *Delegit autem sibi* Zonaras *non omnium sed præcipuarum gentium historias; neque eas omnes, sed vel præcipuas, vel eas, quæ ad Ecclesiæ seriem perspiciendam facere videbantur, consiliô judicióqve suô*, ut inter-

re, ut proficiant ex iis legum studiosi. [133] Choniates *c* ab ineptiis sæpè non abstinet. Piè tamen multa, & aliqvando de caussis malorum publicorum non imprudenter disserit. [134] Illud risi, qvòd reliqvos Historicos in præfatione sua tàm infestô stylô petit, ipse suorum vitiorum ignarus. [135] Sed non videmus manticæ qvod in tergo est, ut ait ille. [136] De rebus Geticis eruditè & copiosè satis scripsère *Procopius Agathias* Græcè, Latinè *Jornandes*: & *Paullus* * *Diaconus* posteà de Longobardis. [137] Cujus generis sunt alii qvoqve, qvi non magnoperè illum prudentiæ scopum spectàrunt. Itaqve illos suæ cuidam classi adscribes. [138] Qvi post Caroli Magni tempora scripsère, plerique obscuri & incompositi sunt: nec te instruxerint, ipsi rerum inopes. Legendi tamen sunt Historiæ caussà, [139] Miror interim *Saxonem Grammaticum*, † qvi ævô barbarissimô eloqventissi-

terpres ejus Hieron. Wolfius fatetur in præfatione in Zonaram. Editus est optimè typis regiis Parisiis in II. Voluminib. in fol. CIↃ IↃCLXXXVI.

c Choniates] Initiô seculi tertii decimi claruit Nicetas Acominatus Choniates, vir dignitate in Constantinopolitano imperio inlustris, magnus Logotheta, Secretorum Inspector, Judex Veli, Præfectusqve S. cubiculi in aula Constantinopolitana. Hic libris XXI. complexus est Historiam annorum LXXXV. nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi desiêrat Zonaras, usqve ad annum CIↃCCIII. *Diligens fuit*, inqvit Ger. Jo. Vossius, lib. II. de Historic. Græcis, c. XXVIII. p. m. 306. *Homeri lector, ac imitator, adeò ut ob poëticam, atque insolentem dictionem, qvandoqve durior fiat: cumprimis in præfatione, qvæ sanè salebrosa. In ceteris mollius fluit. Qvod & de se in præfatione promittit. Ut mihi qvidem videatur præfatione eâ ostentare voluisse, qvantus logodædalus foret: qvod similiter in historia si fecisset, ne ille multò etiam minus laudis, qvàm nunc habet, mereretur.*

* *Paullus Diaconus*] Hujus Annales dicam, an Historias? Eutropii Historiæ Romanæ libris X. adjecit non abre, junctimqve edidit Lugduni Batavor. CIↃ IↃ XCII. in 8°. Paullus G. F. P. N. Merula; nam qvô tempore sistit Eutropius, Paullus Warnefrid. Langbardus, qvi fuit Filius Diaconi Forojuliensis, Aqvilejensis priùs Diaconus, ac posteà Monachus Cassinensis suum opus orditur, non, si rem spectemus, infeliciter, producitqve in annum ab Urbe Cond. CIↃCCCCLXX. aut circiter. Meliùs verò laudatus Eutropius cum Adnotationib. Henr. Glareani & Eliæ Vineti; additusqve Paullus Diaconus prodierunt apud Franc. Fabrum Lugdunensem, annô M. D. XCIV. in 8°. Hæc enim editio oppidò rara, varias præter in Eutropium Lectiones additas in fine, non contemnendum qvoqve rerum habet indicem; qvibus, ut & Glareani ac Vineti notis, prior omnino destituitur, qvamqvàm Textus ipse in hac sit emendatior, qvippe qvam Merula vidit, correxit, & curavit apud Ludov. Elzevirium. Qvare & utramqve editionem non adeò obviam servo.

† *Saxonem Grammaticum*] Anton. Possevinus, p. 197. edit. Venetæ, Adparatus sacri: *Saxo*, inqvit, *Grammaticus Sialandicus, è Dania regno, Rothschildensis Ecclesiæ Præpositus, scripsit Historia Danorum Libros XVI. ad Andream Episcopum Daniæ, illos qvidem perelegantes, si præsertim ævum, qvô vixit, attendas. Qvippe Philippô Cæsare vixit, deqve sua gentis vetustate, usqve ad Annum* 1200.

tiſſimè & comptiſſimè ſcripſit Danicam Hiſtoriam. [140] Atqve utinam ita diligenter etiam, qvi de rebus Germanicis commentati ſunt! licèt ipſe multas fabulas miſcuerit. [141] Nobis viciniores illi Itali & Galli, *Gvicciardinus*, *Cominæus*, *Froſſardus*, *Jovius*, *Æmilius*, facundiæ & prudentiæ famâ clari ſunt. [142] Nec *Sleidanus* * Belga dicere vel judicare vulgariter ſolet.

XIV. [1] DE ORATORIBUS paucis abſolvam. [2] Sunt enim pauciſſimi: ſed tamen & anteſignani, *Demoſthenes*, *Cicero*. [3] Nemo etiam mediocrium Oratorum auſus fuerit ſine Politica ſcientia roſtra adſcendere. [4] Qvæ enim reip. pars ab illo dicendi munere immunis? [5] Apparet ex Ciceronianis, qvarum pleræqve omnes de aliqva reip. parte tractant. [6] Idem judicium eſt de Demoſthene. [7] Placidior eſt, & ut ita dicam ἡσυχώτερος *Iſocrates*, qvia umbræ is ac ſilentio magis amicus fuit qvàm foro & cla-

mori-

1200. *qvò vixit, eamdem Hiſtoriam pertexuit; qva Baſileæ apud Bebelium Annô 1534. atqve Pariſiis prodiit. In qva licet, præter alia, intueri, qvanam antè enatas Lutheri, & aliorum, Hæreſes, religio, nempe Catholica, ſemper apud Danos, poſt illorum ad fidem Chriſtianam converſionem, enituit.* Sic & Aubertus Miræus ſub initium Chronici ſui, Saxonem ad Annum Chriſti M.CC. Hiſtoriam ſuam perduxiſſe ſcribit. *Annô M. CC. Saxo Grammaticus; Sialandicus, floret, qui ad hæc uſqve tempora Hiſtoriam Daniæ perduxit.* At uterqve vehementer falluntur. Perduxit enim, ſi Stephano Johannis Stephanio in c. XIII. Prolegomen. in notas ſuas ad Saxonem Grammatic. p. m. 21. credimus, Hiſtoriam ſuam Saxo uſqve ad Annum Chriſti M. C. LXXXVI. qvô Bugiſlavus Senior, Pomeraniæ Dux, Homagium Canuto Daniæ Regi præſtitit, & cum conjuge ac liberis ad pedes Regis ſuppliciter flexis genibus procumbens, non ſolùm veniam diutinæ rebellionis precatus eſt; verùm etiàm obſidibus ex parte datis, ex parte promiſſis, aviti paterniqve Ducatus præfecturam beneficii locô ab ipſo ſuſcipere haud recuſavit.

* *Sleidanus*] Dixi pluribus de Sleidano, part. I. Methodor. noſtrar. p. m. 163. 713. part. II. p. 189. 373. 375. ſ. Bœclerus in Hiſtoria Schola Principum, c. II. §. 8. p. 108. Thuanum *auguſti calami ſcriptorem*, & Sleidanum *accuratæ circumſpectionis* vocat. Et in Diſſertatione de Utilitate ex Hiſtoria Univerſali capienda, p. m. 141. *Sleidani*, inqvit, *libellus de* qvatuor ſummis imperiis, *qvantum in illa exiguitate fieri potuit, auctoris prudentiam abundè prodit. Fontes Hiſtoriæ opportunâ adnotatione Meibomius eruditè adjecit.* Continuârunt ipſum Viri docti Ægidius Strauchius & Schurtzfleiſch; ſed nemo cogitavit de Gvil. Xylandri notis adjiciendis, qvas pertexere cœpit Theophilus Maderus, Helvetius Medicinæ Doctor & Philoſophiæ qvondam in Academiis Baſileenſi, Altdorfina, & Heidelbergenſi Profeſſor celebris, Hiſtoriarum in primis ſtudioſus & diligens ſcrutator. Reperies eas in fine Sleidani Opuſculorum qvorumdam, qvæ operâ Heliæ Putſchii juncta & Hanoviæ edita ſunt annô M. DC. VIII. in 8. Gothofr. Jungermann. Epiſt. CXC. ad Goldaſtum, p. m. 234. ita ſcribit: *De Xylandreis notis in Sleidanum noſter Antonius, ſi bene eum novi, non ſe præſtabit difficilem. Sed exterruit nos, qvòd ubi vix venimus ad paginam 31. ubi de Polycrate Samio illo infeliciter nimis diu beato, ibi ad*

ŏram

moribus. [8] Ars etiam Oratoria ipsa Politico qvodammodò necessaria est, præsertim τῷ πρακτικῷ, ut legisti apud Plutarchum in παραγγέλμασι. [9] Nemo ferè superest Oratorum illorum, qvi sub Cæsaribus floruêre. [10] Reliqviæ qvædam reliqviarum sunt paucula ista *Latini Pacati*, *Mamertini*, *Nazarii*, *Eumenii*, Rhetorum potiùs qvàm Oratorum. [11]. Sed qvantivis pretii est Panegyricus *Plinii* † ad Trajanum: qvò ille nulli Demostheni aut Ciceroni cedit, si dispositionem & ornatum spectes. [12] Veri Principis publicæ & privatæ vitæ rationem perfectè ibi descriptam leges: & erit tibi hic Trajanus pro Xenophontis qvodam Cyro.

XV. [1] Ex Oratorum officina EPISTOLICUS qvoqve χαρακτὴρ prodiit. [2] Ejus virtus præcipua, brevitas & acumen. [3] Qvorum qvidem alterum ego nunc non seqvor. [4] Hoc liberè dico. Nunqvàm deerit Politicæ studioso, qvod ex clarorum virorum epistolis * discat. [5] De maximis & gravissimis reip. negotiis in iis sæpè communicant, ipsi rerum periti. [6] Tales epistolas multas *Cicero* scripsit ad Familiares, & insigni elegantiâ illas ad Atticum; in qvibus ἦθος πολιτικὸν, mira eruditionis varietas, & nova qvædam totius belli civilis commentaria. [7] Tu fac curæ habeas etiam illas ad Q. Fratrem & Octavium. [8] Plenissimæ etiam bonarum rerum sunt *Symmachi*, *Plinii*, & *Cassiodori*, Epistolæ. [9] Exspectas qvid de nostri ævi Oratoribus scribam? Frustrà. Tanta hujus seculi perversitas est, ut nec culpas suas congoscere, nec laudes aliorum agnoscere velint homines. [10] Doctrinâ aliqvem & eximiâ virtute virum extollis, admiraris, seqveris? adfectum esse dicunt ab arcana nescio qvâ caussa, aut à religio-

oram ab eadem manu, qva Xylandri Prælectiones excepit, est: Hucusqve ex Do. Xyl. *Ergo reliqva cujusnam sunt?* Item Epist. CCXXXVII. inter Epistolas Clar. Viror. ad Goldastum è Bibliotheca Thulemarii editas, p. m. 287. *Addo jam & hoc, me summè petere, uti nobis communices* Xylandri ad Sleidanum notas. *Petit item à te* summopere Gvil. Antonius (Typographus) *noster* ἐκεῖνο δὴ τὸ ἱμειρόμενον *Edit enim ille Sleidani istud opusculum, cum aliis quibusdam; & vellet has notas avidè addi, quas te habere, ego ipse fui index.* Idem ibidem Bœclerus, p. 176. scribit: *Non possunt in Historia Universali omitti, qvæ ad Statum Religionis pertinent. Qvare Thuanus ex Sleidano, qvæ in annos certos congruunt, diligenter mutuatur. Hujus enim viri candorem, prudentiam, fidem, ex merito æstimavit.*

† *Panegyricum Plinii ad Trajanum*] Vide qvæ dixi part. II. Methodor. nostr. p. 288. 400.

* *Epistolis*] Qvòd qvidam, qvi epistolas eruditorum conlegerunt, Præfationes & dedicatorias librorum epistolas cum ceteris eorumdem auctorum litteris conjungunt, semper mihi visum fuit superfluum emptoriqve damnosum; qvi enim, exempli gratiâ Manutii, Mureti, Erasmi &c. Epistolas diligit, sine dubio studebit sibi qvoqve comparare ceteros illorum auctorum libros, & cum libris habebit Præfationes illas & Epistolas dedicatorias, & tum qvidem bis: Alia verò ratio est earum Præfationum & Epistolarum dedicatoriarum, qvæ omnibus editionibus librorum non sunt præfixæ, sed mutatæ & aliæ illarum locò substitutæ, aut magnis operibus difficulter parabilibus nec valde necessariis, præmissæ.

gione qvæsitum. [11] Qvid si aliqvando comparatio fiat ? invidiosum est, ajunt: contra omnem majorum morem & penè dicam humanum. [12] Brevi erit, ut promiscuè ii omnes docti, sapientes, prudentes audiant; qvi hodiè scribillant (qvorum qvidem innumerus est numerus) utqve illi Platonico scito parum loci futurum sit: *aliud esse εἶναι, aliud δοκεῖν.* [13] Timidè igitur aliqvid de novis addo. [14] *Æneæ Silvii* & similium aliqvot Epistolas propter rerum gravium varietatem, qvàm subinde miscent, legerim. [15] *Angeli Politiani* nihil politius. [16] *Manutii* orationes & epistolæ doctæ sunt. [17] *Melanchthonis* candidæ sunt & negotiosæ. [18] *Muretus* vel perorans vel familiariùs agens coram Cicerone placeat: [19] Gravitate & judiciô & verborum rerumqve abundantiâ excellit, ocellus Germaniæ, *Camerarius*. Tria illa ab ejus epistolis audacter exspecta. [20] Politicum etiam cum priscis illis Philosophis lubens facio, dignum profectò nobili illâ umbrâ Athenarum. [21] Tollant supercilium qvi volunt, & nauseent ad tales. [22] Ille Camerarius magnis Principibus carus acceptusqve & consiliô spectatus fuit, [23] *Erasmi* Dialogi eruditi, acuti & prudentes sunt. [24] *Augerii Busbeqvii* epistolis tanta inest svavitas rerumqve experientia, ut iis legendis plures oculos optes. [25] Superest alius adhuc (*Lipsius*) & exornat mirè suum ævum fruiturqve etiam vivus gloriâ posteritatis. Nosti qvem dicam. [26] Circumcisus & pressus est. Nec verba nec res desunt, nec in tanta brevitate obscuritas ulla inest. [27] Dictorum & sententiarum gravissimorum affatim. Nulla affectatio, ut vulgo indocto apparet. [28] Soleo de ipso illud Sidonii usurpare:

Qvâ Crispus brevitate placet, qvô pondere Varro,
Qvô geniô Plautus.

[29] De aliis multis nec dixi, nec dicam: & minus peccavero apud istos ὑπερκριτικούς.

XVI. [1] Ad MISCELLOS tuos venio. [2] Varium illud & naturæ æmulum *Plinii* opus habendum. [3] Vel illa qvæ de mundo & ejus partibus scripsit, qvàm tibi cognoscenda necessario ? [4] Idem de *Strabone* censeo, qvô nemo χωρογραφικὰ diligentiùs scripsit. Cura ei non τόπων tantùm, sed etiam τῶν τρόπων. Respubl. varias recenset, Militiam attingit, Historicos ac Poëtas perpensat. [5] Recentiores, qvi tabulas confecère, in oculis sunt, *Ortelius*, *Mercator* & alii: & nuper *Bertius* noster, stilô æqvè ac radiô pulcer. [6] *Valerium Maximum* scis ubi tibi commendaverim. [7] De militia veteri & recenti, qvi scripsère legendi sunt, *Vegetius*, *Frontinus*, *Ælianus*, *Polyænus*, *Leo Imperator*, *Onosander*, *Michaël Montanus*, *Justus Lipsius*, & peritissimus ille Gallus *De la Nue*. [8] Vidi etiam nuper *Hieronymi Catanai*, & *Lazari Sorantzii* erudita commentaria. [9] Itineraria vetera & recentia legenda sunt. [10] *Pausanias* pulcherrimè scripsit. Utinam hodiè ad eam faciem, qvi regionum & urbium spectanda concinnant! [11] In Notitiam Imperii, eruditissimè & copiosissimè commentatus est *Pancirola* Jureconsultus Patavinus. [12] *Arriani* Epictetum, *Theo-*

phrasti Characteres, *Gellium*, *Macrobium* sæpè usui erit legisse, & Dipnosophistam *Athenæum*. [13] Magno cum fructu eruditionis & judicii leges & *Luciani* Dialogos. [14] *Alberici Gentilis* erudita sunt opuscula, & *Pighii* Hercules Prodicius insignis est. [15] *Machiavellus* in decem libros priores T. Livii facundus est: & ut solet acutus: sed est ibi qvoqve ubi ad malum istud ἦθος redit. [16] Acuendi igitur tibi sunt oculi ut nævi impietatis & improbitatis appareant. [17] Aliàs non tantùm te multis modis acuat, sed vererem Historiam legentem ducat veluti manu. [18] Scripsit etiam in Livium *Italicè Antonius Ciccarellus*, & ex eadem gente, nescio qvis ἀνώνυμος in Cæsarem. [19] In Tacitum elegantur & ingeniosè Hetruscô sermone *Scipio Amiratus*: & qvem non æqvè admirère, Annibal Scotus. [20] *Nicolaus Vitus Di Gozzi* in Aristotelis Politica Italicè commentatus est. [21] Discursus istos Italorum, qvos ipsi vocant, avidè appetis. Laudo, sed nonnulli verè discursus sunt verborum. Tu meliores elige. [22] Non nego magnos fructus noscendarum rerump. qvæ nunc sunt, ex iis percipi. [23] *Boterus* non tàm fallit, qvàm fallitur aliqvando. [24] Gravissimi & utilissimi sunt *Gvicciardini* Aphorismi, & similiter *Fr. Sansovini.* † [25] Aulicos libellos Italorum, Gallorum, Germanorum, aut legis aut legisti. [26] HABES sententiam meam de tuo studio, etiam de auctoribus legendis. [27] Qvam diu te celavit pudor meus, fateor, expressit tandem amor: sed epistolâ, an libellô? ostensam. [28] Tu cognosce, & ignosce, si infortuniô te affeci dum prodesse volui. [29] Ait enim Callimachus, * μέγα βιβλίον ὅμοιον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Qvô magis erit ἡ μεγάλη ἐπιστολή. [30] Vale, Generosissime & svavissime ZELENI. Ex tuo prædio Luciniaco cIↄ. Iↄc. I. Prid. Cal. Novemb.

† *Sansovini*] Vide qvæ dixit de his & similibus libris Gabriel Naudæus, part. I. Methodor. nostr. n. XIII. c. XXV. 2. p. 570. Danæi, qvos ibi laudat, Aphorismos optimè edidit Abraham Gölniz Dantiscanus, is enim auctor latet sub his vocibus: *Animi Grati Debitum*, & *Antecedit Gloriam Depressio*; Lugduni Batavor. cIↄ Iↄc xxxix. in 12. Non solùm enim is Danæi exhibuit Aphorismos & Exempla qvæ Everardus Bronchorst multâ industriâ junxit ex Historicis conscripta: sed & sexcenta alia superaddidit, ut & auctior & magis edolata hæc sit editio. Miror Studiosis nostris Politicæ & juris publici illum librum non esse notiorem, nec magis in usu; qvamqvàm mores sciens seculi mirari desinam.

* Athenæus, lib. III. c. I. Καλλίμαχος, inqvit, ὁ Γραμματικὸς τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Invenies hoc in Fragmentis Callimachi, n. CCCLIX. p. m. 419. edit. Ultrajectin. M. DC. XCVII. in 8t. qvæ conlegit Richardus Bentlejus, à Bibliotheca Regi Angliæ. Latinè est: *Magnum librum instar magni mali esse.*

X.

X.

Operæ fieri pretium duximus, si ex clarissimi longéqve præstantissimi Viri, Joh. Caselii Νέῳ, *hæc superioribus, maximæ saltem congruentiæ gratiâ, subjungeremus.*

[1] UTinam qvisqve suo ingenio, suæ eruditioni consentanea studia deligat! qvorum qvæqve, ut omnia animi bona, sive omnes ingenuæ artes, honestum locum habent, in vita hominum. [2] Et Grammatico honestus locus est, neqve nulla interpretis utriusqve lingvæ & scriptorum veterum dignitas: & magna educatoris teneræ ætatis. [3] Horum qvisqve si in sua arte valeat, & fidem præstet, inveniet in Repub. locum; & civibus erit carus, & ad vitæ cultum habebit, qvod satis erit. [4] Vidi tales qværi, propositis qvoqve præmiis, eaqve tribui ex mediocribus. [5] Non dicam de arte Poëtarum, qvando à paucis intelligitur: qvamqvàm mirificos usus præstat Reipublicæ. [6] Ad eam non nisi divina ingenia ultro sese conferunt: olim & laudem reportabant, & præmia. [7] Expedit autem Reipublicæ, ut clari à majoribus, & bonis insuper fortunæ cumulati Jus Civile degustent, sed legum interiorum disqvisitionem & tractationem litium, relinqvant medii loci hominibus, qvi totos se juri ab initio dederunt: ipsi autem ubi in bonis literis nonnihil profecerint, eloqventiæ se dedant, non ei, qvæ vulgò talis habita, in celeritate, & volubilitate lingvæ vertitur, sed qvæ promanat è Sapientia, vitæ hominum moderatrice certissimâ: itemqve Historiam, qvam nemo absqve temporum & urbis sitûs notitia rectè cognovit: deniqve Civilem illam Scientiam, cujus basis est altera de vita & moribus, principem omnium, qvamobrem & architectonica dicta fuit. [8] In qvas verò digitum intendi, eas tiro rectè magnifaciat, sed primùm adveniens, nullam earum, anteqvàm vires ingenii sui exploraverit, ambiat. Vereor enim, ne repulsam patiatur. [9] Principiò unde venias, & qvid tecum feras, cogites: nec qvæ in ludo puerili degustaveris, ut vulgò faciunt, abjicias. [10] Vidi qvi bonô ingeniô, Græcè maximam partem intelligerent; ubi pedem in Academiam intulissent, potiùs, qvàm institutum perseqverentur, aggressos qvidvis aliud. [11] Ita faciunt jacturam operæ tot annôrum, bene positæ, si pergerent. [12] Discerent enim & ea faciliùs, qvæ ceteri vix magnô negotiô; & alia qvæ nemo discit absqve ejus lingvæ adminiculo. Ne qvis enim suspicetur, me lingvam propter ipsam discendam putare. [13] Altera jactura eorum gravior est, qvi bonos auctores de manibus seponunt, qvasi eorum lectio non nisi ad pueros pertineat, nec nisi ad Latinum sermonem faciat: animum verò nullâ aliâ re erudiat. [14] Ego igitur consulam, ut qvos pueri vix degustaveritis, eos deinceps avidiùs hauriatis, & ab iis ad eorum similes proficiscamini: non pœnitendum operæ pre-

precium feceritis. [15] Sed inprimis familiarem vobis facite Latinum Lyricum, qvicumqve est is, qvocumqve vos posteà conferetis. [16] In pluribus caussis una hæc est, & prima, nec potior lectionis, poëtarum præsertim, dari potest. [17] Neminem fugit, ut olim tàm Romani, qvàm Græci filios à pueris Homerum legere, & ad ungvem ediscere jusserint: non ut tantùm varietate & vicissitudine rerum à Poëta singulari arte repertarum & explicatarum animos oblectarent; sed ut cum voluptate, qvæ percipitur è talibus ea pueri imbiberent, qvæ adultiores domi & foris, & intra parietes, & in urbe, & in suis & publicis negotiis usurparent, si consilium capiendum; si qvid ad alios explicandum; si qvid deniqve pace militiàve gerendum. [18] Cognosci enim ibi omnem vivendi atqve rectè vivendi rationem, qvòd nihil omnium à poëta esset prætermissum, judicabant. [19] Nec verò operam ludat, qvi priscam illam, usuqve optimorum seculorum rationem probatam, seqvatur. [20] Paucis id demonstrari potest. Qvando enim primis annis ea res plerumqve negligitur, adultiores laboris piget. [21] Qvi tamen primis in discendo molestiis devoratis hoc consilium amplexi fuerint; & sibi deinceps gratulantur, & auctoribus agunt gratias. [22] Secundâ, ut ajunt, navigatione uti poterit, qvi, qvod cuiqve magis in promptu est, Horatium discat: Hic cùm belli Trojani scriptorem, Qvi, ut idem inqvit.

Qvid sit pulchrum, qvid turpe, qvid utile, qvid non,
Pleniùs ac meliùs Chrysippô & Crantore dicit.

Qvotidie in manibus haberet, & sanctissimum officii magistrum esse crederet; hac in parte se ad ejus imitationem composuit, & pleraqve singulari studiô persecutus fuit, qvibus animi à Vitio expurgentur & virtute perpoliantur. [23] Primùm in satyra, dum alios atqve alios carpit, deterret ab omni genere vitii, à luxu, ab amoribus, ab avaritia; nec minùs à sordibus, ab ambitione, & ceteris. [24] Id verò est, & viam munire ad virtutem, & ad officium excitare. [25] Idem & in aliis agit Philosophum. [26] Annon enim magistrum vitæ dixeris, qvi tam accuratè de tranqvillitate animi docet; qvæ reverà summa est in vitii fuga, in modico fortunarum studio; in recto earum usu, in moderatione voluptatum, in meritis erga alios, & potissimùm erga patriam, in sincero amicitiæ cultu, in animi integritate, in utriusqve fortunæ moderatione, in æqvitate animi, tàm in rebus asperis, qvàm florentibus, nec minùs in contemtu mortis & rerum humanarum omnium. [27] Affirmare non dubitem, qvi in hoc Poëta multum operæ posuerit, eumqve ita perdidicerit, ut ejus versus, non in ore natos aut extemporaneos, ut putatur, non memoriâ teneat, (nec verò non sunt, qvi hoc præstiterint,) sed probè intellectos, ad usus vitæ transferat; hunc posse rebus suis suorumqve rectè in omnibus aliqvid boni consilii invenire, non dubitem; [28] nec minùs idem patriæ rectè consulat, præsertim si & ad historiam se conferat, spectans id, qvod potissimum ostendimus. [29] Omnia tanti pretii sunt, ut qvi nostrûm ea negligat,

gligat, idem & ſe, & ſuos, & patriam negligat. 30 Sed hîc qverela oritur, in qva conſopienda mihi laborandum intelligo: etſi vereor, ut proficiam apud aliqvos, qvantum velim, & expediat. 31 Sunt enim pertinaces, tùm qvi momenta rerum per penuriam rationis non intelligunt, tùm qvi ſupra ſemper emergere apud animum induxerunt. 32 Dicet enim tenuior aliqvis: ſumtus me deficit, illis ego vacare non qveo: ad metam mihi admiſſis ingenii viribus, qvaſi eqvô, evolandum. 33 In hoc igitur ſapis, qvi de ſumtu cogitas. Neqve enim qvemcumqve poſſis, fruſtra facere oportet. 34 Idem plus ſapies, ſi & ingenii vires naturamqve omnem tuam explores, atqve conſulas deinceps in deligendo vitæ genere. 35 Non eſt, ut de ſingulis dicam. Longum enim foret; etſi res fortè magis perſpicua fiat: tamen aliqvid amovebo caliginis, nec niſi unum exemplum proferam, qvô fias cautior, & tibi provideas in principio rectiùs. 36 Qvi nullô ſit robore membrorum, & cum morbis indentidem luctetur; is ab incude refugiat: qveratur, non poſſe ſe tanti ponderis malleos attollere, nedum totos dies ad ignes perpetuos, cum validis contubernalibus adſtantem, nec reſpirantem unqvàm, tenuia illa & imbecilla jactare brachia. 37 Confer jam mihi vires ingenii cum viribus corporis, & vide ne gravius onus tibi imponas, qvàm cui ferendo ſis. 38 Non omnium eſt eadem mentis acies: nec eadem omnium in rebus gerendis animi præſentia: nec ſemper arte aut uſu comparari poteſt: nec tolerant civilia negotia, qvi corpore minùs firmô ſint. Itaqve ſenes ea relinqvunt, niſi qvid incidat neceſſarium. 39 Vidi, qvi ingeniô, arte, induſtriâ, viribus prædititi, cùm modum rebus gerendis non ſtatuerent, aut hoc ipſis, per genus vitæ, qvod ſive caſu coluiſſent, ſive ultrò ſibi ſumpſiſſent non liceret, ante ſenectam toti conciderent. 40 Memineritis igitur qvod monui. & tenete hoc Horatii, lib. I. Ep VII. extr. *Metiri ſe qvemqve ſuô modulô ac pede, verum eſt.* 41 Qvò natura ducit, qvò conditio vergit: qvò fortuna patitur, eas. 42 Ut enim naturâ repugnante, fruſtrà contra nitaris: ſic aut non admodùm, aut infeliciter profeceris præter conditionem. 43 Nemini invideo, qvi ex humili loco emerſus, in faſtigio virtute & meritis conſtituatur: eſſe ajo, non ſine periculo; & rarò, fuiſſe in perpetuum felix (fortè *felicem.*) 44 Tenuitas te, ni fallor, ſive fatum tuum monet: neqve tamen non concedit à ſecundo gradu ire in tertium, vel altiùs, modò de gradu in gradum pedem promoveas. 45 Hoc autem fit eâ ratione maximè, qvam indico. 46 Si enim id ages, qvod primò omnium agere oportet; magna, nec magnô ſumtu, conſeqveris: & parvus ille ſumtus, qvem bene impenderis, novum tibi majoremqve brevi pariet. 47 Nam ſi homines de probitate modeſtiaqve tua accipient, tuqve ea, de qvibus monui, didiceris, in portu naviges. 48 Fides enim & doctrina amicos inveniunt & fortunam. 49 Aut enim te fortunatorum aliqvis complectetur ultrò, & liberaliter habebit, donec metam, cui par ſis, contigeris; aut filio educatorem dabit, ut lautiùs inſuper vivas, & in literis majus ſpacium, & felicius, qvàm olim putâris.

ris, conficias. 50 Etenim cui pater filium credit; parum abeſt, qvin eum pro filio habeat: qvin habeat in cariſſimis, dubium eſſe non poteſt, 51 Dicas, multos hâc bonâ ſpe fruſtratos eſſe; Audi alterum: fidem & literas ut unus deferat, alter expetat: tu modò à fide & literis ne digreditor. Hæ cum fallere neminem poſſint: neqve vos ea ſpes, qvam vobis facio, fallet. 52 In hanc ſententiam, fortè commodo ſuo, legant epigramma meum, modò idem diligenter conſiderent, qvorum ea eſt qverela. 53 Etenim tenuiorum egeſtati talem medicinam rectè bonôqve eventu fieri poſſe cenſeo. 54 Sunt autem hi verſus:

Alias ingenio donat fortuna benignè,
Nî te luxuriæ dedas malè ſanus inerti,
Perniciem in propriam verſô tam turpiter aurô:
Illa ſed inclemens ſi te pernice volatu
Prætereat, qvoſvis qvæ ſtultè cenſet eôdem
Ordine, ne te exſpes infractâ dejice mente:
Propterea fulcire animum ratione ſerenâ
Ne dubita: ratio ſophien & commoda vitæ
Conciliat, certô ſapiens qvæ terminet uſu.
Qvî ratio? Cave, ne te ſtulta & ſæva pathon vis
Imperiô vexet: ſed mens vigil imperet illis:
Cumprimis cole ſophroſynen, omnemqve modeſtè
Vitam age. Qvis talem & tantum non diligat ultrò?
Atqve ea diſce puer, clarô præeunte magiſtrô,
Os qvibus, & mores polias & pectus amicum,
Principiô ipſe tuum. Qvâ rarâ præditus arte
Qvando eris, haud deerit, qvi te qvoqve largiùs ornet.
In patribus princeps, in tempore prodigus æris:
Cúmqve ſuis jubeat felicem vivere natis.
E cælo dictum ratus, hoc ſeqvere, in tenui re
Qviſqvis es, optatum tibi amicæ filum Ariadnes.



XI.

XI.

IGNATII HANNIELIS, † JC.

EPISTOLA


AD

Amplissimum & Præstantissimum Virum

DOMINUM

JOANNEM WITTEN,

Consiliarium Megapolitanum &c.



S. Qvòd humanissimis tuis literis non statim respondi, Vir humanissime & Doctissime, non pingvibus feriis aut fastidio meo tribues, sed potiùs freqventibus excursionum & occupationum incommodis, qvæ me ingenio meo indulgere non permittunt. 2 Totum mensem proximum domô absfui, in Marchiam à clientibus accitus, ex qva ante hoc demum biduum Rostochio redditus sum. 3 Cúmqve hodie nobilissimus juvenis Dn. Fridericus Bertramus, tui fortè mentionem injecisset, earum qvas ad me nuper dederas recordatus, calamum mox à prandio arripui, qvô literarii istius debiti solutionem accelerarem, ne si diutiùs morarer, magis necessitate, qvàm voluntate

† Gaspari Scioppio Franco, *Critico ingeniosissimo* (ut eum hic ipse Hanniel Marchicus in Elegidio Verisimilibus Scioppii præfixo vocat) lib. I. Verisimilium, c. XII. p. m. 32. edit. Amstelodam. M. DC. LXII. in 8. Ignatius, Hanniel *vir est & juris civilis scientiâ & his humanioribus studiis penitus imbutus.* c. II. p. 6. laudat ipsum ut *optimum & doctissimum virum*, ubi & melos suum in obitum Valentis Acidalii Marchici, juvenis ingeniosissimi & elegantissimi, ad hunc ipsum Hannielem JCtum & Philologum perscriptum reperit. Idem ille Scioppius, III. Suspectar. Lection. Epist. I. p. m. 117. s. ita scribit laudatum ad Hannielem. *Mirantur plerique omnes, Ignati carissime, quânam ratio-*

ne

voluntate cessisse videri possem. 4 Gratum itaqve fuit ex tuis cognoscere, qvàm tibi veteris in me amoris nulla planè discessio esset: qvâ sancti

ne fieri potuerit, ut nos duo, tu quidem Vir jam gravioris & provectioris ætatis, ego autem adulescens tum nondum vicenarius tam artam & inviolabilem inter nos amicitiam contraheremus. Et verè ipse qvoqve si nunc hominum morem in conciliandis amicitiis mecum considero, hoc mirum aliis videri minus mirari soleo. Nam si conviviis & poculis, qvod hodie fieri solet, amicitias sancire oportet, ne nos in æternum numqvam conciliari, vel in unum animum rerumqve omnium secretissimarum communicationem convenire potuimus, non magis certè Qvàm Ganges Veneto convenit Eridano. *Nec enim utriusqve nostrûm rationes ferre videbuntur, ut à soluto vitæ nostra rigore minimùm exorbitemus. Tibi qvidem, ut Philosopho viroqve gravissimo, de die bis saturum fieri minimè decere videtur: mihi etiam ab usqve mane ad vesperam studiis meis impransum operam dare ex consvetudine in naturam vertit. Vinum tibi qvoqve modo venenum est, & pestis certissima; mihi ut vel modicè sumtum plurimùm officiat, hastis vigilum Ingelstadinorum, cum publica velut auctoritate liberè in qvosvis grassantium & latrocinantium superiore annô factum est. Tu dum totum tamqvàm claudus sutor (ut familiaris nostri verbis abutar) in bibliotheca tua sedere, nec temere tui copiam aliis facere consvevisti: mihi qvoqve ex adsidua & sedentaria opera manus jam & pedes turgescere occipiunt. Qva dum homines stolidi, qviqve fratres in Baccho plurimos, amicum verò nullum sibi peperêre, recogitant, qvî tamdem cum istis moribus conjungi potuerimus, velut cum stupore qvodam admirari solent. At tu, Ignati doctissime, qvi in Philosopherum nutricatu alius eductusqve de amicis parandis veriùs existimare potes, longè diversum, qvàm volgus, spectari oportere existimas, fidem nimirum, libertatem & candorem, qva tria sola, qvô minus vivere pigeat, conficere & impetrare possunt. qva (qvod unum in hac vita gloriari ausim) cùm in me, ut judicabas, eximia apparerent, de ætate mea & eruditione minus tibi laborandum duxisti. Qvâ qvòd careo, vel exiguam certè consecutus sum, me præ te* (fortè *te prame) beatum existimo, nam præter illas, qvas dixi virtutes, ingenium in te acre, judicium grave, eruditionem variarum literarum singularem reperi. Taceo jam Jurisconsultum vix cum uno & altero Germania nostra comparandum; taceo Philosophum subtilem, Politicum prudentissimum, Mathematicum solertem; nec dico jam de mechanicis illis & præsertim horologiis, qva mirâ arte à te perfecta principum Pinacothecis exornandis adservantur: vel illud quanti existimandum, qvod in qvo ceteri studio exsibilando laudem qvarere solent, illud tibi præcipuè excolendum sumsisti, Philologicum dico, in qvo eos fecisti progressus, ut pauci in Germania nostra tecum paria facere posse videantur. Meritò itaqve te & clariss. Rittershusium nostrum cum præclaris tantisqve dotibus ame, nec cum qviqvam plura mihi sunt, qva velim, nec à vobis non sit mutuum.*

Scipio Gentilis (ut puto) apud Heirsium in Confutat. Fabul. Burdon. p. 422.

In priore profectione mea Germanica, Rostochii qvum essem, interfui lectioni Ignatii Hannielis juris utriusqve consulti, viri historia & Chronologicarum investigationum-

& animi tui adfectione mirè lætatus sum, sæpiúsqve optavi omnium pectoribus insculpta, qvæ tu in vestibulo epistolæ hac de re prudenter disseris. [5] Institutum verò vitæ laudo, qvô, si sacra excipias, nullum præstantius reperiri posse mihi jamdudum persvasum habeo; idqve sive finem spectes ejus, qvam tibi delegisti, facultatis: sive etiam materiam aut res, in qvibus ipsa versatur, qvarum caussâ viri principes eam semper in possessione sua tenuerunt, & Plato regiam appellare non est veritus, qvasi regum tantùm, principum & magnorum virorum propriam. [6] Aristotelem cum Platone viæ duces delegeris, qvibus tamen si Moysis, Judicum, Regum, Sapientiæ libros, adeoqve tota Biblica, qvæ vocant, scripta adjungas, non erraveris. [7] Hæc enim exorbitantem illam Ethnicorum in nonnullis sapientiam qvasi digitô produnt, & intra rectæ rationis orbitam coërcent, qvæ si propiùs intuearis, miram cum divinis oraculis habet consonantiam. [8] Reliqvos scriptores, qvi nostrâ & patrum memoriâ nova & à priscorum sapientium institutis planè abhorrentia politica

num peritiâ nemini secundi. Is Chronologiam tunc jussu Principis sui publicè exponebat. Series eum deduxerat eò, ubi agendum esset de anno primo Cyri, cujus mentio est in scriptura. Verba ejus super ea re adeo mihi placuerunt, ut ne syllabam quidem eorum mibi excidisse putem. Omnia enim sedulo excipiebam. Qvid igitur, *inqviebat*, hic agemus? Undenam primum imperii Cyri Babylonici ordiemur? In hac difficultate, qvum nihil nobis occurrat meliùs, sine omni hæsitatione id seqvimur, qvod incomparabilis ille Scaliger, qvô, teste Gifaniô V. Cl. & Jurisconsultissimô, hodiè Europa doctiôrem non habet. Nimirum primum Cyri, cujus scriptura meminit, & qvem Babylonici imperii Esdra, c.V.13. disertè appellat, inde ordiendum, ubi septuagesimus captivitatis cùm in Olympiadibus aliisqve æris, tum in annis imperii Persici rectè ritéqve ex veterum sententia positis desinit. *Hic doctissimus vir subsisistens, ad auditores conversus.* Ne, *inqvit*, ignoretis, cur de Gifanio mentionem injecerim, caussam exponam. Eramus Ingolstadii in cónvivio apud Nobiliss. Juvenem Dn. Joh. Bredovium eqvitem Marchicum, ubi contentione de præstantibus reformatæ religionis viris exortâ, qvum Academiæ tum pro tempore rector homo Lojolitici instituti omnem solidæ eruditionis laudem hominibus Pontificiæ Ecclesiæ vindicaret, ejusqve sectatores celebriores omnibus aliis superciliô Lojoliticô, & arrogantiâ pædagogicâ præferret: iratus Gifanius, Ecclesia, Ecclesia, inqvit. Tu semper de Ecclesia. Europa hodie non habet doctiorem Scaligerô. Aderant tunc præter Gifanium, & Rectorem illum, Andreas Facchinæus Jurisconsultus, Philippus Mencelius Medicus, Job. Bredovius, Gasper Schoppius, ego. Qvibus omnibus silentium tenentibus, & Gifanio tacitè assentientibus, os isti Jesuitæ ita obstructum fuit, ut ne verbulum qvidem deinceps facere ausus fuerit. Bredoviô & Schoppiô stolidum tum hominis judicium effusè ridentibus. Schoppius præcipuè illa Gifanii verba mihi sæpè ridibundus repetebat. *Hactenus verba illius doctissimi viri, qva ipse agnoscet sua, neque nos qvicqvam consinxisse, aut in illis immutâsse testabitur, si qvis de illis dubitare velit.*

litica concedere aggreſſi ſunt, nihil planè moror: in qvibus qvid niſi pervulgata illa & olim ab omnibus bene inſtitutis rebus publicis exploſa ſophiſmata. 9 Cujuſmodi iſta ſunt: Debere principem in Conſiliariis eligendis non eminentes ſed mediocres tantùm virtutes ſectari, [10] litterarum ſtudia non nimis calidè fovere, [11] ad eluendam ſui ſangvinis invidiam miniſtrorum qvoqve ſangvinem fundere, [12] auri, pecuniæ, opum, qvòd principibus & principatui maximè infenſa, decus & uſum demere, [13] illuſtriores, familias opprimere, ita ut nemo excellat, ſive amicorum, ſive opum copiâ; [14] ſpeculatores & auricularios illuſtribus viris adponere, qvi omnia ipſorum dicta aut facta ad eum referant: [15] metu mali non imminentis, ſed, qvòd aliqvando futurum ſuſpicetur, etiam innocentes interficere, [16] in federibus ineundis magis felicitatem & potentiam alterutrius partis, qvàm juſtam cauſſam ſpectare, ſemperqve potiori accedere, qvando, qvi dimicant, diſpares ſunt; ubi verò pares, tum demum meliori, [17] ſublatis urbium privilegiis & immunitatibus ſubditis pennas ita incidere, ne facilè renaſcantur. [18] Principem ipſum moribus talem eſſe oportere, ut ſi non planè bonus, ſaltem non omninò malus ſed ſemibonus & ſemimalus ſit, idqve velle Ariſtotelem: [19] Principem à fraudibus purum eſſe puerum, vel adoleſcentulum à Schola & umbra. [20] Debere enim nulli fidere, cùm in aula nullus fidus amicus; [21] fidem ſubditis rebellibus datam non ſervare, ſed eos qvôvis modò fallere, bonum illum dolum totô oſtiô admittere, cum vulpe junctum vulpinari; [22] utilitatis publicæ reſpectu turpe non eſſe, qvod plerumqve turpe haberi ſoleat, idqve probare Baſilium in proverbiis. [23] Fraude ut regna evertantur, ita qvoqve eadem conſervare, licitum eſſe. [24] Et ejuſmodi ſexcenta, qvæ abs P. Ærodio, J. Lipſio, * aliiſqve plenis buccis inculcacata, ipſâ qvodammodò recitatione refelluntur, & ego ita ſemper avercatus ſum, ut ad nudam eorum mentionem exhorruerim. [25] Scio, & longô cum viris magnis uſu, multâqve lectione didici, hæc arcana principatus in aulis haberi, qvibus ut certis qvibuſdam principiis è ſolidis fundamentis omnia de republica conſilia ſuperſtruuntur; qvæ tamen meritò nobis ſuſpecta eſſe debeant. [26] Non tantùm qvod ex peſtiferis fontibus hauſta, cum ſacra ſcriptura & veterum probatiſſimorum politicorum præceptis pugnant, qvibus homunculi hi comparati cercophiteci videri poſſent: Verùm etiam, qvòd ex iis regionibus prodeant, qvæ iſtis magiſtris autoribus, vel flammâ vel ferrô vaſtatæ, vel in extremam ſervitutem redactæ, horribile judicii Divini ſpectaculum præbent. [27] Qvod cùm paſſim obiqve cernere liceat, tamen hæc novitas ita nobis placet, ut eam pretioſæ † κειμηλίας, & qvinti (qvod dicitur) Euangelii locô habeamus, qvod toti hacte-

* *Lipſio*] Vide pluribus deducentem Bœclerum in Diſſertatione de Politicis Lipſii, c. V. p. m. 58. 59. ſ. edit. Argentoratenſ. M. DC. XLII. in 12.

† Fortè *pretioſi κειμηλίου.*

hactenus mundo ignoratum, nostrô demum seculô de cælo delapsum, & à novis istis prometheis exceptum; ut phidiæ signum simul aspectum & probatum est, & magno generis humani bono orbi cæcutienti communicatum, itaqve ejus doctores ex secretoribus bibliothecarum Italicarum, Hispanicarum, Gallicarum, Sanctuariis forte fortunâ nacti, cælum nobis attingere videmur; hos domi premimus & in sacculis non secus ac avari opes strangulamus, ne vicinis innotescant, & mirabilis illa sapientia, qvâ nos apud alios venditamus, ex reconditis cerebri nostri divitiis profluxisse putetur. [28] Nescio certè an nos simplices vocem, qvibus tàm facilè imponunt capitales & acuti qvidam homines, lenitatis nostræ conscii: an verò gloriosos, qvi ne Plautinæ prosapiæ videamur, ob præclaros illos interpretes manus cum veritate. (nescio qvo malô Geniô) conserentes, fidem, famam & animam unà decoqvimus. [29] Unum saltem ambitiosis istis optârim, qvi præ reliqvis sapere videri volunt. Platonem & Aristotelem aliosqve, qvi ipsis tàm despicabiles videntur, ævi politioris philosophos & historicos diligentiùs ab ipsis lectos, Jovem non lapidem sed viventem jurare ausim, habituros, qvibus Cupiditatem & ambitionem suam explere, & reliqvis omnibus non inani sed solidâ eruditione præstare possent, lectione istorum auctorum nunc ita fugiente, ut pro non editis & novis jure haberi possint. [30] Discerent ex iis, ipsa illa, qvæ ita admirantur, non nova sed relatitia, & priusqvàm Theognis nasceretur, toti jam orbi cognita ut apud Aristotelem, lib. v. Polit. c. xi. videre est, ubi ea non legitimi principatus, sed Tyrannidis conservandæ remedia esse, apertè docet, qvod ego caput totius Machiavelli ejusqve asseclarum compendium, non ineptè, ut puto, vocare consvevi. [31] Gaudeo autem, qvòd te horum theorematum osorem & hostem accerrimum esse, unicumqve ad magnitudinem iter agnoscere, intelligo, pietatem nimirum & justitiam, qvâ Cyrus, Alexander (dignus tantô præceptore discipulus) aliiqve ad immortalitatem grassati, maxima imperia condiderunt, cùm contra ex horum novitiorum Schola nemo unqvàm magnus exstiterit. [32] Pro eximio Reip. exemplo Romanam suis cunabulis propiorem facile admitto, licèt ejus institutio multum secum vitii statim à principio traxerit, ut P. Paruta benè docet, qvem unum inter Italos suspicio. [33] Reliqvorum enim Disputationes mihi verè sunt, qvod titulus earum promittit, cursus vagi & discursus meri. [34] Cavebis igitur hic ne paucorum virtutes cum ipsa Reip. forma confundas: illis præcipuè imputabis, si qvid bene gestum & immutatione dignum. [35] Pauca sunt, eaqve ad bellum ferè pertinentia, qvæ ab ipsa compositione vel forma profecta, in exemplum trahi meruerunt. [36] Exspectas fortasse, ut de meis qvoqve studiis aliqvid vicissim significem. Sed ea jus nostrum ferè respiciunt: nisi qvòd in CURTIUM * qvædam adnotare,

* Hæc, qvantum mihi constat, lucem nunqvàm viderunt.

& ad qvosdam Ærodii titulos nuper scribere cæpimus, qvæ tamen propter occupationum multitudinem & valetudinem minùs firmam, rursus omittere coactus sum. 37 Non mediocriter qvoqve nos exercent labores Chronologici, ex qvibus facere non possum, qvin aliqvid saltem adferam, & te nuperæ nostræ in Censorinum conjecturæ judicem feram, in eo mihi videtur hærere lacuna, ab exscriptoribus planè neglecta, in principio scil. c. XXI. loco illo famosissimo, ubi de tempore inter Catalysmum priorem & initium Olympiadis Iphyteæ disputat; qvod ipse in universum statuit M. Ioc. circiter annorum. 38 Rectè. Nam à diluvio ad primam Olympiaden effluxerunt anni M. Ioc. minus XXVII. uti in nostra Chronologia satis ostendimus. 39 Hunc autem numernm Censorinus posteà demonstraturus, particulares, adfert numeros; & primò annos circiter cccc. à cataclysimo usqve; ad Inachi regnum, in qvo item secundùm vulgata chronica paucis oberrat. Nam Eusebius LII. tantùm hunc numerum excedit. 40 Sed qvod porrò Censorinus ab Inachi regno ad primam Olympiaden Cccc. tantùm, † uti nunc qvidem in editis legitur, numerat: in eo non tantùm historiæ, sed sibi ipsi etiam contrarius est, qvippè qvi totum intervallum M. Ioc. paullò ante constituerit. 41 Nunc autem in particulari istius intervalli demonstratione Ioccc. duntaxat, id est summæ ejus dimidium possidet. 42 Non igitur sine caussa medium intervallum ab Inacho ad captum Ilium, huic effugisse suspicor, præsertim cùm ipse Censorinus dicat: postremum tempus Mythicon ab Erathostene definiri annis ccccvii. 43 At totidem planissimè Eratosthenes apud Clement. lib. I. Stromat. non ab Inachi regno, ut hic legitur, sed à Capta Troja ad primam Olympiadem numerat. 44 Ut ita Mythici istius temporis medium (nam initia & principia apud Censorinum rectè constant) ab Inacho scil. usqve ad Ilii excidium, qvod ipsô Censorinô judice Ioccc. circiter annorum est, librariorum culpâ omissum certô certius sit. 45 Vir illustrissimus *Josephus Scaliger* veram Chronologiæ instituendæ rationem hôc nostrô seculô patefecit, qvam tamen homines antiqvitatum & mathematum imperiti, qvia non intelligunt, aut propter stupiditatem adseqvi non possunt, asininis * clamoribus impetere non verentur: 46 is, inqvam, Vir magnus

† *Tantùm*] At ista vox *tantùm* in meo exemplari Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XLII. in 8t. non habetur, in qva ita lego *A priore cataclysmo, quem Ogygium dicunt, ad Inachi regnum anni circiter CCCC. Hinc ad Olympiadem primam* paullo plus *CCCC.*

* *Asininis clamoribus*] Hæc profectò duriùs sunt dicta. Nam sicuti non nescimus, qvid Scaligero in Chronologicis debeamus: ita ab illo non præter rem dissentientes talibus aculeatis excipi verbis minimè vellemus. Ipsa Urbs, in qva hæc scripsit Hanniel, Rostochium insignem tulit Chonologum, Johannem Wichmannum, qvi etsi Scaligerum, ut par est vehementer suspicit, in omnibus tamen eum ubiqve non seqvitur, ut ejus Chronologia sacra duobus libris comprehensa, scripturam sacram


magnus in præclaro illo opere de emendatione temporum miratur, cur Censorinus postremum tempus Mythicum ab Inacho inchoârit, non autem à capto Ilio, ut reliqvi? 47 sed si locum illum Censorini penitus inspexerint, eam qvam diximus exscriptorum oscitantiam facilè deprehendent. 48 Plura de hoc insigni loco adferre possem, sed priùs qvid tibi de his imi, audire volo. 49 Alfeldios fratres, qvòd mihi singulari qvâdam ratione commendas, in eo vim virtutis cognosco mirabilem, qvæ sui signa ubiqve mittens omnium studia, omnium in se amorem rapit. 50 Sympathia planè admiranda, qvâ tot ingenia, eaqve; sæpe diversissima, in una aliqva excellenti natura colenda, inter se conspirant, qvalis cùm etiam in Frederico Bertramo sit, qvid mirum eum ab omnibus passim sua qvoqve spontè suscipi? 51 Nunc tamen arctiùs complectar postqvàm tuum qvoqve; de eo judicium comperi, & qvæcumqve; à me in illum proficisci possunt officia, eorum faxim nullum in me prorsus desideret unqvam; cujus rei tibi pignus & syngrapham do hanc manum meam, ex qva me ad omnia, qvæ è re ipsorum Alfeldiorum esse putabis; convenias licet. Rostochiô, XVIII. Januarii A. C. M. DC. VII.

T. Amplitud.

addictissimus

IGNATIUS HANNIEL.

cram lecturis admodùm utilis, nec injucunda, qvæqve B. Auctori non parvô laboris & indaginis impendiô stetit, abundè docet. Prodiit Rostochî, annô M. DC. LXII. in 4to. Insunt profectò insigni in isto Scaligeri opere non pauci nævi nec parvi errores, qvos jamdudum ostenderunt viri docti; hos verò Mathematum & antiqvitatis imperitos vocare ac stupidos, injuria foret non ferenda.



XII.

XII.

EPISTOLA

Dn. ÆGIDII à LANCKEN &c.

AD

Virum præſtantiſſimum,

Dn. JOANNEM CHRISTENIUM JC.

De educatione Nobilium.

Salutem à Salutis Veræ indice & vindice.

Eruditiſſime, politiſſimeqve Vir, Amice honorande.

[1] BRevibus hiſce Te commonefacere volui, Te meô ſvaſu his adoleſcentibus nobilibus præceptorem adjunctum, qvamobrem Tibi cogitandum, de multis Te eximium habitum, ut inter paucos eximii evaderent nobiles illi. [2] Qvemadmodùm enim patrum eſt bonos filiis præceptores qværere, ad eundem modum, præceptorum eſt, bonos reddere diſcipulos, qvi à Deo qvidem animam, qvâ homines inter homines, à Parentibus carnem, qvâ bruta inter bruta acceperunt. [3] Tu autem, ſi volueris, ut ſapientes probi ac juſti ſint, famam illis conciliando, facies. [4] Nam nobiles infamiam, ſi inſolentes & effrenes ſint; famam autem ſi ſapientes & tolerantes reportant. [5] Non etenim cura affinis mei, ejuſqve nobilis ſodalis tibi concredita & permiſſa, ut loqvi multa doceantur, ſed ut ad actiones præclaras qvaſi manu ducantur. [6] In eo qvippe Gloria nobilium univerſa conſiſtit, ut ſint in actionibus, qvæ ſuſcipiendæ, accuratiſſimi, & in verbis qvæ proferenda ſunt, circumſpectiſſimi. [7] Non autem ſatis eſt Rectores, Ductoreſqve Nobilium, qvâ ſcientiâ, qvibus moribus, qvâ doctrinâ ſint imbuendi diſcipuli, noverint, ſed multo etiam majore cum vigilantia cognoſcendum eſt, qvibus à vitiis, moribúſve mendoſis ſint avocandi. [8] Non tantum enim emolumenti ex

omnibus,

omnibus, qvas discunt virtutibus, qvantum damni, ex unico, in qvo connivetur vitio, juvenes capiunt. 9 Etsi autem pravitates, à qvibus nutritores discipulos avocare debent, multæ sunt: Qvatuor tamen sunt vitia præcipua, qvorum si aliqvò nobilis notatus & infamatus fuerit, gravissimam Rector, à qvo institutus est pœnam meretur. 10 Primum ergò ita lingvas discipulorum magistri refrenent & coërceant, ut illos neqve jocô neqve * seriò mendaces esse patiantur; 11 nihil enim honesto alicui turpius, qvàm veritatis parcum; nihil abjecto & humili probrosius, qvàm mendacii largum esse. 12 Nam per jocum in pueritia mentientes, seriò posteà mentiri in senectute assvescunt. 13 Deinde institutores discipulos à ludo arceant, ne in juvenili ætate aleatores esse, & in summam rerum aleam jacere consvescant. 14 Ludendi qvippe libido, morbus est, qvi canis rabiosi naturam refert, qvi si qvem semel mordet, nec celerrimum & exqvisitum adhibetur remedium, in perpetuum rabidum reddit, ita ut rabies dira ad mortem usqve perpetuò duret. 15 Præterea niti decet educatores, ne nobiles fidei suæ commissos, leves, audaculos, aut inverecundos esse sinant. 16 Non permittendum esse dico, ut sint leves: Qvia juvenes levitate & inconstantiâ exultantes, in senecta pessum ire, usitatissimum est. 17 Non assentiendum ajo, ut sint audaculi; qvoniam juvenes præferoces, in viros evadunt turbulentos & seditiosos. 18 Non ferendum denique affirmo, ut sint impudentes: Qvoniam juvenis impudens in virum neqvam evadit, & prudentiæ, sapientiæqve expertem. 19 Postremò summam adhibere rectores curam debent, postqvàm ex ephebis excesserint adolescentes, ne obscœnis illos libidinibus inqvinari & contaminari patiantur, sed titillationi affectuum, pravisqve inclinationibus adolescentiæ capistrum remediumqve adhibeat boni castiqve *magistri prudentia. 20 Ita qvippè comparatum est carnis exsecrandæ ingenium, ut nimis maturè pulset fores, & si semel aperiantur, ad extremum usqve halitum claudi sibi illas nolit. 21 Etenim tale est luxuriæ vitium, ut ei sese dare homines, sine conscientiæ scrupulo, sine famæ damno, sine fortunarum jactura, sine memoriæ corruptione, sine valetudinis discrimine, sine vitæ detrimento, imò etiam sine publico scandalo nunqvàm possint. 22 Per Deum immortalem, qvi nos condidit, Te obtestor, ô nutritor horum nobilium, per officia nobilitati debita Te obsecro, ut discipulos fidei tuæ commissos, in hoc passu aspero coërceas frenô, habenas eis qvam brevissimas permittens, & lora qvàm minimùm laxans. 23 Profectò juvenis libidinosus, postqvàm appetitus jugum suscepit, non alium indè, cùm optimè cadit, fructum capit, nisi qvod relinqvitur corpus man-

* *Neqve jocò*] De Epaminonda Corn. Nepos, XV. III. 1. *Adeo veritatis diligens, ut ne jocô qvidem mentiretur.* De Attico idem, XXV. XV. 1. *Mendacium neqve dicebat, neqve pati poterat.* Rex David: *Perdes*, inqvit Psalmô V. 17. *qvi loqvuntur mendacium.*

mancum, ingenium tardum, memoria offuscata, sensus corruptus, voluntas depravata, ratio subversa, fama perdita, caro deniqve, qvod omnium est pessimum, antiqvum semper obtinet. [24] O qvot falluntur juvenes, semel tantùm explere animum, vitiisqve se tradere, atqve in posterum nuncium illis remittere cogitantes! Qvod tantum abest ut qvidqvam ipsis prosit, ut multô etiam plus damni afferat. [25] Non enim ligna arida ingerendô, sed magnæ aqvæ frigidæ copiam affundendo flamma exstingvitur. [26] Nihil addam prætereà, nisi qvod unicum in votis habeo, ita educari nobiles illos adolescentes, ut à Deo pietatem, à Doctoribus scientiam, ab antiqvis virtutes, à Senibus & usuperitis consilia, à Te Magistro tranqvillitatem à bonis deniqve omnibus bonum accipiant. [27] Deus Ter Opt. Maximus nos omnes servet incolumes Vale. Dabantur Gottorfii 20. Novemb. An. 1627.



XIII.

XIII.

JOH. ANDREÆ BOSII SCHEDIASMA DE COMPARANDA NOTITIA SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

Antehàc privatim traditum, nunc ſvaſu amicorum recenſitum ac publicatum.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

BERNHARDO, DUCI

SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ RAVENSTEINII.

DOMINO MEO ET PATRI PATRIÆ CLEMENTISSIMO,

PERENNEM FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

1 INter congratulationes & plausus, variasqve festivitates, qvibus ob recurrentem nunc feliciùs, qvàm unqvàm anteà, SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ natalem tota illustris aula Tua, oppidumqve hoc, & qvæ in eo est Academia Tua perstrepit, audet etiam hic libellus unà cum auctore suo genibus Tuis advolvi. 2 Non qvòd aut argumentô suô, aut concinnitate, aliâve dote, tanto Principi placere se speret posse: sed qvòd pietate auctoris sui, qvam ille submississimâ ejus dedicatione testatam nunc voluit, haud omnino displiciturum se SERENISS. CELSIT. TUÆ confidit. 3 Qvamqvàm ne sic qvidem sacro vultui Tuo sistere se ausus fuisset, nisi tempus, qvô in publicum prorupit, faustô omine in ipsum natalem huncce Tuum incidisset. 4 Qvare vel hâc solâ caussâ CELSISSIMO TUO nomini consecrandus videbatur. 5 Possem alias instituti hujus caussas, in his plurima qvibus jamdudum SERENISS. CELSITUDINI TUÆ obstrictus sum beneficia, & honestam de studiis nostris opinionem, adlegare. 6 Verùm illis non schediasma paucarum chartarum, sed justum elaboratumqve opus & debetur, & dudum votis conatisqve nostris destinatum est. 7 Nunc solummodò pietatem in illa solemni festivitate meam publicô aliqvô documentô testari debui. 8 Qvod ut clementi vultu excipias, qvantâ maximâ possum summissione oro. 9 Qvod superest, DEUM supplex veneror, ut SERENISS. CELSIT. TUAM unà cum Serenissima Conjuge, filiolaqve, in seram usqve senectutem salvos atqve incolumes, omniqve bonorum genere adfluentes conservet ac tueatur: & sicuti superiore annô ditiones Tuas insigni accessione, qvam TIBI meritô boni omnes gratulamur; ita hôc ineunte, Serenissimam Domum Tuam prole masculâ victurâqve augeat.

SERENISS. CELSIT. TUÆ


servus subjectissimus

JO. ANDREAS BOSIUS.

Jenæ d. XXIII. Februar. an. Chr. cIↄ Iↄc LXXIII.

LECTO-

LECTORI BENIVOLO SALUTEM.

[1] *Vintus jam annus labitur, ex qvo honestorum aliqvot Juvenum, SS. Theologiæ operam navantium, rogatu scholas privatas in Bellarmini librum de scriptoribus ecclesiasticis institui.* [2] *Qvibus Introductionem hanc, qvam vides, præmisi.* [3] *Paucarum aliqvot horarum labor erat; & pæne è solo memoriæ penu depromtus.* [4] *Itaqve ne relegi qvidem ab eo tempore; tantum abest ut aliqvando publicare animum induxerim.* [5] *Nuper demum amicorum nonnulli, cùm in familiaribus colloqviis de ea injecta esset mentio, haud ingratum Studiosæ Juventuti fore existimabant, si vulgaretur.* [6] *Etsi ego non ignorabam, qvàm imperfecta parumqve elaborata esset, tamen eorum consilio obseqvutus recensui, & in justæ dissertationis formam redegi: pauca etiam addidi, sed non alia, qvàm qvæ sub manu mihi nascebantur.* [7] *Nam ut attentiore animô, diligentiqve meditatione in eam incumberem, non admittebant occupationes aliæ.* [8] *Qvidqvid igitur hoc opellæ est, boni consulas oro, nec aliô, qvàm Schediasmatis locô, non eruditis, sed tironibus scripti, habeas.* [9] *Qvòd si non omnino displicuisse intellexero, dabo,* DEÔ *dante, alias Introductiones similes, sed elaboratiores, ut in Notitiam Geographicam, Rerumpublicarum,* * *Religionum, historiam sacram, profanam, litterariam, &c.* [10] *Nam cùm ipsa earum syntagmata à me perfici posse desperem; saltem hâc ratione earum cultoribus consulere decrevi.* [11] *Vale, & studiis nostris fave; eaqve adversus obtrectatores nostros, qvorum haud exiguum esse numerum indies magis magisqve intelligo, tuere.*

* Prodiit Bosii Introductio Generalis in Notitiam Rerumpubl. Orbis universi Jenæ M. DC. LXXVI. in 4to. Cui accesserunt ejusdem Bosii Dissertationes de Statu Europæ, qvibus omnium ejus Imperiorum juxta & Imperantium numerus, Religionis item, litterarum belliqve, ac pacis ratio, qvalis nuper erat, designatur.

I. N. J. C.

INTRODUCTIONIS IN NOTITIAM SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

CAPUT PRIMUM.

Ratio appellationis. Notitia genus historiæ. Notitia episcoporum Africæ; villæ Nouilliacæ; officiorum, artificum, emolumentorum, sportularum, delegationum, scholarium; dignitatum utriusqve Imperii; Episcopatuum, provinciarum, urbium; Orbis, Galliæ, Franciæ, Imperii Rom: Germanici, Westphaliæ, Genealogica. Augusti breviarium Imperii. Pancirollus notatus. Notitiæ hujus nomina alia, & descriptio. Ad qvam historiæ speciem pertineat. Objectum illius scriptores Ecclesiastici, & eorum scripta. Ecclesiastici vox in hoc genere diversimodè usurpata. Ecclesiastici Scriptores, pro sacris sive Theologicis universè: pro Christianis: pro Patribus: pro orthodoxis; pro Canonicis; pro Apocryphis. Seneca, Josephus, & Philo inter Scriptores Ecclesiasticos, & cur? Heracleon hæreticus. Absensum H. Valesio. Libri ἐκκλησιαζόμενοι, ἀντιλεγόμενοι, Apocryphi. Epistolæ ecclesiasticæ. Canones Ecclesiastici. Κανὼν ἐκκλησιαστικὸς pro consvetudine Ecclesiæ. Libri Ecclesiastici. Ecclesiasticus Siracidis. Scriptorum Ecclesiasticorum appellationes aliæ. Varium eorum argumentum, & discrimen ratione temporis, argumenti, αὐθεντίας, ecclesiarum, idiomatis.

I. ACturis breviter. qvod Deus bene vertat, de *Notitia Scriptorum Ecclesiasticorum*, primò omnium appellationis reddenda nobis ratio est; qvâ primi fortassis utimur; non tamen sine ratione, nec novô prorsus exemplô: sive ut habitum animi, sive ut descriptionem litteris consignatam spectes.

II. Nam si mentis, ecclesiasticos scriptores pernoscentis, habitum eâ voce designamus, qvodnam aptius naturæ illius exprimen-

primendæ vocabulum invenias? Historia omnis, notitia sive cognitio (habitualis scilicet) est. Nec aliud qvidqvam generis locum in definitione ejus temerè impleat: præsertim cùm ad certam vulgarium qvinqve habituum Aristotelicorum speciem restringi vix possit. De qvo plura alibi, librô de natura & varietate historiæ, c. II. Jam historiæ species, seu potiùs certæ speciei pars est, qvidqvid de scriptoribus Ecclesiæ mens nostra percipit. Qvidni igitur *Notitiæ* nomine veniat?

III. Sed & descriptiones historicæ, catalogiqve singularium rerum ac personarum, jamdudum *Notitiæ* consvevêre nomine insigniri. Superest ab annis circiter CIↃ CC. *Notitia Provinciarum & civitatum Africæ*, seu, ut ejus editor appellat, *sedium Episcopalium Africæ*, ante hos annos XLIII. à Jacobo Sirmondo, cui plura ecclesiasticæ antiqvitatis monumenta lucem debent, cum opusculis dogmaticis veterum qvinqve scriptorum, Leporii, Capreoli, Isaaci ex Judæo, Victorini Afri, & anonymi cujusdam vulgata; Parisiis anno 1630. continens *nomina Episcoporum catholicorum diversarum provinciarum, qvi Carthaginem ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei die Kal. Febr. annô VI.* (seu, ut Sirmondus legi vult, VIII.) *regis Hunerici*, secundùm ordinem provinciarum urbiumqve, sed passim corrupta, & alibi, Deô dante, à nobis emendanda, disposita. Idem Sirmondus cum Flodoardo edidit Hincmari Rhemensis *Notitiam villæ Noviliacæ*, qvam à Carolo Calvo impetraverat. Vide Voss. de Hist. Lat. lib. II c. XXXVI.

IV. Nempe veteribus Brisso. Lexic. verb. Juris: Gothofr. ad L. I. § 8. C. de off. Præf. Præt. Afr. Panciroll. comm. in Notit. Imp. p. 3. *Notitia* interdum nil aliud est, qvàm descriptio, indiculus, recensio certarum rerum, ut dignitatum, officiorum &c. certi alicujus Imperii, aut certæ illius partis, diœceseos, provinciæ, &c. Hinc in libris Juris Justinianei *Notitia omnium officiorum, qvibus necesse est per sacras probatorias militiæ sociari*: l. ult. C. de div. offic. *Notitia artificum*, ab universis muneribus immunium: l. I. C. de excus. artif. *Notitia emolumentorum*, qvæ Præfectus Prætorio Africæ, Consulares & Præsides ejus, & unusqvisque ex officio eorum de publico conseqvi debent: l. I. §. 4. & 8. C. de off. Præf. Præt. Afr. Itemqve Ducibus in Africa eorumqve officiis prò annona & capitu per singulos annos præbendorum: l. ult. §. 16. 17. 18. 19. C. eôd. *Notitia sportularum*, patronis fisci dandarum: l. III. §. 3. C. de advocat. div. judicum. *Notitia particularis delegationum*, ante indictionis tempus singulis provinciis transmitti solita: l. II. C. de indict. Deniqve *Notitia Scholarium*, l. ult. C. de off. Mag. offic.

V. Versatur & in manibus eruditorum *Notitia dignitatum omnium tàm civilium, qvàm militarium, in partibus Orientis & Occidentis*, mediô sæculi qvinti Christiani conscripta; & pridem à Gvid. Pancirollo cum prolixis commentariis, nuper etiam à Car. Annib. Fabroto, ut audio, vulgata. Vulgo *Notitiam utriusqve Imperii* vocant. Qvem codicem Pancirollus præfat. in Notit. Imper. fol. 1. ab Augusto primùm sub nomine *breviarii totius Imperii* compositum, à seqventibus Imperatoribus retentum, se sub nomine *Notitiæ*,

titiæ, prout Imperii tempora exigebant, minutum, ampliatum & immutatum censet. Sed breviarii illius aliud institutum fuisse, apparet ex iis, qvæ de eo Svetonius, Augustô, c Cl. Tacitus, annali I. c. XI. 6. 7. & Dio Cassius, LVI. historiarum in litteras retulerunt. Ipsius instituti utilitatem, præter Interpretes Taciti, Christoph. Förstnerum, Scipionem Amiratum, lib. I. disc. V. Pium Mutium, part I. considerat. LIX. Georg. Palearium, observ. XLVI. J. H Boeclerum, annot. IX. exponit Clapmarius Arcanorum V. c. XIV, & Politici passim †. Rectè tamen *Notitiam Imperii* vocari, haud abnuerim.

VI. Nostrô tempore *Notitiam antiqvam Episcopatuum Ecclesiæ universæ* dedit, Paris. an. 1641. eiqve varias *Notitias Patriarchatuum sediumqve Patriarchalium*, *Metropolitanorum*, *Acephalorum*, *Archiepiscoporum & Episcoporum*, *Provinciarum* item & *urbium Imperatoribus Constantinopolitanis subjectarum*, è MSS. codd. Vaticanæ, regiæ Parisiensis, & Thuaneæ Bibliothecarum depromtas, adjecit Carolus à S. Paulo, Episcopus Abrincensis. *Notitiam Orbis Geographicam per litora maris & ripas fluviorum*, Georgius Fournier: Paris. 1649. *Notitiam Galliæ*, Josephus Scaliger: inter opuscula varia à Casaubono edita, p. 69. & deinceps *. *Franciæ*, Jo. Limnæus; *Imperii Romano-Germanici*, Boeclerus; Argentor. M. DC. LXXXI. in 8t. *Saxo Westphaliæ veteris*, *finitimarumqve regionum*, Jo. Justus Winckelmannus: *Genealogicam Germaniæ*, & *S. R. Imperii ac externorum aliqvot Principum*, Gabr. Bucelinus: tom. I. Germaniæ Topo-Chrono-stemmatograph. part. III. & tomô II. ac Nuclei histor. parte II. aliasque forsan alii.

VII. Horum igitur exemplô liceat nobis, cùm alias deinceps historiæ species partesve, tùm nunc eam qvæ de scriptoribus Ecclesiæ agit, *Notitiæ* nomine insignire; idqve semel adseruisse. Quod si cui nihilominus displicet, per me sanè licet cum aliis *Bibliothecæ Theologicæ*, *aut ecclesiasticæ*, *Apparatus Sacri*, aut qvodcumqve aliud ei aptius videbitur, nomen illi imponat. Neqve cum qvoqvam de voce contendemus: qvi alioqvin eô sumus ingeniô, ut ne de re qvidem ulla libenter, ac ne inviti qvidem, nisi conscientia jubeat, cum ullo hominum litigemus.

VIII. Qvôcumqve verò nomine appelletur, designatur historia Scriptorum ecclesiasticorum, operumqve ab iis de rebus sacris exaratorum.

IX. *Historiam* dixi: qvia ad hanc omnino spectat, certæqve illius speciei pars est. Ac agitur qvidem de scriptoribus Ecclesiæ passim in historiæ pragmaticæ parte, qvæ Ecclesiastica dicitur, cùm, qvi doctores unôqvoqve tempore in Ecclesia floruerint, exponitur. Sunt & Notitiæ Religio-

num

† Tu adde Casaubon. ad Lamprid. in Alexandr. Severo, c. XXI. Tom. I. Histor. Aug. p. m. 912. a. Joan. Bodin. VI. de Republ. c. II. p. m. 1052. s. edit. Francof. CIↃ IↃC IX. in 8r. Christoph. Adam. Rupertum in Flori I. VI. 3. p. 115. malè adducentem tamen *Spartianum* pro *Lamprid.* in Alexandr. Sed totus iste liber ab obitu Auctoris editus seriam emendationem reqvirit. isqve qvi eô utitur, circumspectè uti debet.

* Vales.

num haud postrema pars, cujusqve religionis sectæqve, aut ecclesiæ, doctores scriptoresve. Neqve minùs in historia prosopographica, sive personarum, doctoribus ecclesiæ, qvàm aliis doctrinâ, virtute, rebusqve gestis claris hominibus, suus debetur locus. Attamen prout nunc à nobis considerantur, eorum historia propriè ad historiæ litterariæ partem, qvæ de scriptoribus agit, referenda videtur.

X. Objectum enim illius sunt *Scriptores Ecclesiastici*, eorumqve *opera* sive *scripta*. Qvâ appellatione qvi qvæve designentur, ex iis, qvæ subjiciemus, ampliùs elucescet.

XI. *Ecclesiastici* vocabulum, cùm de scriptoribus scriptisve usurpatur, non unô significatu accipitur. Latissimus est, cùm omnes eos denotat, qvi de rebus ad Ecclesiam DEI qvôcumqve modô pertinentibus agunt; adeoqve tàm antiqvi, qvàm novi federis, tàm canonicos, quàm apocryphos scriptores, etiam Judæos qvosdam veteris synagogæ, complectitur; ac ferè solos Gentiles, Judæos, ac Mahumetanos excludit. Qvô sensu, hâc voce Bellarminus, ac Labbeus, in opusculis, infra suô locô memorandis, usi sunt.

XII. Proximus ille est, cùm soli scriptores novi federis sive Christiani vocantur *ecclesiastici*; sic tamen ut tàm sacri & θεόπνευστοι, sive canonici, qvàm alii, qvi ad nostra usqve tempora in Ecclesia Christiana floruerunt, eô nomine comprehendantur. Qvâ ratione eâ usi sunt S. Hieronymus præfatione libri sui de viris illustribus, Honorius procemiô libelli de luminaribus ecclesiæ, qviqve utriqve libello titulos, qvos hodie præferunt, præfixêre. Nam etsi in iis etiam Philonis & Josephi Judæorum scripta, ac Senecæ item epistolæ † ad Paullum Apostolum recensentur; pauci tamen sunt,

† *Seneca Epistola ad Paullum*] Repræsentant eas Hubertus Schutteputæus Canonicus Regularis in Monasterio Bethleemitano juxta Lovanium in principio Sententiarum Senecæ qvas is in Locos communes digessit & Antverpiæ edidit M.DC. XIII. in 12. & B. D. Waltherus in extrem. Officin. Biblic. p. m. 1213. s. in melioribus operum Senecæ editionibus, qvas in c. I. part. IV. Animadversion. mearum, §. 4. enumeravi, omissas. Leguntur tamen qvoqve in editione operum Senecæ Basileensi, per Erasmum curata annô M. D. XXIX. p. m. 691. s. at non sine seria & severa monitione, p. 690. indignas esse scil. qvæ Paullo adscribantur ac Senecæ. Fuerunt sanè priscos inter non pauci Christianos, qvi Senecam propemodùm pro Orthodoxo amplexi sint, inducti partim præceptorum, qvibus abundat, gravitate & sanctitate; partim commendatione libelli, dictas qvi continet epistolas ultrò citróqve Paullum Apostolum inter & L. Annæum missas. A qvorum sententia non alienus fuit Sixtus Senensis, lib. II. Bibliothec. sanctæ, p. 88. 89. edit. Coloniens. al. p. 115. 116. ubi & eas recenset. Pamelius ad c. XX. libr. de Anima Tertulliani, Hieronymo potiùs credendum scribit, qvàm Ludoviço Vivi (Comment. in Augustini libr. VI. de Civit. DEI, c. X p. m. 606. edit. opt. Francof. M. DC. LXI. in 4to) qvi eas ab illis scriptis negat. Hieronymi, qvem & noster Bosius hic adduxit, verba in Catologo Scriptorum Ecclesiasticor. Tomô I. Operum, p. 271. sunt hæc: *Senecam*

ſunt, nec ob id *eccleſiaſticorum* appellatio amplianda videtur. Ne dicam, Senecam à qvibuſdam pro Chriſtiano habitum, etſi perperam id factum eſt: Joſe-

Senecam non ponerem in catalogo ſanctorum, niſi me litera provocarent, quæ leguntur à plurimis, Paulli ad Senecam; & Seneca ad Paullum; in qvibus, cùm eſſet & Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit, ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Paullus apud Chriſtianos. Alf. Salmeron Jeſuita, Commentar. in Philipp. IV. 22. citans has Epiſtolas, ut probet, Senecam unum fuiſſe ex iis in Cæſaris familia. qvi ſalutârunt fideles Philippi, teſtanſqve Diſp. III. in Paulli Epiſtolas, ab aliis etiam adduci, ut perſvadeant, S. Paullum, plures qvàm XIV. ſcripſiſſe Epiſtolas: ibidem de iis pronunciare non veretur, materiam illarum non multum certè diſtare ab illis Joannis Euangeliſtæ ad electam dominam, & ad Cajum, aut Apoſtoli Paulli ad Philemonem. Suſpectæ autem ſunt meritò illæ Epiſtolæ Cardinali Baronio, Tom. I. (non IV. ut in B. Waltheri Officina Bibl. p. m. 1218. §. 1424. edit. Witteb. CIↃ IↃC LXVIII. in 4to mendoſè habetur; nec V. ut in Riveti Tom. II. Oper. p. m. 1075. edit. Roterod. M. DC. LII. vitiô Typographi legitur, receptô ex edit. Genev. in 8r. Critici ſacri, lib. I. c. V. p. m. 129.) Annal. ad Ann. Chr. non LXXI. ut malè adducitur à Leonh. Coqveo Aurelianenſi in lib. VI. Auguſtin. de Civ. DEI. c. X. p. m. 608. edit. dictæ Francof. ſed LXVI. n. XI. p. m. 703. 704. edit. Antverpienſ. M. D. LXXXIX. Unde autem fluxerit hæc opinio de illis Epiſtolis oſtendit n. XIII. Exſtant enim qvædam acta Paſſionis Paulli, Lini nomine conſignata, in qvibus hæc leguntur de Paullo & Seneca: *Inſtitutor Imperatoris adeò eſt illi amicitiâ copulatus, videns in eo divinam ſcientiam, ut ſe à colloqvio illius vix temperare poſſet; qvô minus ſi ore ad os alloqvi eum non valeret, freqventibus datis & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine & amicabili colloqviô frueretur. Sed ea acta*, ſubjicit rectè citatô locô Coqvæus, *multis erroribus eſſe referta, ut Lini non eſſe conſtet, idem oſtendit* ſcil. Baronius. Pro auctoritate illarum video & nonnullos adlegare Auguſtinum, Tomô II. Oper. Epiſt. LIV. (vitioſè enim rurſus in Baronio & Riveti Critic. ſacr. lib. I. c. V. p. m. edit. Genev. 129. & Tom. II. Oper. p. m. 1075. 2. Epiſt. XIV. legitur. qvod non præter rem moneo, ut Lector exemplum capiat; qvàm vitioſa ſit Genevenſis, nec melior Roterodamenſis Riveti libr. editio, qvò adlegationibus diffidere diſcat.) p. 94. edit. Lugdun. vel, p. 251. edit. Altdorf. M. DC. LXVIII. in 4to. in hæc verba loqventem: *Seneca temporibus Apoſtolorum fuit: cujus etiam quædam ad Apoſtolum Paullum leguntur Epiſtola.* At hic Pater rectiùs ſentientibus vix adverſari videtur, ut oſtendit B. Brochmand. in Exercitatione II. Speciminis Scriptorum Eccleſiaſticor. Sect. VIII. §. 3. Juſtô Lipſiô, extr. Vitæ Senecæ, c. X. auctore, Epiſtolæ Senecæ ad Paullum *quæ nunc ſunt, non ſunt tanti: imò certum eſt, ejuſdem auctoris & Paulli & Seneca illas eſſe, & compoſitas à ſemidocto in ludibrium noſtrum. Tentat Latinè loqui, qviſqvis auctor fuit. Ergo inter ſe non ſcripſerunt? Hieronymus, de Scriptorib. Eccleſiaſt. Auguſtinus Epiſt. LIII. ad Macedonium* (al. LIV.) *& VI. de Civit. c. X. atqve etiam antiqvior utrôqve Linus Pontifex, de Paſſione D. Paulli adferunt, & paſſiva opinio olim fuit. Atqve adeò Jo. Sarisberienſis fortiter, lib. VIII. Polycrat. c. XIII.* (p. m. 519. edit. opt.

Lug-

Josephum qvoqve & Philonem, illum ob testimonium, qvod Christo Servatori nostro præbuisse à plerisqve creditur; hunc ob ea qvæ, qvorumdam sententiâ, de ascetis † & monachis primæ Ecclesiæ sub *Essenorum* nomine scripta reliqvit, inter Christianos recensitos esse.

XIII. Arctiùs significatum vocis constringunt, qvi *ecclesiasticos scriptores* sacris & in codice Biblico contentis opponunt.* Ut faciunt omnes illi, qvibus iidem sunt, ac qvos vulgò *Patres* vocamus. Atqve sic & Eusebius accipi potest, cùm sub initium historiæ ecclesiasticæ, lib. I. c. I. p. 4. edit. Vale-

Lugdunens. Batav. annô CIↃ IↃ XCV. in 8r.) Mihi desipere videntur, qvi qvemcumqve seqvuti, non venerantur eum, qvem & Apostoli familiaritatem meruisse constat, & à doctissimo patre Hieronymô in sanctorum catalogo positum. *Itaque rejicere hoc totum*, pergit Lipsius, & *calcare non ausim: fuerint alia qva, sed alia: Si ista, reqvire judicium optimorum Patrum. Sed qvid alii etiam de Seneca, videamus.* Judiciô Andr. Riveti, cit. loc. non longè distant à vero, qvi inter Pontificios judicant, *scriptas fuisse ab aliqvo ad ingenium exercendum, ut libellus qvi prodiit sub nomine Ciceronis, de Consolat. ad filium.* Et ita judicat Possevin in Adparatu, Tom. I. in initio ad Lectorem; qvem & vide ipso in Adparatu, Voce Seneca, p. 389. 390. Item Robert. Cocum, Anglum, in Censura, p. m. 20. 21. edit. opt. Helmestad. CIↃ IↃC LV. in 8r. Nicolao Fabro Senatori Regio in extr. præfation. in libros Senecæ, qvæ opusculis qvoqve ejus Parisiis M. DC. XIV. editis in 4to inserta est, p. m. 80. Epistolæ ad Paullum Senecæ *non magis eximium Annæi ingenium sapiunt, qvàm responsiones ad illas DEO plenum καὶ θεόφρον Paulli stilum. Ideoqve*, pergit Faber, *à doctis non magis pro Seneca germanis agnoscuntur, qvàm responsiones ab Ecclesia pro Paullinis. Antiqva sunt & ante Augustini, Hieronymiqve ætatem, sed non nostrô demum seculo ejusmodi suppositiones occœperunt.* Tu lege præter adductos & Robert. Ballarmin. de Scriptorib. Ecclesiastic. p. m. 23. edit. opt. Coloniens. M. DC. LXXXIV. in 4to. Centur. Magdeburgens. Cent. I. lib. II. p. 60. B. Frideric. Balduin. in Programmate, qvô explicationem Epistolæ Paulli ad Galatas, Studiosis indixit, præfixo Commentario ejus in Epistolas Paulli omnes ceteris cum Programmatib. Joh. Mich. Dilherrum, lib. III. Electorum, c. III. D. Christian. Kortholt. in Dissertatione Historica de Philippi Arabis, Alexandri Mamææ, Plinii junioris, Annæi Senecæ Christianismo, Sect. ult. edita & habita Rostochl annô 1662. in 4to. Johann. Hoornbeeckium in Miscellaneis sacris, lib. I. c. I. Sect. II. § XII. p. m. 46. s. Scripsit breves Commentariolos dictas in Epistolas Paulli ad Senecam Jacobus Faber Episcopus Viennensis.

† *De Ascetis & Monachis*] Omnino Hieronymus de Scriptorib. Ecclesiastic. & qvidem in Marco, adlegat Philonis eorum de Institutis librum. Nempe *de Vita Contemplativa*, qvi inter Opera ejus hodieqve exstat; qvem de Monachis Christianis scriptum esse, miror sanos homines adfirmare ausos; vocat enim Philo suos illos therapeutas Mosis discipulos, Mosisqve instituta docet observare, p. 752. edit. Gelen. Hieronymum excuso, nam Eusebium, cujus fidem non semel in dubium vocat Bellarminus, seqvutus est. Vide hic §. XXI. Deniqve librum eum non perfunctoriè legenti, qvid distent æra lupinis manifestum fiet.

Valesianæ ait, *ex ecclesiasticis scriptoribus neminem se, qvi in eo scriptionis genere elaborâsset, deprehendisse.* Μηδένα πω εἰς δεῦρο τῶν ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων διέγνων περὶ τοῦτο τῆς γραφῆς σπουδὴν πεποιημένον τὸ μέρος. Nisi qvis malit eô qvem mox indicabimus significatu accipere. Etiam apud Cyrillum Hierosolymitanum (sive qvis illius operis auctor est) catechesi XV. Illuminatorum p. 160. ed. Par. an. 1640. ἐκκλησιαστικοὺς ἐξηγητὰς malim hôc sensu, qvàm cum doctissimo Valesio not. in Eus. H. E. lib. II. c. XXV. p. 42. *Catholicos* interpretari. Nulla enim illic hæreticorum mentio fit. En ipsa illius verba: βασιλείαν τετάρτην εἶναι τῶν Ῥωμαίων, οἱ Ἐκκλησιαστικοὶ παραδεδώκασιν ἐξηγηταί *Qvartum regnum esse Romanorum, Ecclesiastici interpretes tradiderunt.* Christianos simpliciter designari, manifestum est.

XIV. Porrò augustiore adhuc significatu soli qvandoqve orthodoxi per id nomen designantur, & ab heterodoxis discernuntur. Sic Hieronymus *Ecclesiasticos* opponit *hæreticis*; Procemiô commentariorum in Matthæum, Tom. VI. edit. Colon. & Antwerp. sub init. *Qvibus cunctis perspicere ostenditur, qvattuor tantùm debere Euangelia suscipi, & omnes apocryphorum nanias mortuis magis hæreticis, qvam Ecclesiasticis vivis canendas.* Librô IV. commentariorum in Ezechielem, tomô IV. p. 362. *Qvorum alterum refertur ad Ecclesiasticos viros, alterum ad omnes hæreticos.* Epiphanius qvoqve, hæresi LXX. tom. I. p. 821. edit. Petavianæ Paris. ann. 1622. Audianos hæreticos *Ecclesiasticis* opponit. Λόγον, inqvit, συκοφαντούμενον δεικνύουσι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς. h. e. interprete Petaviô: *Calumniantur, & Ecclesiasticis falsam rationem objiciunt.*

XV. Qvæ loca jam Valesius in Eusebium, l. c. indicavit. Qvi & Eusebium sic interpretatur, cùm II. histor. Eccles. c. XXV. Gajum ἐκκλησιαστικὸν ἄνδρα Proclo τῶν κατὰ Φρύγας hæreticorum antistiti opponit; redditqve Latinè *virum catholicum.* Itemqve Origenis illa, tomô XVI. in Joannem, tom. II. p. 347. ed. Basil. ann. 1571. *Dicétqve profectò Heracleon, & secum fortassis sentiens alius etiam ecclesiasticus, propter hanc expositionem hæc dicta verba esse in ea significatione, qvâ dictum est, MESSIS QVIDEM MULTA, &c.* Deniqve illud Hieronymi commentariis in Ecclesiasten, tomô V. p. 27. *E contrario intelligendum, qvòd ecclesiasticus vir, episcopus videlicet & presbyter, si de leprosa domo lapidem abstulerit, in cinerem & pulverem conterendum, dolebit in eo ipso, &c.*

XVI. De Origene haud repugnaverim: cùm statim subjiciat: *essentqve idonei ad salutem, secundùm Heracleonem qvidem, qvia tales creati fuerint &c. secundùm Ecclesiasticum verò propter diligentem præparationem ejus partis animæ, qvæ præstantissima est, &c.* ut appareat, *Ecclesiastici* sententiam illi hæretici opponi. Erat enim Heraclion, qvem passim (vide p. 276. 280. 296. 344. 355. 379. 382.) confutat in illis commentariis Origenes: familiaris Valentini (Origenes ibid. p. 276.) hæretici, & cum eo paria sentiens; Tertullian. de præscript. c XLIII. ab eoqve orta fuit Heracleonitarum secta, de qva Epiphanius hæresi XXXVI, aliiqve. De Eusebio qvoqve facilè

faciliè adſentiar: etſi aliter explicari poſſit. At apud Hieronymum aliô, eôqve ſtrictiore ſignificatu *Eccleſiaſticum* dici, ex addita explicatione, *epiſcopus videlicet & presbyter*, manifeſtum eſt. Cujus exempla idem Valeſius paullò pòſt pluſcula adduxit. Pro orthodoxis autem & alibi uſus videtur Euſebius. Ut cùm librô III. c. XXI. & ſeqq agit περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων, *de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, (ita enim habet titulus capitis, qvem unà cum reliqvis ab ipſo Euſebio eſſe docet Valeſius, not. in Euſeb. p. 3.) *qvorum libros* ait *ſinceram Apoſtolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continere.*

XVII. Sunt etiam qvi libros ſacros, Bibliorum codice contentos, qvos nunc in canonicos & apocryphos (qvorum illos veteres ἐκκλησιαζομένους, hos ἀντιλεγομένους; *apocryphos* autem, qvi in codice Biblico planè non erant, appellabant) diſtingvimus, hâc appellatione diſcernunt: ſed alii aliter, ac diverſô, immo contrariô ſenſu. Nam qvidam canonicos; contra ea alii apocryphos (ſi Sixto Senenſi, lib. I. Bibliot. ſacræ. credimus, idcirco *qvòd publicè in Eccleſia legerentur*) ita vocant.

XIIX. Canonicos ſic vocat Hieronymus, epiſtola CXXIX. ad Dardanum, cùm ait, *veteres ſcriptores abuti teſtimoniis* ex epiſtola ad Hebræos & Apocalypſi petitis, *non ut interdum de apocryphis facere ſolent; ſed qvaſi CANONICIS ET ECCLESIASTICIS*: illamqve *eccleſiaſtici viri eſſe, & cotidie eccleſiarum lectione celebrari* adfirmat. Eôdem ſignificatu hanc vocem uſurpâſſe videtur Auguſtinus, cùm librô XXII. contra Fauſtum Manichæum, c. IX. tomô VI. edit. Colon. p. 165. ab eo poſcit, ut, qvod dixerat, *oſtendat non ex qvibuſcumqve litteris, ſed ECCLESIASTICIS, CANONICIS, CATHOLICIS*: additqve; *Ipſas eſſe qvas receperit & teneat Eccleſia totô orbe diffuſa, qvæ per illas etiam ſit prophetata: ac per hoc illud qvod Fauſtus poſuerat, qvia CANONICUM non ſit, non ſe conſtringere*: deniqve paullò poſt *apocrypham Scripturam* vocat, cujus teſtimoniô Fauſtus nitebatur. Leontium qvoqve librô de ſectis, actione II. *eccleſiaſticos* libros pro canonicis nominâſſe, obſervavit Dan. Chamier, tomô I. Panſtratias catholicæ, librô IV. capite I. numerô IIX. & IX.

XIX. Contrariô ſignificatu pro apocryphis, qvos nunc vocant, *eccleſiaſticos* dixit Ruffinus in expoſitione Symboli ad Laurentium, cùm tom. IX. oper. Hieronymi, p. 70. ait, *eſſe* (præter Canonicos ſcilicet veteris ac novi Teſtamenti libros, qvos recenſuerat) *alios libros, qvi NON CANONICI, SED ECCLESIASTICI à majoribus appellati ſint, ut Sapientiam Salomonis, & aliam Sapientiam qvæ dicitur Sirach, qvi liber apud Latinos hôc ipſô vocabulô ECCLESIASTICUS appelletur: qvô vocabulô non auctor libelli, ſed ſcripturæ qvalitas cognominata ſit.*

XX. Rurſus aliter vox iſta accipitur, cùm litteræ ſeu epiſtolæ, qvæ ab eccleſiaſticis, id eſt Clericis vel Epiſcopis, ad alios eccleſiaſticos, vel & à laicis, plerumqve de rebus ad Eccleſiam pertinentibus ſcribebantur,

 *eccle-

* *ecclesiastica* vocantur, ut in canone VII. synodi Arelatensis, canone XI. Chalcedonensis, in epistola Liberii episcopi Romani ad episcopos Orientales, in epistola Paschali III. Theophili Alexandrini, & alibi. De qvibus epistolis prolixè agunt Franc. Bernardinus Ferrarius librô peculiari; Carol. Labbeus in observationibus in synopsin Basilicorum, à p. 195. usqve ad 208. edit. Paris. ann. 1606. Baronius ad annum Christi CXLII. numerô XI. & deinceps; Christ. Justellus in notis ad Codicis canonum ecclesiæ universæ canonem CLXXIX; Blondellus in opere Gallico de primatu in Ecclesia, de la primauté en l'Eglise, à p. 452. ad 475. usqve; & nuper Josua Arndius in Lexico antiqvitatum ecclesiasticarum p. 389. & deinc.

XXI. Ab hac acceptione parum distat illa, qvâ *constitutiones* & *canones ecclesiastici* (θεσμοὶ & κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ) vocantur, qvi de rebus sacris & personis ecclesiasticis sanciti sunt. Qvanqvàm eâ appellatione aliqvando non scriptæ constitutiones, sed sola consvetudo ecclesiæ indicatur. Ut cùm canone II. Synodi Nicænæ dicitur, *multa facta esse* παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν: i. e. *præter consvetudinem ecclesiasticam*. Sic Cornelius episcopus Rom. in epistola ad Fabium, apud Eusebium, lib. VI. histor. eccl. c. XLIII, ait Novatum non percepisse, qvæ debebat κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, *secundùm regulam ecclesiasticam*. Et Eusebius ipse, lib. II. c. XVII. ait, Philonis librum de ascetis in Ægypto continere manifestè τοὺς ἔτι καὶ νῦν πεφυλαγμένους τῆς ἐκκλησίας κανόνας, *eas, qvæ etiam nunc servantur regulas Ecclesiasticas*: id est, mores & consvetudines ascetarum Christianorum. Atqve sic accipi debet, qvod Julius episcopus Romanus in epistola ad Episcopos Ægypti scripsit, *vetare canonem ecclesiasticum, ne decreta absqve sententia episcopi Rom. Ecclesiis sanciantur.* Τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. ut est apud Socratem, II. hist. Eccles. c. XIII. Qvod Pontificii frustra ad universalem Papæ potestatem trahunt. De qvo videri possunt M. Ant. de Dominis, VI. de repub. Eccles. c. V. section. LXXIX. & XCIIX, & Blondellus in opere modò laudatò, p. 67. & seqq. adde Salmasium de primatu Papæ, capite III. p. 31. 32.

XXII. Illa verò acceptio valde diversa est, cùm *libri ecclesiastici* appellantur, qvi, qvorumve partes in ecclesia, hoc est in templo, publicè recitantur, prælegruntur & decantantur, qvò spectant Leonis Allatii dissertationes duæ *de libris ecclesiasticis Græcorum*.

XXIII. Augustissima omnium est, qvâ liber, qvi Græcis ἡ σοφία τοῦ σειρὰχ & πανάρετος dicitur, apud Latinos jam olim, ut ex Hieronymo, Ruffino, & Augustino cognoscimus, *Ecclesiasticus* inscribitur. Cujus rei rationem investigare nunc nihil attinet.

XXIV.

* Vide qvæ dixi in Fasce nostro I. n. III. §. XVII. p. 91. s. Hìc addo Lupum Ferrariensem Epist. CXXII. scribentem: *Litteras etiam eum Ecclesiasticas habere à Venerabili Episcopo nostro G. certissimè scio, nec impedire aliqvid, si DEUS eum vocat, qvò justè infirmari possit electio.* Vidde & Hieronym. lib. II. in Ruffin. c. V.

XXIV. Ceterùm primi omniúmqve latiſſimi ſignificatûs ſcriptores eccleſiaſtici aliàs appellantur *Sacri*, *Theologici*, &c. Secundi, Hieronymo in præfatione catalogi ſunt *ſcriptores eccleſiæ Chriſti*, & *noſtri*: capite XII. *ſancti*: Euſebio, principiò hiſtoriæ eccleſiaſticæ *οἱ διὰ γραμμάτων τ̃ θεῖον πρεσβεύοντες λόγον*, *verbum DEI ſcriptis prædicantes*: Ildephonſo Toletano præfatione libelli de ſcriptoribus eccleſiaſticis *viri quorum dictis atqve doctrinis ſancta eccleſia totâ terrarum orbe diffuſa illuſtratur atqve defenditur*: Honorio *luminaria eccleſiæ*. Tertii ordinis, Caſſiodoro divinarum lectionum c. XVII. audiunt *ſcriptores legis divinæ*; appendici Ildephonſi *veteres tractatores*: aliis *Patres*, *doctores eccleſiæ*, &c.

XXV. Campus, in qvo decurrunt, latiſſimè patet, neqve ſolùm Theologica, ſed res eccleſiaſticas qvaſcumqve, ſeu qvâcumqve ratione ad eccleſiam ſpectantes, nullò methodi diſcrimine, complectitur. Sanè Bellarminus in præfatione pollicetur, ſe eos in catalogum ſuum redacturum *qvi de rebus eccleſiaſticis qvoqvô modô tractant.* Qvare non ſolùm Theologi, hoc eſt, qvi de dogmatis, controverſiis, caſibus conſcientiæ & morum diſciplina, & ſacris exercitiis agunt, aut ſacras litteras interpretantur, & vulgò *Catechetæ*, *Dogmatici*, *Polemici*, *Scholaſtici*, *Moraliſtæ*, *Caſuiſtæ*, *Aſcetici*, *Myſtici*, *Exegetici*, *Practici* vocantur: ſed etiam ſacri Poëtæ, Oratores, Hiſtorici, Juriſqve Canonici conſulti huc pertinent.

XXVI. Proinde deſcribi poſſunt, qvòd ſint ſcriptores illuſtres in Eccleſia DEI viventes, qvi de rebus ſacris aliqvid ſcriptô conſignârunt.

XXVII. Magna eorum varietas eſt. *Ratione temporis*, qvô vixêre, cum Bellarmino in ſcriptores *veteris* ac *novi Teſtamenti*, hiſqve rurſus per ſecula Chriſtiana diſtribui poſſunt. Ratione *argumenti*, in *Theologicos* ſive dogmaticos (qvorum itidem variæ ſunt claſſes, paullò ante recenſitæ: catologi Pariſienſes XI. faciunt, 1. *Bibliorum ſacrorum*, 2. *Conciliorum & Decretorum*, 3. *Patrum*, 4. *Theologiæ Scholaſticæ*, 5. *Poſitivæ & Moralis*, 6. *Polemicæ*; 7. *Catechiſticæ*, 8. *Parænetica*, *ſeu homiliarum*, 9. *Aſceticæ ſeu librorum ſpiritualium*, 10. *Marianæ*, & 11. *librorum Eccleſiaſticorum*) *Hiſtoricos*, *Oratores*, *Poëtas*, & *Jurecconſultos*: ſeu cum Bellarmino in ordines decem: 1. *Explanatorum S. Scripturæ*: 2. *eorum qvi ſcribunt adverſus hæreticos*: 3. *Theologorum Scholaſticorum*: 4. *Collectorum & expoſitorum ſacrorum canonum*: 5. *eorum qvi ſcribunt de caſibus conſcientiæ*: 6. *Oratorum Chriſtianorum*. 7. *Poëtarum ſacrorum*: 8. *Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum*; 9. *Chronologorum*: 10. *Piorum libellorum*.

XXIIX. Ratione *αὐθεντίας* in *genuinos*, ſeu qvi verè ſunt eorum, qvorum nomine inſcribuntur; *pſeudepigraphos* ſive ſuppoſiticios; & *dubios*. Ratione *Eccleſiarum*, in qvibus vixêre, in *Orientales* & *Occidentales*; ac denuò pro diverſitate particularium Eccleſiarum illi in *Græcos*, *Ægyptios*, *Aſiaticos*, &c. hi in *Italos*, *Hiſpanos*, *Gallos*, *Germanos*, *Brittannicos*, *Africanos*, &c. Deniqve ratione *idiomatis*, qvô ſua conſcripſêre, in *Ebræos*, *Chaldæos*, *Syros*, *Copticos*, *Æthiopicos*, *Arabes*, *Græcos*, *Latinos*, &c.

CAPUT SECUNDUM.

Unde haurienda Notitia Scriptorum Ecclesiasticorum: Scriptores de iis proprii, ac de universis: Rob. Bellarminus, Anton. Possevinus, Philippus Labbeus. De singulis pluscula, eorumqve laudes ac navi. Scriptores Bibliothecarum Theologicarum.

I. DE Scriptoribus Ecclesiasticis nonnulla qvidem è picturis, statuis & monumentis eorum honori positis aliis, haud pauca etiam ex relatione & sermonibus eorum qvi cum ipsis familiariter versati sunt, cognosci possunt: pleraqve tamen è scriptoribus & libris haurienda sunt. De quibus proinde potissimùm nobis dicendum est.

II. Sunt autem illorum duo genera. Unum veluti proprium, eorum qvi de solis Ecclesiasticis scriptoribus, & ex instituto, ac peculiaribus libris: alterum veluti subsidiarium, eorum qvi in alterius argumenti scriptis, aliaqve occasione de pluribus paucioribusqve illorum egerunt. Uterqve autem vel de universis, aut saltem de omnium pluriumve classium indistinctè; vel de certi generis, uniusqve aut paucarum classium scriptoribus tractant. Nonnulli & de singulis solummodò exponunt.

III. Inter proprios, meritò primus locus lis debetur, qvi de omnium ætatum classiumqve scriptoribus ex instituto exponunt. Qvorum primus est (ante Possevini enim Apparatum conscriptus fuit, etsi post illum prodierit) liber *de Scriptoribus ecclesiasticis ROBERTI BELLARMINI*, Marcelli II. Papæ sororis, Cynthiæ Cervinæ, filii, natione Itali, patriâ Politiani, professione Societatis, qvæ JESU nomen usurpat, presbyteri, dignitate Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & aliqvamdiu Archiepiscopi Capuani, ac postremis vitæ annis Paullo V & Gregorio XV. Papis à secretioribus consiliis, cariqve inprimis, deniqve annô ætatis LXXIX, seculi hujus XXI. die XVII. Septembris, defuncti. De qvo qvi plura cupit,* adeat Possevinum in Apparatu sacro, Jacobum Foligattum in vita ejus, * qvæ operibus illius præfixa est, & Philippum Alegambium in bibliotheca

* Hic Fuligattus fuit Romanus, Societatis Jesuiticæ Concionator variis in Urbibus, Præses Congregationis B. Virginis Adsumptæ, finitus d. XII. Novembr. annô CIↃ IↃC LIII. Vitam Bellarmini Italicâ Lingvâ ab illo conscriptam Latine reddidit Sylvester Petrasancta Romanus, Jesuita, Humanar. litterarum & Philosophiæ Professor Picenus, postea Collegii Lauretani in Italia Rector, qvi annô M. DC. XLVII. VI. Maji obiit. edit. Antverp. M. DC. XXXIII. Eamdem Bellarmini vitam scripsit Didacus Ramirez, Toletanus. Societ. Jesuit. Humaniorum Lector, Collegiorum Almanozilensis & Oropesani Rector, qvi annô CIↃ IↃC XLVII. d. VIII. Aprilis spiritum posuit. Habuit qvoqve Orationem in Obitum hujus Cardinalis Roberti Tarqvinius Gallutius, Sabinus, Jesuita, qvæ Romæ prodiit annô M. DC. XXI. & Coloniæ M. DC. XXII. De morte

theca scriptorum societatis Jesu. *Virum doctum, ingeniô felici, judiciô subtili, lectione multiplici praditum* agnoscit etiam adversarius illius Guil. Witakerus. †

IV. Qvâ fini, & qvandò librum huncce suum scripserit, ipse in præfatione ejus significat, qvæ videri potest. Primùm è postrema Auctoris recognitione, cùm diu per manus eruditorum vagatus esset, in lucem prodiit annô sæculi hujus sextodecimô, obstetricante Jac. Sirmondô, tum à Romana profectione in Galliam reverso, posteà sæpiùs recusus, sed ferè incuriâ correctorum multis mendis inqvinatus; nisi qvòd editio, qvæ paucis ab hinc annis è typographia regia Lutetiæ Parisiorum prodiit, à Phil. Labbeo summâ accuratione emendata est: sed Lugdunensis qvæ paullò post prodiit, annô 1663. fœdè corrupta. † †

V. Labbeus *haud satis scire* se ait præfat. dissert. de Scriptor. Eccles. *an alterum opusculum hisce nostris temporibus exstiterit fructuosius & studiosorum omnium profectui accommodatius. Librum omnium qvos Bellarminus edidit optimum* vocat D. Calixtus, tractatu de conjugio Clericorum, sectione CCII. Et sanè fatendum est, eum multâ eruditione refertum esse. Sed & sæpius candidè profitetur, spuria * * esse, qvæ non modò Pontificiorum alii pro genuinis laudant; sed etiam ad qvæ ipsemet in controversiis provocaverat.

VI. Nihilô tamen secius meritò haud pauca in eo desiderantur *. Primò

morte ejusdem Bellarmini scripsit Eduardus Coffinus, Exoniensis Anglus, Jesuita, qvi annô CIↃ IↃC XXVI. d. XVII. April. esse desiit.

† Tu velim etiam legas B. Joh. Hülsemanni Animadversion. in Bellarmin. princip.

† † Ego utor editione Colon. M. DC. LXXXIV. in 4to. cui addita est Continuatio Andr. Saussay Parisini, Episcopi & Comitis Tullensis.

* * Hoc multis. probat exemplis D. Dorsch. in nunqvàm satis laudandi Antikircheri Prooemio, §. 49. p. 33. s.

* *Desiderantur*] Memini Petrum Wastelium ad Paullum Scherlogum in Comment. in Canticum Canticor. Johannis Hierosolymitani de Institutione Monastica ad Caprasium librum, in qvo uno tota recumbit ordinis Carmelitici structura, rejicientem, seqve Auctoritate Bellarmini tuentem ac Johannis Mariæ Brasichellensis, Magistri Palatii Apostolici, librum istum ad Caprasium homini Latino auctori tribuentium; minimè veritum pronunciare in Vindiciis Johannis Hierosolymit. consarcinatis, p. 96. s. *Qvod ad ipsum Dn. Card. Bellarminum spectat tria habentur certa: Primò qvod ad judicia spectat de libris, hujus hi sint vel alterius, voluisse ipsum eandem autoritatem haud habere librum de Scriptoribus cum libris suis aliis, tanqvàm digestum potiùs in usum proprium, qvàm in prajudicium eorum, qva monstrari possent veriora. Secundò, qvòd ipse suis oculis librum Johannis non viderit, sive legerit. Argumento est, qvod vel ipsum titulum inscribit*, de Institutione Monachi, qvod *nomen non est nostri, sed Hieronymiana epistola ad Paulinum, Johannis verò Hierosolymitani titulus*, de Institutione primorum Monachorum, *primariò sensu dicit inchoationem, fundationem, originem, secundariò autem duntaxat sensu secum involvit nomen eruditionis, instructionis, regula.*

mò enim, qvod neqve Labbeus diffitetur, brevitatis studiò *multa ad chronologiam, historiam, criticamqve spectantia prætermisit.* Multos qvoqve nobiles

gula. Alioqui non poterat Johannes in tempore Christiano leges vitæ præscribere iis, qvi vixissent tot seculis ante se, vel in ipsa olim veteri lege. Unde omnino est clarum, eundem virum præclarissimum Bellarminum ne qvidem vidisse integram libri inscriptionem. Qvare habe tertiò, qvòd benâ solùm fide exscripserit & imitatus sit dictum Johannem Brasichellensem. Atqve ita nihil est inpræsentiarum, quare urgeatur autoritas Dn. Bellarmini. Mirum hanc insolentiam Carmelitæ vel Antverpiæ permissam esse, vel sine obelo Romæ transmissam. Certè enim liber de scriptoribus Ecclesiasticis supra omnes alios attollitur à Jesuita, qvi Typographo Coloniensi præfationem scripsit. *In novissimo hoc Bellarminus monumento tam liberali fronte se ostentat, ac si insuper singulare qvoddam hinc scriptoribus, ex qvibus inprimis ipse profecit, inde Lectoribus, qvi postmodùm ex ipso se profecisse agnoscunt, beneficium reservâsset. Ita planè. Si enim ab una parte Bellarmini Lectores respicio, deerat ad meritorum cumulum absolutissimo Magistro, ut, qvi hucusqve favum sapientiæ parvulis suis prâbuit, iisdem & flores, ex qvibus sincerum veritatis mel exsugeretur, ante discessum suum ostenderet. Qvi hactenus limpidissimis documentis languentia eorum pectora irrigavit, tandem qvoqve meticulosioribus, tutiùs ex ipso fonte bibuntur aqvæ, designaret. Qvi demum atrocissimos hæreticorum impetus ab arce Ecclesiæ viriliter repressit, porrò etiam, ubi tam fausta offenderit arma, velut emeritus qvidam Hercules tyronibus suis ingenuè confitetur.* Sic ille. Et qvamvis Bellarminus libellum illum digesserit in usum proprium, tamen *in ultima ætatis suæ parte ipsum recognovit, expolivit, auxit & in lucem dare constituit, ut vel communi utilitati deserviat, vel inemendatus & imperfectus neminem offendat.* Illud verò intolerabile Lojolitis erit, qvod dicit, Bellarminum suis oculis librum Johannis non usurpâsse. Ipse sanè in præfatione ad Lectorem indicat, ante annos circiter qvadraginta, cùm ad S. Theologiam in scholis explicandam se compararet, se in lectionem veterum scriptorum incidisse, eiqve non indiligenter incubuisse, tum ut eorum doctrinam hauriret, tum ut legitima & vera eorum opera à falsis & supposititiis separaret: atqve ita scripsisse libellum de scriptoribus Ecclesiasticis, additâ censurâ; qvâ notabat, qvæ illorum opera essent certa, qvæ manifestè supposititia. Qvomodo ergo dicet Carmelita, Bellarminum de non viso illo libro talem censuram protulisse? Loqvitur Bellarminus adeò circumspectè, ut nullò indiciò deprehendi qveat, eumdem alienis vidisse oculis. *Tribuitur,* inqvit, *eidem Johanni liber ad Caprasium de Institutione Monachi, qvi habetur in Bibliotheca SS. Patrum, Tom. IX. edit. II. sed hic liber videtur scriptus ab aliqvo longè posteriore: siqvidem in eo libro dicit autor, se esse ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum planè erat inauditum. Adde qvòd stylus est hominis Latini & temporum posteriorum.* Imò Bellarminus hôc ipsô librô detrahit anterioribus suis scriptis, cùm passim in eo ostendit, libros, qvos tanqvàm genuina Patrum monumenta in Tomis controversiarum contra adversarios produxit, esse aut dubiæ fidei, aut supposititios. Et si hoc ipso in libro Bellarminus alienis credidit oculis, qvid dicent Adversarii de universis Patrum allegatis, de qvibus plurimi hactenus suspi-

les scriptores, partim jam tùm, cùm hunc librum recenseret, partim postea demum editos omisit: credo, qvod ab hæreticis, id est: Euangelicis, publicati fuerant. Etiam meliores eorum, de qvibus egit, editiones plerasqve apud eum frustra qværas, etsi qvædam jam tunc prodierant.

VII. Deinde Græcarum * litterarum prorsus ἀμύητον fuisse, sicut omnia illius scripta, sic eximiè hic liber novissimè ab eo profectus, Casaubono judice, † Exercitat. 16. Sect. 150. ostendit: ut proinde judiciis illius de Græcis scriptoribus satis tutò fidi non possit.

VIII.

suspicati sunt, qvòd Bellarminus autorem ipsum non inspexerit? Utut autem de hoc sit, argumentum, qvò Cardinalem Carmelita judicii de non viso scriptore prolati accusat, sanè leve est. Nam inscriptio libri ad Caprasium apud diversos diversa habetur. Potuit Bellarminus scripsisse, de *Institutione Monach.* Qvasi de *Monachismi institutione* scripsisse in libro illo qvemdam diceret; & lector Typographusqve legerunt, *Monachi.* Sed & ad Institutionem Monachi non parum facit liber ad Caprasium, si ipsam etiam Originum monasticarum descriptionem intuearis. Qvanta enim excellentia monachorum foret, si constaret, eorum institutum jam inde ab Elia & Elisa continuis seculorum successionibus ad præsentia usqve tempora esse derivatum! Qvàm insolens ergo ex tam levi caussa scomma Carmelitæ: *Bonâ fide exscripsit & imitatus est Bellarminus Johannem Brasichellensem!* Vide D. nostrum Dorscheum in Semestri Tibutio-Dionysiaco, Rostochiensi p. 100. s.

* Vide qvæ diximus in Fasce nostro III. Exercitationum Philolog. Historic. n. II. p. 189.

† *Casaubonô judice*] Ejus verba p. m. 761. edit. opt. Londin. CIↃ IↃC XIIII. in fol. hæc sunt: *Exstant hodiè scripta non pauca sub nomine Dionysii Areopagitæ; quem illum ipsum esse, cujus habetur mentio in Actu* (c. XVII. ultim.) *OMNES, opinor, Scriptores Pontificii acerrimè tuentur. Novissimus omnium Bellarminus ita rigidè illam sententiam defendit, ut solos qui aliter sentiunt, Lutheranos esse, aut sciolos adfirmârit. Est quidem ridicula planè res hominem Græcarum litterarum prorsus ἀμύητον* (non initiatum, rudem) *(quod omnia Bellarmini scripta ostendunt; eximiè verò ille ipse liber novissimè ab eo profectus) judicâre velle de Græco scriptore; sed tamen &c.* At ut Laurent. Vallam mittam & Erasmum, qvibus fortè tantum tribuent Pontificii, qvantum Wittenbergenses Lipsienses ac Argentoratenses olim Theologi Helmestadiensibus, Regiomontanis ac Rintelensibus; dubio procul Thomas de Vio Pontificius fuit & qvidem Cardinalis Presbyter titul. S. Xysti à Leone X. creatus, Ordinis Prædicatorum, Prior Generalis, natione Italus, patriâ Cajetanus, ejusdemqve Urbis Episcopus, *vir* judice Bellarminô ipso in de Scriptorib. Ecclesiastic. libr. p. m. 249. *summi ingenii, nec minoris pietatis*; hic tamen in Actuum adductum locum. *an iste met* (Areopagita) inqvit, *sit ille Dionysius, qui scripsit libros de Divinis nominibus, certum non est.* Et Rob. Cocus in p. m. 97. Censuræ. *His & similibus*, ait, *argumentis inductos esse MULTOS non ex nostris solùm, sed ex Pontificiis, ut existimarent hos libros esse supposititios, vel saltem dubiæ fidei.* Bellarminus qvidem in lib. II. de Monachis, c. V. acriter hoc opus defendit genuinum esse Dionysii fœtum; lib. II. tamen de Confirm. c. VII. agnoscit *non esse certum, an liber Dionysii Areopagitæ*

Hhh *sit*

VIII. Sed & Bellarminianam in hoc opusculo Chronologiam in plerisqve mancam, atqve à sinceris temporum rationibus alienam esse, pariter Labbeus aggnoscit. In historia qvoqve haud raro turpiter lapsus est.

IX. Deniqve in gratiam Pontificiorum subinde dubia ac supposititia scripta pro genuinis venditat, atqve adserere etiam rationibus nititur: dogmata qvoqve Papistica passim velut aliud agendo interserit ac propugnat. Eóqve tironibus sine addita censura inter initia sacrorum studiorum commendari non debet. Vide Calov. epist. dedic. Isagog. Theol. p. 39.

X. Alter in hac classe locus debetur *ANTONIO POSSEVINO*, Mantuano, societatis Jesu sacerdoti, & per qvinqvennium eidem à secretis, posteà nomine Gregorii XIII. Papæ variis legationibus in aula Svedica, † Moscovitica, Polonica & Cæsarea functo, & postqvàm juventuti instituen-

sit illius, cujus nomen præ se fert. Et in Indice M. S. *Nota*, inqvit, *scripta Dionysii ante tempora B. Gregorii non videntur fuisse nota mundo. Nam testimonia quæ petimus ex Origene & Athanasio, sunt ex libris falsò iis auctoribus adscriptis.* Photius testatur in Bibliotheca, p. 2. se legisse librum Theodori (malè in Riveti Critic. sacr. lib. I. c. XI. extr. p. m. 171. edit. Genev. in 8r. & p. 1083. b. Tom. II. Oper. edit. Roterodam. M. DC. LII. qvæ æqvè vitiosa, ac illa, *Theodoretus* vocatur) Presbyteri, qvô demonstrat, ea qvæ S. Dionysii habemus opera germana esse, nec Pseudepigrapha; *Exstaret utinam*, scribit in adductum Photii locum Andr. Schottus Jesuita, *Theodorus iste, de legitimis B. Dionysii Areopagitæ libris, aut qvàm vellem inde ἐν ἐπιτομῇ excerpta Photius, ut alibi minùs fortasse necessaria, repræsentâsset.* Lege hic B. Dannhawer. Christeid. p. m. 901. f. ibiqve p. 902. pro *Andr. Schott. ad Photin.* lege *Photium.*

† *Moscovitica*] Bis M. ad Moscoviæ Ducem adiit, ac inter Moscos & Polonos pacem fecit feliciter. Liber, cui hunc inscripsit Titulum: *Moscovia, & alia Opera de statu hujus seculi, adversus Catholicæ Ecclesiæ hostes: nunc primùm in unum Volumen collecta, atque ab ipsomet auctore emendata & aucta*, prodiit Coloniæ annô CIↃ IↃ LXXXVII. Aliqva hujus libri pars evulgata erat jam tum Vilnæ, annô CIↃ IↃC LXXXVI. Tu vide de Possevino Ribadeneiram in Catalogo Scriptorum Societ. Jes. Alegambium in Biblioth. Jesuit. p. 41. Partem II. Methodor. nostrar. n. VIII. c. XXXVI. 5. p. 429. B. Qvenstedt in p. 298. Dialogi de Patriis Illustrium doctrinâ & scriptis virorum, vocat *hominem astutum & callidum, qui in plurimis locis sectæ suæ γνώμαλα disseminavit.* Qvæ, qvia initiô statim ipsum Jesuitam vocârat, addere non erat opus, cùm sint Jesuitis omnibus communia; nec nisi talis recipiatur in illorum gregem. Josepho Scaligero objicit Oporinus Grubinius in p. 11. Amphotid. Scioppianar. qvòd Possevinum *temerarium & audacem* habuerit; ac si horum Jesuitæ insveti essent. *Possevini Bibliotheca*, inqvit Höttingerus, part. I. Bibliothecarii, c. II. p. 9. *ex religionis divortio (iis exclusis authoribus, qvi in re literaria non sunt postremi) tam absoluta non est, ut* Conr. Gesneri; de ea enim ibi agit. Dan. Georg. Morhof, lib. I. Polyhistor. Literar. c. XVI. p. m. 178. habet seqventia: *Antonii Possevini è Soc. Jesu non est æqua apud doctos æstimatio. Sunt, qvi illum in cælum ferunt laudibus; sunt, qvi illum compilatorem, non multa curæ & judicii habent. Bibliotheca ejus selecta*

flituendæ Græcii, Olomucii, Pragæ, Vilnæ, Brunsbergæ, & Claudiopoli seminaria fundarât, multasqve Academias & bibliothecas perlustraverat, variaqve scripta ediderat, annô ætatis LXXIIX, seculi hujus XI. die XXVI. Februarii, Ferrariæ defunctò.

XI. Hic enim, ut erat magnâ variâqve eruditione, multarumqve rerum experientiâ instructus, & prætereà summè industrius ac laboriosus, (adeò qvidem ut noctu pedem campanulæ adligaret, ut statim atqve obdormiisset, à somno excitaretur) sub finem superioris sæculi inter alia publicavit *Apparatum sacrum ad scriptores veteris & novi Testamenti, eorum interpretes, Synodos & Patres Latinos ac Græcos, horum versiones, Theologos Scholasticos, qviqve contra hæreticos egerunt, chronographos & historicos ecclesiasticos, eos qvi casus conscientiæ explicârunt, qvi canonicum jus sunt interpretati, Poëtas sacros, & libros pios qvôcumqve idiomate conscriptos*: in qvo circiter octies mille auctores partim indicantur, partim expenduntur; additis passim censuris, expurgationibus, emendationibus, correctionibus versionum aliisqve. Prodiit vastum hoc opus primò Venetiis annis sæculi hujus III. & IV; sed multô locupletiùs & emendatiùs Coloniæ Agrippinæ annô IIX. *Doctissimum atqve laboriosissimum opus* meritò vocat Vossius: qvi tamen passim errores ejus adnotavit: qvos sanè haud paucos admisit. In Protestantes etiam sæpiùs invehitur. Bellarmino tamen non unô nomine præferri meretur.

XII. Nostrô tempore *PHILIPPUS LABBE* *, Bituricus, Jesuita Pari-

selecta 18. *libris constat. Multa hic pertinentia ad rationem studiorum, & rei literaria in universum, interponit judicia, in qvibus multa reprehendit Jacobus Gaddius: Sed non magni faciendum est ejus judicium, ut qvi sæpissimè ineptus autorum censor est. Verum tamen est, vagis & longè qvæsitis excursibus fatigare illum lectores. Sixti Senensis Bibliothecam sanctam passim vellicat, qvæ tamen viris doctissimis in pretio est, de qvo nos aliò loco. Apparatus ejus sacer majore in pretio nonnullis habetur, multaqve habet de scriptoribus veteribus & novis judicia, ex aliorum sæpe sensu formata. Utilissimum tamen ille laborem suscepit, in qvo aliqva condonari debent. Bailletus suadet, ut correctio errorum ab aliqvo viro docto suscipiatur. Annectit Catalogos MSctorum, qvæ ad res Ecclesiasticas pertinent, magnô studiô ex omnibus eruditi orbis Bibliothecis conqvisites; cui si similes in ceteris disciplinis collectiones haberemus, magno profectò usui esset. Judicia ejus de Machiavello magnam ipsius oscitantiam & imprudentiam arguunt, ut ostendit in Præfatione Principis Machiavellici Conringius. Ultima editio Bibliothecæ selectæ prodiit An.* 1607. *Coloniæ, in folio. Apparatus sacer ibidem* 1608. *Referendus itaqve hic auctor est ad scriptores rei literariæ critices, qvalis Photius est, & qvi e recentioribus Photii methodum seqvuntur, Ephemeridum scriptores. Inter illos criticos nomen qvoqve sed invitâ planè Minervâ, profiteri voluit.*

* *Philippus Labbe*] Hoc de nos ita docet Cl. Morhofius, lib. I. Polyhistoris Literar. c. XVIII. p. m. 199. *Philippus Labbeus*, inqvit, *qui in texendis Catalogis totam penè vitam consumpsit*, Bibliothecam Bibliothecarum, *cujus ideam ad calcem nova Bibliotheca Manuscriptorum adjecerat*, *scripsit*,

Parisiensis eruditissimus, sed Protestantibus omnibus & ipse iniqvissimus: Parisiis annô ∞ Ioc LX. edidit duobus tomis constantem *dissertationem Philologicam de scriptoribus ecclesiasticis quos attigit Bellarminus: in qva*, ut titulus habet, *plurima cum ad historiam, chronologiam, Criticenqve ecclesiasticam spectantia explicantur, tum aliorum, præsertim Riveti, Coci, Perkinsii, Tossani, Gerhardi, Aubertini, Hottingeri Maresii, &c. errata castigantur.*

XIII. Profitetur autem in præfatione se (1.) *diligenter cavisse, ne quid repe-*

scripsit, librum olim rarum, Parisiis 1664. *in* 8*t. editum, deinde auctiorem Rotomagi, novissimè Annô* 1682. *Lipsiæ in* 12. *recusum, editione quartâ, ut titulus habet, juxta exemplar Rotomagense. Vocat autem Bibliothecam Bibliothecarum, qvòd recenseat omnes autores, qui Catalogos Catalogorum ediderunt, & de Bibliothecis, vitis & elogiis scripserunt. Adjecit Bibliothecam nummariam & Mantissam antiqvariæ supellectilis, qva centinet autores antiqvarios & nummarios. Huic postremæ editioni additus est Seldeni liber exiguus de nummis. Primùm autores omnes confusè ponit, hinc subjicit indices distinctiores eâ serie; Primus repræsentat Autores secundùm artes & scientias dispositos: Secundus autores, qui de libris per nationes distributis scripsére; Tertius enumerat Bibliothecas sodalitatum & collegiorum: Qvartus Miscellaneos de variis argumentis: Qvintus scriptores de homonymis: Sextus Polygraphos enumerat: Septimus recenset nomina & cognomina Bibliopolarum & Typographorum: Octavus agit de Bibliothecis secundùm varia cognomina. Adduntur Indices Nominum & Cognominum. Imperfectus ille labor est, & augeri multis modis potest. Illum alterê tantô auctiorem se editurum Vincentius Placcius jamdudum promisit. Nunc verò* Antonius Teisserus, *idem scilicet, qui Elogia Thuanea cum commentario edidit, auctiorem hunc librum dedit sub titulo Catalogi autorum, qui librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Elogia, Vitas, Orationes funebres, scriptis consignârunt, Genevæ An.* 1685. *in* 4*to impressum, cui se-qventi annô aliud auctarium accessit. Ille verò, cùm Labbeus autores plusqvàm* 800, *non recenseat, autores plusqvàm* 2050. *& Vitarum & Orationum funebrium scriptores* 1200. *enumeravit: patriam & professionem, ubi Labbeus omiserat, addidit; ac duos præterea indices, omissis tantùm injuriis, qvibus ille optimis autoribus insultat.* Hæc Morhof. Audiamus Joh. Henr. Hottingerum, part. *I.* Bibliothecarii, c. II. §. III. p. m. *II.* ita loqventem *Theologicas vel Generales Bibliothecas dederunt tum Reformati, Voetius, Mejerus: Joh. Wilkins, in suo Ecclesiaste, &c. qvorum singula cursibus Academicis sunt accommodata, studiosis proinde commendandæ: tum Pontificii, ut sunt Bibliotheca & Apparatus* Antonii Possevini; *Bibliotheca sacra Sixti Senensis, ceteris, calculô meô, religionis suæ sociis, ob variam scriptorum copiam, & erectum in multis judicium, anteferenda; Bibliotheca Theologica Molani: vel particulares, eásqve vel de scriptoribus Ecclesiasticis veteribus, qvalis est* Hieronymi, *Stridonensis presbyteri, Gennadii, Massiliensis presbyteri, Isidori, Hispalensis Episcopi; qvibus successerunt posteà Honorius, Augustodunensis presbyter;* Sigebertus, *Gemblacensis Monachus,* Henricus à Gandavo, *de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus: qvos Scriptores sex* Suffridus Petrus, *Leodiensis an Chr.* 1580. *Coloniæ conjunctim edidit. Præclaram etiam navavit operam Trithemius. Secuti ex intervallo sunt, superiori & nostrô seculô, ex nostris, Johannes Frisius, qui Patrum seriem ab anno Chr.* 50. *ad* 1140. *deduxit; ex*

repeteret ex iis, quæ apud Bellarminum commodè legi possunt: nec castigatione aut illustratione majori indigent: quæ vero is prætermisit, ea ex suis aliorumque eruditorum observationibus non neglexisse, ejusque & aliorum errata interdum correxisse; Græcorum Patrum editiones Græcolatinas, cæterorumque scriptorum perfectissimas quasque sollerter indagare studuisse. (2) *Ordinem Alphabeticum amplexum se, tanqvàm cuivis magis obvium atque idoneiorem: adjunxisse tamen abacum chronologicum, regiamque epitomen sacræ profanæque chronologiæ, cum versibus technicis, ac plusqvàm XX. Indicibus pernecessariis.* (3) *In singulis ferè præmisisse auctoris elogium, in quo nomen, cognomen, patriam, parentes, dignitatem, professionem, annumque obitus studiosè adnotârit; tum auctores qui de illis locuti sunt, subjunxisse; adhæc editionem præstantissimam sequutum, catalogum operum explicuisse. cùm vero illa variis in locis temporibusque excusa sunt, in totidem numeros distinxisse; tandem cùm aliqvid aut suspectum, suppositicium, aut planè spurium occurrit, lectorem monuisse, & Criticorum recentium, præsertim heterodoxorum, inscitiam sæpissime suggillâsse.* Atque hæc pleraque egregiè, non tamen ubiqve bonâ fide nec satis plenè, præstitit. Adjecit in fine cujusque tomi *addenda & corrigenda* haud pauca: aitque *esse plurima alia adjungenda ac mutanda & emendanda seqventibus editionibus.* Qvarum an aliqva hucusqve prodierit, dicere non possum.

XIV. Ad hanc classem referri possunt scriptores *BIBLIOTHECARUM THEOLOGICARUM*, qvi ferè sola auctorum nomina, librorumqve titulos recensent. Cujusmodi sunt qvi seqvuntur. 1. *GISBERTUS VOETIUS*, Theologus Ultrajectinus, in *Bibliotheca Studiosi Theologiæ*, iterum auctiùs & emendatiùs edita Ultrajecti annô ClƆ IƆ CLI: in qva tamen haud paucos, in his qvosdam pudendos errores animadvertas: satisqve apparet, multos auctorum, qvos laudat, ab eo aut planè non visos †, aut non

ex Pontificiis Bellarminus, cujus librum de scriptoribus Ecclesiasticis recensuit nuper, & dissertationibus Philologicis auxit Philippus Labbeus, *scriptor biliosus, qui planè Ismaëliticâ temeritate optimis quibusvis, nullâ religionis habitâ ratione, insultat Scriptoribus. Quò verò vel successu, vel caussæ Pontificiæ compendiô, alibi* (scil. in Ennead. Dissertat. Heidelb. p. 171.) *diximus. Est scriptum ejus, quod non diffiteor, ager laboriosè quidem cultus; sed in quo spinæ & urticæ ita luxuriant, ut ne quidem, quod bonæ frugis esse videatur, aliunde depromtum, decerpi queat.* Gaultherius, *& ipse Jesuita, scriptorum tam profanorum, quàm Ecclesiasticorum nomina, ad ætatem usqve nostram, suis Tabulis inseruit.*

† *Non visos*] Legi, si rectè memini, aliqvando Schoockium objecisse Cl. Voetio, ac si ille huic multos suppeditâsset in Bibliotheca citatos auctores. Illius sanè verba in §. XI. Præfation. in Exercitationes sacras hæc sunt: *Quoniam Rev. D. Voetii mentionem facere cœpi, obtestor Reverentiam ipsius, unum sibi dici patiatur. Similem se in omnibus fuis scriptis exhibet Patribus Jesuitis, quorum gloriatio in hoc præ aliis consistit, quòd integra plaustra Authorum (quorum plerosque tamen ne quidem inspexerunt) in suis libris exhibeant, atque ut dicit ὁ πάνυ Dn. Prideauxius, Orat. III. c. II. iis* solenne est aliorum sententiis, latas paginas implere,

non satis fuisse inspectos; qvibusdam & planè aliena argumenta adficta.

* *Ap-*

te, ut ad tam multiplicem lectionem imperitiores stupeant. *Quum tamen (ut idem loqvitur, Lect. IV.)* tam candidè agant in authoribus citandis, ut sublesta ipsorum fides incipiat jam tandem suis symmistis vilescere. *Quod examussim sua qvoqve Reverentiæ convenire, prolixè possem docere, nisi ratio habenda foret Ecclesiæ, & pauca, quæ hinc inde in hisce Exercitationibus exhibeo specimina, instar omnium esse possent. Persvasum verò habeo, virum coteroqvin doctum & diligentem, non tam peccare hac in parte destinatò animi consilio, qvàm potius per imprudentiam; siqvidem authores, quos solitus est ad suffragium vocare; ab initio ad finem non est solitus perlegere, sed duntaxat* qvasi per indicem, *ut loqvitur Imp.* in fine Institut. *Etenim qvotqvot hoc faciunt, non possunt plenè Authorum mentem assequi. Rogaverat aliqvando Lucilius Senecam, ut sententias qvasdam ex Epicuro, Heraclito, & aliis opinosis Philosophis per epistolam mitteret, sed rescripsit Stoicus Romanus ep. XXXIII.* Depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum, tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta sui ingenii opus nectitur, ex qvo nihil subduci sine ruina potest. Hæc Schoockius; qvi & in ad Lectorem præfatione libro de Bonis vulgò Ecclesiasticis dictis præposita hanc Bibliothecam Voetii *scriptum non minùs portentosum, qvàm ridiculum & inutile Studioso Theologiæ solidam & ad ædificationem facientem eruditionem adfectanti* vocat, *seqve præstituisse Voetium* in ea ibidem dicit. Ð. Samuel Maresius in Auctario primò Bibliothecæ G. Voetii, p. m. 37. f. hunc librum nobis sic commendat *Novum* Voetius *scriptum adornavit & publicavit, scilicet prolixissimam & acerbissimam* Præfationem *præfixam suæ* Bibliothecæ *Theologicæ, quam ideo solùm curavit recudendam ut dignum consequeretur patellâ operculum, & ex Bibliotheca abiret in Belothecam, refertam sagittis venenô & draconis sangvine tinctis. In prima editione hujus bellulæ* Bibliothecæ, *quo scriptô nullum magis insulsum aut inficetum prodiit unqvàm ex Reformato Belgio, nullum qvod inutilius sit ei fini cui destinatur, aut evidentiùs prodat ἀμουσίαν τῆς διανοίας sui Authoris, sollicitè caverat, ne Maresii nomen in illa occurreret. Putabat enim, homo stelidus, se ἀπαθανάτισιν & Canonizationum jura indeptum inter Theologos, adeoqve pro Theologo habitum non iri eum, qvem ipse in sua diptycha, aut potiùs in suum Calendarium non retulisset. Nunc verò secundis suis curis voluit unius Maresii multò freqventiorem, si non meliorem, ceteris omnibus isthic mentionem occurrere: Nam si totus infrunitus libellus in tres partes æqvales distribuatur, tertiam minimùm, ut audio, occupabit portentosus ille Prologus Galeatus in me ferè unum conscribillatus. Cui igitur comparabimus prodigiosum hunc libellum, qvi à nullo alio potuisset prodire qvàm ab hoc homine præcisissimo & singularissimo, qvi se profitetur Theologum, sed eristicum & contentiosum; Reformatum, sed Paradoxum, Christianum, sed ἄσπονδον & irreconciliabilem? Similis est sannioni & fatuo aulico, cui per illam* Præfationem *accessit crepitaculum, id est signum illud præfericulum Morionum, qvod nos Galli* Marotte *appellamus, vel conferri potest iis pisciculis, qvi plus habent in capite qvàm in reliqvo corpore; aut obscuris illis in Papatu sacellis, in qvorum limine occurrit prægrandis Christophorus lapideus, vix aliis usui qvàm territandis pueris inserviens. Fortè etiam voluit in hoc suo recuso opere, ut est allegoriarum plenus, imitari structuram Tabernaculi Mosaici, & illius atrium*

qvod

* *Appendicem* ad eam dedit adversarius illius, *Sam. Maresius*, Theologus Gröningensis. 2. *GERARDUS MEIERUS*, Professor Gymnasii Bremensis,

quod profanum est & gentilibus conculcandum venit, duplò longius facere ipsò Sanctuariò; aut cùm furore Poëtico quandoque corripiatur, sicubi hypochondriacus & atrabiliarius humor, quò laborat vehementiùs, incenditur, censuit sibi Horatii schema invertendum, & pro eo, quod ille* Humano capiti cervicem pictor eqvinam *jungebat, maluit monstroso illi, quod protrudebat, corpori, hydra dare caput, cervicem vituli, asini corpus, alas noctua, & pedes gryphi: Omnibus tamen pensiculatis, non video cui proximior sit hac Bibliotheca Voetiana, omni lumine judicii & rationis destituta, quàm ipsi Tartaro, cùm in ejus limine virulenta* Præfatio, *vel ipsum Cerberum, tricipitem Ditis custodem, multis superet parasangis*, qvamvis furiale centum Muniant angves caput ejus, atqve Spiritus teter saniesque manet Ore trilingvi. *Quòd si D. Voetio prisca sua nania tanti erant, ut censeret qvibusdam ex illis prela de novo fatiganda, etsi priores editiones adhuc occupent angulos Bibliopoliorum, & nullos nacta emptores non aliunde quàm ex sequestriorum munere inclarescant, cur non potiùs curavit recudi* Syllabum Problematum Theologicorum, *infinitis scatentem Parodoxis & multò plures continentem noxios & periculosos errores quàm paginas, qvos ex Jesuitis & aliis Pontificiis Scholasticis absqve delectu & judicio adoptavit? Eâ sanè occasione, vel explicâsset, vel vindicâsset, illam priorem Paradoxorum suorum Centuriam, cujus reum ipsum peregi in* Theologo Paradoxo, *& quam dum per totum triennium, quò temporis spatiò instantia perimi solent, reliquit indefensam, se palàm convictum Paradoxia & αὐτοκατάκριτον ultrò confitetur. Sed benè est, quòd saltem hac in parte non audet θεομαχεῖν, aut ulteriùs obloqui veritati. Adhac cùm se sentiat aptiorem ad jurgia personalia quàm ad reales Controversias, missis realibus quæstionibus, ceu nimis umbraticis & Theologicis, censuit sibi ad prius velabrum esse redeundum, meque sua Bibliotheca virulentâ* Præfatione, *ad has contentiones quibus sum ineptior revocari debere.* Et p. 43. producit litteras scriptas Leydæ, 18. Decemb. 1651. ad ipsum, hæc continentes: *Vidi septimanâ elapsâ portentosam illam Bibliothecam Voetianam recusam: ac legi Præfationem ei hâc secundâ editione additam; quæ tertiam facit inficeti & insulsi libri partem: ac tota quanta est in te est directa, & omnem invidiam contentionis tamdiu te inter & illum tot annos agitatæ in te derivat, Voetiumqve exonerat*, (licet is semper fuerit aggressor & ego non aliter egerim qvam defensivè.) *Si exemplaris mihi potuisset unius copia fieri, jam nunc misissem; sed nulla ad nos huc Leydam hactenus sunt delata; nam quod ego legi exemplar unicum erat D. Ubbenio ab authore missum:* adeo scilicet benè convenit inter Voetium & Ubbenium qvem in societatem belli pertraxit: Et paullò pòst: *Qui Voetio & Voetianis favent Jo paan canunt, ac injustitiam caussa vestra nunc demum proditam & in aperto positam ac plenâ luce expositam clamant*; Hæc Maresius. Ceterùm Auctarium hoc Maresii * *Appendicem* vocat hìc B. Bosius, fortè qvòd fuerit ipsi non ad manus, si enim inspexisset, credo ipsum illud Auctarium non adducturum fuisse, ut nihil faciens præsens ad Bosii negotium notitiamqve scriptorum, sed continens I. *Summariam deductionem litis Decennalis, qua ipsi cum SAMUELE MARESIO, licèt pacem & amnestiam semper deprecante & offerente, hactenus intercessit*; II. *Vindicias Conditionum Amnestia & Recon-*

mensis, in *Bibliotheca Theologica contracta*, abbinc annis XII. Bremæ excusa. 3. *PAULLUS BOLDUANUS* †, Vessinensis in Pomerania ecclesiæ Minister in *Bibliotheca Theologica*, *sive Elencho Scriptorum Ecclesiasticorum illu_*

Reconciliationis partibus oblatarum à RR. Deputatis Synodi Groning-Omlandicæ, ab hoc admissarum, & ab illo rejectarum; III. Conditiones iniquissimæ impracticabiles ab ipso D. Voetio *pro imperio præscriptas*; Ad ejus pertinax odium & animum invincibiliter irreconciliabilem toti Belgio demonstrandum. Gröningæ 1652. in 8t. Secundum an Auctarium, in p. 46. dicti primi Auctarii promissum ab ipso, qvod *ita exossaturum & κατὰ πόδα refutaturum esset præfationem Bibliothecæ Voetii, ut nihil ex tripodibus Voëtianis amplius superfuturum cantandum præter istud* Conticuêre omnes; addito cum superpondio, quod & ibidem recipit; altera nimir. Centuria Paradoxorum Voetianorum ex illius scriptis publicis desumpta, lucem viderit, ignoro, nec unqvàm vidi. Joh. Henr. Hottingerus part. I. Bibliothecarii, c. II. § I. p. m. 9. *ad universalem etiam Bibliothecam refert hanc Voëtii Bibliothecam*, qvippe *qvæ etsi studio Theologico potissimùm sit consecrata: nullum tamen genus Scriptorum tàm Universalium, qvàm particularium & singularium prætereat. Compendiosâ*, pergit, *& portatili commendatur formâ, neque authores tantùm indicat θεωρητικῶς, sed & usum eorumdem ostendit in Theologia πρακτικῶς. Qvò etiam nomine commendari possunt* Gerhardi Meieri (laudati & Bosio nostro) *Bibliotheca Theologica contractæ libelli duo. Annorum qvidem seriem author observat, sed ubi ad Reformationem pervenit, in Locos communes se diffundit.* B. D. Calovius, Sect. II. Special. aureæ Pædiæ Theologicæ, Artic. I. c. I. Can. IV. p. m. 85. ita de Voetii Bibliotheca censet: *Consilium Voetii, quod in Bibliotheca Studiosi Theologiæ, lib. II. Sect. I. c. V. præscripsit de legendis* Ebræorum Logicis, Chronologicis, libris Liturgicis & concionibus &c. *multaque alia Bibliothecæ suæ inseruisse videtur Voetius, non qvod crederet ea studioso Theologiæ proficua aut necessaria: sed ut aliis πολυμαθείαν suam, qvasi omnia ista penetrârit, venditaret.* Dan. Georg. Morhof. lib. I. Polyhistoris Litterar. c. XVIII. p. 211. *Voetius*, inqvit, *multa immiscet falsa; libri non rectè citati, interdum adfinguntur multis, quod ab ipsis scriptum non est, nomina pervertuntur.*

† *Bolduanus*] *Post Gesnerum*, inqvit Morhof. I. Polyhistor. Litterar. c. XVIII. p. 202. *non adeò feliciter hanc telam pertexuêre nonnulli. BOLDUANUS, Pastor aliqvis Pomeranus, Bibliothecam librorum, suo tempore editorum, confecit; sed destitutus ad illam rem necessariis subsidiis, habitans qvoqve locô incommodô, & ad notitiam librorum sibi comparandam non satis aptô. E Catalogis Francofurtensibus excerpsit, qvi nonnunqvàm mendaces, & non nisi titulos ostentant. Inter cetera tamen eminet ejus autoris Bibliotheca Historica, bonô ordine digesta, cujus ordinis & digestionis ratio ab ipso autore in Præfatione prolixè proponitur. Rudimentum non sanè spernendum notitiæ Historicæ præbere poterit, qvod suppleri è Bibliotheca Thuana & Cordesiana Catalogo potest, de qvibus infrà dicetur.* Et p. 211. *E nostris qvi scripserint, vix memini, præter Bolduanum & Draudium: in qvibus tamen id laudandum est, qvod tam in Theologicis, qvàm in Philosophicis, secundùm locos materiarum collectanea sua instituerint. Nunc accessit illis Lipenii Bibliotheca Realis Theologica. Calixti Apparatus magnâ rei Theologicæ jacturâ in ipso initio defecit. Ideam Bibliothecæ Theologicæ secundùm seriem autorum commodè deferre docuit Hottingerus in Bibliothecario suo qvadripartito, ubi autores in ordinem redigit, & potiores in ordine illo recenset.*

illustrium, &c. Hele loci (Jenæ) annô clↄ Iↄc xiv; ejusqve *Supplemento*, Lipsiæ annô clↄ Iↄc xxii. publicato. 4. *JO. HENRICUS HOTTINGERUS* *, nuper celebris Theologus Tigurinus, in *Bibliothecarii quadripartiti*, annô clↄ Iↄc Lxiv. Tiguri impressi, libris III. posterioribus. Et si qvi prætereà id argumentum persequuti sunt.

XV. Postremò, huc etiam spectant varii *CATALOGI* † *BIBLIOTHECARUM THEOLOGICARUM*, tam editi, qvàm manuscripti; Notitiæ nostræ studioso diligenter conqvirendi. Qvosdam Manuscriptorum Apparatui suo subjecit *Possevinus*. Plures congessit in sua sacra Bibliothecarum Arcana *Theoph. Spizelius*.

CAPUT TERTIUM.

Auctores de scriptoribus ecclesiæ Novi Testamenti peculiares. A. Miræi Bibliotheca Ecclesiastica. S. Hieronymi liber de viris illustribus. Et laciniæ qvædam adsutæ. Imperfectè editum esse. Græca illius translatio Sophroniana. Qvis Sophronius ille, & cujus ævi. Is. Vossii de eo sententia. Non videri superiore seculô confictum. Gennadii Massiliensis liber similis argumenti. Qvædam in eo ab aliena manu. Isidori Hispalensis additio ad libros Hieronymi & Gennadii. Ei qvoqve nonnulla ab alio adjecta. Egit etiam de qvibusdam Hieronymo & Gennadio memoratis. Braulionis additamentum. Hildephonsi Toletani additio, cum aliorum appendicibus. Honorii Augustodunensis liber de Luminaribus Ecclesiæ. Unde desumtus. Sigebertus Gemblacensis de viris illustribus: ejusqve continuator Henricus de Gandavo. Cur Thomam Aqvinatem præterierit? Ejus appendix an Silleberti sit? Vossii ἁμάρτημα. Catalogus Script. Eccl.

* *Höttingerus*] Hujus de Bibliothecario adfero verba Dn. Georgii Morhofii: *Hottingerus*, inqvit lib. I. Polyhistoris Litterar. c. XVII. p. 190. s. *Theologus Reformatorum πολυμαθέστατος, Orientali literaturâ præcipue celebris, librum scripsit titulô* Bibliothecarii qvadripartiti. *Qvatuor partes hujus operis fecit: prima agit de Bibliothecarum instructione, & officio Bibliothecarii, aliisqve nonnullis, qvæ spectant ad modum contexendi Catalogos Bibliothecarios, qvorum potissima pars excerpta ex Naudæi scripto suprà dicto. Notanda sunt inprimis, qvæ de Locis communibus Bibliothecarius instruendis proponit. Ita enim Bibliothecam suam institui jubet, ut ipse ejus ordo possit esse instar locorum communium. Illic varias recenses variorum Autorum methodos, quibus tandem suam addit ἰδίαν p. 79. Qvæ omnia sic satis bona sunt, nisi qvòd ordo nimium laboriosus videatur, & in ipsa Topothesia libraria difficulter semper observari possit. Præstat itaqve, si Bibliotheca eâ fermè methodô, qvâ utuntur Collegii Jesuitici Parisiensis Patres, in Systemate Bibliothecæ ab illis edito, aut qvalis habetur in Catalogo Bibliothecæ Thuaneæ, disposita bonos Indices subjeceris. De ejus Indicibus librariis plura diximus c. VI. qvò lectorem remittimus. Reliqvis tribus partibus scripta Theologorum secundùm certas classes disponit, qvæ omnia utiliter & cum fructu legent Theologiæ Studiosi. Utilis qvoqve esse potest in primi ejus libri parte, c. III. Bibliotheca Anglorum Theologica contracta.*

† *Catalogi*] De his prolixè differit Morhof. lib. I. Polyhistor. c. XVIII.

Eccl. ad Desiderium, an Hieronymi? Jo. Tritbemii catalogus. Ejus navi. Jo. Schopfii Academia Christiana. Miraei Auctarium, & volumen alterum Bibliotheca Ecclesiasticæ. Ejus prærogativa ac navi. Jo. Gerbardi Patrologia: defensa à cavillis Labbei. J. Chr. Hanii Sidera cæli Sionai, & similis argumenti opuscula quorumdam aliorum.

I. De Scriptoribus ecclesiæ Novi Testamenti exstant *septem Nomenclatores veteres*, junctim editi primùm à *Suffrido Petro* Coloniæ annô superioris fæculi LXXX, dein, ab *Auberto Miræo* Antwerpiæ annô hujus fæculi XXXIX. sub titulo *Bibliotheca Ecclesiastica* †. Uterqve notas, posterior etiam *auctarium* scriptorum IↃ LIV, & *mantissam* aliorum LV. adjecit.

II. Primus horum *S. HIERONYMUS* *, annô æræ Christianæ CCCXCII jussu Dextri cujusdam (ut ait Hieron. in præfat.) librum de *omnibus* quos noverat, (sunt autem numerô CXXXV.) *qvi de scripturis sanctis aliqvid memoriæ prodiderunt, à passione Christi usqve ad annum XIV. Theodosii senioris*, (hunc enim intelligi, alibi docemus; scil. Exerc. ad Perioch. Josephi de J. Christo, c. II. sect. ult.) edidit, eâ præcipuè fini, *ut Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, & eorum sectatores discerent; quanti & qvales viri ecclesiam fundaverint, exstruxerint, ac definerent fidem Christianam rusticæ tantùm simplicitatis arguere, suamqve potiùs imperitiam agnoscerent: nullum prævium seqvutus*, nisi qvod *Eusebius*, ut ait, *maximo ei adjumento fuit*, qvem & passim seqvitur. Inscribitur *catalogus scriptorum ecclesiasticorum* qvi meritò magni æstimatur ab eruditis.

III. In prima Erasmi editione omnes Apostoli habentur, vitæqve Euangelistarum seorsim præmittuntur; sed contra fidem meliorum codicum. Ac fatetur ipse in marg. & sub init. Notar. Erasmus, *Hieronymum non recensuisse alios, qvàm scriptores*. Reliqvos verò priore locô ait à Sophronio; posteriore, à Studioso qvodam fuisse additos. In editionibus omnibus multa deesse, docet collatio scriptorum codicum, qvi passim exstant. Vide Voss. ad Ignatium, p. 257. s. Inter meliores habetur, qvi Florentiæ in conventu D. Marci adservatur, Longobardicis literis exaratus. Noribergensis qvoqve ab editis haud parum discrepat. ut videre est è specimine, qvod dedit vir doctissimus, nostriqve amantissimus, Christophorus Arnoldus,

† Ger. Jo. Voss. c. XIV. de Philolog. §. 9. p. m. 71. eos, qvi de Illustrib. Ecclesiæ viris scripsêre eôdem enumerat ordine, qvô Suffridus Petri; nimir. B. Hieronymum, Gennadium Massiliensem, Isidorum Hispalensem, Hildephonsum Toletanum, Sigebertum, Honorium Augustodunensem & Henricum de Gandavo; ut clarum sit sic ut in multis aliis alios, hic Vossium dictum esse seqvutum Petrum, licèt non nominârit.

* *Hieronym.*] *Libellum Hieronymi*, inqvit D. N. Chemnitius, part. I. Locor. in Oratione de Lectione Patrum, p. m. 1. 2. edit. opt. Francof. M. DC. LIII. in fol. *Augustinus lectu dignissimum judicavit.*

dus, sub initium libelli, qvem *Testimonium Flavianum* inscripsit.

IV. Hujus catalogi Græcam versionem sub nomine SOPHRONII Erasmus cum Epiphanio de vitis Prophetarum, & Hieronymi catalogo; deinde Parisienses inter opera Hieronymi ediderunt. Hunc Sophronium pleriqve censent eumdem esse, cujus Hieronymus postremô capite meminit. Sed If. Vossius in not. ad Ignatium, p. 258. & 259. ait *sibi constare translationem istam Sophronii nomen mentiri.* Nam *innumeris locis non esse Græcam; innumeris qvoqve locis Hieronymi mentem malè expressisse. Qvidqvid in Hieronymo corruptum, eôdem modô sese habere in Græco: quæ desunt in illo Hieronymi Catalogo, heic qvoqve in Pseudo-Sophronio deesse.* Præterea *paraphrasin illam ubiqve esse falsam, ineptam; & ubiqve imposturam sapere: sibi in nulla unqvàm Bibliotheca manuscriptam visam: nec exstare in regia Parisiensi. Ideoqve putare se nec uspiam eam exstare; aut si exstet, vereri ne à recentissima sit manu exarata. Nam & recentissimos codices Latinos multô meliores esse. Qvis verò impostor ille fuerit, difficile dictu esse.* Suspicatur tamen, *Erasmum animi gratia, vel ut ostenderet, si sibi fuisset voluntas sua aliis adfingendi, ad hoc neqve defuturum ingenium, neque eruditionem, eam nobis supposuisse: Aut potius, à nebulone aliqvo fuisse deceptum, qui corruptissimum Hieronymi catalogum nactus, Græcè a se redditum huic heroi pro antiqva Sophronii vendit àvit.* Ac *eamdem forsan fuisse manum, quæ priorem partem catalogi Hieronymiani corruperit.* Concludit deniqve: *Inqvit Erasmus, Sophronium adjunxisse reliqvos illos Apostolos, qvi nihil scripserunt. Sed unde hoc rescivit, nisi ipse fuerit Sophronius?*

V. Hæc vir summus. Cui facilè largior, nec Sophronii illius, cui tribuitur, nec valde antiqvam esse. Sed ut ab Erasmo, aut alio illius ævi confictam credam, adduci non possum. Nam cùm ex eo qvædam iisdem verbis in Lexico Suidæ legantur; potius est ut Suidâ vetustiorem credamus. Qva de re diximus in exercitatione ad periocham Josephi de Jesu Christo c. II. §. XXX. Qvod autem Erasmus ait, Sophronium reliqvos Apostolos adjunxisse, id conjecturâ ductus scribere potuit.

VI. Post Hieronymum, fine sæculi qvinti, de scriptoribus ecclesiasticis Hieronymi tempora subseqvutis, & paucis qvibusdam Hieronymo antiqvioribus aut æqvalibus, sed ab eo prætermissis, egit *GENNADIUS* † presbyter Massiliensis, librô *de viris illustribus*, etiam à Cassiodoro c. XIX. divinarum lectionum laudatô. Recentiores editiones centum scriptores totidem capitibus exhibent; qvorum ultimus ipse Gennadius est. Sed in prima Erasmi editione non modò *Gennadii*, sed etiam *Gelasii* Papæ Romani, *Sidonii Apollinaris*, & *Cæsarii Arelatensis* elogia desunt. Pervetustum qvoqve exemplar, qvod penes Petrum Franc. Chifletium Jesuitam fuit, *Pomerium*, qvi vulgò XCIIX. capite habetur, nonagesimô qvintô, eôqve ultimô,

† *Gennadius*] De hoc multis agit Ger. Jo. Vossius, lib. I. Histor. Pelagianismi, c. X. & lib. II. de Historic. Latin. c. XVIII. p. 235.

ultimô, locô recenset; ut ipse testatur apud Miræum in notis ad caput XCIX. Gennadii: additqve tomô I. Bibliothec. Eccl. p. 74. *& alia esse, qvæ sibi Honorati Massiliensis apud Gennadium mentionem suspectam faciant.* Et *in MSS. codicibus magnam varietatem reperiri*, etiam Labbeus ait tomô I. de script. eccl. p. 343.

VII. Qvi & rectè docet p. 215. ea, qvæ post caput LXXXV. de Fausti Rhegiensis libris subjunguntur, à posteriore aliqvo scriptore fuisse adsuta, circa tempora Concilii Arausicani II, sive annum Chr. IↃ xxix. Nam Gennadius circa annum CCCCXCVI. defunctus videtur. Qvare potius est, ut libellum hunc interpolatum dicamus, qvàm ut cum Erasmo in vetustis exemplaribus extremas catalogi hujus paginas unà cum aliqvot auctorum nominibus deesse existimemus.

VIII. Tertius veterum *ISIDORUS HISPALENSIS* circa annum Christi IↃc X. scripsit *additionem ad libros Hieronymi & Gennadii*, XXXIII. scriptores complexam, & ab Osio Cordubense incipientem. Nam qvæ de Sixto Papa & XI. aliis in qvibusdam edd. præmittuntur, alterius auctoris esse docet præfatio illis præmissa, & pluribus confirmat Bern. Aldretus; lib. I. Antiqvit. Hispan. c. III. Vid. Miræus tom I. Bibliothec. p. 76. Nec aliter pleriqve MSS. Codices, qvibus Garsias Loaysa usus fuit: qvi utrumqve libellum annô cIↃ IↃ xciii. Madriti cum Conciliis Hispanicis è MStis codicibus emendatum edidit, ac eruditis notis illustravit, qvæ & in Parisiensi atqve Coloniensi Jac. Breulii operum Isidori editionibus leguntur, p. 511. & seqq. ed. Colon. an. 1617. Multa inde in suas adnotationes transtulit Miræus.

IX. Egit autem Isidorus de qvibusdam scriptoribus jam ab Hieronymo & Gennadio memoratis: ut de *Joanne Chrysostomo*, de qvo Hieronymus c. CXXIX: & de *Juliano Pomerio*, *Eucherio Lugdunensi*, & *Hilario Arelatensi*, de qvibus Gennadius, capp. XCIIX, LXIII, & LXIX. Sed de prioribus qvædam aliis præterita addidit: de Hilario nihil. Huic libro *BRAULIO* in prænotatione librorum Isidori apud Miræum, l. c. p. 78. & in fronte operum Isidori, qvædam se *subjunxisse* ait. Qvæ nescio an hodie supersint. Isidori liber MS. exstat Cantabrigiæ, Oxonii, & alibi.

X. Ei verò *additionem*; XIV. scriptores complexam, eôdem sæculô circa annum Christi IↃc LX. adjecit *HILDEPHONSUS* sive *Ildephonsus* (sunt & qvi *Alphonsum* vocant) *Toletanus episcopus, qvæqve vetera antiqvorum relatu repperit, qvæqve novâ exhibitione temporis repperit*, ut ait in præfatione, apud Miræum, p. 94. *subnotans*, & à *Gregorio* Papa, in qvo Isidorus finierat, incipiens.

XI. Huic libello, *Ildefonsi* ipsius elogium successor ejus *JULIANUS*; (non autem, ut Vossius † putabat, de Hist. Lat. lib. II. c. XXVI. *Pomerius*, qvippe

† *Vossius*] Verba ejus in p. m. 268. hæc sunt: *Illis autem* Viris illustribus, *qvos descripserat Hildephonsus, Hildephonsum ipsum adjecit Julianus Pomerius. Julianum*

qvippe multô antiqvior, & finiente sæculô V. mortuus:) Juliani. *FELIX* hunc in episcopatu seqvutus, adjecit. Utriusqve verò, tàm Ildefonsi, qvàm Isidori, libellis subjici solet *incerti scriptoris appendix seu libellus de XII. Scriptoribus Ecclesiasticis*, cujus paullò ante mentionem fecimus. Definit in *Marcellino* presbytero, cujus etiam Gennadius c. XVI. meminit: atqve etiam de *Cereali*, *Ruffino* & *Macrobio*, eidem Gennadio memoratis, agit. Unde haud malè colligas, non esse Gennadio (qvem tamen legisse non videtur, cùm qvædam jam ab illo tradita referat) multô recentiorem.

XII. Sæculô XII, Henrici V. Imp. tempore, circa annum clↄ c xx *, ut ait Trithemius, (non igitur Friderici II. ætate, & circa annum clↄ cc xx, ut volunt Bellarminus, lib. de script. Eccles. Vossius, de Hist. Lat. lib. II. c. LVII. alii; sed nec circa annum clↄ clx. ut Blondello visum in Tabula Auctorum libro Gallico de controversia Eucharistica Esclairissements familiers de la controverse de l'Eucharistie subjecta) *HONORIUS*, *Augustodunensis ecclesiæ presbyter*, in libello *de luminaribus ecclesiæ omnes*, ut ait, *ecclesiasticos scriptores à tempore Christi usqve ad sua tempora nominatim expressit, qvos ex Hieronymo, Gennadio, Isidoro, Beda, & aliis cognoscere potuit.*

XIII.

lianum autem Felix, uterqve Archiepiscopus Toletanus. Et post pauca: *Sed qvæ ex Vaticano codice hausit Baronius, ea ipsa sunt, qvæ Julianum Hildephonse addidisse dicebamus. Sanè aut Juliani Pomeris sunt, aut juxta Codices alios, Felicis: ut observat Jacobus de Breul; Monachus S. Germani; qui illa de Hildephonse & Juliano, in Parisiensi editione Isidori ex codd. suis adjecit Hildephonso.* Ille ipse tamen Vossius in capite statim seqvente XXVII. p. m. 271. scribit: *Hinc liqvet Julianum Archiepiscopum Toletanum (ad qvod fastigium annô pervenit ↄↄc lxxx. qvique obiit, Felice testante, arâ ıↄ cc xxviii. hoc est annô Christi ıↄc xc; nam si ab ara, qvam dixi, subtrahuntur anni xxxviii. remanet hic annus salutaris ἐνανθρωπήσεως; atqve inter alia memoriam sui propagavit prodendo posteris vitam S. Hildephonsi: cujus successori Qvirico ipse in episcopatu successerat) malè à multis confundi cum Juliano Pomerio, qui (ut ex Ennodio Ticinensi constat) circa annum vixit qvadringentesimum nonagesimum, nempe annis ducentis ante hunc Julianum Toletanum, qui & Pomerii illius meminit non semel in Prognostico suo futuri seculi.* Qvæ sibi non constant, nec conciliare valeo.

* cıↄcxx.] Sandio in p. m. 154 Notar. & Animadversion. in Vossii libros de Historic. Latin. vixit annô cıↄcxl. Joh. Frisius facit cum Trithemio. Idem addit Chronicon sub ejus nomine editum Basileæ annô cıↄ ıↄ xliv. esse Epitomen majoris operis, qvod Wolfg. Lazius habuit, rectèqve arbitratur, illud esse in Bibliothecam Imperatoris translatum, confirmante id auctoritate Lambecii. Operis Titulus est: *Honorii de Mundo, & temporum ac Rerum usqve ad Imperatorem Conradum III. sive ann.* cıↄ cxxxvii. *successione libri tres.* Lambecius, lib. II. de Biblioth. Vindob. p. 3. & 70. Non perduxit itaqve Chronicon suum usqve ad Lucium III. Papam, qvi sedere cœpit A. C. cıↄ clxxxi. Verisimilius id de Lucio II. dictum fuisset qvi sedit Ann. cıↄ cxliv. Vide Hallervordium. Blondellus scribit, Honorium seriem Pontificum continuâsse usqve ad ann. cıↄ c xxx.

XIII. Hujus opusculi pars prima ex Hieronymo, altera è Gennadio, tertia ex Isidoro; qvarta ex variis desumta est, atqve XVII. scriptores, in his postremô locô ipsum *Honorium*, continet. In prioribus tamen libris multa admiscuit, qvæ apud eos, è qvibus pleraqve mutuatus est, non exstant, etiam integra elogia. Labbeus *nimiô brevitatis studiô, aut incogitantiâ abbreviatoris, multos* hoc opus *nævos contraxisse* observat, tomô I. de script. eccl. p. 474 *qvos Miræus editor lectoribus indicare debuerit.*

XIV. Eôdem sæculô, sed paullò ante, *SIGEBERTUS Gemblacensis* † in Brabantia monachus Benedictinus, annô cIↃ c XII. defunctus, *Hieronymum*, ut ipse c. ultimô. ait, *& Gennadium imitatus scripsit* & ipse *ultimum* inter suos *libellum de illustribus viris* CLXX, qvorum pleriqve apud illos non inveniuntur, additô in fine propriorum librorum diligenti & accuratâ recensione.

XV. Sub finem sæculi tertiidecimi *HENRICUS de GANDAVO*, cognomentô *Gutbals* sive *Bonicollius*, aliis *Mudanus* à Muda suburbio qvondam Gandavensi, hodie pomœriô urbis comprehenso, Doctor Sorbonicus, & qvorumdam sententiâ, monachus ordinis Servorum, (qvod tamen Labbeus in dubium vocat) Archidiaconus Tornacensis, vulgò *Doctor sollennis* dictus, annô cIↃ cc XCIII. defunctus, *catalogum virorum illustrium B. Hieronymo incboatum, & à Sigeberto usqve ad sui ævi tempora perductum; ad suum tempus ultra extendere aggressus est*, ut ipse in præfatione scribit. Comprehendit autem libellus ejus scriptores LX, pervenitqve usqve ad annum Chr. cIↃ cc LXXX.

XVI. Mirantur Possevinus in Apparat. sacro, tom. I. p. 273. & Vossius de Hist. Lat. lib. II. c. LX. eum non meminisse operum Thomæ Aqvinatis,

† *Gemblacensis*] *Felicia certè hæc*, inqvit Platina in Paschali II. p. m. 416. edit. opt. cIↃ IↃc XLV. in 12. *tempora fuêre, quæ & Sigibertum Monachum Celbasensem, virum spectatæ doctrinæ, & Bernardum ex Castilione Burgundiæ nobili genere ortum, protulêre.* Auctore Vossiô, lib. II. de Historic. Latin. c. XLVIII. p. 395. *Sigebertus hic Monachus Gemblacensis in Brabantia Chronicon suum incepit ab anno* CCC LXXXI. *quô post mortem Valentis regnare caperunt Valentinianus minor, & Gratianus: ac perduxit non quidem usque ad annum* cIↃ c XXXI. *ut ait Raphaël Volaterranus initiô libr.* XXII. *verùm usque ad annum* cIↃ c XII. *quô obiit. Sed Robertus, Abbas Montis, adjecit, quæ subjunguntur usque ad annum* cIↃ cc X. Radulphus de Diceto ait, Sigebertum scripsisse usqve ad ann. cIↃ c. Robertum Abbatem S. Michaëlis de Monte usqve ad A. C. cIↃ c XLVII. Etsi autem in Chronologicis non accuratus ubiqve & semper est, ut Hadr. Valesius, lib. XXIV. Rerum Francicar. cum nuncupet *auctorem in digerendis veterum Regum Francicorum successionibus ac regni cujusqve annis valde infelicem*: in rebus tamen ipsis non est, qvod boni multum in eo desiderent: & in Historia Henrici IV. injurias Imperatori factas aperit. Qvod dum concoqvere neqveunt Baronius, aliiqve Monarchiæ Papalis defensores, qvomodo suæ scenæ serviant, manifestò declarant.

tis, qvi jam ante XVI. minimum annos obierat: idqve *Scoto dedisse cum suspicatur, à qvo Henricus ob insignem doctrinam commendatus fuerit* *. Sed Labbeus diss. de scr. eccl. tom. I. p. 423. *vanam* hancce *conjecturam* vocat, cùm *Scotus eô tempore, quô Henricus catalogum suum scripsit, vix ullam apud homines famam sibi conciliaverit, neqve ex Anglia in Franciam venerit, nisi pluribus post Henrici obitum annis.* Vix tamen dubitem, id odiô erga Thomam fuisse factum. Qvod autem c. XLV. illius, ejusqve libri adversus Wilhelmum de S. Amore scripti meminit, obiter tantùm & occasione Wilhelmi illius factum videtur.

XVII. Henrici libro subnecti solet *appendix* XI. scriptores complectens, qvorum tamen sex etiam apud Henricum leguntur. Vossius, locô cit. hujus appendicis auctorem facit *Sillebertum* cognomentô *universalem*, cujus libros statim secundô locô appendix hæc memorat: nescio qvô fundamentô nixus. Certè vix tam pauca de se, & eô modô scripsisset ipse appendicis auctor. Seduxère Vossium, ut videtur, verba Possevini: *Sillebertus cognomentô universalis, Glossâ continuatâ Psalterium, & alios divinæ Scripturæ libros exposuit. Appendix ad Henricum de Gandavo de scriptoribus ecclesiasticis.* Nempe sic accepit postrema illius verba, ac si opus aliqvod Silleberti denotarent: cùm auctorem designent, qvi de Silleberto ista scripserit. Sunt enim ipsissima Appendicis illius verba †.

XIIX. Atqve hi sunt, qvos Miræus junctim edidit, notisqve illustravit. E qvibus *Hieronymi, Isidori* & *Sigeberti* catalogi etiam inter opera eorum, *Gennadius* qvoqve tomô IX. operum Hieronymi habetur, & ab Erasmo unà cum Hieronymo & Sophronio, Ildephonsus autem cum Isidoro est editus.

XIX. Eôdem Hieronymi tomô IX. p. 219. 220. habetur etiam alius *scriptorum ecclesiasticorum catalogus* ad Desiderium qvemdam scriptus. Sed tria

* *Commendatus fuerit*] Si hoc, ergo Scotus Henricô de Gandavo junior est. Vossius in p. m. 490. scribit apud Valerium Andream legi obiisse Henricum annô CIↃCCCXCIII. *Sed seculô totô aberrare.* In meo sanè exemplari renovato & tertiâ parte auctiore, si Titulo credimus. Lovanii edito CIↃ IↃC XLIII. in 4to, p. m. 345. sic reperio: *Henricus à Gando, cognomentô* Goethalsius, *sive* Bonicollius (Vossio vocatur Henricus Bonicolli) *Archidiaconus & Canonicus Ecclesiæ Tornacensis, Doctor Sorbonæ Parisiensis, ac Philosophus sui seculi celeberrimus, adeò ut communi Academiæ suffragio & receptô præconiô* Doctoris solemnis *nomen meruerit. Scripsit* de Viris seu scriptoribus Illustribus, *usqve ad ann.* 1280. *post Sigebertum. Coloniæ* 1580. *in 8.* *cum aliis ejusdem argumenti libris, à* Suffrido Petro *editis, & Antverp. apud Jac. Mesium,* 1639. *in fol. cum scholiis Auberti Miræi.* Paullò post: *Obiit Tornaci, an.* D. CIↃ. CCXCIII. *III. Kal. Julias, qui dies Apostolorum principibus Petro & Paullo sacer, sed sepulcri memoria nulla exstat.*

† Integram hanc paragraphum postqvàm adduxerat Christoph. Sandius in notis & Animadversion. in Vossii libros de Historic. Latin. & qvidem in Adpendicula Addendor. p. m. 340. subjicit: *Expungendus ergo meritò est Sillebertus ex Catalogo Historicorum.*

tria postrema capita *τοῖς αὐτοῖς λέξεσι* habentur in Catalogo Hieronymi vulgato : nisi qvòd librarii vitiò urô alteròqve locô nonnulla omissa sunt; & ubi apud Hieronymum est, *ruri vitam monachi exercuit*, heic postremô capite legitur, *ruri vitâ monachi se exercuit.* Relíqva nil ampliùs qvàm judicia de duodecim scriptoribus, cum præfatiuncula ad Desiderium, continent.

XX A plerisqve omnibus (Mar. Victor. & Bellarm. in censura tomi IX. Hieronymi; Labbæo, Tom. I. p. 446. Rivet Critic. lib. IV. c. IV. VIII. &c.) inter manifestè suppositicia recensetur, qvòd *inter lumina Ecclesiæ Origenem, Jovianum, Pelagium, hæreticos, ponat: numeretqve etiam Hilarium Pontificem, qvi S. Leoni successit, qvi diu post mortem S. Hieronymi clarere cæpit.* Et tamen sunt in eo nihilominus, qvæ Hieronymi esse ut credamus svadent. Ut qvod *Jovinianum se assiduè qvæstionibus infinitis afficere & vexare* ait: qvòd ad *Desiderium* scriptus libellus: qvòd *Paullinum* ait *visum magistrum fieri, & non fuisse ante discipulum*; qvòd de *Pelagio* ait *sibi gravem caussam ejus verborum penè in toto orbe annunciatam esse*: qvod de Augustino, Ambrosio, Dardano, ut æqvalibus suis & tum viventibus loqvitur. Nota enim sunt scripta Hieronymi adversus Jovinianum & Pelagium. Ad Desiderium exstat præfatio ejusdem in Pentateuchum, tom. III. epist. CIV. ejusqve & librô adversus Vigilantium, c. II. tomô II. p. 159. meminit. Paullino, epistolâ XIII. tomô I. p. 35. precatur, ut *prudentia & eloqventia* ejus *accedat vel studium vel intelligentia scripturarum.* Eumdem epistolâ CXIII. tom. III p. 284. prolixè ad diligentem scripturarum lectionem hortatur, monetqve, *eum in iis sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi. Dardani* qvoqve & *Ambrosii* alibi meminit. Augustinum autem æqvalem habuisse, etiam vulgò notum.

XXI. At *Origenem*, inqvis, *Pelagium, Jovinianum, inter lumina Ecclesiæ ponit.* Immo reprehendit ut heterodoxos, & qvorum scripta *venenô* ac *felle* infecta sint. *Luminaria* Ecclesiæ non vocat: sed ait solummodò, Desiderium *velle, ut sibi qvasi de luminaribus, qvæ totô firmamentô mundi refulgent, pauca de scriptoribus &c. manifestissimè dicat.* De *Hilario*, fateor, episcopum Romanum multò juniorem Hieronymô fuisse. Sed eum vix puto heic designari. Dixerim potiùs de Pictaviensi loqvi; cujus eloqventiam & alibi celebrat; epist. XIII. tom. I. p. 35. Hujus elogium cùm sciolus aliqvis in seqventibus legeret, aliunde adjectis, heic Romanum episcopum designari credidit, addidítqve titulum *episcopi Romanorum.* Possis & de Hilario diacono Romano accipere, cui hodie viri docti commentarios in epistolam ad Romanos, Ambrosio falsò inscriptos, tribuunt. Sed de his ampliùs dispiciant alii.

XXII. Recentiorum, qvi de scriptoribus ecclesiæ Novi Testamenti universè & ex instituto scripserunt, primus est *JOANNES à TRITTENHEIM* sive *TRITHEMIUS* *, monachus ordinis Benedictini, & primò Span-

* *Trithemius*] *Trittenheim*, inqvit B. Qvenstedt in p. m. 147. Dialogi de Patriis

Spanheimensis cœnobii prope Crucenacum in Palatinatu Rheni, dein S. Jacobi majoris in suburbano Herbipolitano monasterii abbas, anno clɔ Iɔ xvi. die xiii. Decembris defunctus, vir indefessô studiô, & maximus librorum supra omnes amator & cultor: cujus *catalogus scriptorum ecclesiasticorum* Spanhemii ad Jo. Dalbergium episcopum Wormatiensem scriptus, & anno clɔ cccc xciv. tertiùm emendatus, auctus & completus, eodem annô Moguntiæ, iterum Parisiis annô clɔ Iɔ xxxi. & xlvi. cum uberiore accessione *Balthasaris Werlini* Colmariensis, ordinis Prædicatorum prodiit. Habetur & inter opera ejus Francofurti ann. 1601. excusa, parte prima: sed si Labbeo, tomo I. de scr. eccl. credimus, tantùm ex editione Parisiensi, eóqve sine additionibus Werlini.

XXIII. Incipit autem à *Clemente Romano*, complectiturqve scriptores Iɔ cccc lxx: inqve eo *ferè per septennium se laborâsse*, auctor sub finem testatur. Diciturqve ad colligendos eos scriptores usus operâ Paulli monachi Cizensis, qvem per annos complures qvaqvaversùm circummiserit, ut eos investigaret. Ait, *se neminem scienter omisisse cujus opuscula, ingenium & tempora scire potuerit: neqve scripsisse qvidqvam, qvod non multis locis vel testimoniis fuerit comprobatum: plures tamen prætermisse consiliô, qvorum nec scripta facilè inveniantur nec tempora: etiam multos viros doctissimos adhuc viventes, qui varia dicantur opuscula edere, se maluisse transire silentiô, qvàm incerta cogitare.* Deniqve *ductu præcedentium patrum hanc sylvam ingressum, de illorum opusculis singula congrua suo proposito collegisse, multos etiam diutinâ investigatione magnis sudoribus & impensis repertos catalogo suo inseruisse.*

XXIV. Errores qvosdam chronologicos & historicos ejus notat Possevinus, qvibus plurimi alii addi possent. Magirus in eponymologio Critico etiam illud reprehendit, qvòd *omnes unô calcpediô calceet, h. e. iisdem aqvet laudibus, quos laudat.*

XXV. Alter est JOHANNES SCHOPFIUS, abbas Wurtenbergicus, cujus *Academia Christiana* sive *succincta descriptio Christi, Sanctorum Apostolorum, celebriorum Patrum, ac Doctorum ecclesiæ, qui passim in orbe terrarum plantârunt Ecclesiam* JESU CHRISTI, *jam inde à tempore Apostolorum usqve ad Lutherum*, circa annum Christi clɔ Iɔ lxxxviii. conscripta, sed posteà curâ *D. Jo. Himmelii* b. m. qvondam celeberrimi in hac Academia Theologi renovata, aucta, & annô hujus sæculi XVI. Spiræ edita est. Qvi tamen non tàm scripta, qvàm vitam, res gestas, & doctrinam plerorumqve; & paullò plures, qvam centum, recenset. *Pestilentem librum* vocat Possevinus, Appar. sacr. tom. I. p. 702 scilicet qvia Pontificiis ad palatum non est; qvos passim redarguit. XXVI.

trii Illustr. Viror. *villa est ad Mosellam Treverensis Ditionis, ex qva oriundus fuit* JOHANNES TRITHEMIUS. *Abbas Spanheimensis, Ordin. S. Benedicti, Theologus, Philosophus, Historicus & plerisqve Nigromanticus, qvem Maximilianus I. in pretio habuit. Inter lucubrationes eius eminet Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, item Illustrium Germaniæ virorum. Vide* Possev. in Appar.

XXVI. Tertiò huc spectat *AUBERTUS MIRÆUS*, Bruxellensis †, S. R. E. Protonotarius, Decanus Antverpiensis, annô ∞ Iↄc xl. defunctus, mul-

† *Miraus Bruxellensis*] Hujus vitam & scripta his verbis enarrat Valerius Andr. Dessclius JCtus in p. m. 89. Biblioth. Belgicæ: *Aubertus Miraus, vulgò le MIRE Bruxellæ annô Dom.* cIↄ (non Iↄc ut malè editum sed) Iↄlxxiii. *prid. Kal. Decembris nascitur, patre* Guilielmô, *qui à recepta reductaqve ad legitimi sui Principis obseqvium per Alexandrum Farnesium Parma Ducem Bruxellâ, satagente ac favente eôdem Principe, primus è Catholicis civibus Qvastura ejusdem urbis præfectus fuit. Patruum habuit Reverendiss.* D. Joannem Miræum, *Antverpiensium laudatissima memoria Antistitem. Litteris politioribus Duaci in Collegio Regio imbutus, Philosophiam ibidem discere cœpit, Professorem nactus* Geor. Colvenerium; *absolvit verò Lovanii in in Padagogio Falconis: ubi & humaniores ipse litteras professus est.* J. Lipsii *interim continuus ferè auditor, atque ex interioris admissionis discipulis & amicis. Studiis sacris dans operam in Collegium Theologicum migravit, cui tum præerat vir eximius* Joannes Clarius, *Sacra Theologia Doctor, à quo rei œconomica administrationem sibi imponi passus est, quôqve agente beneficium Canonicum in Ecclesia Cathedrali Antverpiensi ex indulto Nominationis Academica an.* cIↄ.Iↄ. xcviii. *obtinuit. Itaqve decursô studii Theologici curriculô, absolutisqve pro Licentia, ut vocant, Disputationibus, Antverpiam ubi venit, inter honestissimos optimosqve viros, & florem in eo opido Belgarum, mox eminere cœpit variasqve functiones obivit, Scholarcha, Sigilliferi, Bibliothecarii; qua licet totum occupare hominem potuissent, à* Miræo *tamen id obtinere non poterant, qvin, ubicumqve locorum esset, semper legeret, observaret, notaret, ac scriberet aliqvid. Adeoqve* Miræo *adscripsisse liceat, qvod Plinius secundus scripsit de seniore patruo suo, librô III. epist. V. lucubrare cum solitum, non auspicandi causâ, sed studendi à multa nocte; somni fuisse parcissimi; nihil legisse, qvod non adnotaret, excerperetqve. Addens, se correptum ab eo cur ambularet, dixisseqve,* Poteras has horas non perdere. *Nam perire omne tempus arbitrabatur, qvod studiis non impertiretur,* Nonne videtur tibi, *inqvit*, recordanti, qvantum legerit, qvantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia principum fuisse? Rursus, cùm audis, qvid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? *Hujus rei in* Miræo *fidem facere ipse possum, qvem ille, aliqvantô tempore domesticum mensa sua adhibuit, & deinceps, qvoad vixit, amicum & in ferventi gratia habuit. Annô* cIↄ. Iↄc. x. *à patruo Episc. Antverpiensi missus fuit, primò in Bataviam, ac deinde in Galliam, qvò impiis hareticorum conatibus tempestivè occurreretur, Religionem orthodoxam contra pacta inducíarum per diœcesin Antverpiensem turbare satagentium: atqve à morte ejusdem sui patrui, annô* cIↄ. Iↄc. xi. *Duacum profectus, ut Fundationem, qvam ille ibidem institui supremis tabulis mandârat, promoveret, S. Theol. Laureâ IV. Non. Maji, me qvoqve tunc prasente, ab eximio viro* Guilielmo Estio *donatus est. Non longè post à Sacris Oratorii Sereniss. Principum Alberti & Isabella, Pastor ac Bibliothecarius Aula, Protonotarius Apostolicus, & postremò, à morte Joannis Del-Rio, an.* cIↄ. Iↄc. xxiv. *Decanus nominatus est Antverpiensis, atqve Episcopatus ejusdem Vicarius Generalis. Vir fuit de Ecclesiasticis in Belgio præsertim antiqvitatibus optimè meritus: qui hoc unum agebat maximè ut ἀνέκδοτα hactenus, & cum blattis tineis-*

multisqve scriptis & variâ eruditione celebris, in *Auctario de scriptoribus ecclesiasticis*, & *tomo II. Bibliothecæ ecclesiasticæ*. In qvorum priore scriptores

tineisqve luctantia, in lucem aspectumqve publicum proferret; ut Ecclesiæ statum ac regimen ob oculos poneret, ut sacrorum Ordinum initia progressusqve erueret; ut Principatuum Belgii origines hactenus obscuras illustraret, ac pleraque alia Belgicæ antiqvitatis arcana hactenus abdita recluderet, idqve non ex conjecturis aut fabellis popularibus, sed ex probatâ notæ Historicis ac Chronographis, qvinimò ex ipsis Principum Diplomatibus, qvæ in eam rem ex publicis privatisqve bibliothecis atqve archivis plurima ingenti labore ac sumptu collegit & publici juris fecit: qvò ferè spectant seqventia. Elogia Illustrium Belgii Scriptorum, *iterùm & auctiùs edita. Antver.* 1609. *4to. typis Davidis Martinii.* Elogia Illustrium gentis Spinulæ. *Ibid. apud Verdussium*, 1608. 4. *& Coloniæ*, 1611. *4to. apud Joan. Kinchium.* Vita V. CL. Justi Lipsii, *Doctoris sui, ex ipsius potissimùm scriptis concinnata, Antver.* 1609. *in 8t. & in Elogiis Belgicis, ac Famâ postumâ ejusdem Lipsii, apud Moretum.* ORIGINES Monasteriorum Benedictinorum, *per Belgium. Antver. typis Verdussii* 1608. *in 8t.* Cartusianorum, *per orbem universum, Coloniæ*, 1609. *in 8t. apud Hieratum.* Ordinum eqvestrium sive Militarium, *libris II. Antver.* 1609. *in 4to. & Coloniæ apud Kinchium*, 1638. *in 8t.* Virginum Ord. D. Virginis Annuntiatæ. *Antver.* 1618. *in 4to.* Ordinis Carmelitani, *ab Elia Prophetâ inchoati, ab* Alberto *Patriarcha vitæ regulâ temperati, à S.* Teresa *ad primævam disciplinam revocati. Ibid.* 1610. *in 8t.* Ordinum Augustinianorum, *sub Regula Divi Augustini militantium, Gallicè. Ibid.* 1611, *in 8t.* Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini. *Coloniæ, typis Bernardi Gualteri*, 1614. *in 8to.* Originum Monasticarum *libb. V. & Laudatio Sancti Thomæ Aqvinatis, ejusqve doctrinæ, dicta Bruxellis. Ibid.* 1620. *in 8t.* CHRONICON Ordinis Præmonstratensis; *in qvo initia ejus, progressusqve ac viri celebres, Cœnobiaqve commemorantur. Ibid.* 1613. *in 8t.* Cistertiense; *in qvo ejus qvoqve Ordinis, à S.* Roberto *Abbate Molismensi primùm inchoati, à S.* Bernardo *mirificè aucti & propagati, initia & incrementa. Ibid.* 1613. *in 8.* Benedictinum, *sive Benedictinorum Cœnobiorum origines, &c. Ibid.* 1614. *in 8t.* De Congregationibus Clericorum in communi viventium. *Ibid.* 1632. *in 8t.* De Collegiis Canonicorum *liber singularis. Ibid.* 1615. *in 8t.* Notitia Episcopatuum orbis universi. *typis Plantin.* 1613. *in 8t.* Politiæ Ecclesiasticæ, *sive* De statu Religionis Christianæ per totum orbem, *libb. IV. Coloniæ*, 1609. *in 8t. & Lugd.* 1620. *in 12.* Geographica Ecclesiastica; *in qva Provinciæ, Metropoles, Urbesqve titulò Episcopali illustres. Ibid. in* 12. Oratio in exseqviis Rudolphi II. Imp. *Antver. habita. typis Plantinianis* 1612. *in 4to.* Commentarius De bello Bohemico, *Ferdinandi II. Imp. auspiciis Bruxellæ*, 1621. *in 4to. & Coloniæ* 1622. *in 8t.* Elogium & Funus Sereniss. ALBERTI PII, *Belgarum Principis. Bruxel.* 1622. *in 8to* Commentarius de Vita ALBERTI PII, *Principis &c. typis Plantin.* 1622. *in 4to.* Laudatio Funebris Sereniss. ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ *&c. Ibid.* 1634. *in 4to.* Chronica Rerum totò orbe gestarum, *à Christo nato ad hac usqve tempora; auctoribus*, Eusebiô *Episc. Cæsariensi*, B. Hieronymô *Presbytero*, Sigebertô *Gemblacensi Monachô*, Anselmô *Gemblacensi Abbate, aliisqve: cum Auctario* Miræi *ab an.* 1200. *ad an.* 1608. *in 4to, apud*

Ver-

res ecclesiasticos usqve ad finem sæculi XV; in posteriore, rogatu Auberti van den Eede, Canonici Antverpiensis, nepotis ejus, è schedis illius collecto & edito, eos qvi ab anno Christi ∞ cccc xciv, in qvem *Trithemius* desinit, usqve ad ∞ Iↄc xli. vixerunt, recensuit. *Auctarium* habetur parte priore bibliothecæ ecclesiasticæ, Antverpiæ annô ∞ Iↄc xxxix. edita: pars altera ibidem annô hujus sæculi XLIX. prodiit.

XXVII. Auctarium circiter nongentos, Christianos omnes, unô alterôqve exceptô; pars altera supra mille & qvingentos, at vix alios, qvàm Pontificios, scriptores complectitur. Famianus Strada in epistola ad auctorem scripta profitetur, *admiratum se in bibliotheca hac eruditionem, judicium, perspicuitatem.* Arnoldus autem à Porta, Canonicus Bergizomensis, qvi secundam partem digessit in præfatione eidem parti hujus præfixa ait, auctorem *ut prosedula sua sagacitate lectori faceret satis, varias bibliothecas, cùm publicas tum privatas perlustrâsse, & insuper qvæ ex Eusebio, Photio, Trithemio, Sixto & Antonio Senensibus, Jo. Molano, Gvil. Eisengrenio, Jac. Pamelio, Margarino Bignæo Cæs. Baronio, Rob. Bellarmino, Ant. Possevino, Ribadeneira, Waltero, Jo. Pitheo, Pet. Lucio, Alegrio, & aliis in suum lectorisqve commodum sep ju rit, in auctarium suum rejecisse.*

XXVIII. Addit, *in hoc opus, non ea tantummodò relata, qvæ merè ecclesiastica sunt, sed veteris qvoqve ac recentioris ævi Jureconsultos qvosdam, Chronologos, historicos, etiam profanos, politicos, Philosophos, Mathematicos, oratores, Poëtas, Grammaticos, aliosqve auctorem commemorare: eamqve viam & se instituisse, dum varia præclarorum virorum opera, qvæ post Miræi mortem prodiêrunt, huic bibliothecæ velut lacinias attexuerit, aut ab illo subinde prætermissa hic illic insperserit.*

XIXX. Fatetur tamen, *multos illustres scriptores rerum sacrarum à Miræo omissos,*

Verdus: Petri Divæi Historia Brabantica, à Miræo *eruta & illustrata, cum Auctariolo. Ibid.* 1610. *in 4to.* Disqvisitio de SS. Virginibus Coloniensibus. 1608. *in 4to.* Fasti SS. Belgici ac Burgundici. *Bruxel apud Joan. Pepermannum,* 1622. *in 8.* Rerum Belgicarum Annales. *Ibid.* 1624. *in 8.* Stemmata Principum Belgii, *ex Diplomatibus ac tabb. publicis potissimùm concinnata. Ibid.* 1626. *typis Mersbecii.* Codex Donationum piarum, *præsertim Belgicarum. Ibid.* 1624. *in 4to.* Diplomata Belgica. *Ibid. apud Joan. Pepermann.* 1628. *in 4to.* Donationes Belgicæ. *Antver. apud Joan. Onobbarum.* 1629. *in 4to.* Notitia Ecclesiarum Belgii. *Ibid.* 1630. *in 4to. Omnia cum* Notis. Rerum Belgicarum Chronicon, *à Jul. Cæsaris in Galliam adventu usqve ad an.* 1636. *Ibid. apud Gvil. Leestenum.* Codex Regularium & Constitutionum Clericalium, *cum* Notis, *typis Trognæsii,* 1638. *in fol.* Bibliotheca Ecclesiastica, *sive Nomenclatores* VII. *veteres* S. Hieronymus *Presbyter & Doctor Ecclesiæ.* Gennadius *Massiliensis,* S. Isidorus *Hispalensis,* S. Ildefonsus *Toletanus,* Honorius *Augustodunensis,* Sigebertus *Gemblacensis,* Henricus *Gandavensis; cum* Miræi Auctariis & Scholiis. *Ibid. apud Jac. Mesium* 1639. *in fol. Moritur Antverpiæ annô redempti orbis* CIↃ. IↃC. XL. XIV. *Kal. Novembres.* Hæc Valer. Andreas.

omissos, multorum lucubrationes omnes non recensitas. eúmqve *datâ operâ abstinuisse nominandis auctoribus hæreticis, aliisqve scriptoribus damnatis.* Deniqve, *superstites vel jejunè, vel omnino non laudasse, &, si qvem fulgentioribus laudibus resperserit, id ferè præstitisse aliorum verbis typô jam editis. Idqve ne aut illis apud alios invidiam suscitaret, aut sibi obnoxiè adulantis suspicionem.*

XXX. Labbeus passim (tom. I. p. 75. 90. 92. 97. 98. 171. 204. & tom. II. p. 347. 364 414.) plagii eum accusat: ejusqve errores notat. * Et verum est, pleraqve ab eo aliunde, & plerumqve iisdem verbis transscripta esse, sæpe ne qvidem nominatis auctoribus, præsertim à Pontificia religione alienis: neqve id diffitetur Arnoldus, qvem modò laudavimus. Sed tamen nec illud negari debet, qvod idem Arnoldus ait, *in hoc gazophylacium multa congessisse eum, quæ ipse per se fuerit edoctus observando, legendo, consultando.* Certè infinita habet, qvæ nusqvàm apud Bellarminum, Possevinum aliosqve reperias.

XXXI. Pertinet huc & IV. *D. JO. GERHARDI*, p. m. Theologi celeberrimi, & de Academia hac, Ecclesiaqve universa inprimis præclarè meriti, *Patrologia* sive *opusculum de primitivæ Ecclesiæ Christianæ Doctorum vita & lucubrationibus*, à filio D. Jo. Ernesto b. m. *persvasione amicorum, & metu ne ab aliqvo alio fide non bonâ in lucem proferretur*, ante hos † annos XIX. publicatum. *Nunqvàm id ab auctore fuisse elaboratum, & eâ mente conscriptum, ut sub typis publicis vulgaretur; & sub ista forma & specie ne qvidem nomen illius ferre posse*; ac *haud pauca ex Bellarmino, Riveto, Coco, desumta esse*; & filius in præfatione, p. 21. profitetur, & res ipsa docet. Ac vidimus ipsi diu antè, qvàm publicaretur, exempla ejus cum amicis communicata, eum in modum concinnata exarataqve, ut facilè intelligeres non edendi propositô, sed in usus privatos, collectaneorum ritu fuisse adornatum.

XXXII. Qvocircà non satis caussæ habuit Labbeus, cur toties plagii eum incusaret, tamqve acerbô sale, qvoties illius meminit, optimum virum perfricaret: ipse cornicula Æsopica, & passim dicta aliis, etiam nominibus dissimulatis, in rhapsodiam illam suam transscribens: ut jam Höttingerus monuit in enneade dissertationum Philologico-Theologicarum, disputatione VIII. p. 175 176. Nunc, Tom. II. de Script. Eccles. p. 54. *simiam Bellarmini*, & p. 165. *plagiarum ejusdem* vocat. *Qvem* scilicet *exscribere soleat* p. 164. Alibi, p. 163. & seq. *insulsissimam Patrologiam Matæologi Jenensis* appellat, ac *inscitiam, impudentiam*, & *crassissimum effrontis hominis mendacium* ei objectat. Alicubi, Tom. I. p. 723. & *Criticorum omnium inficetissimum* dixit.

XXXIII.

* *Aubertus Miræus*, inqvit Morhof. lib. I. Polyhistoris Literar. c. XVIII. p. 207. *Panegyristes potiùs, qvàm Bibliothecarius scriptor, in solis elogiis hæret. Qvare & Elogiorum Belgicorum titulô liber ejus prodiit.*

† Nimirum Jenæ, CIↃ IↃC LIII. in 8r. Confer Dorothei Sicuri Prudentiam Theologic. p. 50. §. XXXIII.

XXXIII. Sed hoc Jesuitæ illi, ac socienniis ejus solemne est, ut criminandi occasionem undiqve captent; & qvæ ab ipsis profecta non sunt, aut sibi nocitura sciunt, convitiis insectentur. Bonorum longè diversum judicium est. Placuit certè, etsi neutiqvàm elaboratus & plurimis locis mancus, liber summis viris, nec ad hoc usqve tempus qvisqvam è Protestantibus pleniùs id argumentum exseqvutus est. Auctiorem fortassis emendatioremqve & meliori ordine dispositum, daturus erat alterà editione filius; nisi præmatura mors unà cum ipso conatum hunc nobis intercepisset. Novam tamen illius editionem, cum insigni auctario, sine capitis hujus memorando, brevi dabit * nonnemo nostratium bibliopolarum.

XXXIV. Prodière & proximis hisce annis aliqvot ejus argumenti libelli, sed de paucis solummodò scriptoribus agentes. De qvibus & ipsis, sed non nisi pauca subjungemus: judicium de plerisqve remissuri aliis, qvi nobis doctiores sunt, ac judicandi facultate pollent. Placet enim nobis S. Hieronymi, lib. de vir. Ill. c. CXIV. consilium: qvi de S. Ambrosio, *qvia is, qvò tempore catalogum suum exarabat, supererat, suum judicium subtrahebat, ne in alterutram partem aut adulatio in eo reprehenderetur, aut veritas.*

XXXV. Primò igitur abhinc qvinqvenniò qvidam *M. JO. CHRISTOPHORUS HAHNIUS* Lipsiæ libellum edidit, qvi inscribitur *Insigniora cœli Sionæi sidera, h. e. præcipui primitivæ ecclesiæ N. T. per aliqvot sæcula Patres & Doctores, juxta eorumdem ortum, progressum, occasum; ὡς ὄμμα exhibiti.* Sed is è tanta scriptorum ecclesiasticorum multitudine paucissimos, nec plures qvàm XLV, eosqve solummodò è XII. prioribus ecclesiæ Christianæ sæculis, nec tamen omnibus, ac sæpe non nisi binos è singulis, exhibet. Incipit à *Dionysio Areopagita*, ac desinit in *Bernhardo*. Nec alios recenset, qvàm de qvibus Bellarminus egit, unò *Gennadiò CPnò* exceptò. Et de his qvoqve sic egit, ut, si excipias B. Hülsemanni lectiones MStas, & Labbeum, pauca admodùm à recentioribus in hanc rem scripta legisse eum, appareat. Nam qvæ de duobus Dionysiis, de epistola Clementis ad Corinthios, Barnabæ item, Polycarpi, & Ignatianis, de Pastore Hermæ, Origene scriptisqve ejus, de Prospero, aliisqve nuper inter doctos disceptata sunt, frustra illic qværas: qvemadmodùm & recentiores editiones cùm eorumdem scriptorum, tùm Gregorii Thaumaturgi, Tertulliani, Justini Martyris, Irenæi, Clementis Alexandrini, Cypriani, Athanasii, Ambrosii, Hieronymi, Epiphanii, Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Leonis M. Prosperi, Fulgentii, Cassiodori, Bedæ, Damasceni, Teophylacti, nunqvàm oculis usurpàsse, aut de iis aliqvid inaudivisse videtur.

XXXIV. Durum qvoqve est, qvòd fine sæculi qvinti p. 179. ait, *ceteros scriptores illius sæculi* (à se præteritos scilicet) *Patrum nomen non mereri.* Et tamen inter eos sunt Joannes Hierosolymitanus, Ruffinus, Sulpicius, Paullinus, Sedulius, Isidorus Pelusiota, Proclus CPanus, Petrus Chrysologus, Eucharius Lugdunensis, Basilius Seleuciensis, Maximus Taurinensis, Claudianus Mamertus, Salvianus, Æneas Gazeus, aliiqve, qvi meritò suò magni æstimantur. XXXV.

* Ego illam adhuc non vidi.

XXXV. Nempe non est cujusvis, ecclesiasticas antiqvitates ritè tractare: nec tironum labor iste, sed subactô ingeniô judiciôqve, & multorum annorum studiô, nec vulgari eruditione, ad eam rem opus est. Sine qvibus præsidiis qvi se vasto huic oceano committit (qvod non nisi temerarii est) nunqvàm feliciter enavigabit.

XXXVI. Annô proximè secutô CIↃ IↃC LXIX †. prodiit in Belgio (fictô *Cosmopolis* nomine præscriptô) CHRISTOPH. CHRISTOPHORI SANDII, Borussi, *Tractatus de Veteribus scriptoribus ecclesiasticis*, ejusdem *Nucleo historiæ Ecclesiasticæ* præfixus: in qvo tam de scriptoribus divinis Canonicis & Apocryphis N. T. qvàm de Ecclesiasticis Antenicænis (ut eos vocat) non sine apparatu necessario, & diligenter egit. Sed passim, ut totum illud opus, venenô Arianô infectus est.

XXXVII. Porro abhinc trienniô annô 1670. Giessæ edita est *M. JO. CHRISTOPHORI MEELFVRERI*, Onoldô Franci, *Corona centum Patrum & doctorum Ecclesiæ, ostendens eorum natales, educationem, res gestas, scripta tam genuina qvàm supposititia, nævos & errores, ex historia ecclesiastica deducta.* Nempe è qvingentis Bellarmino memoratis *elegit centum tantùm, sed primarios*, ut ait in præfatione, *qvi nucleus Antiqvitatis Ecclesiasticæ merito appellari qveant: addiditqve qvosdam Bellarmino non recensitos, vel ob peculiare factum, vel ob insigne testimonium veritatis. In recensendis* eorum *nævis & erroribus vestigia Centuriatorum legisse se* profitetur. *nec prætermisisse, si qva etiam Chronologica, Historica errata occurrebant.* Deniqve *his præfixisse libros genuinos & supposititios, editiones varias, judicia, censuras, elogia.* Incipit in *Herma*, desinit in *Bernhardo*.

XXXVIII. Deniqve *Bellarminiani de scriptoribus ecclesiasticis libri Continuationem, ab anno* CIↃ IↃ, *in qvo desinit, ad annum* CIↃ IↃC, scriptores CXXI,

† CIↃ. IↃC. LXIX.] Rectè, non LXVIII. ut Pater Sandii, Christophorus Philippi Sandius scribit in præfatione novæ editionis Nuclei Historiæ Ecclesiasticæ Christophori Christophori Sandii, Coloniæ (Amstelod.) M. DC. LXXVI. prodeunti, præmissa. Illa exiit in 8. Hæc in 4to, qvâ utor. In p. m. 8. Tractatus dicti, de Veteribus Scriptorib. Ecclesiastic. scribit Sandius, *Augustæ annô* M. CCCC. XLIX. *Biblia Germanica esse edita*; qvod falsum esse hic obiter monere visum fuit per occasionem, cùm & alios eruditos eo in errore versari compertum mihi sit. Neutiqvàm enim eô annô Augustæ Biblia Germanica prodiisse certum est. Vide Cl. Dn. M. Georgi Frederici Magni Gymnasii Augustani ad D. Annæ Rectoris & Bibliothecarii Disqvisitionem de Antiqvis S. Scripturæ Versionib. Germanicis Augustæ excusis annô CIↃ IↃC XC. editam. Qvæ in votum venit ex parte Cl. Joh. Henr. Höttingeri. *Bibliorum*, inqvit part. I. Bibliothecarii. c. IV. p. m. 72. *præsertim Germanicorum, optem hic ea diligenter conqviri & adservari exemplaria, qvæ ipsam Reformationem præcedunt diversa; tùm, ut pateat, Translationum studium ne superioribus qvidem seculis, qvod qvidam ex Adversariis pertendunt, fuisse ignotum; tùm etiam, ut Translatorum libertas iis os obthuret, qvi hodie vel levissimam mutationem Translationum sacrilegam putant.*

CXXI, eosqve Pontificos omnes, complexam annô cIↃ IↃc LXV Tulli Leucorum * edidit *ANDREAS DU SAUSSAY Parisinus, Episcopus & Comes Tullensis.* Profitetur autem, in præfat. se *præcipuorum duntaxat seriem consignâsse hôc auctariô.*

XXXIX. De scriptoribus sacris, vel rerum ecclesiasticarum tractatoribus, & inprimis Patribus Catholicis adhuc exstantibus, nuper etiam commentari cœpit clarissimus Rostochiensium Theologus, *D. AUGUSTUS VARENIUS*, eâ, ut ait in præambulo Rationarii Theol. §. 3. methodô, ut *in singulis sæculis ad IV. classes scriptorum nomina revocaturus sit*, 1. *scriptorum præcipuorum & fide vel usu digniorum*, 2 *sive dubiorum, sive usu minorum*; 3. & 4. *suppositiorum vel noxiorum, qvi sive sub sanctioribus nominibus superstitionem damnabilem occulunt, sive in fabulas exeunt; nulloqve se sive magnô sive certiore usu Ecclesiæ commendare possunt.* Sic tamen ut *hujus & superioris sæculi scriptorum ecclesiasticorum, & sæculorum seqviorum nobisqve propiorum scriptores, inprimis Scholasticos, ceterosqve viros ingeniosos, qvorum in re ecclesiastica desudavit opera parciùs notaturus, vel de iis scripturus sit.* Cujus operis specimen, sive pars prima, de scriptoribus sæculi primi, sed suppositiciis ferè, ante qvadriennium Rostochii sub titulo *Rationarii Theologici de scriptoribus Ecclesiasticis* prodiit, an. 1669 Cui ut reliqva brevi subjungat vir doctissimus, publicô eum nomine rogamus; ac ut possit, ocium ac vires ei à DEO adprecamur.

XL. Dum hæc litteris consigno, ab amico mihi indicatur, ac simul inspiciendus exhibetur *Abacus Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum Alphabeticus*, à *M. Jo. Gotfrido Oleario*, Ecclesiaste Halensi eruditissimo, conscriptus, & nuper huc, ut cum Patrologia Gerhardina excudatur, missus. Qvod opusculum harum litterarum studiosis erit locô Indicis, è qvo unô intuitu cognoscant qvæ de XVI. sæculorum scriptoribus ecclesiasticis, & qvibus locis scripserint alii pleraqve, tum à qvibus. qvando & ubi eorum scripta prodierint. Eôqve non solum tironibus, sed etiam doctioribus gratum fore non dubito.

CAPUT QVARTUM.

Enumerantur varia genera scriptorum subsidiariorum. Bibliothecæ universales. Catalogi Bibliothecarum. Lexica. Onomastica. Historici universales, sacri, ecclesiastici, particulares, singulares. Vitæ Sanctorum & martyrum. Menologia. Menæa. Synaxaria. Martyrologia. Epitaphia. Catalogi testium veritatis. Vetus Academia Christiana. Scriptores de controversiis sacris. Critici & philologi sacri. P. Lambecii historia litteraria, & opus de bibliotheca Vindobonensi.

I. EXposuimus hucusqve de propriis Notitiæ nostræ scriptoribus; prolixiùs aliqvantô, fateor, bono tamen, ut speramus, eorum qvi pleniùs accura-

* *Tulli Leucorum*] Ego utor editione Coloniensi in 4to, anni M. DC. LXXXIV.

curatiúsqve ista cognoscere cupiunt. Nunc & de subsidiariis adjiciemus, sed velut obiter ac per indicem, nam de singulis ex instituto agere alterius loci propositiqve est. Et faciemus ipsi fortassis alibi, si DEUS vitam nobis melioremqve fortunam concesserit: saltem in uno alteroqve eorum genere.

II. Huc itaqve (1.) spectant Scriptores BIBLIOTHECARUM UNIVERSALIUM: ut *Conradus* † *Gesnerus in Bibliotheca universali, sive catalogo omnium scriptorum, in tribus lingvis, Latina, Graca, & Hebraica, exstantium & non exstantium &c. publicatorum & in Bibliothecis latentium*; qvam posteà in epitomen redegerunt, suppleveruntqve plurimis locis, primò *Conr. Lycosthenes*, & *Josias Simlerus*, dein *Jo. Jacobus Frisius*: supplementô etiam peculiari auxit *Antonius Verderius*. Itemqve *M. Georgius Draudius* in *Bibliotheca classica* parte præsertim prima, &, qvoad vernaculos scriptores, in *Bibliotheca Germanorum*, & *Exotica*.

III. Qvod opus plurimis auctoribus librisqve adscriptis à nescio qvo locupletatum, ante hos annos XXV. in instructissima Bibliotheca publica illustris Reipub. Noribergensis videre memini. In eoqve continuando plurimum temporis, operæ, sumtusqve consumserat vir eruditissimus, nobisqve, dum viveret, amicissimus, *Joachimus Meisnerus*, Torgensis in Misnia Scholæ Rector. Sed tam præclarum opus ante annos circiter xv. mors optimi viri nobis intercepit.

IV. Par fatum excepit paucis ante annis *Bibliothecam universalem*, qvam moliebatur vir summus, *Gabriel Naudæus*, cujus vastum & omnium disciplinarum capax ingenium nihil in hoc genere facile latebat; qviqve pæne omnes in Italia, Galliaqve bibliothecas excusserat.

V. Ejusdem tituli argumentiqve opus vastissimum, in tres partes distributum, (cujus particulam ait in præfat. Dissert de Script Eccles. esse dissertationem de scriptoribus ecclesiasticis) jam pridem adornabat *Philippus Labbeus*, haud scio an meliore fatô. Neqve enim id hucusqve videre licuit; nec an prodierit, satis nobis constat.

VI. *Specimen* qvoqve *Novæ Bibliothecæ universalis* nuper dedit, & *sacris Bibliothecarum illustrium arcanis sive MSS. Theologicorum designationi*, qvæ tota huc spéctat, præfixit, simulqve difficultatem instituti, modumqve conficiendæ ostendit vir eximiâ pietate, eruditione & morum innocentiâ clarus, *Theophilus Spizelius*. Qvi utinam ipse hunc laborem exantlaret! Sed hoc fortasse facilius optare, qvàm sperare, licet.

VII. Intereà fruamur iis qvæ in hoc genere jam exstant. Ea verò licebit haud parum supplere ex variis *CATALOGIS BIBLIOTHECARUM* ac *LIBRORUM*, partim editorum, partim adhuc latentium: de qvorum diversis generibus videndus CL. Voglerus, cap. 111. Introductionis universalis

† Vide de hoc qvæ diximus part. II. Animadversion. c. & §. ult. p. 191. s.

ſalis in Notitiam Scriptorum. Plurimos ſuggeret *Phil. Labbei Bibliotheca Bibliothecarum*, nuper auctiùs edita *. Qvoſdam & ipſi aliâ occaſione indicabimus. Præ aliis commendari merentur *Catalogi Oxonienſis*, *Auguſtanæ*, *Leidenſis*, *Scavenianæ Hafnienſis*, & qvos in *Nova Bibliotheca MSS. librorum* exhibet modò laudatus *Labbeus*.

IIX. Spectant huc etiam (II.) è LEXICOGRAPHIS ſivè *Dictionariorum* ſcriptoribus, qvi ſacrorum hominum nomina deſcriptioneſqve continent. Qvô nomine è veteribus laudari debet *Suidæ Lexicon*, ſubinde varios † Doctores eccleſiæ eorumqve ſcripta recenſens. E recentioribus potiſſi-

* Tu lege Dan.Georg. Morhof. lib. I. Polyhiſtor. Literar. c. XVIII. p. 203. ſ.

† *Varios doctores*] In Suidæ Lexico præter Grammaticas vocum explicationes, multa occurrere hiſtorica doctos in primis ad viros eorumqve labores ſpectantia, illos, illud qvi legerunt, fugere non poteſt. *Suidas*, inqvit Jonſius in tertii de Scriptorib. Hiſtoriæ Philoſoph. c. XX. libri p. 308. *Philoſophorum plerorumqve, vitas exhibet, eóqve non infimum locum inter noſtros βιογράφυς ſibi vendicabit. De eo alibi plura.* Qvod qvidem velim, ſed non puto factum. Illorum in ordinem qvoqve Suidam refert Ger. Jo. Voſſius de Philologia, c. XIV. §. 9. p. 71. Qvi & pluribus de eo agit, c. V. §. 17. p. 37. ibidem; In de Scientiis Mathemat. c. LXII. §. 12. p. m. 359. ait ipſum claruiſſe annô CIↃ XXXVIII. At in II. de Hiſtoric. Græcis, c. XXVI. p. 301. refert ipſum ad annum CIↃ LXXXI. *Hoc*, inqvit, *de ætate, ſcimus, ex iis, qvæ ſcribit in Voce Ἀδὰμ. Ubi à Chriſto nato uſqve ad id tempus effluxiſſe ait annos* CIↃ XVIII. *Sanè Suidam ante annos claruiſſe (circiter) qvingentos etiam judicium eſt doctiſſimi Caſauboni in Exercit. I. ad Adparatum Annal. n.* XXV. (in Baronio, ſed in Caſaubono eſt n. XII. p. m. 91. qvod addere viſum fuit, ne Lector, qvod mihi contigit; in qværendo erret) *Sed poterat ſexcentos dixiſſe* (at dixerat *circiter qvingentos* Caſaubonus, qvam vocem a Voſſio omiſſam in parentheſi reſtitui Caſaubono) *ut facit Andreas Schottus præfatione in Proverbia è Suida colectaneis.* Huic Voſſii ſententiæ in Chartophylace recenſitæ ſubjicit Cl. Cave: *Forſan antiqvior ipſe Suidas, multis, qvæ ſeqviora tempora ſapiunt, à recentiore manu additis.* Qvod ſanè veriſimillimum eſſe videtur Cl. Dn. Joh. Alberto Fabro in de Lexicis Græcis Exercitatione, §. II. Qvem & eumdem vide in Centuria Plagiariorum, n. V. Adde B. Bœcleri Diſſertationem de Lexicis, qvæ eſt III. Adpendicis Diſſertationum Academicar. p. m. 509. ſ. *Etſi autem*, pergit Voſſius in de Scriptorib. Græcis, hæc enim utpote potiſſimùm noſtrum ad inſtitutum facientia nolo prætermittere. *qvantum ad Lexicon* Suidas *propriè Hiſtoricus non eſt: tamen magnam partem operis ſui hiſtoriis farcivit: qvas à ſe, ac diſcipulis ſuis, Latinè tranſlatas ſeorſum edidit Hieronymus Wolfius. Primus verò Latinè tranſtulit, atqve etiam annotationibus illuſtravit Robertus Groſſeteſt, ſive Capito, Anglus: qvi obiit annô* CIↃ CCLIII; *ut auctor eſt Baleus in ſcriptoribus Britannicis, centuriâ* IV. *Sed omnium facilè induſtriam vicit Æmilius Portus, Franciſci filius; qvi Græcum textum cum* Mſſis *contulit, multiſqve locis emendavit, obſcura item explicuit, integrum qvoqve Latinè tranſtulit.* Hæc Voſſius. Inter adhuc vulgatas dictam Porti Genevenſem in II. Tomis annô CIↃ IↃC XIX. in fol. publicatam optimam eſſe

tissimum huc faciunt *Henrici Orai Nomenclator præcipuorum jam inde à N. C. ecclesiæ doctorum, scriptorum, Professorum, &c: Martini Zeilleri Index historicus* * *multorum Sanctorum, scriptis illustrium aliorumqve hominum, (Historischer Anzeiger vieler heiliger, hocherleuchteter und aus den Schrifften bekanter, auch anderer vornehmen Leute:) Wolfg. Crugeri Onomasticum Chronologicum virorum literis, dignitate & virtute illustrium: Car. Stephani Dictionarium historicum: geographicum & poëticum*, nuper recensitum, suppletum, & pæne infinitis locis emaculatum à *Nicol. Lloydio*, † Anglo: *D. de Juigne Dictionarium Theologicum, historicum, poëticum, Cosmographicum, & Chronologicum*, sæpius Gallicè in Gallia excusum, &c.

IX. Huc qvoqve (III.) pertinent ex scriptoribus *HISTORIÆ UNIVERSALIS*, qvi sacros & ecclesiasticos scriptores eorumqve res & scripta commemorant. Ut è veteribus *Hieronymi Chronicon Eusebianum, Georgii Syncelli & Theophanis Chronographiæ*, cum continuatione nondum edita *Genesii: Chronicon Georgii Hamartoli* manuscriptum: *Geor. Cedreni Synopsis historiarum, Jo. Zonaræ Annales, Chronica Fl. Dextri, Freculphi Lexoviensis*, &c.

esse & elegantissimam sicuti nemo negat: ita illam ipsam plurimis adhuc laborare mendis jam olim notavit Lambecius in libr. II. de Bibliotheca Vindobonensi, c. VII. Qvorum benè multa se pollicetur expunctorum Dn. Faber in adductis locis. Qvod ut faciat, publicò eum nomine rogamus; ac ut possit, omnia ei à DEO spectantia eo precamur. *Habeo*, inqvit, Hadr. Junius in p. m. 116. Epistol. *Suidam locis ter mille, quid ajo, imò μυριάς à me interpolatum & genuina lectioni restitutum, cum indicio autorum, unde sua mutuatus est.* Item p. 136. *Suidas meus, priusqvàm in manus hominum veniat publici juris factus, biennium aut plus eò elabetur.* Et in p. m. 173. *Habeo præter alia, præ manibus vertendum Suidam, opus ingens & maximi usus ad omnigenam historiarum & rerum omnium abditarum cognitionem, in quo eam navavi operam, qua & mihi honorifica, & utriusqve linguæ vetustatisqve studiosis cum primis utilis. atqve adeò necessaria futura est, nam supra quinqve aut sex millia locorum ex omnis generis autoribus petita, germana lectioni restitui immenso cum labore, qua cura nostra industria opem intelligi omnino non possint. Eum laborem, filio Principis, quem audio ad literas à patre destinatum, comparo, ceu unicum & locupletem rerum, quæ (fortè qvas) dixi, omnium thesaurum, id opus in lucem auxiliante Deô in lucem emissurus ante biennium. Proinde T. Ex. eò nemine commendare nostros labores poterit, ut suâ liberalitate (Principum enim virorum est adjuvare, alere, promovere, atqve excitare præmiis studia) otium nostrum aliqvâ ratione benignè foveat.*

* Editus est Francof. M. DC. LVIII. in 8t. Miror præteriisse nostrum Bosium Davidis Chytræi Onomasticon Theologicum, in qvo præter Nomina propria ferè omnia, qvæ in Bibliis exstant, plerorumqve etiam Sanctorum, qvi Kalendario usitatè inscribi solent, item Doctorum Ecclesiæ, Martyrum, Hæreticorum & Synodorum nomina & Historiæ breviter indicantur. Witebergæ editum 1598. in 8t. Latinè; Germanicè verò Lipsiæ M. DC. XV. in 4to. Exemplum meum Germanicum ob manum magni Theologi B. D. Philippi Nicolai, eô usi, in pretio habeo.

† Dixi de hoc in part. III. Animadversion. c. II. §. IV. p. 46. s.

&c. è junioribus *Index Chronologicus* * *Bucholceri*, *Chronologia Gilb. Genebrardi*, *Jac. Gordoni*, *Sethi Calvisii*, *Henr* †. *Guthberleti*: *Rationarium Temporum D. Petavii*, & ejusd. *liber XIII. de doctrina temporum*; *Jo. Jonstoni polyhistor*, *Theatrum historicum Stratemanni*, *Alstedii thesaurus chronologicus capp. XIII, XLI, XLIII, & XLIV.* & qvoad seculum IX. & X. ‡ Christianum Cl. *Boeclerus de rebus illorum sæculorum*, &c.

X. Neqve minùs huc faciunt (IV.) ex *HISTORICIS SACRIS* & *ECCLESIASTICIS*, *Sulp. Severi historia sacra*, cum *continuatione Chr. Schotani*: *Eusebii*, *Socratis*, *Theodoreti*, *Sozomeni*, *Euagrii*, *Theodori lectoris*, *Ruffini*, *Cassiodori*, & *Nicephori historia ecclesiastica*: *Centuriæ historiæ ecclesiasticæ Magdeburgenses*, ut vocantur, cujusqve centuriæ *cap. IV*; *Epitome Lucæ Osiandri*; *Annales ecclesiastici Cæs. Baronii*, eorumqve *epitomæ Henr. Spondani* & *L. Aurelii Perusini*; cum continuatoribus eorumdem, *Abrah. Bzovio*, *Jac. Saliano*, *Henr. Spondano*, *Oderico Raynaldo*: *Jo. Horatii Scoglii ecclesiæ à primordio historia*: *Matthias Chesneuxius* in *Speculo Chronographico ecclesiæ Catholicæ*; *Joh. Micrælius* in *syntagmate historiarum Ecclesiæ* **: *Hottingerus* in *historia ecclesiastica*, sæculi cujusqve *capite I*; *Timannus Gesselius* in *historia sacra & ecclesiastica*; *Compendium historiæ ecclesiasticæ Gothanum*, & qvoad tria prima ecclesiæ sæcula *Compendium D. Cunr. Horneji*, & *Drama sacrum B. Dannhaweri*, maximè *Opticæ phænomenô III. & VIII*: *Antiqvitates Ecclesiasticæ D. Balth. Bœbelii* nostri, sæculi cujusqve *articulô I.* qvorum & reliqva sæcula exspectamus: qvoad sex priora autem, *historia ecclesiastica D. Joannis Henichii*, qvoad qvintumdecimum, *Eliæ Ebingeri*, &c. Nam hi omnes plurima de præcipuis ecclesiæ scriptoribus suppeditabunt.

XI. Etiam (V.) qvi solummodò *certi* & exigui *temporis* sed *universalem* tamen, hoc est, omnium pluriúmqve gentium *historiam* enarrant, subinde scri-

* *Buchole.*] In hoc Indice præcipuarum Gentium res, tàm civiles, qvàm Ecclesiasticas suos ad annos reductas paucis verbis exponit. Incipit ab Orbe Condito & desinit in Henrici Lusitanorum Regis obitu, annô M. D. LXXX. De editionibus vide M. Hanckium, de Scriptorib. Hist. Rom. part. II. c. LXVIII. p. 375. Casp. Sagittarius in p. 123. Introduction. in Histor. Eccles. addit Francofurtensem ad Oderam anni CIↃ IↃ LXXVII. Isagogæ Chronologicæ junctam, qvæ tamen pars prior tantùm est, annô Christi CIↃ IↃ LXXI. desinens. Ego utor editione anni M. D. XCVI. qvæ prodiit ex officina Santandreana in 8t.

† Ego habeo editionem Amstelredamens. CIↃ IↃC XXXIX. in 8t. qvam posteà seqvuta est secunda annô M. DC. LVI. Absolvit ante obitum paullò Chronologiam hanc, qvi contigit annô M. DC. XXXV. Ut falsus sit Ger. Jo. Vossius in de Scient. Mathematic. c. LXVIII. extr. p. m. 407. scribens: *Annô CIↃ IↃ CXLII. Daventriæ Henricus Guthberletus classica qvidem schola moderator, Illustris verò Gymnasii Professor fuit*: *à morte autem excudendam reliqvit Chronologiam*; *qva ab Orbe condito incipit, ac desinit in anno CIↃ IↃC XXXIV.*

‡ Item XVI.

** Cum Continuatione Cl. Dn. Danielis Hartnaccii adjecta editioni Lipsiensi M. DC. LXXIX. in 4to.

ſcriptorum eccleſiaſticorum, etſi pauciorum, ſæpe tamen prolixè res commemorant. Qvo in genere *Thuanus* planè eximius eſt.

XII. Neqve nihil ad hoc propoſitum (VI.) conducent, qvi *PARTICULAREM* unius paucorumqve populorum, rerumpublicarum, annorum, *HISTORIAM* concinârunt; nam & hi paſſim doctrinâ ſcriptiſqve clarorum hominum elogia reſqve geſtas operibus ſuis inſerunt: etſi pauciſſimorum, ſi cum priorum generum ſcriptoribus eos compares.

XIII. Sed maximè omnium ex hiſtoricis huc (VII.) faciunt, qvi *VITAS* & *ELOGIA* variorum illuſtrium, etiam doctrinâ ſcriptiſqve, in his ſacrorum, hominum ſcriptò conſignârunt. Qvò pertinent *Elogia Paulli Jovii*, *Papiri Maſſoni*, *Scævolæ Sammarthani*, *Julii Cæſaris Capaccii*, *Jac. Phil. Tomaſini*; *Muſeum hiſtoricum Jo. Imperialis*; *Jani Nicii Erythræi*, ſeu potiùs *Julii Victorii Roſcii* (is enim ſub illis nominibus latet) *Pinacotheca Imagnum virorum illuſtrium*; *Stephani Luſignani catalogus virorum illuſtrium*, *Petri Opmeeri* & *Laur. Bayerling. hiſtoria virorum illuſtrium*; *Andreæ Theveti Effigies & vitæ virorum illuſtrium*, *Græcorum*, *Latinorum*, *Chriſtianorum ac Paganorum*, *ex eorum tabellis*, *libris & numiſmatis*, *&c.* *Ant. Verderii Proſopographia illuſtrium virorum*, *Theodori Bezæ Icones Viror. Illuſtrium.* &c †.

XIV. Huc etiam pertinent, qvi illuſtres doctrinâ viros per loca natalia, qvæ incoluêre, digeſſerunt. ut fecit in *dialogo de patriis illuſtrium virorum* vetus amicus noſter, *D. JO. Andr. Qvenſtedius* Theologus Wittenbergenſis clariſſimus.

XV. Qvemadmodùm & illi, qvi in unum opuſculum congeſſerunt, qvi eôdem fuêre nomine. Qvò ſpectant *Leonis Allatii diatriba de Pſellis*, *Georgiis*, *Simeonibus*, *Philonibus*, *Nicetis*: *Ant. Sanderi* liber *de claris ſanctitate & eruditione Antoniis*. De multis qvi *Andreæ* nomine appellati fuêre, egit Andreas Sauſſayus in libro de S. Andreæ laudibus & gloria.

XVI. Sed præcipuè huc faciunt, qvi *VITAS SANCTORUM* & *MARTYRUM* conſcripſerunt. Cujuſmodi ſunt qvæ Græcè à *Simeone Metaphraſte* partim collectæ, partim conſcriptæ aut interpolatæ ſunt, ac, paucis exceptis, adhuc in celebrioribus bibliothecis MSS. latent: qvarum catalogum dedit, multáqve egregiè de iis obſervavit *Leo Allatius*, *diatribâ de Simeonibus*: itemqve qvas Latinè *Aloyſius Lipomanus*, *Laur. Surius*, *Heribertus Roſweidus* ediderunt, & vaſtum opus, qvod *Joannes Bollandus* & *Gotfr. Henſchenius* Jeſuitæ ab aliqvot annis edere cœperunt: qvemadmodùm & multa alia hoc genus hucuſqve inedita.

XVII. Huc etiam referri poſſunt *MENOLOGIA* Græcorum varia, qvorum unum Latinè ex interpretatione Cardinalis Sirleti *Henr. Caniſius* edidit tomô II. Lection. antiqvarum; aliud è Menæis Græcorum deſumptum inqve

† Illuſtrium Galliæ Belgicæ Scriptorum Icones & elogia prodiêrunt è Muſeio Auberti Miræi Canonici Antverpienſis, Antverpiæ CIↃ IↃC VIII. in 4to.

inqve linguam Græcobarbaram translatum publicavit anno ∞ Iↄ xxix. Venetiis *Anton. Pinellus*: plura passim in bibliothecis latent: antiqvissimum creditur, qvod in Barberina habetur. Plura de hoc genus libris *Allatius* differt. 1. de libris ecclesiast. Græcorum p. 82. & deinceps.

XVIII. Prolixiora his *MENÆA*, de qvibus idem Allatius adeundus, p. 78. & deinceps. Pariter breves narrationes de sanctis admistas habent, Græcis *Synaxaria* dicta, qvæ & seorsim inveniuntur. videndus denuo Allatius p. 91. & seqq.

XIX. E Latinis huc pertinent *MARTYROLOGIA Bedæ*, (cujus penes me est vetustissimus codex membranaceus, cui passim dies emortuales variorum Pontificum, episcoporum, presbyterorum, monachorum, Principum item, & aliorum, diversis temporibus, nec unâ manu, adjecti sunt) *Usuardi*, *Wandelberti*, *Adonis Viennensis*, & qvod ei præfixum, ac à qvibusdam pro Romano veteri habetur; itemqve illa *Rabani*, *Rivii*, *Romanum*, cum notis in ea *Molani*, *Rosweidi*, *Baronii*; & qvod *Hieronymo* tribuitur, nuper in Gallia à *Luca Dacherio* editum: tum varia adhuc inedita: in his *Germanicum* nostræ bibliothecæ Academicæ, Saxonicâ dialecto conscriptum; nec non qvædam recentiora variis lingvis conscripta Sicut *BREVIARIA* variarum ecclesiarum, tam edita, qvàm MSCta.

XX. Elogiorum scriptoribus adfines sunt qvi varia clarorum hominum *EPITAPHIA* congesseruut. ut Franc. Sweertius in *Deliciis Orbis Christiani*, & *Epitaphiis jocoseriis*, & qvi certarum provinciarum, urbiumqve, ut *Brabantica*, *Silesiaca*, *Basilcensia*, *Noribergensia*, *Augustana*, *Wittebergensia*, &c. publicàrunt. Qvibuscum conjungi possunt, qvæ *Nathan Chytræus* in *Deliciis variorum Itinerum*, *G. Fabricius* in *libris antiqvitatum*, & passim Itinerum scriptores alii, nec non è Chorographicis ac Topographicis haud pauci, exhibent. Nam inter hæc multa sunt eorum, qvi scriptis Ecclesiasticis inclaruerunt. Vetera qvædam habes in *appendice Gruteriani Inscriptionum operis*, & in *Roma subterranea* ab *Ant. Bosio*, *Jo. Severano*, & *Paulo Aringho* descripta: sicuti recentiora apud qvosdam Elogiorum scriptores, ut Imperialem, Tomasinum, &c.

XXI. Possunt & (VIII) è Theologis multa ad notitiam scriptorum ecclesiasticorum facientia peti: cùm & ipsi passim variorum doctorum dogmata, facta, autoritatemqve aut adlegent, aut refellant & sub examen vocent; eâqve occasione fusiùs de iis differant discepténtve. Inprimis autem huc facit *Catalogus testium veritatis*, à *Matthia Flacio* contextus, cum *additamentis Sim. Goulartii*, & *notis* atqve *auctario* scriptoris anonymi nuper Francofurti edito: qvodqve huic eodem titulo oppositum est opus *Guil. Eisengrenii*, scriptoris Pontificii.

XXII. Nec reticeri debet *Theoph. Spizelii Vetus Academia Christi*, *iconibus*, *exemplis & documentis priscorum pietatis veræ doctorum & Professorum illustrata*, ac biennio abhinc * Augustæ Vindelicorum publicata: in qva

* M. DC. LXXI in 4to.

XXII. Patrum exercitia documentaqve pœnitentiæ, fidei, charitatis, patientiæ, aliarumqve virtutum Christianarum, ex historia scriptisqve eorum, unà cum elegantissimis eorumdem iconibus exhibet: liber dignus qvem veræ pietatis cultores diligenter & adsiduè manibus terant: Pertinent huc & *Abrah. Sculteti Medulla patrum*, *Dan. Parei Paratitla Parthenica*: &c.

XXIII. Haud parum qvoqve contribuent, qvi *CONTROVERSIAS SACRAS*, præsertim qvæ Protestantibus cum Pontificiis intercedunt, ex antiqvitate ecclesiastica prolixiùs illustrant. Inter qvos excellunt è nostris *B. Chemnitius in Examine Concilii Tridentini*, *B. Gerhardus in Locis*, & *Confessione Catholica*, *D. Heilbrunnerus in Papatu Acatholico*, ejusqve hyperaspistes *D. Zeamannus*; *D. Heinr. Höpffnerus* in *Saxonia Euangelica* †; *D. Calixtus* pater in libris *de cælibatu Clericorum*, *de visibili Monarchia Ecclesiastica*, *de transsubstantione*, &c. *D. Horneius* in *Disputationibus Theologicis*, & *tractatu de divinis Scripturis*: *D. Dreierus* in *Controversiis cum Pontificiis*: *D. Reinbothus* in *Antikeddio*; & in variis scriptis *D. Joan. Georg. Dorscheus*, *D. Abrah. Calovius*, *D. Jo. Meisnerus*, *D. Gerb. Titius*, *D. Joach. Hildebrandus*, *D. Chr. Cortholtus*, *D. Heinr. Müllerus*, aliiqve.

XXIV. E Reformatis, *Dan. Chamieri Panstratia Catholica*, *Ph. Mornai* libri *de Ecclesia*, *de Eucharistia*, *Mysterium Iniqvitatis*, *Responsio ad Episcopum Ebroicensem*: *J. Rainoldi Prælectiones* & *Colloqvium cum Harto*. *Petr. Molinæi Defensio fidei catholicæ*, *Novitas Papismi*. & *Monarchia Papalis*; *Gu. Perkinsi Problema de ementito catholicismo Ecclesiæ Romanæ*: *Andr. Riveti Catholicus orthodoxus*: *J. H. Hottingeri Hodegeticus Christianus*: *M. Ant. de Dominis libri de rep. Ecclesiastica*; *Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Responsio ad epistolam Card. Perronii*, & *liber pro jure regio*: *Isaaci Casauboni exercitationes Antibaroniana*; *Rich. Montacutii Analecta*, *Apparatus*, & *Origines Ecclesiasticæ*: *Rob. Parkerus de politia ecclesiastica*: *Jo. Forbesii Instructiones*

† De D. Balth. Mentzeri Anti-Pistorio, sive Disputationib. XIV. de Præcipuis qvibusdam controversis Christianæ doctrinæ capitib. (ita ut sit error in Titulo hujus libri apud Henning. Witten in p. 265. Decad. II. Memoriæ Theologor. renov. ita adducto, *Anti Pistorius, seu Disputationes Theol. & Scholastica de XIV. Præcipuis* &c. Neqve enim tractavit ibi B. Mentzerus XIV. Religionis capita; sed in XIV. Disputationib. de qvibusdam Religionis egit capitibus, particula enim *de* postponenda est num. XIV. non præponenda) Marpurgi CIↃ IↃCVI. in 8r. Et de Apologia primæ (ex qvatuordecim) Disputationis Anti-Pistorianæ, ibid. M. DC. II. in 8t. edit. egi in parte IV. Animadversion. mear. c. IV. §. IX. p. 181. D. Hülsemann in Manuali Confessionis Augustanæ ipsi laudato Riveto in Apolog. pro vera Pace Eccles. p. m. 45. & in Collegio publico Antipapistico, Witteb. 1637. in 4to. & qvæ huc in primis faciunt in Animadversionib. in Bellarmini Tomum I. Controv. lib. I. de Verbo DEI; Witteb. 1641. in 12. D. Joh. Conr. Dannhawer in Hodomoria Spiritus Papæi Argentor. M. DC. LIII. in 8t. & in variis aliis, item D. Petr. Haberkorn. D. David Christiani.

ctiones Historico-Theologicæ; *G. J. Vossii historia Pelagiana*, & *disputationes Theologicæ* ac de *baptismo*; *Edm. Albertini opus de Eucharistia*, ejusqve propugnatores; *Jo. Durelli Vindiciæ Ecclesiæ Anglicanæ*: variaqve scripta *Tho. Mortoni*, *G. Voetii*. *Nic. Vedelii*, *Jac Usserii*, *Sam. Petiti*, *Cl. Salmasii*, *Dav. Blondelli*, *Jo. Dallæi*, *Lud. Molinæi*, *A. Mestrezati*, *Car. Drelincurtii*: *Disputationes Theologorum Sedanensium*, & *Salmuriensium*, &c †.

XXV. E Pontificiis denique *R. Bellarmini controversiæ*, earumqve *defensio Gretseriana*: *Jac. Kelleri Papatus Catholicus*, *Cardin. Perronii Replica contra Regem Angliæ*, *Cœffetellus contra M. A. de Dominis*: *Dion. Petavii* vastum opus *de dogmatis Theologicis*; *Laur. Föreri Antiqvitas Papismi*: *Jo. Dartes de Ordinibus ecclesiasticis*, &c. varia opera *Jac. Gretseri*, *Greg. de Valentia*, *Franc. Svaresii*, *Leonis Allatii*, *Melch. Cornæi*, *Theoph. Raynaudi*, &c.

XXVI. Pertinet huc & *Lexicon Antiqvitatum Ecclesiasticarum Josuæ Arndii*, in qvo etiam de præcipuis *scriptoribus ecclesiasticis ad Bernhardum usqve* sub peculiari titulo agitur, à p. 685. ad 1086 usqve.

XXVII. Multa heic alia ex eo genere obversantur animo. Sed non licet nobis nunc qvidem patentissimum hunc campum ingredi. Itaqve refero pedem, ne qvis fortè retrahat, manúmve injiciat, tanqvàm limites sibi præfinitos supergresso. Tantùm addo, multa hoc genus hauriri qvoqve posse (IX.) è *CRITICORUM* ac *PHILOLOGORUM* scriptis: cujusmodi sunt (1) *Notæ*, & *animadversiones* in varios scriptores ecclesiasticos, è qvibus huc potissimum faciunt *Jo. Scaligeri* & *Arn. Pontaci* in chronicon Eusebii ac Hieronymi: *Lamb. Danæi* in Augustinum de hæresibus; *Joach. Camerarii* in chronologiam Nicephori: *J. Savaronis* in Sidonium; & in eumdem, ac Ennodium, Alcimum, Facundum Hermianensem, Gotfridum Vindocinensem, &c. Conciliaqve Gallicana, *Jac. Sirmondi*; in Irenæum, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Basilium M. Paullinum Nolanum, &c. *Front. Ducæi*; in Epiphanium, & Synesium, *Dion. Petavii*; in Georgium Syncellum, Nicephorum, Cedrenum, Theophanem, *Jac. Goaris*; in eumdem Theophanem, aliosqve plures, *Franc. Combefisii*: in Eusebium, *H. Valesii*: in Photii epistolas, *Richardi Montacutii*: in Bonifacianas, *Nic. Serarii*; in Pontificales, *D. Blondelli*; in Gennadium, *Geo. Elmenhorstii*; in Originem contra Celsum, *Guil. Spenceri*: in vitas Patrum & Paullinum, *Herib. Rosweydi*; in Fl. Dextrum, *Franc. Bivarii*; in Philostorgium, *Jac. Gothofredi*, &c.

XXIIX. Deinde (2) qvi sub *Adversariorum*, *Variarum lectionum*, *Observationum*, *Miscellaneorum*, similibusqve titulis, inter alia & de variis scriptoribus scriptisqve ecclesiasticis agunt. In qvo genere, qvod præsens institutum attinet, non dubito primas tribuere *Casp. Barthio* in incomparabili

† Cum primis qvoqve huc spectat Gvalt. Haddonus in Responsione Apologetica contra Hieron. Osorium. Londin. 1577. in 4to.

bili *Adversariorum* opere: cujus utinam & reliqvos CXX. libros, multô meliores prioribus, qvos apud ipsum nitidè exaratos planéqve prælo paratos vidisse memini, tandem aliqvando publicæ luci darent, qvi possunt. Verùm id vix sperandum est in tanta bibliopolarum perversitate, qvi malunt nugas & qvisqvilias & crambem toties recoctam semidoctorum hominum, qvæ ætatem ferre neqveunt, qvàm æternitate digna maximorum virorum opera in lucem proferre. Nempe majori sibi qvæstui esse vident, immo profitentur, qvæ rudes qvoqve & indocti possunt capere, qvàm qvæ cordatos doctosqve & litteris ritè imbutos lectores reqvirunt. Qvæ res qvantam stragem bonis litteris & rei litterariæ inferat, paucis dici neqvit.

XIX. Præter Barthium, cujus & alia qvædam huc spectant, non negligendæ qvoqve sunt *variæ lectiones J. Gretseri*, *Miscellanea Nic. Fulleri*, *Lectiones sacræ S. Rittershusii*, *Adversaria sacra Lud. de la Cerda*, *Philocalia Jac. Pontani; Observata in scriptoribus ecclesiastic. J. Fr. Gronovii*, &c.

XXX. Deniqve continentur & in iis qvi peculiaria argumenta cum adparatu variorum scriptorum perseqvuti sunt, haud pauca huic instituto conducentia: qvorum cùm infinitus sit numerus, præstat neminem, qvàm paucos, nominâsse. Itaqve finiam hoc caput, cùm duo commemoravero celeberrimi viri, & de nobis etiam præclarè meriti, *Petri Lambecii*, Consiliarii „Historiographi & Bibliothecarii Cæsarei: *Prodromum* scilicet *historiæ litterariæ*, & vastum opus *de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, cujus jam tomus sextus, ut audio, excuditur: Faxit DEUS, ut & reliqvos xıx (tot enim prætereà promittit) totumqve historiæ litterariæ desideratissimum corpus aliqvando si non nobis, saltem posteris, si qvi futuri sunt, nostris absolutum perfectumqve dare possit. Ex utroqve qvantum augeri perficiqve Notitia nostra qveat, vel ex iis qvæ jam prodière partibus apparet: in qvibus de scriptoribus ecclesiæ pluribus, qvibusdam & anteà ignotis, multa eruditè observantur: in altero etiam catalogi locupletissimæ illius bibliothecæ cùm veteres exhibentur, tum novi accuratioresqve texuntur.

CAPUT QVINTUM.

Qvinam scripserint de Scriptoribus ecclesiasticis certarum classium; ut Biblicis; apocryphis; certi argumenti; suppositiciis ac dubiis; orientalibus; certarum nationum; certorum ordinum; certæ dignitatis; sectæ. Scriptorum de singulis, varia genera. Utilitas Notitiæ nostræ.

I. Diximus de iis qvi de varii generis scriptoribus ecclesiasticis egerunt. Nunc addemus, qvi de certi generis, uniusqve classis, præcipuos, tàm proprios, qvàm subsidiarios

II. Speciatim igitur de *SCRIPTORIBUS SACRIS*, Bibliorum codi-

ce contentis, præter eos qvi in sacram Scripturam universam, aut magnam ejus partem, commentarios ac notas scripserunt, pluscula suppeditabunt, cùm qvi in Loco de Scriptura de singulis illius libris prolixiùs agunt, ut *Gerhardus tomô I* & illius *Exegesi*, *Rivetus in Isagoge* &c. tùm peculiaribus operibus *D. Michaël Waltherus* in *officina Biblica*, & *Sixtus Senensis*, *lib I. II. VII. & IIX. bibliotheca S.* cum additionibus *Jo. Hayi*, & alterius cujusdam in nupertimis editionibus: itemqve ex historicis sacris *Tornielus* & *Salianus*, ejusqve abbreviator *Spondanus*; De Apocryphis, seorsim *Raynoldus* in *prælectionibus* sive *censura librorum apocryphorum V. T.*

III. De *HISTORICIS* verò sacris & ecclesiasticis, *Vossius de Historicis Græcis & Latinis*, *Zeillerus* in libro, qvem vocat *Historicos, Chronologos & Geographos celebres*; De *EXEGETICIS* sive interpretibus † SS. literarum *Sixtus Senensis librô IV.* modò laudati operis, & breviter *Ant. Sanderus, Jo. Molanus*, *A. Schottus*, *Fab. Justinianus*, *Jac. Zannachius*, *Jac. Pamelius*, aliiqve *in Indicibus Commentatorum biblicorum*, *Besodnerus* in *bibliotheca Theologica*, qviqve pædiam aut methodum studii Theologici conscripserunt; qvi & aliarum classium scriptores præcipuos recensent.

IV. de *SUPPOSITITIIS* ac *DUBIIS* exstant *Wilh. Perkinsi Problema de ementito Catholicismo ecclesiæ Romanæ*, *R. Coci censura Scriptorum ecclesiasticorum*, *Riveti Criticus sacer*: & qvoad prima tria Ecclesiæ sæcula, *D. Dannhawerus* in *Dramate sacro paroptica dramatica theatro III.* qvoad primum, etiam *D. Varenius* in *Rationario* supra laudato. Simile opus promisit *Labbeus*, sed nondum dedit, opinor. Huc etiam spectant, qvæ de Pseudepigraphis Apostolicis, deqve epistolis Ignatii, & scriptis Dionysii Areopagitæ doctè scripsit Jo. Dallæus, plura hoc genus additurus, si diutiùs vixisset. De dubiis Scriptoribus scripserat etiam peculiare opus *Barthius*, sed disparuit post obitum ejus.

V. De *ORIENTALIBUS* dudum primorum Ecclesiæ sæculorum prolixè egit in vasto opere cui titulum fecit, *Illustrium Ecclesiæ orientalis Scriptorum, qvi sanctitate eruditione primô & secundô Christi sæculô floruerunt, vita & documenta*, *Petrus Halloix*, Jesuita: qvi & separatim *vitam & documenta Justini Martyris*, ac *Origenem defensum* dedit. *Duaci* 1633. & 1636.

VI.

† Lege hìc præ ceteris B. Calov. Pædiam Theolog. Sect. alter. artic. poster. c. II. totô, p. m. 144. B. Gerhard. part. III. Methodi studii Theol. c. IV. totô, p. m. 157. s. B. Balthas. Meisner. Disp. IV. Præcognitor. Theologicor. Theorem. VIII. p. m. 120. s. at ille numerus à mea manu est. Joh. Henr. Höttinger. part. II. Bibliothecar. lib. I. c. VI. p. 180. s. Confer & Bibliothecam Theologicam Bolduani in 4to. Jenæ editam annô CIↃ IↃC XIV. in qva continetur Elenchus Scriptorum Ecclesiasticorum, qvi in sacros Biblicos libros ab ipsis Christi incunabulis usqve ad dictum annum CIↃ IↃC XIV. commentati sunt; Christoph. Pelargi Bibliothecam & Draudii Catalogum Catalogorum. De Gvil. Crowæi Elencho Scriptorum in Scripturam sacr. monui nonnihil in part. II. Animadversion. c. IV. §. 1. extr.

VI. De *HEBRÆIS*, *SAMARITANIS*, *COPTICIS*, *ÆTHIOPICIS*, *SYRIS*, *CHALDÆIS*, *ARABICIS*, *Hottingerus in bibliotheca orientali*, sive *Smegmatis Orientalis lib. III. part. II. in bibliothecario qvadripartito*, *lib. II. bibliotheca Theologica c. II. III.* *CHALDÆOS* suppeditabit *catalogus* ab *Hebed Jesu* conscriptus, ab *Abrahamo Ecchelensi* Latinè redditus, ac notis illustratus, à *Barth. Nihusio* verò ante hos annos XVIII. Moguntiæ editus. Idem & *bibliothecam orientalem*, Chaldæos, Syros & Arabicos scriptores, tam ecclesiasticos, qvàm profanos *complexam*, jam ad umbilicum perductam brevi se daturum pollicetur, nescio an hucusqve editam. Qvorumdam nomina & scripta etiam *catalogi bibliothecæ Leidensis*, *Golii*, *Erpenii*, *Escurialensis*, & *Christ. Ravii Spolium Orientis* suggerent.

VII. E SINGULARUM NOTIONUM scriptoribus cognoscere licebit HISPANICOS ex Valer. *Andr. Taxandri catalogo* * *clarorum Hispaniæ scriptorum*; *Alphonsi Garsiæ Matamori libro de Academiis & claris scriptoribus Hispaniæ*, qvi habetur *tomô II. Hispaniæ illustratæ p.* 801. & *deinc.* ejusdem *narratione apologetica de viris Hispaniæ doctis*, & *Andr. Schotti bibliotheca Hispanica tomô II. præsertim I. IX. & X. classibus.* †

IIX.

* edito Moguntiæ 1607. in 4to.

† Prodiit Schotii liber de Bibliothecis & claris Hispaniæ viris Francof. CIↃ IↃC VIII. in 4to. Videatur de Taxandro & Schotto Bailletus, Tom. II. p. 150. Post illos tandem prodiit NICOLAUS ANTONIUS, Hispalensis, JCtus, Ordinis S. Jacobi Eqves, Canonicus, Regiorum negotiorum in urbe & curia Romana Procurator generalis. Is maximis laboribus congessit, tum è Catalogorum universalium scriptoribus, tum è gentis suæ Nomenclatoribus, qvi tamen perpauci sunt & planè non accurati, Bibliothecam, cui titulum fecit. *Bibliotheca Hispana, sive, Hispanorum, qvi usqvam unqvámve, sive Latinè, sive populari, sive aliâ qvávis linguâ scriptô aliqvid consignârunt, notitia, his, qvæ præcesserunt, locupletior & certior, brevia elogia, editorum atqve ineditorum librorum Catalogum duabus partibus continens, qvarum hæc ordine qvidem rei posterior, conceptu verò prior, duobus Tomis de his agit, qvi post annum secularem 1500. usqve ad præsentem diem floruère*; prodiit Romæ, Annô 1672. in folio. Præmissa est luculentissima Præfatio, qvæ agit de toto hoc colligendi autores negotio, exponit sua & aliorum consilia, & qvasi per lancem saturam recenset magnâ diligentiâ autores omnium nationum Bibliothecarios. Liber ille omnes, qvotqvot sunt hujus argumenti, scriptores accuratione & diligentiâ vincit; nam & elogia addit, & libros editos adsignatô tempore & locô, unà cum ineditis, sollicitè recenset. Multa enim in illo libro invenias maximè memorabilia, ex ipsis Bibliothecarum recessibus producta. Adjecit Indices, pulcherrimô ordine, secundùm disciplinas congestos. Primus est Index cognominum. II. Patriarum. III. Ordinum Ecclesiasticorum. IV. Munerum Ecclesiasticorum. V. Munerum Secularium. VI. Materiarum, qvi ceteris amplior, & in XXIII. Classes dividitur. Liber ille Ideam subministrare potest omnibus in aliis gentibus simile qvippiam tentaturis. Antiqviores Hispaniæ scriptores peculiari libro reservavit.

IIX. GALLOS, ex *Ant. Verderii bibliotheca Gallica*; *Andreæ Quercetani Bibliotheca historicorum Galliæ*, *per Lud. Jacobum à S. Carolo* locupletata: & *serie auctorum*, *qvi de rebus Francicis scripserunt*, *Phil. Mareschalli Duca artium & scientiarum*; *Claudii Roberti* & continuatorum *Gallia sacra*; *Ludovico Jacobo à S. Carolo de scriptoribus Cabilonensibus*; *Pet.* * *Columesii Gallia orientali*; *Andr. Saussayo de mysticis Galliæ scriptoribus*; *Guil. Du Vallii elogiis Professorum regiorum Gallicis*; *Gabriele Lurbeo de illustribus Aqvitaniæ viris à Constantino M. usqve ad nostra tempora*; *Francisci Crucimanii bibliotheca scriptorum vernaculorum*, & alterius opere ejusdem argumenti nuperrime edito.

IX. BRITANNICORUM notitiam suggerent *Jo. Balai* † *centuriæ scriptorum Anglicor.* & *Jo. Pitseus de scriptoribus Anglicis*; *Richardus Smithæus in Floribus historiæ Ecclesi. Gentis Anglorum*, eorumqve *præfatione*: *Tho. Demsterus in historia eccles. Scotorum*, Höttingeri *Bibliotheca Anglorum contracta*, librô I. Bibliothecarii qvadripartiti, c. III. HIBERNICOS *Jac. Wareus de scriptoribus Hiberniæ*.

X. ITALICOS, *Doni bibliotheca Italica*; *Ferdin. Ughelli Italia sacra*; *Jac. Alberici catalogus illustr. scriptorum Venetorum*; *Ant. Riccobonus* in libris *de Gymnasio Patavino*: *Ant. Stella elogia Venetorum*; *Augustinus Superbus de scriptoribus Venetis*, & *Ferrariensibus*; *Jo. Nicol. Paschalis de Doctoribus Bononiensibus ab anno Chr.* CIↃ *usqve ad* CIↃ IↃ CXXIII; *Panvinius de Verona Urbis viris doctrinâ illustribus*; *Mich. Poccianti catalogus scriptorum Florentinorum*; *Ubert. Folieta elogia clarorum per Liguriam virorum*, *Jo. Bracellensis de illustr. scr. Genuensibus*.

XI. *GERMANICOS*, *Hier. Zieglerus de viris illustr. Germaniæ*: *Ægidius Periander* in *Germania sua*, *Jo. Trithemius de luminaribus Germaniæ*, Panta-

* Lege *Paulli Colomesii*

† Præter Baleum, inqvit Dan. Georg. Morhof. I. Polyhistoris Literar. c. XVIII. p. 207. cujus exstant Centuriæ Virorum illustrium Anglicorum; & compilatorem ejus PISTEUM, qvi de simili argumento & de iisdem autoribus scripsit, pleraqve describendo & interpolando; & qvemdam Eduardum LEIGH, qvi populari lingvâ de recentioribus autoribus aliqva scripsit; neminem habemus, nisi paucula illa velimus his addere, qvæ in Actis Philosophicis habentur. Sed ea tantùm Physica sunt & Mathematica. Baleum pleriqve non bonâ fide in recensione sua versatum judicant. In Pitseo compilatore multi notantur errores: Burtonus in *Græca lingva historia*, p. 55. impudentem plagiarum nominat. Qvæ GEORGIUS LILIUS elogia Anglica scripsit, exigua sunt, & memoratu vix digna. Fuit ille filius Guilhelmi Lilii, qvi teste Burtonô p. 56. ut Græcis literis commodiùs operam daret, in Rhodo insula qvinqve annos degit. Qvi doctorum Scoticæ gentis historiam descripsit in Historia Ecclesiastica Scotiæ THOMAS DEMPSTERUS, non satis bonâ fide ea in re versari existimatur à multis, qvorum judicia collegit Bailletus. Bibliothecæ Lamonianæ Præfectus, tom. II. p. 188. Et sanè hominem fuisse præferocis & perversi animi, ex iis apparet, qvæ de ipso narrat Erythræus, *Pinacoth. I. num. IX.* Vide qvæ de eo supra dixi, p. 47. 49.

Pantaleonis vita doctorum virorum Germaniæ; *Corn. Loosæi* sive *Callidii catalogus illustrium Germaniæ scriptorum*, *Melch. Adami vita Theologorum Germanorum*; *Gabr. Bucelini Germania*; Variæ notitiæ *scriptoribus Germanicis*, à *Frehero*, *Goldasto* aliisque editis præfixæ.

XII. *BELGICOS Valerii Andreæ Desselii bibliotheca Belgica*; *Aubertus Miræus de scriptoribus Belgicis*, *Franc. Sweertii Athenæ Belgicæ*, *Guil. Gazeti bibliotheca scriptorum Belgicorum Gallica*; *Anton. Sanderus* * *de scriptoribus Flandricis*, *Gandavensibus* & *Brugensibus*, & in *Flandria illustrata*; *Dionysius Harduinus de scriptoribus Flandriæ* nondum editus; *Aug. Wichmans* in *Brabantia Mariana*, *Suffridi Petri de scriptoribus Frisiæ decades XVI. cum dimidia*, *Andr. Cloucqvius in Academia Lugduno-Batava*, & *Meursius* in *Athenis Batavicis*: *POLONICOS*, *Simon Starovolscius* in *centuria scriptorum Polonicorum*; *DANICOS*, *Alb. Bartholinus lib. de scriptoribus Danicis*, & *Erasmus Vindingius* in *Academia Hafniensi*, ac fortassis alios alii.

XIII. E certorum *ORDINUM* scriptoribus *DOMINICANOS* recensent *Antonius Senensis de Conceptione* in *bibliotheca virorum insignium ordinis Prædicatorum*; cum ejusdem chronico ordinis Dominicani edita; *Ambrosius Gazzeus* in *catalogo virorum ex familia Prædicatorum doctrinâ illustrium*; *Leandri Alberti libri VI. de viris illustribus ordinis Dominicani*; *Jo. Michaëlis Pii vitæ virorum illustrium ordinis S. Dominici*, *Ant. Malletus* in *historia virorum illustrium*, *qui aut Priores aut Religiosi fuerunt in conventu S. Jacobi Parisiensis ordinis Prædicatorum*; *Joannes Garsonius de Viris illustr. Ordinis Prædicatorum*: *Seraphini Razzi historia* Italica *virorum illustrium ordinis Prædicatorum*; & anonymi scriptoris *Index præcipuorum auctorum qui spiritualia & moralia scripserunt ex familia Prædicatorum*: *Alph. Fernandez* in *Notitia Scriptorum*, *Præsulum*, *&c. ejusdem sacræ familiæ*.

XIV.

* Sanderus de scriptoribus Flandriæ 3. libros, de scriptoribus Gandavensibus alios tres, duos de Brugensibus scripsit. Idem de MStis qvoqve egit. Elogia uberiora virorum doctorum sunt in Flandria ejus illustrata, vastô opere. VALERII ANDREÆ DESSELII Bibliotheca ceteris omnibus in hoc genere scriptoribus præferenda est, etsi in multis deficit; ac FRANCISCUS SWERTIUS in *Athenis suis Belgicis*, qvædam sibi subrepta qveritur: qvi hôc suô librô de Academiis & Bibliothecis Belgii agit. Sed Valerii Andreæ liber multô accuratior est. MEURSIUS eôdem titulô *Athenarum Batavarum* usus solam Academiam Leidensem scribit, ejusqve Professorum elogia & opera recenset. AUBERTUS MIRÆUS, Panegyristes potiùs qvàm Bibliothecarius scriptor, in solis elogiis hæret: Qvare & *Elogiorum Belgicorum* titulô liber ejus prodiit. Valerius Andreas in Præfat. Bibliothecæ suæ duos alios librorum Belgicorum consignatores nominat. Sed imperfecti eorum labores industriâ Valerii Andreæ obliterantur. Optima editio prodiit Lovanî annô CIↃ IↃC XLIII. in 4to. illa enim priori tertiâ parte auctior est.

XIV. *FRANCISCANOS* indicabunt *Henr. Willoti Athena*, sive liber de scriptoribus ordinis Franciscani; *Luca Wadingi scriptores ordinis Minorum*; *Petrus Rudolfus Tossiniacensis* in *historia Seraphica*, *Franc. Gonzaga de origine & progressibus Seraphica Religionis Franciscana*; *Franc. Lanovii Chronicon generale ordinis Minimorum*; *Angeli à S. Francisco catalogus scriptorum illustrium Anglorum Seraphici ordinis S. Francisci*;

XV. *BENEDICTINOS Arnoldus Wion* in *Ligno vita*; *Jo. Trithemius libris IV. de viris illustribus ordinis S. Benedicti*; *Anton de Yepez* in *chronico ordinis Benedictini*; Meierus, lib. II. Biblioth. Theol. c. XV. addit *Franc. Juanos*. *AUGUSTINIANOS Eremitas Antonius de Busto* eremita Augustinianus *de viris illustribus ordinis sui*; *Corn. Curtii virorum illustrium ex ordine Eremitarum S. Augustini elogia cum iconibus*; *Jos. Pamphilii Chronica ordinis Eremitarum S. Augustini*; *Thoma Gratiani Anastasis* * *Augustiniana*. Meierus addit *Phil. Essium*. *CANONICOS SECULARES*, *Joannes de Nigra Valle de scriptoribus ordinis Canonicorum regularium*; *Joannis Buschii Canonici regularis S. Augustini catalogus MS virorum illustrium ordinis sui*: *Celsus de Rosinis in Lyceo Lateranensi*. i. e. *Elogiis illustrium scriptorum Ordinis Clericorum Canonicorum regularium Salvatoris Lateranensis*; *Voetius* & *Meierus* etiam *Philippum Novariensem* memorant.

XVI. *CARMELITAS* suggerent *Arn. Bostius* & *Angel. Sabarro* libris *de viris illustribus ordinis sui* nondum editis, & *Augustus Bischaretus* in MS. lib. *de scriptoribus Carmeliticis*. *Trithemii*, *Petri Lucii*, & cùm prodierit, *Ludov. Jacob à S.* † *Carolo bibliotheca Carmelitica*; itemqve ejusd. *Trithemii*, *Aub. Miræi* & *Joannis de Carthagena*, *de ortu*, *progressu ac viris*

* Hæc edita est Antverp. CIↃ IↃC XIII. in 8r.

† Hoc de auctore adpono verba Dan. Georg. Morhofi è lib. I. Polyhistoris Litterar. c. XVII. p. 191. *Ludovicus Jacobus primus est, quantum memini, qui de Bibliothecis, antiqvi noviqve temporis, aliqvid scripsit. Fuit Carmelita: Gallicâ lingvâ librum, Parisiis Ann. 1644. editum, scripsit, cui titulus*: Traicté de plus belles Bibliotheqves publiqves & particulieres, qvi ont esté, & qvi sont à present dans le monde, *id est*, Tractatio de optimis Bibliothecis, publicis, privatis, qvæ fuerunt, hodiéqve supersunt in orbe. *Magnam hic rem agi crediderís: sed si, qvod res est, dicendum, amphoram titulus instituit, liber exit in urceum. Qvod ad veteres attinet Bibliothecas, plura ab aliis jam tum dicta sunt; In Novis recensendis ultra notitias, qvas e paucis autoribus hausit, nihil novi affert. In Italicis Thomasini, in Anglicis Pitsei, in Belgicis Sanderi, in Germanicis Melchioris Adami vinetâ cadit. Qvi autem, si Thomasinum & Sanderum excipias, cò παρέργῳ illa attingunt, & casu in eorum mentionem incidunt. Nam, qvi e Melchioris Adami vitis omnem rei Bibliothecariæ Germanicæ notitiam metitur, ut facit Ludovicus Jacobus, è turri Achivos judicat. Ex qva rerum peregrinarum incuria vel despicientia natum hoc ipsi judicium est, plures Bibliothecas in una Lutetia urbe, qvàm in Anglia, Hispania ac Germania integra reperiri. Scilicet & hic verum est, qvod veteri verbò dicitur*: τῆς Πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τοῦ παρ' ἄλλοις πυρὸς.

* *Negro*

ris illustribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo. Alph. à Matre Dei Index scriptorum Carmelitarum Excalceatorum , & *Eman. Reman de illustribus viris ordinis Carmelitarum.*

XVII. *CARTHUSIANOS* , *Arnold. Bostius libro de viris illustribus Carthusianorum* ; *Jac. de Plebe in catalogo ill. scriptorum ejusd. Ordinis* ; *Theodori Petreji Bibliotheca Carthusiana. CLUNIACENSES Martinus Marrier* in *bibliotheca Cluniacensi* , & *Andr. Quercetanus* in *notis* ad eam : *PRÆMONSTRATENSES Joannes le Page* in* bibliotheca Præmonstratensis ordinis , & *Miræus* in *Chronico* illius ordinis. *CISTERCIENSES Miræus* peculiari opere ; & *Carolus de Visch* , Meiero laudatus , *Angelus Manrique* in *Annalibus Cistercienfibus. SERVORUM* , Archang. Gianius in annalibus illius Ordinis. *CAMALDULENSIUM* Hastiuillius in historia Romualdina & Augustinus in hist. Camaldulensi. *JESUITAS* deniqve indicabunt *Petrus Ribadeneyra* ejusqve continuator *Phil. Alegambius* in *bibliotheca Jesuitica.*

XVIII. Certæ dignitatis scriptores ecclesiasticos enarrant *Ludovicus Jacob in bibliotheca Pontificia* , & qvi *vitas Pontificum* scripsêre , *Anastasius Bibliothecarius* , *Luitprandus* , *Platina* , *Stella* , *Rob. Barns* , *Panuinius* , Cica-

* *Neqve tamen Patriæ suæ Bibliothecas illâ, quâ poterat, diligentiâ recenset, quamqvàm majorem illis curam impenderit. Josephus Scaliger in Excerptis refert, suô tempore* 80. *perfectas Parisiis fuisse Bibliothecas, cùm Londini tantùm* 12. *fuerint. Memorat & de eo Bailletus*, tom. II. p. 273. *qvòd parum diligentiæ & judicii in opere hoc adhibuerit ; multa incerta aliorum fide credulus ipse adducat. Inde factum, ut numerum Bibliothecarum auxerit, quas ille pro locupletibus venditat, qva vix inter mediocres locum inveniunt. Bibliothecam S. Victoris ille ob MStorum copiam in cœlum extollit laudibus ; Sed Scaliger in Excerptis qvidqvam in illa boni esse negat, neqve sine caussa Rabelesium satyricô illam sale defricuisse. Sed dici tamen in ejus defensionem potest, qvòd ipse in præfatione ad lectorem Auctor pro imperfecto opere habeat. Condonandum affectui ejus in patriam est, qvòd Parisinas Bibliothecas cæterarum gentium vincere existimet. Etsi enim illic locupletes illæ sunt, comparari tamen cum tot nationum Bibliothecis neqveunt, ubi non fungi & verveces habitant. Laudat tamen ejus curiositatem Bailletus, ibid.* p. 98. *& accuratiora ab illo sperare nos potuisse ait, si supervixisset. Edidit idem* Bibliothecam Pontificiam, *in cujus prima parte agit de libris, qvos Pontifices scripsêre ; alterâ de iis, qvi vitas & elogia Pontificum scripsêre.* Bibliothecam *qveqve* Cardinalem *&* Carmeliticam *promisit, eôdem modô instructam : qva an lucem viderint, non constat. Idem* Bibliothecam Feminarum, *qvæ literis & libris claruerunt, an absolverit, incertum. Extat qvidem in illum librum inter Epigrammata Naudæi aliqvod, qvod p.* 53. *legitur ; sed fortassis illud in librum, vel affectum vel ineditum, scriptum est. Præmitti huic solet libro Naudæi* dissertatio de Bibliotheca instruenda ; *qvam ob caussam factum est, ut totum de Bibliothecis librum Naudæo adscripserit Lambecius*, Comment. de Bibl. Vindob. lib. I. p. 115. *qvi tum optimi amici fuerunt, ut ex vita Naudæi Epistolis ejus præfixa patet.*

* (i. e. patriæ fumus igne alienô luculentior.)

Cicarellus, *Dietericus*, &c. *Alph. Ciacconi Pontificale*, *de gestis Ro. Pontificum & Cardinalium*, auctum à Franc. Cabrera, & Andr. Victorello, *Ludov. Castanæi Nomenclator Cardinalium qvi ab anno* CIↃ *qvippiam commentati sunt*; *Franc. Maria Turrigius de scriptoribus Cardinalibus ecclesiæ Romanæ*; *Ant. Auberi* in *historia generali Cardinalium*: & *Lud. Jacob* in *bibliotheca Cardinalitia*, nescio an jam publicata: *Antonius de Macedo* in *Lusitania infulata* & *purpurata*; *Ant. Sanderi Elogia Cardinalium sanctitate*, *doctrinâ*, *armis illustrium*. &c.

XIX. E certarum sectarum scriptoribus, præter Possevinum aliosqve jam laudatos qvi solos *Pontificios* recensent, de *Reformatis* egit *Jac. Verheiden*, * de *Jansenianis* & *Anti-Jansenianis*, *Otto*, de his etiam *Labbeus*;

* In Alma Academia Leidensi Lugduni Batav. annô CIↃ IↃC XIV. in 4to editâ habentur Icones & vitæ Illustr. Principum Aurangiæ Gulielmi & Mauricii; item Curatorum Academiæ & Professorum. Effigies & vitæ Professorum Academiæ Gröningæ & Omlandiæ prodiêrunt Gröningæ, 1654. Faciunt & huc Excerpta ex Albo Academiæ Franekeranæ ab anno CIↃ IↃ LXXXV. usqve ad CIↃ IↃC LXXXV. subjuncta cum Claror. Academiæ Franekeranæ Professorum Monumentis sepulchralibus, Nicolai Blancardi Panegyrico pro Jubileo dicto Franeqveræ M. DC. LXXXV. ibidemqve edito in fol. De Professoribus Academiæ Ultrajectinæ, Virisqve ea in Urbe illustribus prognatis copiosè agit Cl. Grævius in Oratione in natalem qvinqvagesimum Academiæ Trajectinæ habita & edita annô M.DC.LXXXVI. in fol. Vitas Theologorum & Lutheranorum & Reformatorum, Germanorum, ut de JCtis, Medicis & Philosophis taceam, exposuit Melchior Adami; qvem continuare fortè voluit Cl. Henningus Witte in Sedecim Decadibus Memoriæ Theologor. nostri seculi clarissimor. renovatæ; edit. Francofurt. M. DC. LXXIV. in 8t. Adjungendo verò in p. 13. Præfation. Gerhardo & Botsacco in Patrologiis D. Abrah. Calovium in Critico sacro, clarè prodidit se Calovium non legisse, sed titulô libri deceptum putâsse, summum istum Theologum, idem argumentum cum Gerhardô & Botsacco tractâsse; qvod tamen omnino aliter habet. In eo enim libro invariata pariter & variata Confessio Augustana ita edisseritur, ut plurimis Pontificiorum & Calvinianorum contrariis scriptis ex ipso fundamento satis fiat: nec non de Scriptura sacra, qvà fontes, qvà versiones celebratissimas, adversus Papiseqvarum recentiorum & aliorum plurium insidiosas machinationes cum primis diligenter agitur; simulqve ultra octingenta Scripturæ loca aut inlustrantur, aut vindicantur, subjunctâ ἀνγνώσει de Conciliis. Editus est Criticus iste sacer, vel Commentarii Apodictico-Elenchtici super Augustanam Confessionem πρόδρομος Lipsiæ 1646. in 4to. Ipsas illas vitas edere qvoqve aliqvando in animum induxerat Cl. Dn. Joh. Frider. Hekelius, Athenæi hodiè Swartzburgici Con-Rector bene merentissimus, ut docet Σκιαγραφία ejus Theologorum Euangelicorum Universalis Historiæ Cygneæ edita in 4to annô M. DC. LXXVII. At posteà illum chartas funebres secum communicâsse gratô animô celebrat laudatus Witte in septimæ decadis præfatione. Utriusqve diligentiam non pauci effugerunt Theologi, qvos ego desidero; ut Christoph. Pelargus, Dan. Feifelius, Joachim Lütkeman & alii.

bius: de *Anti Jesuiticis* anonymus qvidam; de *Anti-Trinitariis*, *D. Calovius* in indice novæ editioni Socinismi profligati præfixo †. Plerarumqve scriptores præcipuos, præter *Voetium*, *Mercerum*, & *Hottingerum* in bibliothecis suis, commemorat *Hoornbeeckius*, in *Summa controversiarum*, *D. Calovius* in *pædia Theologica* &c. Sed hi omnes ferè nil præter nomina scriptorum suppeditare possunt.

XXV. Qvos hucusqve enumeravimus, omnes de pluribus Ecclesiæ scriptoribus junctim exponunt. Qvibus deniqve addi potest aliud genus eorum, qvi de singulis separatim. Ut sunt (1.) *Vitæ* * *ac elogia singulorum*: qvarum optandum esset ab aliqvo indiculus conficeretur. (2.) *Orationes panegyricæ*; *& funebres*, *programmata funebria*, *epicedia*, *epitaphia*, illustrium Ecclesiæ doctorum: & si qvô aliô titulô aliqvid de illis exaratum exstat.

XXVI. De utilitate notitiæ hujus non est cur prolixè dicamus, adeo manifesta est. Verbô: nemo Scriptores Ecclesiasticos rectè leget, laudabit, refellet, iterpretabitur, & in usum transferet, nisi qvi noverit, qvô singuli tempore, locôqve, qvâ conditione vixerint; cui sectæ ac vitæ instituto addicti fuerint; qvâ occasione, qvô propositô, qvô doctrinæ apparatu instructi, qvô tempore locôqve sua exaraverint, &c. Atqvi hæc omnia notitiæ nostræ est docere.

CAPUT SEXTUM.

De Editionibus Scriptorum Ecclesiasticorum. Scriptores de iis. Meliores Editiones,

alii. Catalogum Theologorum Wittebergensium haberi puto in initio Consilior. Theologicor. Wittebergensium. Nomenclatorem Professorum Jenensium exhibuit Adrianus Beierus, uti & B. Joh. Ernestus Gerhardus in principio Fasciculi Disputationum Theologicar. in memoriam Jubilæi Academici annô 1658. celebrati habituram. In fine concionum B. Joh. Schmidt in Jubilæo Gymnasii Argentoratensis annô M. DC. XXXVIII. habitarum ac Argentorati editarum annô M. DC. XLI. in 4to. p. 209. ʃ habes Melchioris Sebizii, Doctoris ac Professoris Medicinæ ordinarii, Comitis Palatini Cæsarei & Reipubl. Archiatri Adpendicem Chronologicam, in qva primùm Dni Cancellarii & Scholarchæ: deinde Professores & Doctores publici: ultimò Præceptores Classici, subjunctâ brevi cujusqve vitæ curriculi διαγραφῇ, commemorantur. Enumeravit & Cl. Andreas Wilckius Scholæ qvondam Gothanæ Rector in Oratione, facta in solemnem restaurâtæ scholæ Gothanæ inaugurationem, excusaqve Smalcaldiæ annô M. D. XCVI. in 4to, omnes Scholæ dictæ Rectores atqve præclaros viros, qvi ex ea intra annos LXX. qvamplurimi prodiêrunt. Scio junctim ejus Orationes prodiisse in 8t. meqve olim legisse & habuisse, at nunc iis destituor. Illam verò, ut omnium optimam separatim habeo.

† Item Christoph. Sandius in Bibliotheca Antitrinitariorum.

* Accepi non ita pridem Valentini Smalcii Gothani Vitam prolixè & accuratè ab ipso ejus manu exaratam nec unqvam editam, qvam qvi leget, non multum desiderabit historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia perscripta sunt de privatis & publicis, ut nihil in iis non adpareat.

nes Bibliorum Hebraicorum, Novi Testamenti Græci & Græcæ Bibliorum versionis. Varii MSS. codices Bibliorum Hebraici & Græci. Fragmenta Græcarum versionum. Paraphrases Chaldaicæ. Pentateuchus Samariticus, ejusqve versio. Versiones Arabica, Syriaca, Æthiopica, Persica. Meliores editiones Latinæ vulgatæ. Euangelia Gothica. Versio Coptica, Armenica. Versiones vernaculæ. Patrum editiones qvinam recenseant. Varia Patrum scripta junctim edita. Μικροπρεσβυτικόν. Monumenta orthodoxographa. Hæresiologia. Bibliotheca Patrum. Acta Conciliorum. Symbola. Codices Canonum. Bibliotheca Juris Canonici. Epistolæ Pontificum. Liturgiæ Patrum. Antiqva lectio Canisii, & Bibliotheca novantiqva Labbei.

I. ANteqvàm finiamus, addemus nonnulla de editionibus Scriptorum Ecclesiasticorum. Sunt eæ vel veterum, vel recentiorum; ac utraqve vel singulorum pauciorumve, vel plurium junctim. De recentiorum editionibus non est, cur heic dicamus. Vetustiores aut sacri sunt, sacrô Bibliorum codice comprehensi; aut Patres.

II. De Bibliorum variis editionibus, codicibus MSS. ac translationibus post alios prolixè egerunt Voetius, lib. II. Biblioth. Theolog. c. IV: Meierus, lib. I. c. I. & lib. II. c. II: Höttingerus, lib. I. c. I. II. III: Waltonus in Dissertat. de Lingvis Orientalibus, & in Præf. Operis Polyglotti, ac in Prolegomenis ejusdem à c. IV. ad finem usqve. De versionibus, etiam Gerhardus in Exegesi, Waltherus in Officina Biblica, Rivetus in Isagoge, & qvi prætereà locum de Scriptura fusiùs tractârunt. De Latinis vetustioribus, Sixtus Senensis, lib. VIII. Bibliothecæ Sanctæ, & peculiari dissertatione Petrus Pithœus. De Heptaplis Parisiensibus exstant peculiaris dissertatio * Höttingeri, & epistolæ Valerii Flavignii Professoris Parisiensis.

III. Textus Hebraici editiones meliores correctioresqve habentur Venetæ Bombergianæ, Antwerpiensis & Lipsiensis Ariæ Montani, Amstelodamensis Menassis Ben Israël in charta qvadruplicata, & Josephi Athias ac Nisselii, in octuplicata excusæ. Inter Græcas Novi federis, optimæ sunt Parisiensis Roberti Stephani, Wittebergensis Erasmi Schmidii, Heinsiana, & Curcellæana †. Veteris autem Testamenti præstantissima censentur Romana, Parisiensis Morini, & nuperæ Anglicanæ. E Polyglottis in pretio habentur Antwerpiensia & Parisina, sed maximè omnium Anglicana Waltoni.

IV. Inter MSS. codices Hebraicos plurimi æstimatur Reuchlinianus, qvi hodie penes Marchionem Durlacensem est. Inter Græcos Vaticanus, & Alexandrinus à Cyrillo Lucari Constantinopoli ad regem Angliæ missus. Qvorum ille solius Veteris Instrumenti libros, exceptâ Genesi usqve ad caput XLVII. & Psalmis à CV. ad CXXXVIII. usqve: hic utriusqve fede-

* In Analectis ejus Historico-Theologicis, Dissert. II. p. 83. s. De Flavignio egit in dedicatione dictorum Analector. p. m. 4. 5. idem Höttinger.

† Blaviana CIↃ IↃC XXXIII. in 12. Oxoniensis M. DC. LXXV.

federis libros, continet; nisi qvòd à Psalmi XLIX. versu XX. usqve ad versum XII. Psalmi LXXX. omnia, & Euangelium Matthæi usqve ad caput XXVII. in eo desiderantur. Uterqve codex ante ∞ CC minimum annos exaratus creditur: neqve valde, nisi in minutis qvibusdam, & nominibus propriis, discrèpant. Uterqve etiam proximè ad genuinam LXX. viralem versionem accedere dicitur. Qvamqvam nihilominus sæpius ab ea, prout à veteribus laudatur, dissentiunt.

V. Libri Geneseos, omnium, ut creditur, vetustissimus codex exstat in Bibliotheca Cottoniana: Chronicorum antiqvus in Cantabrigiensi. Prophetarum minorum XII. & Esaiæ codicem vetustissimum habuit Cardinalis Rupifucaldus; qvi post ad Jesuitas Parisienses venisse dicitur. Alius apud Card. Barbarinum Romæ exstabat. Qvorum omnium discrepantes à Rom. editione lectiones habes in appendice ad Polyglotta Anglicana. Esaiam & Jeremiam asteriscis insignitos habebat Patricius Junius, fragmenta Geneseos, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Josuæ & Judicum vetustissima, obeliscis & asteriscis signata, Claudius Sarravius. Librum Esthera è duobus Arundelianis codicibus, cùm inter se; tum à Romano & Alexandrino haud parum discrepantibus edidit cum syntagmate de LXX. Interpretum versione ante hos annos XVIII. Jac. Usserius. Pars Exodi à capitis XXXII. versu XVI. unà cum Levitico & Numeris, & XIII. primis versiculis capitis I. Deuteronomii, variisqve scholiis & aliorum Interpretum fragmentis, in membranis vetustis scripta reperiuntur in bibliotheca Collegii Paullini Lipsiensis. Novam Græcæ septuagintaviralis versionis editionem, multò reliqvis emendatiorem, pollicitus est Isaacus Vossius. Aliarum Græcarum versionum fragmenta collegit post Carapham, & Nobilium, peculiari opere Jo. Drusius, sed qvædam nondum edita habet codex Lipsiensis, qvæ alibi, Deô dante, publicabimus.

VI. Legis Mosaicæ Hebræa volumina antiqvissima sine punctis exstant Romæ in Vaticana, & Florentiæ in bibliotheca S. Marci; & Bononiæ unum, ab Esdra, ut volunt, scriptum: cum punctis, Florentiæ in Laurentiana, & alibi. Recentiora passim inveniuntur. Chaldaicarum versionum optimæ sunt editiones Waltoniana & Buxtorfiana †. Manuscripta in Vaticana & Florentina Laurentiana bibliothecis exstant. Samariticum Pentateuchum edidêre è Parisiensi Harlæi Sancii Morinus in heptaplis Parisiensibus; & emendatiorem è tribus Usserianis Waltonus. Iidem & versionem Samariticam ejus pentateuchi dederunt. Arabicam habuêre Usserius atqve idem Morinus. Syriacas utriusqve testamenti optimas opus Anglicanum exhibet: Novi seorsum emendatissimam dedit D. Guthierius. Æthiopicam Psalmorum,

† Targum Hierosolymitanum in qvinqve libros Legis è Lingva Chaldaica in Latinum conversum operâ Francisci Tayleri, Angli, Thomæ Gatakeri, cui & inscriptum, Generi, unà cum notis marginalibus sensum locorum difficilium exprimentibus, dictiqve Gatakeri præfatione prodiit Londini, 1649. in 4to.

morum, Cantici Canticorum, & Novi Testamenti habes in eodem opere Anglicano, una cum Persica Euangeliorum, meliore eâ, qvam Abrah. Whelocus dederat. Jonam, Ruth, epistolas Jacobi, Judæ & Joannis, & initium Geneseos Æthiopicæ in Belgio cum Latina versione primi publicârunt Jo. Geor. Nisselius, & Theod. Petræus.

VII. Latinæ vulgatæ optimæ editiones sunt, qvæ jussu Gregorii XIII. & Clementis VIII Pontificum correctæ sunt: & Osiandrinæ, cum emendationibus minore majorive formâ editæ. Gothicam veterem Euangeliorum nuper publicârunt Franc. Junius & Marschallerus cum notis. Coptica & Armenica Romæ habentur: & hujus editio nuper ex Belgio exspectabatur. E recentioribus laudari præ reliqvis merentur Latina Ariæ Montani, Germanica B. Lutheri cum notis Vinariensium Theologorum, aut Dan. Crameri; Gallica & Italica Jo. Diodati; Anglica & Danica nuperrima, & Belgica jussu Federati Belgii Ordinum adornata.

IIX. Singulorum pauciorumve Græcorum Latinorumqve Patrum è sex prioribus sæculis meliores ac recentiores editiones pleraſqve, non tamen omnes jamtum vulgatas, diligentissimè recensuit Höttingerus, lib. II. biblioth. Theolog. c. IV. & V. Reliqvos magnam partem Labbeus & Miræus indicabunt. ceteræ propriâ industriâ supplendæ sunt. Latinorum plerumqve meliores sunt Basileenses Erasmi; sed auctiores ferè Parisinæ. Græcorum optimæ, qvas dedêre Parisienses, & Angli.

IX. Plures autem, immò plurimos, junctim exhibent (I.) *Μικροπρεσβυτικόν*, veterum qvorumdam Theologorum, qvi aut tempore Apostolorum aut non multò pòst vixerunt, scripta nullâ temporum ratione habitâ complectens, editumqve Basileæ, annô ∞ IↃL. (II) *Monumenta Patrum orthodoxographa*, sive Theologiæ sacrosanctæ ac sincerioris fidei Doctores numerô circiter LXXXV. partim Græci, partim Latini, in classes & tomos VII. (Epistolarum scilicet, historiarum sacrarum, gnomologiarum, exegeticorum, dogmaticorum, demegoriarum, & apologeticorum) distributi, ac post priorum editionem anni CIↃ IↃ LV, qvæ LXVI auctores solô temporum ordine dispositos continebat, denuo Basileæ annô ∞ IↃ LXIX. duobus voluminibus publicati. (III.) *Hæresiologia*, octodecim scriptorum sacrorum opuscula continens, itidem Basileæ excusa annô ∞ IↃ LVI. (IV.) *Bibliotheca* SS. *Patrum* variæ editiones. Prima, curâ *Margarini Bignæi* Theologi Parisiensis, annô ∞ IↃ LXXVI. Lutetiæ edita, octo tomis supra ducentos scriptores complectitur; in classes IIX, epistolarum, historiarum, moralium, liturgiarum, disputationum contra hæreses, commentariorum, homiliarum, poëmatumqve sacrorum distributa. Huic trienniô pòst appendix accessit. Secunda editio ibidem annô ∞ IↃ LXXXIX. IX. tomis; ejusqve auctarium duobus voluminibus annô ∞ IↃ C X. prodiit. Hanc paullò pòst Parisiensis tertia, & annô CIↃ IↃ C XIIX. Coloniensis octodecim tomis constans, nec argumenti varietate distincta, sed seriem temporis observans, subseqvuta est. Qvartam Parisiensem Fronto Ducæus adornavit, ac

ac duobus tomis Græco-Latinis auxit. Prodiit annô à morte ejus proximô, h. e. ∞ I϶ C XXIV. Qvinta aliqvot fcriptoribus aucta, Morelliana dicitur: cui Francifcus Combefifius annô ∞ I϶ C XLIIX. *auctarium* tomis duobus, & annô fuperiore *Novum auctarium* adjecit. Totum opus nunc denuo Lutetiæ excudi dicitur.

X. Varia qvoqve fcripta ecclefiaftica, nec folùm fingulorum Patrum, fed integrarum ecclefiarum, continent (V.) Acta, canones, decreta conciliorum, Epifcoporum, Pontificum, Imperatorum de rebus factis. Qvo pertinent (I.) *Acta conciliorum* omnium, è diverfis bibliothecis collecta, & à Petro Crabbe duobus; à Laur. Surio qvatuor; à Dominico Nicolino qvinqve; à Severino Binio octo tomis edita; deniqve Conciliorum omnium collectio regia Lutetiæ Parifiorum XXXVII. voluminibus cum Indice feparatim excufo, annô ∞ I϶ C XXXVI. excufa, cui cum Decretalibus Romanorum Pontificum epiftolis inferta funt concilia Gallicana J. Sirmondi, Hifpanica Garfiæ Loaifæ, Anglicana Henr. Speelmanni, Lemovicenfe è bibliotheca Thuanæa editum, Florentinum Horatii Juftiniani cum ejufdem notis, &c. deniqve Concilia omnia, nuperrimè à Labbeo & Coffartio vulgata. Itemqve *Concilia generalia ecclefiæ Catholicæ* Græco-Latina, Romæ annô ∞ I϶ C VIII. juffu Sixti V. edita. Præterea acta Conciliorum fingulorum, ut Nicaeni, Ephefini, &c. ordine alphabeticô recenfita ab Höttingero, Biblioth. theolog. lib. III. c. I. Sect. III. (II.) *Symbola* veteris ecclefiæ à D. Calixto * aliifqve junctim edita. (III.) *Codices Canonum*; Ecclefiæ orientalis Græcus, à Jo. Tilio & El. Ehingero publicatus; ecclefiæ Romanæ Latinus, à Jo. Wendelftino primùm editus, poft Parifiis recufus cum breviario Crifconii; Ecclefiæ univerfæ, & Carthaginienfis, Græco-Latini; ac Latinus Dionyfii Exigui, à Chr. Juftello editi; duo priores etiam cum commentariis Th. Balfamonis & Joannis Zonaræ à Frontone Ducæo Parifiis, annô ∞ I϶ C XX. (IV.) Eumdem canonum ecclefiæ univerfæ codicem correctiorem, cum Dionyfiano & illo Ecclefiæ Carthaginienfis, & prifca canonum editione Latina anteà inedita; breviariis Fulgentii Ferrandi ac Crifconii: Martini Bracarenfis collectione canonum orientalium, Crifconii Concordia canonum, & Græcis canonum collectoribus, Joanne Antiocheno, Joanne Scholaftico, Alexio Ariftino, Simeone Logotheta, Photio cum commentario & paratitlis Balfamonis, variifqve Synodicis, cum notis variorum, fub titulo *Bibliotheca Juris Canonici veteris* ante hos annos XII. Lutetiæ publicârunt Guil. Voëllus & Henr. Juftellus. (V.) *Epiftolæ decretales* Pontificum ab Ifidoro aliifqve five editæ five confictæ.

XI. Huc etiam (VI.) referri debent *Liturgiæ Variæ*, à Claudio de Sainctes, G. Caffandro, Jac. Pamelio, aliifqve editæ. Itemqve (VII.) opus *Anti-*

* Helmeftadl. CIϽ IϽC XLIX. in 4to. Conlationem Symbolorum Lambecius præfixit Pfalterio Caroli M. Tom. II. Biblioth. p. 267. Confer & Rodolph. Gvaltherum Tigurin. in p. 91. b. five fine Homiliar. in Epiftol. Joannis, edit. Tigur. M. D. LXXXIX. in fol.

Antiqvæ lectionis ab Henrico Canisio sex voluminibus, & nuper titulô *Bibliothecæ Novantiqvæ*, auctiùs à Phil. Labbeo publicatum, in qvo varia monumenta veterum, antè ferè inedita, & notis illustrata continentur. Sed de his pro instituti ratione satis, ac fortasse plus satis.

XIV.

GABRIELIS NAUDAEI PARISINI

BIBLIOGRAPHIA MILITARIS †

IN GERMANIA*

PRIMUM EDITA

curâ

G. SCHUBARTI.

† Ex ejusdem Naudæi Syntagmatis de studio militari Romæ annô M. DC. XXXVIII. in 4to vulgati libro II. p. 504. avulsa. Vide Acta eruditor. Lipsiens. M.DC.LXXXIII. p. 512. *Omnium*, inqvit Jac. Oiselius JCtus in lib. XVI. Gell. c. IV. p. m. 864. a. edit. Lugdun. Batav. 1666. *qvi de Re Militari, sive Tacticis, aliqvid scriptis consignârunt, cùm Antiqvorum deperditorum, tum eorum, qvi adhuc supersunt, tàm in Bibliothecis latentium, qvàm editorum, ut & Recentiorum ad sua usqve tempora, Catalogum, judiciô suô hinc inde ipsis additô, collegit & inseruit Libris suis de Studio Militari, Librorum iste suæ ætatis Helluo Doctissimus G. Naudæus, lib. II. c. IV. §. 6. & seqq.*

Gvillimannus, S. Cæsar. Majest. & Sereniss. Austriæ Principum Consiliarius & Historiographus in epistola ad Goldastum, qvæ est CLXXIII. inter eas Viror. Claror. & doctorum ad Melchiorem Goldastum, qvas Excell. Henric. Güntherus Thülemarius JCtus sua è Bibliotheca Francofurti MDCLXXXVIII. edidit in 4to. p. m. 210.

Cuperem Marnium edere Auctores qvosdam rerum militarium, qvos habeo, sed nescio an adsensurus. Authores sunt Onosandri Strategica ab Nicolao Segundino Latinè facta. Nescio an hactenus fuerint edita. Habeo MS. Græcè & Latinè. Alter est Robertus Valturius, non malus auctor, & ante multos annos editus, nempe 1483. Veronæ: deinde Parisiis, annô 1532. nunqvàm in Germania. Possent his adjungi Boteri de excellentibus militiæ Ducibus lib. II. & Georgii Bastæ Castrorum præfectus, uterqve liber admodùm utilis, etsi nuper & Italicè editi. Poterunt tamen traduci. Onosandrô certè nihil potest aut doctius aut brevius, aut fructuosius in arte militari reperiri, ut mirari satis non possim tamdiu latere potuisse.

* Et qvidem Jenæ CIↃ IↃC LXXXIII. in 12.

GENEROSO NOBILISSIMOQVE

DN. JOANNI

A STETTEN

S. D.

G. SCHUBARTUS.


Honesta consvetudo, qvâ jungebamur pridem, & vitæ elegantioris rationem, & præcipuum in studia humanitatis impetum non sine grata recordatione præsignat. Exieras domô cultus bonis artibus, & optimis institutis abundans, inqve hanc virtutis ac doctrinæ sedem delatus, magnæ indolis documenta statim edebas. Ardor sciendi fervidus, pari ornatus modestiâ, provectioribus ætate stimulos addebat, æqvales ad gloriosæ invidiæ, laudisve ac probitatis certamen invitabat. Qvæ hauseras à primis annis, fideli retinebas memoriâ, & si qvâ parte opus iis esset, procul ineptiis juniorum, scitè proferebas. Non festinatio placebat intempestiva, non propriæ sedulitatis ostentatio vana, qvæ passim commendabatur, vivida & rebus agendis intenta mens, admirationi erant. A peritis itaqve discere, cum iis versari præoptabas, qvi sui jam dederant exempla, ac tales esse potiùs, qvàm videri studebant. Hæc ferè caussa, qvòd negotia civitatum præberent argumenta TIBI sermonis, qvòd nihil adeò magni faceres, præter actionum humanarum normam, qvòd consilia de republica, inventa recens, atqve speciosè excogitata opera cum primis perqvireres. Sapiendi habitum ita amabas, ut modum ex illo servares, ac nunqvàm non cautè adpeteres, qvidqvid superficiariâ cognitione obtegitur, contemplationiqve otiosæ proximum est. Rectissimi hæc felicitas ingenii putatur, qvam publicâ scriptione laudare vererer, nisi præstantissimorum consensu, qvibus apud nos innotuisti, manifestum id esset. Augures qvondam inanes adfectabantur notas, unde patriæ bona maláve prænuntiarent. Nullum certius est signum perennaturæ societatis, ubi florent ingenia, & illustri decore eminent, spe haut fallaci, tales aliqvando rectores fore civium, qvales non obscuris dotibus in annorum vere antecellunt. Pudorem ingenuum TIBI executerem, si fortè plura in cumulum honoris, & amplæ dignationis commemorarem. Qvæ sit occasio præsentis officii, qvô seqvor arctæ inter nos amicitiæ sacra, paucis indicabo.

indicabo. Poſt confecta litterarum, & diſciplinarum honeſtarum ſpatia in Salana hac, animum induxeras, utriuſqve Saxoniæ ac viciniores etiam terras adire, qvò ingentibus porro viris atqve doctiſſimis hominibus coram probares, qvænam itineris ratio eſſet, qvis inde fructus petendus. Accidit perqvàm commodè, ut inter potiora ejus momenta curatior bibliothecarum luſtratio, itemqve ſingula haberentur, qvæ aut raritate ipſius rei, aut vetuſtate ſuâ viſu cognituqve digna cenſebantur. Sic academica Lipſienſium Paullina, codicum manu exaratorum numerô & præſtantiâ, ſic Dreſdenſis ac Colonienſis Brandenburgica ſplendore, Guelferbytana copiâ, Hamburgenſis ac Bremenſis delectu maximè internoſcebantur. Inter privatas omnium emendatiſſima Gudiana erat, qvam illuſtris viri benignitate patuiſſe ſæpiùs, neqve heîc ſilentiô prætermittendum. Qvando verò ſermo varius, judicia exqviſita, eruditorum characteres, ac plurima bonæ frugis alia miſcerentur, Naudæi qvoqve ibidem fiebat mentio, cujus ingeniô tot muſea ordinata, tot egregia monumenta prodita ſint. Syntagma illius militare præ ceteris æſtimatum, opus eruditione, labore ac multiplici digreſſionis curâ exaſciatum, in cujus medio BIBLIOGRAPHIA MILITARIS alienô propè locô compareret. Cùmqve liber in patria noſtra ubivis non extet ulteriùs morari deſideria bonorum nolui, qvin eximerem, atqve ſub nominis TUI lætiſſimo auſpicio ſolitarium ad communes uſus vulgarem. Eqvidem ſimilis argumenti nonnulla aliorum exemplô copulare potuiſſem, qvæ tamen, ſi præſentia non inamœna lectoribus viſa ſint, aliô die luci dabo, ſimul cum auctario veterum juxta & recentiorum, à noſtro omiſſorum. Neqve curo, qvi hæc more ſuô accuſant, qvaſi ex aliorum induſtria famam aucuper, in primis conſcius mihi, commoda diſcentium omni re provehenda eſſe, qvamdiu non ſunt, qvi ea ignorant, qvin hæc vel uni TIBI, Belgiô relictô, ac per cultiſſimas orbis partes muſarum ſacraria benigniore ſorte deinceps freqventaturo, non diſplicuiſſe, ſatis erit. Jenæ pridie KL JUNIAS, clↄ Iↄc LXXXIII.

GABR.

GABRIELIS NAUDÆI

BIBLIOGRAPHIA MILITARIS

Ad illustrissimum juvenem

LUDOVICUM

Ex

COMITIBUS GVIDEIS

A BALNEO.

I. *Modi scientiæ militaris parandæ sunt duo præcipui, experientia & lectio.*

1 Scientiæ militaris parandæ modos, *Ludovice*, *Comes nobilissime*, plures vulgò tradunt. 2 Qvi tamen, meâ qvidem opinione, ad hæc duo capita referri possunt, *experientiæ* ac *lectionis*: 3 De qvibus, si qvis à me qværat, cuinam potiori jure fidendum sit, haud dubiè primas experientiæ concedam, qvia hæc meliùs omnia docet, qvàm vox ipsa, aut † librorum copia, etiamsi continuâ lectione terantur. 4 Unde qvod Aristoteles X. *ad Nicom. c. ult.* de

† *Librorum*] B. Bœcler. in Histor. Principum schola, p. m. 43. s. §. 18. *Rei*, inqvit, *militaris præcepta*, *& cumprimis opera*, *artes*, *morem*, *disciplinam*, *descripsêre*, *Onesander*, *Vegetius*, *Ælianus*, *Æneas*, *Apollodorus*, *Leo*. *Mauritius*, *aliiqve*, *qvorum labores desideramus. Verùm ego plus tribuerim Historico (modò is debitam his rebus industriam ad scribendum attulerit) qvàm ulli magistro militari. Nam & describit perspicuè, qvod hi præceptores; & in applicatione rei præsentis ad planiorem intelligentiam deducit lectorem suum*, *qvàm ulla scriptio*, *extra rei gestæ narrationem*, *potest. Ex Polybio sanè aliqvo*, *ex Livio*, *ex Cæsare*, *judicanda demum sunt*, *& interpretanda*, *qvæ in typos aliis & figuras retulêre. Hinc*, *qvid Lipsius in Militia & Poliorceticis*; *Stewechius ad Vegetium*, *Hugo in Militia eqvestri &c. elaborârint*, *an & qvomodo ubiqve assecuti sint*, *qvod studuêre*, *repetendum est. Qvamqvàm satis novimus*, *hanc partem studiorum neqve absolutam à qvoqvam hactenus*, *neqve ab ullo absolvi facilè & consummari posse*. *nisi qvòd haud dubiè plurimum profecissent*, *duo illi Heroës litterarii*, *Scaliger & Casaubonus*, *nisi utrumqve*, *antequàm destinata efficerent*, *fatum suum prævenisset.*

de medicis * dixerat, *illos magis experientiâ fieri*, qvàm aut studiò aut eruditâ librorum medicorum lectione: illud qvoqve de imperatoribus & oratoribus Cicero verè pronunciat, qvamvis artis præcepta hauserint, nihil tamen qvidqvam laude dignum sine usu & exercitatione conseqvi posse. 5 Est enim in omni disciplina infirma artis præceptio, absqve summa adsiduitate exercitationis, propterеáqve Lucanus, lib. 1. Pharsal. v. 129. Pompejum cum Cæsare componens, ita famam illius ab ætate jam usqve provecta, & longa cessatione imminuit:

Nec coiêre pares, alter vergentibus annis
in senium, longôqve toga tranqvillior usu,
dedidicit jam pace ducem ——— ———

6 Et sanè idem ipse Julius Cæsar, & Marius, Annibal, Metellus, & qvicumqve inter antiqvos duces unqvàm præstantissimi fuêre, non in umbra, sed in campo: non audiendo, sed videndo, non legendo tantùm, sed militando, artem qvam profitebantur didicerant, omnesqve idcirco in ea exercitatissimi fuerunt, qvòd nullum belli genus esset, in qvo eos fortuna, per varios eventus non † exercuerit. 7 Qvanti verò experientia in duce facienda sit, vel hoc unum satis indicat, qvòd si qvis unqvàm Romanorum, ante consularem ætatis annum, ex varia gente, & dissimili bellorum genere, non semel triumphârit, is profectò fuit Pompejus. 8 Qvem tamen cum Metello à senatu in Hispaniam missum, ita contemnebat

* *Medicis*] Qvomodo Medicus experiatur, eruditè ostendit doctiss. Fernelius, lib. IV. Methodi Med. c. V. ubi *experiri est*, inqvit, *qvippiam effectu probare. Alia enim sensu aliqvò comprobant, qvorum est certissima cognitio, alia ratione probabili, qva tamen à sensibus ducta, derivataqve est: alia usu, & actuum atqve eventuum observatione. Hæc igitur rerum notio, qvæ ex crebra eventuum observatione habetur, propria dicitur experientia, ut alia cognitio sensu. alia demonstratione, vel opinione: alia experientiâ percipiatur & experiens qvi experientiâ doctus evasit. Ea autem experientiâ nosci debent, qvæ nec sensus percipere, nec ratio ulla conseqvi potest, atqve hæc forte solâ vel casu deprehenduntur, ac sæpe diuqve qvæsita fortuitò plerumqve inveniuntur, & occurrunt nobis. Sic sanè & purgantium medicamentorum & alexipharmacorum cognita vis est. Non qvòd semel duntaxat, sed qvòd identidem atqve similiter, & eadem rerum omnium conversione sæpius evenerit, experientiam gignit. Qvumqve effectus aliqvis sæpius observabitur ex caussa qvapiam proficisci (cavendum tamen ne caussarum similitudo nos eludat) vis hujus atqve facultas erit experimentò cognita. At nihilominus ex aliqvo experimento interdum affinitate rerum ducimur in alterius experimenti investigationem.*

† *Exercuerit*] Mirè inlustrat hæc doctiss. Casaubonus in Rege tantò digna Dedicatione Polybii: *Omninò*, inqvit in p. m. 6. *tria sunt commoda, qvæ experimenta Politicis afferunt, qui vel in administratione Reip. vel in re bellica (hæ sunt partes duæ Politici studii;) diu multumqve fuerint versati. Primum, qvòd rationes addiscunt eorum perficiendi, qvæ in conciliis publicis aut Principum agitari amant, & qvæ usus belli postulat. Nam, verbi gratiâ, qui sit modus urbem coronâ cingendi, circumvallandi,*

mnebat Sertorius, ita ferocitatem exsultantis juvenis, sed ut ipse sibi persvaserat, bellorum rudis & inexperti, flocci pendebat, ut multoties auditus fuerit in hæc verba prorumpere, *si annosa hæc vulpes*, Metellum autem innuebat, *absisteret, virgis puerum hunc Romam mitterem.* [9] Nimirum fortissimus dux Metelli experientiam magis, qvàm Pompejii audaciam reformidabat, qvasi in hoc cum Tasso Hermioneo conveniret, qvi interrogatus ab amicis de eo, qvod sapientissimum esse arbitraretur, πεῖραν, hoc est, usum seu experientiam respondit. [10] Et meritò qvidem, cùm illa, ut inqvit Manilius, lib. I. v. 61. artium magistra esse dicatur,

per varios usus artem experientia fecit,
exemplô monstrante viam. ——

[11] Unde si qvis in eam diligenter à teneris incubuerit, ei nihil amplius difficile, aut arduum esse potest. [12] Qvemadmodùm Ulyssis exemplô declarat Homerus, cùm in Iliade, tùm etiam in Odyssea: in qvibus nulli æqvè Dii faverent ac ipsi, qvem per tot errores Minerva tam diu comitatur, qvem tot etiam periculis præter spem eripit; nullius qvoqve Græcorum opera, vel consiliô utilior, vel eventu felicior ante Trojam existit, ut si qvis dignus vindice nodus occurrat, si qvæ difficultas Deum ex machina postulet, unus statim Ulysses in scena compareat, qvi mirabili sagacitate ingenii, qvæ reliqvorum conatus deluserant, per se statim expediat; [13] Et tamen Homerus non hunc audacem vocat, qvando in hac re Ajacem illi præponit; non fortem, vel celerem, qvia hæc Achilli ab eo tribuuntur; non opulentum, qvod Priamo meliùs convenit; nec potentem, qvia Agamemnoni eum subjicit, verùm prudentem, & multa tolerantem, ac expertum. qvalem omnino decet eum esse, qvi fortis & sapiens futurus est. [14] Qvam ergo laudem Ausonius in nobili ad nepotem protreptico sibi tribuit, Edyll. IV. v. 66.

nec

landi, munitiones exstruendi, stationes collocandi, machinas expediendi, qvatiendi mœnia, cuniculos cavandi, fossas complendi, in insidias obsessos eliciendi, inani specie terrendi, postremò irrumpendi; illiterati ignorant, qvi neqve stipendia ulla fecerunt, neqve obsidionibus unqvàm interfuerunt. sic, metari castra qvid sit, locum eligere sibi commodum, hosti inimicum, vigilias disponere, agmine qvadratô procedere, aciem instruere, atqve eumdem exercitum modò latiùs pandere, modò in angustum coarctare, & aut in cornua, sinuatâ mediâ parte, curvare, aut rectâ fronte explicare, soli inter literarum rudes intelligunt, qvi sub Jove frigido aliqvando manserunt. hoc primum est usus beneficium; cui par alterum, scientia cavendi; nam difficultates, pericula, & casus rebus gerendis solitos intervenire, usus docet. meminit enim cui dolet, alioqvin sexcenta sunt in omni inceptione discrimina, à qvibus cavere sibi non potest, qvi fuerit eorum, ut Græci dicunt, ἀπείρατος: inexpertis enim nihil ejusmodi in mentem venit. inde illa vox aliena prudentia, & qvàm turpis semper, tam calamitosa persæpe. Non putabam. Tertium est, agilitas qvædam & dexteritas, munia pacis aut belli exseqvendi, qvæ agendo contrahitur.

nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
ingenia expertus: ——

[15] Quam Metello, alteri exercitus Romanorum ductori, concedebat Sertorius, alteri propter ætatem denegabat, hanc totâ animi propensione consectandam esse Imperatori, si ad verum, & constantis militaris scientiæ decus pervenire velit, tam clarum est, ut nemini cuiqvam dubium esse possit. [16] Nam & in rusticatione, & in mercatura, & in civili facultate, ac ceteris artibus, nedum in militari, rarus nisi per exercitatores solet esse profectus, [17] Et etiamsi nulla alia ejusce rei ratio subesset, sed ab eventu rerum & principum exemplis, tota ejus confirmatio penderet; [18] Qvis amabò rex tam inconsultus unqvàm fuit, aut qvænam respublica adeo suis in rebus cæcutire deprehensa est? ut non hunc potiùs ducem eligeret, cui longa rerum gestarum experientia & probata in mille periculis fortitudo, dignissimæ commendationis elogium conciliârint, qvàm studiosum aliqvem, qvi totô vitæ suæ curriculô, nihil aliud dignum laude præstiterit, qvàm Polybii & aliorum libros evolvere, ut veteris militiæ cum nova comparationem instituat; aut phalangis Macedonicæ, vel alterius ordinationis, bellicæve motionis, & machinationis rationes intelligat; [19] Qvas occupationes sic damnabat Trivultius apud Gvicciardinum, ut illas etiam irrideret, assereretqve militum armis & expertorum ducum consiliô bella geri, in acie pugnando, non figuris, qvæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur, vel digitô seu virgâ in pulvere describuntur: [20] Qvòd istud non magis duci honestum, aut profuturum censeret, qvàm Galenus parum Medico convenire arbitratus est, si membrorum inter se connexiones, venarumqve & nervorum distributiones intueretur tantummodò in charta depictas; [21] Aut Gubernatori, si, qvod idem inqvit, *ex libro talis fieri vellet.* [22] Qvæ cùm eadem mens esset maximorum principum, Caroli Qvinti, Ferdinandi Catholici Aragoniæ & Castellæ Regis, Francisci primi, Henrici magni, ac Turcarum etiam Imperatoris, & Venetorum: qvid mirum, si hi, qvorum singularis fuit in maximis rebus administrandis prudentia, nunqvàm suis exercitibus præficere voluerint ejusmodi duces litteratos? sed illos tantùm, qvi scientiam rei militaris per experimenta didicissent, & in qvibus nec virtus ulla, qvæ maximos Imperatores decet, nec felicitas, sine qva virtus ipsa, & scientia frustra sunt, desiderarentur.

II. *Lectionis magna vis, exemplô docetur Luculli, non tamen major, qvàm experientiæ. Boterus notatus.*

[1] Experientia igitur omnium consensu, certissimum iter aperit ad scientiam militarem, [2] Sed nihilominus tamen lectio minimè despicienda est, pro qva sic præfractè à multis pugnatur, qvòd experientiâ longè hanc utiliorem esse judicent, [3] Qvoniam ut monet in Epist. Seneca *tardum est*,

& varium quod usus docet, promptius autem est, plurima legere, qvàm paucissima experiri; [4] præsertim cùm ad experiendum vita hominis brevis sit, ad legendum autem tempus exiguum sufficiat, modò intellectus ac memoria, sine qvibus lectio vel inutilis, vel caduca est, oculis suffragentur. [5] Unde factum inqviunt, ut boni duces vicissim legerent & experirentur, lectionemqve experientiâ, & experientiam lectione confirmarent, sicut Romani omnes, qvi ceteris pro exemplo sunt, præter unum Marium fecisse dicuntur. [6] Imò verò Lucullus, ut auctores sunt Plutarchus, in Lucullo & Cicero, IV. Academic. Qvæst. etsi Româ profectus esset rei militaris penitus rudis, & ignarus, tamen qvia totum iter in Asiam, partim in percunctando à peritis, partim rebus gestis legendis consumserat, tantus imperator evasit, ut Mithridates Regum ab Alexandro maximus, eum majorem ducem, qvàm qvemqvam eorum, qvos unqvàm legisset, aut vidisset, à se cognitum confiteretur. [7] Qvin etiam ipse Cicero in his, qvæ ad Papirium Pætum scripsit, IX epist. XXV. non ita forsan εἰρωνικῶς loqvutus est, qvin aliqvid veritatis sub salibus admiscuerit, [8] *Summum me ducem litteræ tuæ reddidère: planè nesciebam te tam peritum esse rei militaris.* [9] *Pyrrhi te libros, & Cyneæ video lectitâsse: itaqve obtemperare cogito præceptis tuis.* [10] Paullò pòst verò addit *κύρου παιδείαν qvam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi.* [11] Neqve sanè alienum à ratione videri potest, tantum ex una lectione emolumenti in ducem redundare; qvandoqvidem si admirandas putamus esse senum sententias, ipsosqve prudentiores judicamus, eò qvòd multa eos didicisse necesse est, qvare & illorum dicta libenter audimus; qvantô magis antiqvorum libri, in qvibus multorum sæculorum res continentur, sapientiora subministrare consilia, majoremqve vim & copiam exemplorum præbere, qvæ dux in sua commoda convertat, existimandi sunt. [12] Hi enim non res, qvæ uni tantùm personæ contigerunt, ut experientia, sed plurimos, ac diversos eventus, in infinita hominum multitudine, & longissima hominum serie animadversos, unô velut instanti, ob oculos ponunt: [13] Tantiqve hanc rationem fecit Joannes † Boterus, non obscurus auctor politicarum dissertationum, ut eà potissimum innixus, lectionem rerum militarium, experientiæ qvæ de iisdem habetur, præferendam esse docuerit. [14] Sed pace ejus dixerim, videtur mihi in hoc, consvetudinis * reliqvorum auctorum oblivisci non potuisse, qvæ prorsus talis est, ut parum de veritate solliciti, singula qvæqve ad ipsius artis, qvam profitentur, dignitatem, ridentibus ac plerumqve etiam indignantibus ceteris, qvibus solida mens est, pertrahant; [15] Cùm interim non secus in militia ac in ceteris

† Hujus de II. libris de Excellentib. militiæ ducibus dictum antè paullò p 470.

* Tractat de hac Thom. Hayne in Dissertat. de Lingvis, qvam habes in Analectis nostris Philolog. n. I. Posit. II. extr. p. 40.

teris artibus contingat, in qvibus freqvens usus magistrorum omnium præceptis obstruit, & ea plerumqve rerum ignaris, sed exercitatis suppeditat, qvæ si doctioribus illis committas, idem erit prorsus, ac si navem aurigæ, vel currum fulloni regendum tradideris. [16] Accedant precor rei rusticæ scriptores Palladius, Varro, Columella, Crescentius, qvi tàm acutè, subtiliterqve de cultura frugum, de occatione & repastinatione agrorum tractârunt, & stivam manibus illorum admove, ut sulcos æqvales ducant, & glebas invertant, dispeream ni illud, qvod in proverbio est, statim videas, aratrum nempe ante boves. [17] Jube aliqvem istorum, qvi de scribenda historia, tàm eleganter qvotidie, magnâqve judicii, & doctrinæ commendatione leges in vulgum edunt, Patricium verbi gratiâ, Benium, Mylium, auctorem methodi, Foxium, Keckermannum, Bernartium, Viperanum, Balduinum, aut ex reliqvis, qvi propemodùm infiniti sunt, qvos voles alios, jube, inqvam, qvæ ceteris præcepta tradiderunt, eadem ipsos in præclara qvadam historia observare, & oppidò videbis trepidare homines, titubaréqve, nec minùs hærere attonitos, qvàm aves implicitas visco, aut ad lucem vespertiliones. [18] Ut magna planè sit eruditissimi Mascardi in scribendo facilitas, mirumqve prorsus & felix ingenium, cui uni tàm rectè & eleganter, utroqve illô in munere versari concessum fuit. [19] Prætereà Julium Cæsarem Scaligerum adi, qvô nemo meliùs unqvàm de vi & ornatu poëtices egit, ac elegiam ab ipso roga, qvæ venustatem Tibulli, aut epigramma, qvod Martialis acumen præ se ferat; opperiri credo te oportebit Kalendas Græcas, priusqvàm ab ejus musa qvidqvam ejusmodi obtinere possis. [19] Deniqve Medicum voca, qvi nullius adhuc venas explorârit, etiamsi doctrinâ non sit inferior Hippocrate, turbari tamen ipsum videbis, & ita qvandoqve propriæ suæ artis oblivisci, ut qvid factô opus sit nullatenus videat; [20] Ac proinde interrogatus Democedes Crotoniensis *qvisnam verus esset*, & *qvi omne punctum ferret Medicus*, is respondit qvi ingressus ad ægrum animô non turbatur. [21] Nimirum qvia difficile est, & plusqvàm qvotidiani operis, ex tempore & in oculi ictu apud ægrum, de ejus morbi caussis, indicationibus & remediis constituere, ita ut absqve longo usu & qvotidiana ferme exercitatione, istud qvi promptè efficiat, vix inter medicos reperiatur: [22] Adeo verum est qvod dicebat Ovidius, lib. II. Artis, v. 676.

Solus & artifices qvi facit usus erit.

[23] Hæc autem si in reliqvis artibus ita se habent, qvid de militia statuendum est? qvæ una omnium præter repentinos casus & rerum de qvibus agitur præstantiam, non hæsitantes, sed obfirmatos Duces reqvirit. [24] Qvibus nihil novum, aut inusitatum accidat: nihil mentem, animumqve conturbet, aut judicium ex præsidio dejiciat; sed potiùs qvi omnia viderint, tentârint: atqve etiam experti sint, qvæcumqve ceteris terrorem possent incutere; [25] Qvod eqvidem qvomodo solâ lectione obtineri possit, nullus planè video. [26] Qvare ejus tantùm usus commendandus est,

qva-

qvatenus opitulari experientiæ solet, & efficere, ut Imperator experientiâ simul & ratione, tanqvàm utrôqve crure innixus, firmiùs pedem figat in lubrico, sæpiùsqve fallente bellicarum rerum vestigiô.

III. *Qvorum lectio duci necessaria sit. Historia pragmatica laus.*

1 Neqve tamen hàc datâ licentiâ, continuò Duci in omnis generis libros, tanqvàm in viridantes hortos temerè divertendum erit sed delectus eorum habendus est, ex qvibus nullô labore, non magnâ etiam lectione, profutura multa discet. 2 Jam verò, si ullæ sunt ejusmodi litteræ, certè historia est, qvæ una iis, qvi in rebus agendis versantur, potissimùm convenit: 3 Nam poësim & eloqventiam, arduásqve scientiarum qvæstiones, qvamqvàm ingenium admittat, negotia tamen excludunt; 4 Historia verò, nec esse ipsa sine negotiis potuit, & honestum in primis est, ac utile, hanc apud eos habitare, qvi rebus tractandis præficiuntur: 5 Res enim gerere, provincias & regna administrare, nemo sine prudentia potest; 6 Prudentia verò ex usu, usus autem ab exemplis, & oritur & confirmatur. 7 Qvamobrem Dux noster historicorum præsertim lectioni incumbet, tàm eorum in qvibus haberi possint ex vera, & nuda relatione omnia qvæ à magnis exiguisqve tironum, ac veteranorum copiis prudenter, desperatione, audaciâ, casu, apertô Marte, aut ex insidiis gesta sunt, qvàm aliorum qvi conscii, participes secretorum, qvô consiliô, qvâ mente, qvâve ratione, qvidqve administratum fuerit, exponunt; nihilqve eorum prætermittent, qvæ ad mores, qvæ ad vitam, qvæqve ad civilem prudentiam informandam conducunt. 8 Unde res Ægyptiorum, qvæ antiqvissimæ; Persarum, qvæ opulentissimæ; Græcorum, qvæ variæ; Romanorum, qvæ meritò putantur fuisse maximæ, eô animô percurret, ut singula diligenter advertat, qvæ ad periti Ducis informationem faciunt: 9 Sed non ipsis contentus Atheniensium prætereà conventibus, Lacedæmoniorum decretis, Romanorum senatui, & principum omnium consiliis freqvens intererit, ut secretas cogitationes, & imperiorum arcana, qvæ in earum gentium historiis, tanqvàm in occulto qvodam adyto conclusa jaceat, expiscari possit; atqve ex illis habitum qvemdam sibi efformare, militaris ejus prudentiæ, & sapientiæ, qvæ in deliberationibus de bellorum caussis, initiis, progressu, atqve exitu, maximè omnium difficillimis, & gravissimis elucere debent. 10 Ita enim fiet, ut præclaris istis dotibus, experientiâ subministrante eam aptitudinem, qvæ ad agendum reqviritur, nihil in Duce, qvis aut desideret, aut reprehendat.

IV. *Vita-*

IV. *Vitarum scriptores in primis hanc utilitatem præstant, qvòd ad parta audenda stimulant facinora.*

[1] Ceterùm cùm historia generalis, si hôc modô, qvem diximus evolvatur, infinitam habeat utilitatem, facilitatem maximam, & incredibilem etiam oblectationem; excogitârunt insuper magni Duces aliam rationem, ejusdem aut majoris utilitatis, ex particulari, & Biographorum præsertim libris percipiendæ; cùm videlicet ipsorum aliqvem sibi crebrò evolvendum proponunt, qvi Ducis illius vitam scriptis consignârit, cujus rerum gestarum admiratione maximè capiuntur, ita ut posteà totos se ad ejus imitationem componant, & nullâ re possint, qvàm ejus lectione svaviùs demulceri. [2] Sic enim Alexandrum narrant, adeo captum, delectatumqve fuisse Iliade Homericâ, qvam rei militaris viaticum, & librum regum adpellare consveverat, ut ipsam non modò interdiu summa cum voluptate, vel in ipso armorum strepitu legeret, sed noctu etiam eâ pro cervicali, tanqvàm svavioris somni conciliatrice uteretur: [3] Ex qvo notat Victorius * eum propterea à nonnullis φιλόμηρον dictum fuisse. [4] Qvamvis non levis apud multos suspicio sit, cùm nullius antiqvi scriptoris auctoritate sententiam hanc suam confirmet, Cassandro Macedoniæ Regi, ut Athæneus & Caristius contendunt, ejusmodi potiùs epithetum convenire, qvàm Alexandro. [5] Sed facit omnino Dio Chrysostomus, Oratione II. ut non perperam istud à Victorio dictum fuisse existimem. [6] Etenim ut illa prætermittam, qvæ multis apud illum respondet Alexander, sciscitanti patri Philippo, cur huic uni poëtæ incumbens, alios qvamvis sapientes negligeret, certè vel hæc sola, qvanta in Homerum Alexandri propensio fuerit satis declarant; [7] Homeri autem poësin solam video ingenuam esse, & magnificam, & verè regiam: cui animum advertere decet eum virum, qvi maximè qvidem imperaturus sit omnibus, qvi ubiqve sunt hominibus; [8] Sin minùs, qvomodo tamen non absurdum fuerit, qvòd Rex eqvô qvidem non nisi optimô uti velit, poëtarum autem, vel infimis adhærere qvasi otioso illi esse liceat? [9] Hoc scias velim ô pater me non solum poëtam, sed etiam aliud carmen, qvàm Homeri heroicum audientem dolore affici, [10] Sed utrilibet tandem istorum epithetum istud assignandum sit, parum eqvidem refert, postqvàm nihil impedit, qvin similis esse potuerit amborum in hunc vatem affectus. [11] Qvibuscum eadem planè sentiebat Spartanorum Rex Cleomedes, dum Hesiodi poëma, valde conveniens esse dicebat rusticis hominibus, propter documenta qvæ complectitur, agriculturæ summoperè necessaria; [12] Homeri verò Iliadem nobilibus, ac strenuis, ob egregia fortissimorum Ducum exempla, qvibus undeqvaqve referta est. [13] Philopoemen verò Achæorum Dux, ejusdem vatis opera legebat, ut audacior fieret, sicut Philosophorum

* lib. XXXI. Variar. Lection. c. XIX.

rum libros, ut virtuofior, & Alexandri Magni gefta, qvæcumqve ab hiftoricis memoriæ commendata fuerant, ut in fua arte peritior evaderet: [14] Atqve ita in diverfis auctoribus qvæfivit, qvæ in uno folo fe inventurum defperabat. [15] Sed non adeò morofus fuit Scipio Africanus, cui Cyri pædia, non tam ad hiftoriæ fidem, qvàm ad effigiem jufti imperatoris à Xenophonte expreffa, omnes imperialium virtutum, ac laudum cumulos attulit; [16] Non fecùs atqve Polybii fcripta, freqventi lectione trita à Marco Bruto, famam eidem fummi Imperatoris conciliavêre. [17] Sed qvodnam exemplum illuftrius afferri poffet eô, qvod inter recentis memoriæ hiftoricos, de Selymo Turcarum principe narratur. [18] Cujus majores cùm averfum femper animum habuiffent ab annalium, rerumqve per orbem geftarum lectione; primus ipfe commentarios † Cæfaris reddi Arabicè curavit, ac ejus imitatione, brevi magnam Afiæ minoris, & Africæ partem, imperio majorum adjunxit. [18] Atqve ut ab exteris Principibus ad noftros tranfeamus, qvid Carolum Qvintum Imperatorem ad tantam gloriam extulit, nifi freqvens lectio hiftoriarum Thucydidis, & fufcepta cum Ludovico ejus nominis undecimo Gallorum Rege, qvem Philippus Cominæus tàm fcitè ad vivum expreffit, æmulatio? [19] Qvis deniqve Alphonfo Aragonio, Hifpaniarum Regi fapientiffimo, potentiffimoqve, facem tot in expeditiones prætulit, nifi Romanæ conditor hiftoriæ Livius, qvem unum fibi præ ceteris unicè confulendum elegerat? [20] Ecce igitur qvomodo iftis in exemplum præeuntibus, reliqvi Duces optimum aliqvem, & qvi ultimum fuæ virtutis in hoc genere experimentum ediderit, fibi ad imitandum proponere debent, cujus non modò æmulatione ftimulos concipiant, fed ductu atqve indicatione, tanqvàm ab Hodio, vel Hegemonio, ceterifqve vialibus Diis defignatum iter ingrediantur, qvod ducit ad gloriam.

V. *Neqve tamen prætermittendi fcriptores de re militari, antiqva pariter & recentiori.*

1 Enimverò priufqvàm ejufmodi libros evolvant, oportet eos fedulò legiffe, qvæ tùm ab antiqvis, cùm etiam à nuperis fcriptoribus tradita funt, de militari difciplina, feu variis rebus, qvæ ad ejus illuftrationem non parum conducere poffunt; & qvorum in recenfione, cùm potior fit eorum numerus, qvi hôc aut fuperiori fæculô, in iftud argumenti incubuerunt, qvibufdam forfan videri poffet, nos eorum laboribus facili negociô carere potuiffe, nifi temporum injuria perniciem antiqvioribus cunctis intuliffet, nunqvàm amplius ex tam acerbo, & luctuofo, reliqvorum qvoqve in omni genere fcientiæ voluminum naufragio, emerfuris: [2] Sed ita mihi perpetuò bene fit, ut ifti in errore graviffimo verfantur: mutata

† Vide dicta fuperiùs p. 384.

ta ſiqvidem tempora, diverſos mores intulerunt, variamqve & penitus à Græcorum vel Romanorum conſvetudine diſtinctam belli gerendi rationem. 3 Unde qvemadmodùm nunc maximè omnium ridiculus haberetur, qvi neglectis fulminalibus machinis, arcium noſtrarum propugnacula, ſubruere impactô ariete vellet, ita non minùs peccaret, qvi Heronem, vel Athenæum, qvi de machinis ſcripſerunt, ſibi tantummodò conſulendos arbitraretur, neglectis interim recentioribus, qvi de his, qvæ apud omnes ſunt in uſu, pulcherrimos commentarios edidêre: 4 Omnibus ergo opus eſt, tàm vetuſtis ob ipſorum præſtantiam, & virtutem ſingularem, qvà rebus etiam difficillimis lucem, ac ſplendorem attulerunt, qvàm novis ob rerum explicationem, qvam fruſtra ab aliis reqviras, qvi anteqvàm illæ, aut inventæ, aut uſu receptæ forent, vixêre.

VI. *Ingreſſus ad notitiam horum, & auctoris deſtinatio circa libros ampliſſima.*

1 Atqve ut illorum ſeriem ordine qvàm fieri poteſt commodiori proponam, illos primùm recenſebo, qvi hominum incuriâ, temporum lapſu, Barbarorum invaſionibus, Principum edictis, magnis recurrentibuſqve per ignem, aut eluviones, orbis flagellis, ceteriſqve ejuſmodi calamitatibus periêrunt, 2 De qvibus opportunior mihi locus erit copioſè dicendi, in BARBERINO ſeu triplici dialogo de librorum interitu: 3 Mox qvi adhuc in Bibliothecis ſitu pulveréqve obſiti, ac velut ſepulti deliteſcunt: 4 Deinde vetuſtiores omnes qvi typorum beneficiô in aſpectum communemqve omnium utilitatem, qvotidie producuntur, 5 Ac demum ex recentioribus eos, qvi publicæ commendationis teſtimoniô, cùm ob doctrinæ præſtantiam, tùm ob materiæ difficultatem vel neceſſitatem iſtud conſecuti ſunt, ut à nobis reticeri in hoc cenſu abſqve flagitio non poſſint. 6 Sed priuſqvàm huic operi me accingam, non abſurdum forſan erit, eas rationes in medium proferre, qvas amicorum meorum nonnullis reddendas putavi, vehementer à me afflagitantibus, ut oblatâ tàm commodâ occaſione de libris militaribus dicendi, *Bibliographiam polemicam* adornarem, qvæ non ſecùs ac *politica*, * qvam ſuperioribus annis optimo meo & lectiſſimo amico, *Domino Gaffarello* dicatam, bibliopola Venetiis typis ſuis edendam curavit, omnes ſcriptores polemicos ventilaret, excuteretqve acri cenſurâ adhibitâ, & prolatô de ſingulorum virtutibus ac vitiis, prout mihi convenientius videretur, æqviſſimô judiciô. 7 Et ſanè potuiſſem non difficulter in hoc conſilium devenire, ſi omnes libros, de qvibus mihi ſermo inſtituendus eſt, ut politicos anteà feci, lectione triviſſem aſſiduâ; aut ſaltem Romæ, apud illuſtriſſimum eqvitem Caſſianum à Puteo, cujus honeſtâ & liberali propenſione in litteras, mirum qvantus heic melioribus ſtudiis

* Hanc inſerui Tomo noſtrar. Methodor. I. n. XIII. p. 496. ſ.

ſtudiis honos, atqve incrementum accedat, qviqve me, ut ſolet etiam ceteros, perbenignè, ac amanter complexus eſt, videre illos atqve evolvere in inſtructiſſima ejus bibliotheca potuiſſem. 8 Verùm qvia præter paucos, qvi mihi in iſtud opus incumbenti, ad manus fuerunt, ceteros omnes, aut tuburcinatim tantùm, & magnâ feſtinatione percurri, aut titulorum modò tenus, ut nuperos fermè omnes cognitos habui; elucubrandumqve mihi in hac civitate Reatina hoc opus fuit, ubi non ita densè veterum litterarum ſeges efflorescit, ut etiamſi multùm inqviſitè, multúmqve ſollicitè privatorum omnium pluteos, & bibliothecas excuſſi, qvidqvam tamen, qvod operæ pretium eſſet, reperire in ea potuerim; 9 Idcirco malui à ferendo de cunctis judiciô temperare, qvàm inſcitiâ aut temeritate meâ, officere cujuſqvam ſcriptis atqve dignitati; 10 Satiſqve mihi viſum eſt, Ludovice Comes, ſi candidè heic, & bonâ fide tecum agam, cùm accuratè, & exqviſitè, ut opus qvidem eſſet, non poſſim.

VII. *Enarratio illorum, qvi antiqviſſimis temporibus de militia præceperunt, ſed injuriâ ſæculorum perierunt.*

1 Qvòd igitur multi, ac propemodùm infiniti ſcriptores, rem militarem, etiam tùm cùm rudi & inconditô modô fieret, ſcriptis ſuis illuſtrare conati ſint, equidem dubitari non poteſt, poſtqvàm Ælianus *a* celeberrimus ille ſophiſta, qvi initiô libri ſui de aciebus inſtituendis, tot ſcriptores recenſet, qvorum in hac tradenda ſcientia non minimus labor innotuerat, ita demum finem in illis facit, ſed ut omnes commemorem, qvos videre ac legere contigit ineptum arbitror. 2 Nempe qvoniam, ut inqvit Vegetius, *b* Lacedæmonii qvidem, & Athenienſes aliiqve Græcorum, in libros retulêre complura qvæ *Tactica* vocantur, atqve, ut etiam librô ſecundô aſſerit, idem fecêre complures. 3 Unde æſtimari meritò poteſt, qvàm iniqvâ *c* ſemper, & reluctante fortunâ litterati uſi ſint, qvorum monumenta

a Hoc de Æliano ita Joh. Albert. Faber de Plagiariis n. V. *Claudius Ælianus ſuum περὶ στρατηγικῶν τάξεων libellum Hadriano Imperatori obtulit. Capite I. III. & XIX. Polybii mentionem facit, qua loca poſtqvàm in Polybianis fragmentis recenſuiſſet Caſaubonus.* Et hæc, *inqvit*, nominatim ex Polybio Ælianus: nos verò alibi docemus, totum illius aureolum libellum penè ad verbum è Polybio eſſe deſcriptum. *Illam Polybii hiſtoriam qvàm benè Livius & Diodorus Siculus imitentur, diſqviris Bæclerus ſub finem Lectionum Polybianarum, qvas ex Ms. Auguſtano edidit Annô MDCLXX. in 4to. Ac Diodorus qvidem Polybium non in judicio tantùm de rebus geſtis exponendo, ſed in phraſibus qvoqve ſecutus eſt*, Livius verò ejuſdem veſtigiis paſſim adeò inſiſtit, ut verbum verbô interpretur. Voſſ. Inſtitut. Orator. lib. I. c. IV. n. VIII. p. 39. ex Fulvio Urſino.

b Prolog. lib. III.

c Iniqvâ] Dignus eſt, qvi hìc legatur, Scriverius: *Hæc*, inqvit in præfat. Vegetio ſuo præfixa, qvem lego ex edit. Veſal.

menta sic intereunt indies, oblitteranturqve, ne multorum qvidem nomine servatô, ut Patricius *c* cùm omni ope, & industriâ in eorum disqvisitionem, ac veluti detenebrationem incubuisset, qvinqvaginta tantùm inve-

Vesal. 1670. in 8t. *maximè versatur Deorum iniquitas, teste Qvadrigariô, qvòd deteriores sunt incolumiores: neqve optimum qvemqve inter nos sinunt diurnare. Atqve ita est profectò. Nam inter alia praclara & qvantivis pretii monumenta, qva temporum infelicitate periêrunt, veteres etiam de Re Militari scriptores praestantissimi, tàm Graci quàm Latini, haud semper potuerunt perennare. Desideramus vulgo, & non sine stomacho aut dolore desideramus, opera Stratoclis & Hermia, qvi de Homerica armorum disciplina commentati erant. Item Cinea Thessali, qvi Æneam, vetustissimum Tacticum, in epitomen redegerat, lucubrationes. Ipsius deniqve Pyrrhi Epirotarum regis, cum Alexandri, Clearchi, Pausania, Euangeli, Eupolemi, Iphicratis, Posidonii, aliorumqve qvamplurimorum commentariis, penitus intercidêre. Atqve hanc quidem jacturam in Gracis fecimus; non minore damnô affecti in Latinis. Qvarimus hìc, ut non paucos alios minorum gentium pratermittam, M. Porcium Catonem, L. Cincium Alimentum, Cornelium Celsum, Æmilium Macrum, Arrium Menandrum, & Tarrutenum Paternum; omnes viros principes ac sine controversia doctissimos. Unus superest Polybius, aut vir magni nominis, qvi de veterum militia scripserunt. Nam Vegetius, eâdem censere, nihil habet meri, ac sui & superioris avi instituta aut mores confundit.* Eadem jam anteà tradiderat Godescalc. Stewechius, cujus in præfat. in Vegetium hæc sunt: *Militaris disciplina, quam non uni populi hodie amissam dolent, quâ ratione recuperari potissimùm debeat, à diversis, Illustrissime, ac Generosissime Comes, quasitum est. Mihi sic videtur; peti debere primùm ex Commentarijs, pòst arte, & scientiâ eorum, qvi castra secuti sunt, confirmari, ac tandem ipsô usu & experientiâ perdisci. Exstitêre olim prastantissimi ac diversi De re militari scriptores, non Graci tantùm, sed & Latini. Gracorum paucissimi supersunt, pauciores ferè Latinorum. Unô enim Vegetiô Renatô exceptô, vix est, quem lectione digneris. Qvi tamen Flavius Vegetius nisi Epitomen suam nobis compilâsset, haberemus puto Catonis, Cornelii Celsi, Julii Frontini, Tarruteni Paterni, Macri, Menandri, aliorumqve veterum in disciplina bellica leges, pracepta & libros.*

d Patricius] Hoc de Patricio præter Thuanum ad Ann. CIƆ IƆ XCVII. ita nos docet Janus Nicius Erythræus, Pinacothecâ I. n. CXVII. p. m. 203. edit. Colon. vel potius Amstelodam. CIƆ IƆC XLV. in 8t. *Jam verò prodeat in medium Franciscus Patritius Venetus, non hujus modò sed longe superioris avi Italorum ferè omnium multò doctissimus, in omni praestantissimarum artium genere; qvi occupatissima in vita ac summorum virorum negotiis pene omnibus, ac ferè perpetuô itinerum labore districtus, nunqvàm literarum studia intermisit, & egregia multa composuit, qva summis literatorum omnium laudibus efferuntur. De cujus Parallelis militaribus prasertim, notissimum judicium est Josephi Scaligeri, hujus generis acerrimi astimatoris, qvi in suis ad amicos epistolis* (n. CXIX. p. m. 310.) *scripsit his verbis:* Franciscus Patricius solus mihi videtur digitum ad fontes intendisse; qvem ad verbum alii, qvi hoc studium tractârunt cùm seqvantur, tamen ejus nomen ne semel qvidem memorârunt. *Multa hujus sunt praclarè ac propè divinitus scripta, qva longum esset omnia enumerare; sed hac maximè illustria, Paralle-*

invenerit, ex antiqvis illis, qvorum ad nos nomen pervenit, omnium verò scripta fermè desiderantur. [4] Nam si rectè calculum pono cùm ex ipsis qvi à Patri-

Paralleli militares, in qvibus veterum Imperatorum militaris disciplina cum ea comparatur atqve confertur, qvæ nostris nunc viget in moribus; qvi liber est mole qvidem amplus ac magnus, sed rerum, qvæ in eo continentur, æstimatione ac pondero longè maximus atqve gravissimus. Librum hunc alii duo seqvuntur, item mole ac doctrina præstantiâ inter se genuini atqve simillimi, qvorum unus, nova, de Universis Philosophia, inscribitur; ubi ad intima & arcana Philosophiæ penetralia, ingenii sui acumine, sibi iter faciens, ab aliis posita ejus tradenda principia, & tanqvàm fundamenta convellere ac labefactare conatur, & alia ab illis diversa statuero atqve defigere, qvibus, utpote cum vera fide congruentibus, Christiana adolescentium ingenia in scholis erudiantur: alterum verò volumen egregium, Peripateticarum discussionum nomine appellat, in qvo, admirabili ingenii diligentiaqve laude, Aristotelis inventa ad exactam judicii sui normam exigit, examinat, ac suâ illâ mirificâ ad refellendum consvetudine usus, explodit & ejicit; qvibus transactis, aliam à se excogitatam scribendi rationem affert, & qvod suum sit de Aristotelicis libris judicium exponit; atqve eos ait esse suppositities, & falsò Aristoteli adscriptos; ac si sint veri ejusdem libri, nihil eos ab ipsius marte depromptum continere, sed omnia ab aliis Philosophis erepta complecti; idqve pluribus veterum dictis, qvæ ab Aristotelis sententia non aberrarent, conatur ostendere: deniqve totus in eo est, ut Aristotelicæ philosophiæ fabricam funditus evertat ac diruat, jactisqve novis fundamentis sua fastigium ac culmen imponat; prope inutili ac supervacuô labore: qvid enim tam inutile est, qvàm si convellere adoriaris ea, qvæ commoveri non possunt? qvid tam supervacaneum, qvàm si velis novam & angustam ad id semitam facere, ad qvod latissima multorumqve trita itineribus via cernatur? Altiùs Aristotelis auctoritas radices egit, qvàm ut cujusqvam vim impetumqve pertimescat: viget, semperqve vigebit, hominis disciplina, tantúmqve qvis existimabitur scire, qvantum ex doctrinæ ejusdem fontibus haustum, intelligentiâ comprehensum habuerit; ac nemo, cui cor sapiat, non satius esse ducet in iis, qvæ ad Philosophiam pertinent, cum deo, ut ita dicam, philosophorum errare, qvàm cum aliis rectè sapere, minorum gentium magistris. Itaqve ille, omnibus in gymnasiis, ad sapientiam properantibus, dux semper habebitur, ille Theologorum qvasi militia, adversus religionis nostræ hostes, definitiones, argumentorum copiam, & alia præclarè dicta multa, tanqvàm amentatas hastas elargietur, qvas illa theologicis lacertis ac viribus, de cælo suppeditatis, torqveat ac vibret: nova verò Patritii Philosophia, qvantumvis egregia, vix locum in eruditorum bibliothecis inveniet, qvam illi, animi caussâ, cùm est ocium, legant, & in admirationem ipsius ingenii suspiciant; qvemadmodùm etiam novam ejusdem Geometriam, novamqve Rhetoricam; qvi libri, in commendationem Euclidis, Ciceronis, Qvintiliani, aliorumqve, qvi, hos secuti, de arte Rhetorica libros scripserunt, exstabunt. Edidit de scribenda historia tres dialoges, & de arte poëtica totidem decadas, qvibus precium statui pre illorum æstimatione vix potest; & commentarium in Polybium; de Militia Romanorum, multorumqve aliorum ex insula Cypri: protulit etiam in lucem, ex antiqvitatis tenebris, tanqvàm è ruderibus, erutum, Commentarium Græcum Philoponi in Metaphysicam Aristotelis, qvem etiam, in Latinum à se conversum emisit:

Patricio recensentur, tùm verò ex aliis, qvorum mentionem factam apud alios auctores fuisse animadverti, penitus interciderunt omnes hi seqventes: [5] *Thales Gnosius* poëta rhapsodus, qvi Pæana scripsit, & hòc tantùm nomine laudatus fuit à Suida; [6] *Tyrtæus* † elegiographus, & tibicen, qvi ab eodem auctore fertur scripsisse libros de Republica & admonitiones versibus, & carminum classicorum libros qvinqve, qvorum fragmenta qvædam leguntur adhuc apud Stobæum, in sermonibus de bello & de audacia; nec inutilia sunt ad ejus cognitionem, qvæ de eo habet *Franciscus Floridus* in variis, [7] *Anacharsis* Scytha, qvi ut memoriæ à Laërtio, lib.

Mercurii Trismegisti operum (ut est opinio) fragmenta, tanqvàm disjecta membra, in unum corpus collegit. Perpetuas habuit cum Theodoro Angelutio, Philosopho ac medico Patavino, de naturali Philosophia, & cum Jacobo Mazzono de ea, qvæ est de moribus, controversias, ut ex libris apparet, qvibus, tanqvàm armis, inter se decertàrunt. Hujus si virtuti par data esset corporis statura, proceritate infra se ceteros reliqvisset; sed brevis, neqve ita venusta, à natura contigit; neqve tamen minùs fuit illustris & honoratus; qvòd magnos homines virtute metimur, non corporis mole. Docuit Philosophiam in duobus clarissimis Italiæ gymnasiis, Romano ac Patavino. Hæc Nicius. Joannes Jonsius. lib. III. de Scriptorib. Historiæ Philosophic. c. XX. p. m. 311. ita de eo habet: *Francisc. Patricius audacis homo ingenii ut nomen sibi compararet, Aristotelis philosophiam refutandam sibi sumpsit Tomis qvatuor discussionum Peripateticarum, editis Basileæ in fol. A. MDCLXXXI. qvorum Tomus primus*, De Aristotelis Vita, Moribus, Libris, Auditoribus, Sectatoribus, Expositoribus, Interpretibus, Sectis, philosophandi ratione, libris tredecim disserit. *Tomus II.* Aristotelis cum Platone aliisqve veteribus Philosophis à multis promissam, à nemine editam, in omni Philosophiæ genere concordiam, libris octo continet. *Tomus III.* Aristotelis cum Platone aliisqve veteribus à nemine promissam vel editam discordiam libris septem perseqvitur. *Tomus IV.* Aristotelis dogmatum censuram Philosophicam libris decem instituit. *Verùm in superbo hoc opere diligentiam ejus laudamus, judicium desideramus, audaciam improbamus.* Adde Joann. de Launoy, Constantiensem, Theologum Parisiensem, librum suum de Varia Aristotelis Fortuna in Academia Parisiensi, p. m. 93. edit. Hagens. M. DC. LXI. in 4to ita concludentem: *Qvidqvid id est, Philippus Melanchthon & alii superioris sæculi scriptores qvi seorsum à nobis per religionem sentiunt, nec graviora nec duriora de Aristotele, qvàm Patricius, dixerunt. Fuère tamen nostris temporibus, qvi qvæ in Patricio non culpârunt, in Melanchthone culpàrint: sed ista sunt partium studia, qvæ nec Christianum hominem, nec alium amantem veritatis qvemlibet decens. Verum à qvocumqve dicatur, semper verum erit, & rectum à qvocumqve decernatur, semper rectum erit, sed Melanchthon ex Romana Ecclesia exire non debuit, ut à scholis Theologorum Aristotelem abigeret. neqve qvi in Romana remanserunt Ecclesia, damnare Melanchthonem debent, qvòd Aristotelem è scholis Theologorum abigere voluerit. Sed qvòd cùm abigere voluerit, matrem Ecclesiam deseruerit & antiqvam fidem novitate parvà conturbàrit.*

† Hoc de copiosè diximus supra p. 212. C.

lib. I c. CI. proditum fuit, de his *f*. qvæ Scytharum, atqve Græcorum ad vitæ frugalitatem, & res bellicas, legitima sunt, scripsit, versibus octingentis. [8] *Democritus*, qvi ab eodem Diogene, lib IX c. XLVIII. militaria, & armorum dimicationes explicâsse dicitur, [9] Tum & nomine multum huic affinis *Damocritus*, qvem Suidas refert, libros duos de aciebus bellicis scripsisse. [10] *Clearchus* Solensis peripateticus apud Athenæum *g* passim laudatus, qvi tot ejus monumenta adducit in testimonii fidem, ut mirum sit, in ipsis non reperiri Tactica, qvæ tamen Ælianus ab eo scripta fuisse dicit. [11] *Demetrius* Phalereus tanqvàm scriptor Tacticus nominatur à Polybio, in fragmentis publicatis primùm Latinè tantùm à Raphaële Cyllenio, & postea Græcè etiam à Casaubono. [12] *Pyrrhus* Epirota, ejusqve filius *Alexander*, & qvi à consilio ipsis erat *Cyneas*, laudati omnes fuêre ab Æliano, *h* & si Alexandrum excipias, etiam à Cicerone, his verbis IX. Famil. Ep. XXV. ad Papyrium Pætum scribente, *Pyrrhi te libros, ac Cyneæ video lectitâsse.* [13] Et verò commendantur insuper prioris scripta de aciebus instruendis à Plutarcho; & Æliano teste Cyneas Æneæ poliorcetica in compendium redegit. [14] *Euangelus* † refertur qvoqve ab Æliano inter πολεμικοὺς scriptores ejusqve Tactica plurimi fecit Dux insignis Philopœmenes. qvi, ut ex Plutarcho in Philopœmene habetur, inter aliorum scriptorum lectiones in Euangeli Tacticis maximum & indefessum studium ponebat. [15] Stoicus præterea *Possidonius* artem, ut inqvit Ælianus, *k* Tacticam scripserat, qvem auctorem, qvi eumdem fuisse arbitrabitur, cum eo qvem Athe-

f *Olympiad. L. regnare cœpit Crœsus*, inqvit Vossius de Poetis Græcis, c. III. extr. p. m. 18. *cujus tempore (ut Suidas ait) fuit Anacharsis Scytha, regis Scythici frater, sed matre Græcâ natus, anchoræ, & rotæ figulinæ inventor. Scytharum leges versibus scripsit, & versus octingentos* περὶ εὐτελείας τῆς εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. *De vita humana fragilitate.* Suidas: ἔγραψε νόμιμα Σκυθῶν· Περὶ εὐτελείας τῆς εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον ἔπη πάντα ὀκτακόσια.

g Loca adduxit Cl. Jonsius, de Scriptorib. Histor. Philosoph. lib. I. c. XVIII. p. 97. s. Hesychius citat qvoqve Clearchi Tactica. Arrianus principiô Tacticor. p. m. 1. edit. Upsaliens. MDCLXIV. Κλέαρχος, οὐχ ὁ τῶν μυρίων ἑλλήνων ἐπὶ βασιλέα ἡγησάμενος, ἀλλὰ ἄλλος οὗτος Κλέαρχος. *Clearchus, non ille, qvi multa Græcorum millia duxit ad regem Persarum, verùm alius qvispiam Clearchus.*

h Æliani verba Τακτικῶν c. I. hæc sunt: Ἐξειργάσαντο δὲ τὴν θεωρίαν, Αἰνείας τε δὴ πλείονα, καὶ στρατηγικὰ βιβλία ἱκανῶς συνταξάμενος. ὧν ἐπιτομὴν ὁ Θετταλὸς Κινέας ἐποίησε. Πύῤῥος τε ὁ Ἠπειρώτης τακτικὰ συνέγραψε. *Scienti verò accuratius scripsit Æneas, qvi pluribus libris rem militarem copiosè exposuit: eorum epitomen Cineas Thessalus fecit. Sed & Pyrrhus Epirota de instruenda acie scripsit.*

† Meminit & hujus Arrian. in Tactic. c. I. princ. p. 1. edit. Upsal. cit. in 8r.

k Apud Ælianum ita legimus: ὁ δὲ στωικὸς Ποσειδώνιος καὶ τέχνην τακτικὴν ἔγραψεν. Arrianus, c. I. Artis Tacticæ p. m. 1. Ποσειδώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος καὶ τέχνην τινὰ τακτικὴν συγγράψας καταλείπει. i. e. *Posidonius verò Rhodius etiam Artem Tacticam conscripsit.* Si fuit Stoicus Posidonius Apameensis Syrus, qvi igitur Rhodius? Docet Lucianus in Μακροβίοις· Ποσειδώνιος ὁ Απα-

Athenæus refert cum Scipione vixiſſe, & Suidas Polybii hiſtoriam libris LII. continuâſſe, is meo qvidem judiciô, non errabit. [16] *Stratocles* & *Hermias* ambo de Tactica Homeri ætate uſurpata, libros ſcripſerant, laudatos ab Æliano. [17] Qvod idem poſteà *Frontinus* vir conſularis, feciſſe dicitur, non qvidem in libris ſtrategematum, qvi vulgò editi circumferuntur, abſqve ullius Imperatoris nomine qvod ipſis ab auctore præfixum fuerit, cùm tamen Vegetius, lib. II. c. III. dicat, Frontinum D. Trajano, ob ejuſmodi comprobatum induſtriam. [18] Et ſanè qvicumqve, ut inqvit Stewechius *l*, ipſius auctoris præfationem in Strategemata vigilans legerit, fateatur oportet, alios à Frontino libros ſcriptos fuiſſe, qvorum nunc, ut

ὁ Απαμεὺς τῆς Συρίας νόμῳ δὲ Ῥόδιος, φιλόσοφός τε ἅμα καὶ ἱστορίας συγγραφεύς: * Athenæus Deipnoſ. lib. VI. c. XIII. Ποσειδώνιος ὁ Απαμεὺς, ὕστερον δὲ Ῥόδιος χρηματίσας. Proclus, comment. III. ad lib. I. Euclidis. Ποσειδώνιος ὁ Απαμεὺς, Ῥόδιος νόμῳ. Strabo, lib. XIV. Ποσειδώνιος inqvit ἐπολιτεύσατο μὲν ἐν Ῥόδῳ καὶ ἐσοφίστευσεν· ἦν δὲ Απαμεὺς ἐκ τῆς Συρίας, καθάπερ καὶ Απολλώνιος ὁ Μαλακὸς καὶ Μόλων. ἦσαν γὰρ Αλαβανδεῖς. Confer Suidam Ποσειδ. Rhodius itaqve dicitur, qvod in Rhodo docuerit & in civium numerum adſcriptus fuerit licèt Syrus eſſet natione: Ut manifeſtè falſa ſit conjectura Ger. Joh. Voſſii, I. de Hiſtor. Græc. c. XXXIV. p. 156. Alexandrino Poſidonio hoc opus adſignantis. Tu vide & Jonſium, lib. I. de Scriptorib. Hiſtoriæ Philoſ. c. II. p. 15. c. X. p. 50. c. XV. p. 84. lib. II. c. XVI. p. 200.

* i. e. *Poſidonius Apamea in Syria natus: ſed lege Rhodius, Philoſophus pariter & Hiſtoricus.*

l In cit. Vegetii locum. Qvandoqvidem autem Stewechium, qvamvis alia in re, non ſolùm refutat Voſſius: ſed etiam de Frontino nos ampliùs docet, placet ejus verba è lib. III. de Hiſtoric. Latin. c. I. p. m. 737. ſ. hìc addere: *Sextus Jul. Frontinus, prætor urbanus fuit, Veſpaſianô II. ac Titô Coſſ. ut ait Tacitus, lib. IV. Hiſtor. quod fuit an. U. C. Iɔcccxxiii. Eò ejurante hanc dignitatem cepit Domitianus. Conſularem virum appellat Ælianus, lib. de inſtruenda acie; præfat. ad Hadr. Caſ. c. c. I. in conſulum tamen ſerie nulla ejus mentio, ut fuiſſe videatur ex conſulibus in demortui locum ſuffectis. In pretio erat temporibus Nervæ, ac Trajani. Unde Ælianus in proœmio libri de inſtruenda acie, quem Hadriano dicavit, ait, Frontinum idem argumentum tractâſſe, atqve eum ſuæ ætatis ſcriptorem vocat.* Frontinum, *inqvit*, noſtræ ætatis virum conſularem. *Sed apertius id eſt ex ipſo Frontino. Nam Nervæ ſe juſſu de aquæductibus agere, in præfatione libelli de iis, auctor eſt. Idem in prologo libri de agrorum qualitate, & controverſiis limitum, non alium, quàm Trajanum, deſignat, cùm loquitur* de maximo imperatore, qvi victoriam Dacicam proximè reſeráſſet. *Trajano autem dilectum fuiſſe, clarè arguit Vegetius, lib. II. c. III. his verbis:* Nam unius ætatis ſunt, qvæ fortiter fiunt: qvæ verò pro utilitate Reip. ſcribuntur, æterna ſunt. Idem fecerunt alii complures, ſed præcipuè Frontinus, divo Trajano ob ejuſmodi comprobatus induſtriam. *Ubi ſignat libros Frontini de ſcientia militari. Qvos edidit ante libros ſtrategematum: ut oſtendunt verba illa in prologo ejus operis:* Cùm ad adſtruendam rei militaris ſcientiam, unus ex numero ſtudioſorum ejus acceſſerim; eiqve deſtinationi (qvantum cura noſtra valuit) ſatisfeciſſe viſus ſim: deberi adhuc inſtitutæ arbitror operæ, ut ſolertia ducum facta, qvæ à Græcis

ut multorum aliorum, jacturâ multamur. [19] Seqvuntur in Æliano *Pausanias* de qvo nihil hìc habeo qvod dicam *m*, sive meâ culpâ qvi non eos auctores legi, à qvibus laudatur, sive ipsius iniqvâ sorte, qvi apud paucos admodùm nomen obtinuit. [20] Qvemadmodùm etiam contigit *Eupolemo* *, *Brioni*, seu *Bitoni*, (nisi potiùs ille *Biton* fuerit, cujus fragmenta qvædam habentur edita) & *Harpocrationi*, ac *Iphicrati*, qvi omnes referuntur ab Æliano inter τακτικούς. [21] Præterea desideratur adhuc, opus illud

Græcis unâ στρατηγηματικῶν appellatione comprehensa sunt, expeditis amplectar commentariis. *Primùm autem tres tantùm strategematum libros scribere decrêrat: uti fidem faciunt verba ista in eadem præfatione:* Qvô magis autem discreta ad rerum varietatem aptè collocarentur, in tres libros ea diduximus. In primo erunt exempla, qvæ competant prælio nondùm commisso. In secundo, qvæ ad prælium, & confectam pacationem, pertineant. Tertius inferendæ solvendæqve obsidionis habebit στρατηγήματα: qvibus deinceps generibus suas species attribui. *Hu posteà qvartum adjecit; ut arguunt verba ista, qvibus in librum qvartum præfatur:* Multâ lectione conqvisitis strategematibus, & non exiguô scrupulô digestis, ut promissum trium librorum implerem, si modò implevi; in hoc exhibebo ea, qvæ parum aptè descriptioni priorum ad speciem alligata subjici videbantur; & erunt exempla potiùs strategικῶν, qvàm strategemata. *Et hæc, & seqventia, satis indicant, librum istum compositum esse post tres libros strategematum: ut omnino frustra sit doctissimus Stewechius, cùm suspicatur, in Vegetii lib. II. c. III. ad eram, hunc, qvi qvartus vocatur, esse opus de re militari. Qvòd eum ante tres strategematum libros elaborâsse, meró meridie clarius est ex præfationis ea περιοχῇ, qvam aliqvanto antè adduximus. In catalogo Thomæ Jamesii exstare dicitur manuscriptus in Bibliotheca publica Academiæ Cantabrigiensis: sed ibi vocatur Florentinus pro Frontino, credo, non qvia ita sit in manuscripto, sed errore typographi. Idem auctor est, bis manuscriptum exstare Cantabrigiæ in bibliotheca domus S. Petri: & Oxoniæ semel in bibliotheca Collegii Lincolniensis. Antiqvissima ejus, qvam videre contigerit, editio est illa, qvæ castigata à Philippo Beroaldo, & Senatori Min. Roscio dicata, Bononiæ prodiit apud Platonem Benedictinum Annô c Iɔcccexcv.*

m Memorat eum præter Ælianum, Arrianus, c. I. Artis Tacticæ, p. m. 1. his verbis: Καὶ μὴν δὲ Παυσανίου ἐστὶ συγγράμματα ὑπὲρ τούτων. *Sed & Pausaniæ scriptum est de hac materia. Fuit*, ut opinatur. Cl. Schefferus in notis p. 81. iste Pausanias *Lacedæmonius*, *cujus Historia à Suida nominantur.* Addo Suidæ verba: Παυσανίας, Λάκων ἱστορικὸς, περὶ Ἑλλησπόντου, Λακωνικὰ, Χρονικὰ, περὶ Ἀμφικτυόνων, περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι ἑορτῶν. i. e. *Pausanias, Lacon historicus, de Hellesponto, Laconica, Chronica, de Amphyctionibus de Festis Laconicis edidit.*

* *Eupolemo*] Idem Arrianus, loc. cit. Συγγέγραπται ἄλλα ὑπὲρ τούτων καὶ Εὐπολέμῳ καὶ Ἰφικράτει, οὐ τῷ Ἀθηναίων στρατηγῷ ἀλλὰ ἄλλῳ τούτῳ. i. e. *Sed & de hac re scriptum aliqvid Eupolemo & Iphicrati non illo Atheniensium duci; verùm alii cuipiam. Hujus* Eupolemi *operis*, subjicit b. r. Schefferus in notis, p. m. 81. *nemo meminit alius, qvod sciam.* (at habet Ælianus) *Videtur tamen Historici illius esse, qvi à Josepho, Clemente, Eusebio, atqve aliis laudatur.*

lud magnum *Æneæ* Tactici *o*, tantoperè celebratum ab Æliano, & Polybio, de iis qvæ ad imperatoriam artem pertinent. [22] Qvandoqvidem commentarius *p* poliorceticus editus à Casaubono, minima pars est operum celeberrimi ipsius auctoris, qvi libros alios scripserat de toleranda obsidione, de bellorum apparatibus, de re castrensi, de rerum eventibus, & nonnullos similes, qvorum ne qvidem Tituli, in conversione illa temporum, qvæ cuncta vel absorbet, vel immutat, perennare potuerunt. [23] Sic *Ælianus* idem fatum expertus est, in iis, qvæ se dicturum promiserat, de pugna navali instituenda, cùm alioqvi in libro edito, de terrestri tantummodò disseruerit. [24] Et qvidni etiam *Julius Pollux*, qvem aliqvid tacticum scripsisse, satis indicant verba ex ejus Onomastici libro primo *: jam autem de hisce nominibus non exactè, nec propriè loqvor, nam hæc & tempore, & sermone indigent longiore, cùm vobis tacticum aut strategicum librum componam, cum & de Plesio & transverso oblongo & de inclinatione in frontem & caudam, & in scutum & in hastam, & de partibus, & ducibus, & motionibus, & operis singulatim cuncta explicabo.* [25] Nec si qvis hodie pluteos omnes bibliothecarum excutiat, propterea inveniet in illis Ἑρμόλυτιν τακτικόν, qvem citat Eustathius ad Iliadem v. [26] Ille siqvidem qvibus in oris versetur nobis ignotum est. [27] Ut nusqvàm etiam apparent *Macri* † militarium βιϐλία δύο: *Tarruteni* * Paterni βιϐλία τέσσαρα: *Menandri*

o Ἀρχίτα καὶ Αἰνείου Τακτικά, *qvæ ab Æliano citantur inter optima scripta reponas licet*, scribit Josephus Scaliger ad Casaubon. Ep. CXXXII. p. m. 333.

* *p* Adjecit hunc Typographus editioni Vesaliensi Vegetii sui CIↃ IↃC LXX. in 8t.

† *Macri*] Guil. Grotius in II. de Vitis JCtor. c. XII. p.m. 195. vocat eum *Æmilium Macrum*; addens: *hôc eum nomine fuisse Jurisconsultum nostrum constat, L. XIII. de Transact. l. LXVIII. ad Leg. Falc. sub Imperatore Alexandro floruisse manifestissimè probatur, cùm eum Imperatorem suum nominet. L. I. si pend. app. Scripsit sanè post Ulpianum & Paullum, nam utrumqve horum aliqvoties citat: D. l. LXVIII. ad leg. Falc. l. XIII. de re milit. meminit & Tarenteni Paterni, ut in ejus vita observatum est. Reliqvisse autem Macrum hos libros, & qvidem omnes binos, ex Indice discimus, militarium 2. Publicorum sive de Publicis judiciis 2. de officio Præsidis 2.* εἰκοστῶν (*sive ut Inscriptiones legum habent de vicesima hæreditatum*) *2. de appellationibus 2. ex qvibus singulis aliqvas nobis lacinias conservarunt pandectarum compilatores: addit Bertrandus ex Prisciano, lib. X. c. I. libros annalium.*

* *Tarruteni*] *Tarentenus* (lege *Tarrutenus*, in Indic. sub P. est *Paternus Tarentenus* p. 86. 87. pro 186. 187. & sub T. in eodem indice *Tarentinus Paternus*) inqvit Gvil. Grotius JCtus Delph. lib. II. de Vitis JCtor. c. XI. p. m. 186. edit. Lugd. M. DC. XC. in 4to, *Paternus scripsit de re militari libros qvatuor, ut ex Indice Pandectis præfixo patet, ex quorum primo & secundo duo omnino in Pandectas capita relata sunt, L. fin. ff. de jure im. c. VII. de re milit. de hujus scriptoris ætate Antonius Augustinus sibi liqvere negat, mihi hoc constat eum ante Alexandrum scriptis claruisse, cùm Macer (qui sub Alexandro vixit) eum laudet: L. XII. §. 1. de re mil. prioribus autem Jurisconsultis annume-*

Menandri † militarium βιβλία τέσσαρα : & *Paulli* * liber singularis, de pœnis militum, qvorum omnium mentio habetur in indice Jurisconsultorum Pan-

numerari non posse, cùm in allegatis locis multa recenseantur munera militaria, qua prioribus sæculis in usu fuisse non videntur: quare ei sub Commodo locum assignare non dubito, Præfectum etiam Prætorii fuisse, & primò qvidem specie honoris ab ea administratione submotum, mox etiam prætextu conjurationis à Commodo cæsum, contendo ex his Lampridii locis, in vita Com. c. IV. crudelis vita Commodi Qvadratum & Lucillam compulit ad ejus interfectionem consilia inire non sine Præfecti Prætorio Tarenteni Paterni consilio, *& postea*, Paternum autem paratæ necis Commodi conscium & interventorem ne conjuratio latiùs puniretur, per laticlavi honorem à Præfecturæ administratione submovit, post paucos dies insimulavit eum conjurationis, qvare eum interfecit. *(Meminit hujus nostri & Vegetius dum se in suo opere dicere ait)* qvæ Cato ille censorius de disciplina militari scripsit, qvæ Cornelius Celsus, qvæ Frontenus (*Frontinus*) perstringenda duxerunt; qvæ Paternus dilgentissimus Juris militaris assertor in libros redegit: qvæ Augusti, & Trajani Adrianiqve constitutionibus cauta sunt. Veg. lib. I. c VIII. *Unde erroneè infert Bertrandus Paternum tantùm ea scripsisse, qua Augustus, Trajanus, Adrianus constituerant; cùm id autor nolit, qvi earum constitutionum, ut operis separati, mentionem facere voluit.* Hæc Grotius. Janus Gruterus in citat. Lampridii locum, p. m. 482. a. Tom. I. Hist. Augustæ Scriptor. edit. Lugdun. Batav. M. DC. LXXI. *Tarruteni Paterni* [*Malui*, inqvit, *istud cum Palatino nostro, qvàm, qvomodo aliis auctoribus præfectus bis nominatur*, Tarruntio; *qvòd ita qvoqve disertè vocaretur in Indice præfixo Pandectis, nec non editione principe, videantur & inscriptiones nostra in seq.* Et ibid. Casaubonus, *Tarrutini Paterni, scribo, Tarruntii Paterni, ut rectè legitur in lege XII. Digestis, De re militari. Sic apud Dionem in Legationum excerptis è Marci vita:* Ταῤῥύντιον Πάτερνον, τὸ τὰς ἐπιςολὰς αὐτῦ τὰς Λατίνας διὰ χειρὸς ἔχοντα. *In veteri tamen indice, qvi Pandectis præfixus,* Ταῤῥουτηνὸς Πάτερνος *scriptum: & ita princeps editio hoc loco*, Tarrunteni P.

† *Menandri*] Hoc de ita Gvil. Grot. in Vitis JCtor. p. 174. Arrius Menander *fuit temporibus Antonini Caracalla Consiliarius Principis; ideoqve à Tutela excusari meruit etiam suscepta, ut ex his verbis discimus, L. II. §. 2. de min. 25. ann.* susceptam tutelam non solent deponere, qvàm qvi trans mare Reip. caussâ absunt, vel hi qvi circa Principem sunt occupati, ut in Consiliarii Menandri Arrii persona est indultum. *Neqve enim accedo Bertrando qui eum Consiliarium Alexandri facit, cùm qvòd Ulpianus libros ad Edictum ex qvibus iste locus desumtus est, sub Imperio Antonini scripsisse colligatur aliunde, L. I. si is qvi test. lib. tum qvod Macer, qvi sub Alexandro scripsit, Menandri hujus semel iterumqve meminerit, ejusqve auctoritatem ut auctoris probati adducat. L. XIII. de re milit. l. I. de vet. Itaqve cùm Menander Imperatoris sui mentionem facit de Antonino Caracalla loqvi intelligendus est, L. IV. §. 9. l. V. §. 4. de re milit. Scripsit autem de re militari libros qvatuor. Certè alium hunc esse ab eo qvem Pomponius L. V. de Capt. & Cicero in Balbiana nominant, rectè notat Bertrandus.*

* *Paulli*] *Julius Paullus*, inqvit Grotius, lib. II. de Vitis JCtorum, c. X. p. 180. *f. Patavinus origine fuisse videtur, ut probat statua Patavii supra officium Magistratus posita, nisi fortè eam Julio Paullo* Poëta

Pandectis Pisanis præfixo. [28] Qvin etiam periêrunt libri *Philonis* mechanici de portubus faciendis, de armamentario qvod fecerat in pyreo portu, de

Poëta & viro doctissimo, cujus meminit Agellius, lib. V. c. IV. & lib. XIX. c. VII. coævus ejus, collocatam fuisse suspicari malumus. Fuit sanè hic noster studiis Græcis addictus, ut varia ostendunt loca: L. VII. §. 1. de edendo l. IX. de supell. leg. inde tamen non seqvitur (ut Bertrandus ait) Græcum hominem fuisse, nam & alios Jurisconsultos anteriores & procul dubio Romanos Græcis aliqvando verbis, & Græcorum auctoritate usos supra annotavimus. Neqve ad rem facit qvod Paullus alibi ita scribit, Nomen penus mihi traditum est omnibus generibus sumi, *L. IV. de pen. leg. potuit enim illud ab aliqvo Grammatico didicisse, solebant enim Grammatici obsoletas ex antiquis auctoribus voces rustpantes ea observare, qvæ ab ipsis Romanis sine ullo dispendio poterant ignorari: exemplo sit ille apud Agellium, lib. IV. c. I. qui in vestibulo ædium Palatinarum hanc ipsam de voce penus observationem populo inculcabat. Qvod verò Bertrandus addit Paullum servitutes corpora appellâsse, sed loco non bene judicatô, id καταχρηστικῶς accipi potest, inscitia verò imputari neqvit, nam ipse Paullus alibi sententiam suam manifestissimè declarat, dicens:* Servitutes etiamsi corporibus accedunt, incorporales tamen sunt. *L. XIV. de servit. Cæterùm huic nostro Paullo cum Ulpiano in multis convenit uterqve Jurisconsultus eximius, uterqve assessor Papiniani (errat enim Rivallius, qui Paullum Javoleno operam dedisse scribit) uterqve ab Heliogabalo exactus, ab Alexandro in consilium allectus fuit: de hac re ita Victor,* Paullo inter exordia patriæ reddito, juris auctoribus, qvantus erga optimos atqve æqvi studio esset, edocuit; *in vita Alex. c. XXIV. 6. Videtur certè Paullus Imperatori in memoria fuisse, ut ex Lampridii in Pescennino* (leg. Pscennio) *Nigro loco suprà probavimus: illud constat gessisse eum præfecturam, ut evincunt loca supra hoc capite allegata. Fuit & Paullus cum Ulpiano Imperatori Alexandro auctor, ne servos à liberis humiliores ab alterius sortis hominibus vestitus genere distingveret. Præturam primum nactum, deinde & consulatum gessisse constanter scribit Rivallius, sed ego cùm nulla in eam rem reperiam argumenta, nec in Fastis nec alibi, errare ipsum non dubito. Vocat hunc nostrum Lampridius in vita Alex. Sev. c. ult.* Jurisperitissimum, *Gordianus L. VI. C. de nupt. & Diocletianus, L. XI. C. ad leg. Cor. de Fal.* Prudentissimum, *Modestinus verò illi inter coryphæos Jurisconsultorum locum dat., L. XIII. de Excus. Scripsit tam multa in jure Paullus, ut nemo Jurisconsultorum plures confecerit libros, eorum qvidam sub Antonino Caracalla publicati videntur, qvidam L. XV. qvi aqv: man. post mortem Antonini, nam eum qvandoqve Divum appellat: L. IV. §. 1. de inc. ruin. n. horum rursus alii sub Heliogabalo in lucem emissi sunt, alii sub Alexandro, prius colligi videtur ex qvodam loco, L. VIII. §. 6. de Censib. ubi Paullus postqvàm meminit Divorum Severi & Antonini, & hujus qvidem iterum, subdit hæc verba;* Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum Coloniam & juris Italici fecit: *qvod Heliogabalo (cujus avia Mæsa sive Varia ex Emisena urbe originem traxit) omnino tribuendum videtur. Posterius de scriptis sub Alexandro editis, ipse testatur dum in libris responsorum Alexandrum Imperatorem nominat. L. XXV. de appell. l. LXXXVII. §. 3.4. de legat. Notavit autem Paullus ad Javolenum, L. LX. de acq. vel am. her. ad Labeonem, L. V. de Instr. & Instr. ad Julianum, L. LXXV. de judiciis, ad Scævolam, L. XXVI.*

qvi

de litteris clam mittendis, & multi alii, qvi magnam affinitatem videntur habuisse, cum Æneæ jam enumeratis. 29 Et ubinam sunt *Heliodorus* Pere-

qvi & à q. man. qvem & aliqvoties suum vocat, L. XXVII. §. 2. de pact. l. XXXVIII. de vulg. & pup. & denique ad Papinianum, L. I. de off. ej. cui mand. jur. Citatur ipse à Macro L. I. de vet. mil. & Modestino, L. XIII. de Excusat. neqve aliis, ipse omnium fere, qui ante se scriptis claruerunt, mentionem facit. Reliqva ejus scripta hæc in Indice enumerantur, ad edictum libri octuaginta: quæstionum libri viginti: responsorum viginti tres: brevium, sive brevis Edicti totidem: ad Plantium libri octodecim, ad Sabinum libri sexdecim (vel potius triginta duo, L. XXXI. de usucap. aut etiam qvadraginta septem, L. X. de obl. & act.) ad leges, nempe Juliam & Papiam libri decem: (melius dicemus duodecim, ut qvædam habet inscriptio L. II. de Concub.) regularum libri septem: regularum item liber unus: Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum libri sex, ita enim accipienda sunt Indicii verba, ut ex alio loco patet: L. XIII. de Cond. & Dem. sententiarum libri qvinqve, ad Vitellium libri qvatuor: ad Neratium totidem: Fideicommissorum libri tres; Decretorum totidem, itemqve de adulteriis & Manualium terni: Institutionum, & de officio Proconsulis bini: ad legem Æliam Sentiam tres: de Censibus duo: ubi obiter notandum, titulum, qvi regularum librum unum præfert, & ante libros de Censibus in Indice reperitur, omnino hic loco exturbandum esse, cùm jam anteà libri singularis ita inscripti facta sit mentio. His tot voluminibus extra Catalogum adjungendi sunt, ad Edictum Curulium Ædilium libri duo: L. LV. de Contr. Empt. Libros qvoqve singulares penè infinitos composuit, horum nomina recenset Catalogus Pandectis præfixus. De pœnis Paganorum: de pœnis militum: de pœnis omnium legum; de usuris: de gradibus & affinibus: de jure Codicillorum: de Excusationibus tutelarum: ad Regulam Catonianam: ad Sctum Orfitianum: ad Sctum Tertullianum: ad Sctum Silanianum: ad Sctum Vellejanum: ad Sctum Libonianum seu Claudianum: (unus enim idemqve liber est, licèt diversis titulis allegetur) de officio Præfecti Vigilum: de officio Præfecti urbi: de officio Prætoris tutelaris: de Extraordinariis criminibus: de hypothecaria: ad Municipalem: de Publicis judiciis. de inofficioso Testamento: de septemviralibus aut potius, ut rectè Bertrandus legit, centumviralibus judiciis, egit enim illis libris de inofficioso Testamento. L. 7. 28. 30. de Inoff. Testam. cujus generis causæ ad centumviros spectabant: L. XIII. ibid. de jure singulari; de secundis Tabulis: de Oratione Divi Severi: ad Orationem Divi Marci: (sive ut inscriptiones habent ad orationem Divi Antonini & Commodi, nisi hunc librum à priore diversum facimus) ad legem Vellejam: ad legem Cinciam: ad legem Falcidiam: de tacito Fideicommisso: de portionibus qvæ liberis damnatorum conceduntur: de juris & facti ignorantia: de adulteriis: de instructo vel instrumento: de appellationibus: de jure libellorum: de jure Patronatus: de jure Patronatus qvod ex lege Julia & Papia venit; de actionibus: de concurrentibus actionibus; de intercessionibus feminarum: de donationibus inter virum & uxorem: de legibus: de legitimis hæreditatibus: de libertatibus dandis: de Senatusconsultis. Notandum porro est multorum librorum nomina in Catalogo nobis esse conservata, è quibus reliquia nulla in Pandectis supersunt, rursus aliorum librorum nomina omissa sunt, quos ex inscriptionibus legum Paulli esse palam fit, Exempli gratiâ liber singularis ad legem Fusiam Caniniam: L. XXXVII. de Cond. & dem.

Periegetes, laudatus Harpocrationi in voce νίκη, *a* ac *Polemon* Straboni qvoqve, & Athenæo commendatus, qvi de Cecropia, seu Athenarum arce singulares libros ediderant? 30 Ubi *Theognidis* elegia, scripta in eorum gratiam, qvi ex obsidione Syracusana evaserant? 31 Ubi *Antimachus*, *Menelaus Ægius*, & tot scriptores qvi bellum Thebanum; tot ab Athenæo, Æliano, & Suida relati, qvi Trojanum; tot laudati à Jacobo *b* Mazzonio in apologia pro Dante, & Francisco Patricio in Decadibus poëticis, qvi qvorumdam Regum, aut Heroum facinora bellica decan-

dem. item de cognitionibus: L. IX. de Cens. Tut. de efficio adsessorum: L. Fin. de off. Præs. ad Sctum Turpilianum: L. fin. de ritu Nupt. de conceptione formularum: L. XX. de Except. de assignatione libertorum: L. LIX. de rit. Nupt. de liberali caussa: L. XXXIII. de lib. caus. (sive de articulis liberalis caussæ, eumdem enim esse opinor lib. XLI. d. Tit.) de dotis repetitione. L. LXVIII. de Reg. jur. In qvibus omnibus libris multa ita scribit Paullus, ut sæpe ab aliis Jurisconsultis dissentiat: multas item perplexas quæstiones tractat, quas ipse quoque satis obscurè solvit.

a Νίκη] Verbis his, p. m. 125. edit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC XCVI. in 4to; ὅτι δὲ ἐτιμῶντο παρ' Ἀθηναίοις, δεδήλωκεν Ἡλιόδωρος ὁ Περιηγητὴς ἐν τῇ πρώτῃ περὶ Ἀκροπόλεως. Item in voce Θετταλὸς· p. m. 86. Λυσίας κατὰ Νικίου εἰς τὸν Κίμωνος παίδων Θετταλὸς ἐκαλεῖτο, ὥς φησιν Ἡλιόδωρος ἐν τῷ περὶ Ἀκροπόλεως. Item in voce Προπύλαια, p. 154. Ἡλιόδωρος δ' ἐν πρώτῳ περὶ τῆς Ἀθήνησιν Ἀκροπόλεως, μεθ' ἕτερα καὶ ταῦτά φησιν· Citatur & Heliodorus ὁ περιηγητὴς ἐν πρώτῳ περὶ Ἀκροπόλεως, i. e. *qui orbem descripsit in libro primo de arce Athenarum*, ab Athenæo, lib. IX. Qvindecim libris id opus constitisse, idem in VI. auctor est. Nec Vossio in III. de Historic. Græc. p. m. 372. dubium, qvin idem sit, qvi innotuit opere de Anathematis Atheniensium: ut cognoscimus ex Elencho auctorum apud Plinium, lib. XXXIII. & seqq. duobus. Imò fortasse idem priori opus erat, integraqve inscriptio fuerit: Περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει· i. e. *de donariis, quæ in arce Atheniensi*; qvomodo opus suum inscripserat Polemo teste Strabone, lib. IX. Τέτταρα βιβλία περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ Ἀκροπόλει i. e. *libros quatuor de donariis in Athenarum arce.* Reliqvit idem Polemo seqventes hos libros, qvorum meminit Athenus, περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι ἀναθημάτων, i. e. *de donariis, quæ erant Lacedæmone*; περὶ τῆς ποικίλης ἐν Σικυῶνι στοᾶς: i. e. *de Pœcila Porticu Sicyonis*; περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι Πινάκων· i. e. *de Tabulis quæ Sicyone habentur.* Et alia multa; ea inter Orbis descriptionem, sive Geographiam, teste Suidâ. Hinc Straboni loc. cit. περιηγητὴς, i. e. *qui Orbem descripsit*, vocatur; Uti & Athenæo, lib. IX. Πολέμων περιηγητὴς ἐν τῷ περὶ Σαμοθρᾴκης· i. e. *Polemon, qui Orbem descripsit, librô de Samothracia.* Qvi idem Athenæus in XI. laudat librum, Polemonis: περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως, i. e. *de arce Athenarum.*

b Mazzonio] Janus Nicius Erythræus, Pinacothec. I. n. XXXVIII. p. m. 68. hoc de Mazonio, nosita docet: *Dantis poëtæ patrocinium, adversus Castravillam, à quo oppugnabatur, duobus editis voluminibus, doctè eruditéqve suscepit: in quibus cùm, occasione oblatâ, Francisci Patritii viri doctissimi dictum quoddam ad reprehendum arripuisset, non tulit ille, sed, editô in Mazonium librô, ab ejusdem reprehensionibus sententiam suam vindicare conatus est, quâ re sic Mazonius exarsit, ut*

decantârunt ? cùm nulla sit ratio, cur ipse Patricius *Homerum* potiùs qvàm *Marsum*, aut *Charum*, qvorum hic, Ovidiô teste de ponto eleg. ult. v. 7. Herculis, alter verò Amazonum, ut inqvit Martialis, res gestas carmine expressit, aliosqve ejusmodi Poëtas inter rei militaris scriptores recenseat. [32] Sed ubi *trecenti Historici* pugnæ unius Maratoniæ ? [33] Ubi *Simon Atheniensis* qvem Suidas extollit, ob mirabilem librum, qvem ediderat de internoscendis eqvis, & de qvo intelligendum existimo Clement. Alexandrinum, cùm inqvit, *si qvis Simoni studuerit, fiet eqves ?* [34] Ubi *Sarmenes* qvi primus teste Pliniô, lib. XXXIV. c. VIII. de eqvitatu scripsit ? [35] Ac deniqve ubi architecti illi, qvi, qvemadmodùm posteà Vitruvius fecit, multa etiam variæ machinationis bellicæ præcepta tradiderant, *Agatarchum* dico, *Demetrium*, *Anaxagoram*, *Ctesiphontem*, *Metagenem*, *Ictinum*, *Carpionem*, *Hermogenem*, *Argelium* & *Satyrum ?* Horum certè omnium jactura, levior forsan videri posset, ni & Latini fermè omnes eâdem qvoqve tempestate abrepti fuissent. [36] Nam præter tot volumina *de jure Feciali*, qvorum vix ad nos fama pervenit; præter L. Cincii libros sex de re militari, qvos citat Agellius. lib. XVI. c. IV. *c* & *Cornelii Celsi* de eadem re opus, cujus mentio facta reperitur à Vegetio, & Raphaële Volaterrano in Anthropologia; ceciderunt qvoqve Varronis, Plinii, Alimenti, Frontonis, si tamen alius à Frontino, lucubrationes Tacticæ, [37] Cecidit & *Tullius*: nam qvi hodie sub ejus nomine libellus *d* circumfertur, eum Angelus Decembrius, part. X. polit. litter. lib. II. p. m. 56.

ut novô volumine loca centum demonstraverit, in qva ille delapsus, in insigni aliqvo ad reprehendendum vitio reperiretur. Sed dum Patritius aliô librô, se nunqvàm esse prolapsum, sed rectò semper gradu stetisse, ostendit, alterius contra ipsum voluminis edendi Mazonio caussam objecit; ac nisi Patritius scribendi finem fecisset, nullus inter ipsos, neqve accusandi, neqve respondendi modus exstitisset. Postremò post multas orationes à se editas, annô ante qvàm excessit è vita, egregium volumen emisit, in qvo doctissimè eruditissiméqve, concludit, Platonis & Aristotelis inventa ab uno eodemqve sapientiæ jugo, veluti plura ex uno capite flumina, derivari, atqve defluere, ac propterea mire inter se convenire, congruereqve. Præcedentia Nicii de Mazonio verba legere potes in part. V. Animadversion. nostrar. c. II. §. II.

c Imò ex iis est, è qvibus Vegetius agnoscit, suos se de re militari Commentarios conflâsse, si Barthium audimus, lib. XXVIII. Adversarior. c. XI. col. m. 1329. f. *Nisi Gellius*, inqvit in adductum Gellii locum Jacob. Oiselius JCtus, p. m. 864. a. *unum alterumve Fragmentum nobis servâsset, idem planè fatum Cincius habuisset, cum qvamplurimis aliis scriptoribus Strategicis & Tacticis antiqvis, qvà Græcis, qvà Latinis, qvorum præter nudum nomen hinc inde apud qvosdam laudatum nihil nobis hodie temporis & fortunæ injuriâ relictum est.* Vide plura de hoc apud Ger. Jo. Vossium, in I. de Historic. Latin. c. IV. totô, p. m. 16. f. & lib. IV. de Historic. Græc. c. XIII. extr. p. m. 472. Gvil. Grotium, lib. I. Vitarum JCtor. c. II. extr. p. m. 16. & in part. III. Animadversion. nostrar. c. IV. §. VII. p. 169. f.

d Libellus] Adjecit eum Typographus editioni suæ Vesaliensi Vegetii p. 495. f. M. DC. LXX. in 8t.

m. 56. edit. Basil. M. D LXII. in 8t. pertinaciter contendit, indignum esse tanti hominis gravitate, & eloqventiâ, plenumqve ineptiis & præsentis ævi vulgaritati, qvàm veterum dignitati convenire; [58] Nobisqve carendum est Augusti, Trajani, Hadrianiqve constitutionibus; [39] Nam *Catonis Censorii* libros de re militari, de Tribunis militum, de præda militibus dividenda, qvorum testimoniis freqventer utuntur Servius, Nonius, Agellius, Sextus Pompejus, & alii. qvos pluribus commemorare qvid attinet, qvando nec videre eos aut reperire liceat.

VIII. *Notitia illorum, qvi latent in bibliothecis tàm Græci, qvàm Latini, itemqve Arabes & vulgares. Allatii, Salmasii, Holstenii, Rhodii laus.*

[1] Ab hoc verò luctuoso, & multum infelici naufragio, non horum modò librorum qvi suprà enumerati sunt, sed multorum qvoqve, qvorum neqvidem nomina ad nos pervenerunt; supersunt hodie, & qvà integri, & qvà magnâ parte mutili, divulsiqve in partes, cum blattis ac tineis luctantur; [2] *Damiaci* commentaria obsidionalia, qvæ ex Creta Venetias advecta, Magius se vidisse testatur in miscellaneis. [3] *Dionysii* Longini, aut Longiani, Tactica multi laudant, & extare ferunt, sed ubinam locorum, neminem hactenus vidi, qvi diceret. [4] *Nicephori* Imperatoris de eventibus bellicis & excursione opera, servantur in eminentissimi principis, Francisci Barberini instructissima, & in inclyta serenissimi utriusqve Bavariæ Ducis bibliotheca, Viennæ Austriæ, inqve Farnesiana; Vaticana, & Palatina: nec dubium est etiam, qvin Parisiis in Regia, & Mediolani in Ambrosiana, cui multum commodi atqve decoris ex Pinelliana *e* accessit; qvanqvàm non æqvè in illis omnibus codices integri reperiantur, cùm Barberinus octo capita tantùm contineat, Bavaricus qvattuordecim, cum lacunis non paucis, & aliqvi etiam viginti polliceantur. [5] *Apollodori* poliorceticon optimus, ut existimo, omnium codex habetur in bibliotheca regia, unde passim laudatur à doctissimis Rigaltio & Casaubono *f.* Vaticana etiam nonnullos suppeditat cum figuris, nec Pinelliana eô qvondam auctore caruit, qvi forsan nunc Mediolani certiùs invenietur. [6] Exstat etiam in Christianissimi Regis bibliotheca liber eximius *Philonis Bizantini* cognomentô Mechanici, in qvo ex relatione Casauboni, *g* de fabrica turrium, murorum, & aliarum munitionum primò agitur; deinde tole-

e Pinelliana] Ambrosiana hæc Cardinalis Borromæi curâ multùm, præsertim è naufragi Joannis Vincentii Pinelli reliqviis fuit aucta. Vide de Pinello Paullum Gvaldum, Patricium Vicentinum in ejus vita, & Ludovic. Camerarium Consiliarium Regium Svecicum & Exlegatum in Epistol. Dedicator. Huberti Langveti Burgundi Epistolis præposita.

f Princip. not. in Æneæ Commentarium Poliorcetic. p. m. 1718. edit. Amstelodam. 1670. in 8t.

g locô jam cit.

tolerandæ obſidionis dantur præcepta ; poſtremò tentandæ oppugnationis rationes docentur , qvæ omnia continentur pariter in diverſis codicibus Vaticanæ , cujus indicem polemicum ingratus omnino ſim , ni me debere fatear , viro præcellentis , & accuratæ eruditionis famâ , ſupra meum, aut cujuſqvam alterius præconium , notiſſimo Lucæ Holſtenio. [7] Ceterùm qvi de hoc Philone , cujus Hero Alexandrinus meminit , & qvem annum circa ab Urbe condita ſexcentiſſimum primum vixiſſe ferunt , plura ſcire volet , nec trita qvidem ea , aut è vulgo-ſcriptorum lecta ; huic adeundus erit , & conſulendus vir inſignis litteraturæ Leo Allatius , in diatriba *de Philonibus* , qvam velut appendicem primo volumini miſcellaneorum ſuorum , Pariſios edendam tranſmiſit. [8] *Athenæi* non illius qvidem qvi Deipnoſophiſton ſermones , alterò à ſalute humano generi reſtituta ſeculò , collegit , ſed Mathematici cujuſdam antiqvioris, fragmenta duo, Græcò ſermone expreſſa , habentur apud Vitruvium ſub finem operis de architectura : [9] Præter qvæ circumferuntur etiam mechanica haud mediocri volumine , qvod inter iſtius generis calamô exaratos codices , ſi mea non me fallit obſervatio , freqventiſſimum eſt , certè vidi illum Pariſiis etiam in privatorum muſeo , vidi Urbini in prægrandi codice cum variis auctoribus Tacticis , qvorum mihi tunc temporis nomina ſigillatim inqvirere , non vacabat. [10] Sed Imperialis, Farneſiana, Pinelliana, Vaticana ; & unò verbò bibliothecæ fermè omnes , qvarum nomen inter litteratos non obſcurum eſt , hunc auctorem habent ; ut ſi qvis propterea ejus edendi curam recipere in ſe vellet, non niſi feliciter laborem hunc ſibi ceſſurum arbitrari poſſit. [11] Immò *Epimachi* helepolis ſive *capiurbs* , qvæ ex Athenæi magno opere videtur excerpta fuiſſe, in iiſdem bibliothecis & Vaticana præſertim reperitur, Græca, nec non Latina qvoqve, qvamqvàm poſterior hæc non Epimacho alterive auctori tribuitur. [12] *Pappi*, *Bitonis*, *Cteſibii*, *Diadis* veteres qvædam Schedæ περὶ πολεμικῶν ὀργάνων , magno olim uſui fuerunt eruditiſſimo Turnebo , ad medicinam faciendam deploratis Vitruvii locis , ex libro ultimo , qvi totus eſt de machinis bellicis, ut ipſe librô ſecundô adverſariorum c. IV. & V. teſtatus eſt. [13] Sed Rigaltius poſteà integras qvorumdam inſtrumentorum deſcriptiones ex melioribus eorumdem auctorum fragmentis , ad Onoſandri ſui illuſtrationem protulit ; utinamqve cetera eôdem modô , qvæ ad Onoſandrum minimè pertinent , attuliſſet ; [14] Ac *Bitonis* , præſertim opus ad Attalum de Conſtructione bellicorum inſtrumentorum , & catapelticorum , non magnô labore integrum edi poſſet , ex codicibus Vaticanis , tum Regiis , & qvi ex Pinelliana , Farneſiana aliiſqve bibliothecis haberi non ita difficulter poſſunt. [15] *Heronum* autem ut diverſa opera , ſic non una qvoqve nomenclatura fuit : nam alium invenio Alexandrinum fuiſſe , & Cteſibii diſcipulum , qvi eôdem fermè tempore cum Philone Bizantino vixit ; [16] At eô ipsô Junior alter fuit cognomentô , *Mechanicus* , cujus meminit Heliodorus in opticis , videturqve mihi eô tempore floruiſſe , qvô primùm Aga-

reni, qvi & Saraceni dicuntur, Imperio Romano moleſti eſſe cœperunt: unde, ut eorum conatibus faciliùs obſiſti poſſet, Hero noſter, qvandoqvidem & ille Chriſtianus erat, librum ſuum de machinis bellicis edidit. [17] Sed præter hos, tertium invenio, commendatum à Marino Neapolitano in vita Procli, qvi Mathematicus etiam fuit, qvamqvàm ut ætate à duobus illis, ſic religione, ab hoc ultimo potiſſimùm diverſus; ſinguli verò cùm pluſcula opera mechanica ediderint, qvæ nondum planè apud doctos conſtat, cuinam illorum tribuenda ſint; non mihi tantum aſſumam, ut de ea lite pronunciare velim, ſed Allatii mei diatribam opperiar, aut in Salmaſii [b] decretis, qvi propediem illuſtratos antiqvæ militiæ ſcriptores Græcos editurus eſt, tanqvàm à qvibus provocare non licet, acqvieſcam, [18] multoqve minus in MSS. codices, qvi ſub eorum nomine de variis rebus mathematicis & bellicis circumferuntur inqviram; cùm nulla ſit bibliotheca paullò inſtructior, qvæ non multa opera, ſub ejuſmodi Heronum nomine in pluteis aſſervet, ut indices librorum percurrenti, nihil freqventiùs occurrat. [19] *Julii Africani* opus magnum de ceſtis nullibi gentium comparet, ſed qvi ejus partem faciebant, libri, qvintus & ſextus de bellico apparatu, cùm Romæ in Vaticana, Palatina, Barberina, Farneſiana, tùm Monacis, Pariſiis, atqve alibi ſervantur, bono ut litteratorum omnium, ſic ejus auctoris fato. [20] Cui niſi ab obſervationibus qvibuſdam ſuperſtitioſis, non aliam poſſis notam inurere, magnus qvippe vir fuit, & in variis doctrinis, ac temporum præſertim ratione apprimè verſatus, qvemadmodum ex ejus [i] chronico patet, abſqve qvo fuiſſet, nec Euſebii forſan, nec Hieronymi, aut alterius Scriptoris Chriſtiani qvidqvam, qvod laudabile in eo ſcribendi genere eſſet, haberetur. [21] Sed præter opus illud de bellico apparatu, qvod Caſaubonus videtur qvodammodò innuere, tranſſcriptum fuiſſe ex libris *Æneæ* Tactici ſcriptoris antiqviſſimi ſanè, & probatiſſimi; qvodqve in Bavarica non duobus libris, ſed capitibus LXXIX. diſtingvitur: doctiſſimus Rigaltius aliud qvoddam volumen, cui titulis eſt *παρεκβολαὶ ἐκ τῶν στρατηγικῶν παρατάξεων*, ſive, *monita de iis qvæ facienda ſunt in ordinatione exercituum*, eidem etiam Julio Africano attribuit. [22] Qvod ſi ita eſt, gaudeo repertum tandem fuiſſe. nomen iſtius Anonymi Scriptoris, qvi ſub eodem, aut parùm diverſo titulo, & in Barbe-

b Hoc de Salmaſii ſcripto nihil mibi compertum eſt, nec docet qvid Catalogus librorum à Salmaſio vel editorum vel adfectorum præmiſſus ejus Epiſtolis.

i Chronico] At Scaliger in Euſeb. p. 241. edit. I. ab Africano hoc putat diverſum eſſe Africanum τῶν Κεστῶν ſcriptorem, cujus meminit Euſebius, lib. I. Chronicorum, his verbis: *Ἀφρικανὸς τὴν ἐννεάβιβλον τῶν Κεστῶν ἐπιγεγραμμένην πραγματείαν, ἰατρικῶν, καὶ φυσικῶν, καὶ γεωργικῶν, καὶ χυμικῶν περιέχουσαν δυνάμεις, Ἀλεξάνδρῳ τούτῳ προσφωνεῖ. Africanus libros novem, qvos Ceſtorum inſcripſit, ac qvibus complectitur res medicas, phyſicas, ruſticas, chymicas, Alexandro huic dicat, & nuncupat.* Sanè eumdem planè eſſe, Photius dicit in bibliotheca ſua. Cui

berina, & in qvibusdam aliis Italorum bibliothecis latet inglorius. [23] *Leonis* † Imperatoris Constitutiones qvædam, & fragmenta etiam ex naumachicis

Cui hâc parte fidem potiùs habere convenit. Præsertim qvando & idem apertè ait Eusebius, lib. VI. Histor. Eccles. c. XXIII. ubi & alia Africani scripta recenset; eaqve inter de genealogia Christi epistolam; qvam & alibi citat; uti & Augustinus facit, lib. II. Retractat. c. VII. & alii. Cl. Dn. Joh. Albertus Faber in Plagiariorum Centuria, n. III. *Qvemadmodùm*, inqvit, *Julii Africani Sexti Chronicon transcripsit Eusebius, ut Scaliger qvoqve putat, nihil luculentum vetustum aut excellens hodieqve in Eusebio superesse, qvod ex illo depromtum non sit, ita vicissim hic Africanus (alium enim gentilem esse, qvi cestos scripserit, nolunt credere docti, Naudæus, Vossius, Lambecius, Joh. Rudolphus Wetstenius, Guilelmus Cave & alii secuti Eusebium, Photium & Svidam, contra qvamvis nitentibus Scaligerò ad Eusebii Chron. & Henr. Vallesiò ad ejusd. Historiam) in libro de bellorum apparatibus, qvi cestorum ejus nusqvàm hodie integrè superstitum libri V. & VI. locum occupavit, plagii arguitur à Casaubono ad Ænea Poliorceticum, p. XXXI.* Æneæ, *inqvit*, tantum vetustas tribuit, ut pleraqve illius in sua scripta ad verbum transferrent qvi post ipsum de re militari aliqvid componebant. Exemplò ejus Julius Africanus doctus cumprimis & antiqvus scriptor, qvem ex hoc ipso commentario multa capita ἔτος πρὸς ἔτος descripsisse, iisqve usum pro suis in libro de bellorum apparatibus suis locis infra probabimus. *Vide sis notas ad c. XXII. XXXIII. & XXXIV. A Polyano qvoqve Æneam tacitò ejus nomine expressum notat Casaubonus, p. CV. Sed & ipse Æneas ibidem, p. LXXXIX. notante, capite XXXI. poliorcetici pene ad verbum describit verba Herodoti, qvæ VIII. Musarum habet de Timoxeno, qvi Epistolis ad crenas sagittarum religatis clandestina consilia cum Artabazo Potidæam obsidente communicabat.*

† *Leonis*] Annò ıↄcccLXXXVI. excessit Basilius Macedo, imperiiqve hereditatem eâ, qvâ Pater mortuus est, die filius adiit Leo VI. conseqvutus præ ceteris insigne cognomen illud, ut meruerit Sapiens nominari sive Philosophus; nimirum qvia Philosophiæ totius, ac juris esset peritissimus. Hujus sunt illæ Novellæ, qvæ recentioribus in Juris Justinianei Corporis editionibus subfiguntur, Latinè redditæ ab Agyllæo, & Juris Epitomæ: item Opus βασιλικῶν, sive Regiarum Constitutionum, qvod ἑξηκοντάβιβλον, seu opus LX. librorum nominatur; adhæc Τακτικὰ, i. e. de acie instituenda: & liber de Aucupio in Bibliotheca Antonii Augustini, num. CCXXVIII. Item Oracula, & vaticinia varia de Roma, & Constantinopoli, in Bibliotheca Constantinop. Ger. Jo. Vossio, II. de Historic. Græc. c. XXV. p. m. 289. memoratur propter vitam B. Joannis Chrysostomi. *Savilius*, inqvit, *eam habet in tomo VIII. operum Chrysostomi. Sed nihil aliud est, qvàm epitome eorum, qvæ fusiùs tradiderat Georgius, Alexandrinus episcopus. Nec à pura dictione possumus laudare; cùm ea sit propè barbara. Adde, qvòd nec judiciò sit magnò usus in colligendo. Qvæ prætereà omiserit, dicet Possevinus. Sed tacet de Chrysostomi vita; qvam, puto, nonviderat.* Cardinalis Baronius ad A. C. ıↄccccxı. n. 1. 2. 3. p. m. 672. edit. Antverp. M. DC. III. recenset Leonis Opera Bibliotheca in Vaticana adhuc latentia. Exstant Leonis Orationes Latinè redditæ & Ingolstadl editæ, refertqve Jacobus Gretserus, Tomò II. de Cruce

chicis exſtant in Palatina, qvæ Vaticanæ non ita pridem adjuncta fuit; ſed non puto qvidqvam in illis diverſum eſſe ab ejuſdem Imperatoris Ta-
ćticis

Orationem qvamdam ejuſdem Imperatoris de Cruce. Memorata ejuſdem Tactica Græco-Latina, qvibus res bellicas pertractat, à Johanne Meurſio; Naudæo qvoqve noſtro memorato, viro undecumqve clariſſimo & de litteris optimè merito curata ſunt. Ubi inter alia c. XIII. habet, ut pridie ejus diei, qvô prælium & certamen ſit ineundum, curare debeat dux exercitus, per ſacerdotem univerſum exercitum expiari aqvâ luſtrali, vel benedictâ, qvod Græci dicere ſolent ἁγιάζειν, id eſt, aqvâ ſanctâ aſpergere; (ſicqve ἁγίασμα, apud Græcos Eccleſiaſticô more vocari ſolet aqva benedicta) Præterea habetur ibidem, ut qvotidiè manè & veſperi, univerſus exercitus dicere debeat Triſhagium hymnum. Sicqve illuſtravit hicce Imperator ſeculum ſuum, alioqvin valdè obſcurum, ut Bellarminus ſcribit, de Scriptorib. Eccleſiaſt. fol. m. 158. Sed qvoniam de hoc Imperatore Naudæum ad inluſtrandum non contemnenda congeſſit Cl. Dn. Joh. Albertus Fabri in ſuæ Plagiariorum & Pſeudonymorum Centuriæ principio, adſcribere ejus, etſi prolixiora, non pigebit verba: *LEO PHILOSOPHUS IMPERATOR. Sextus hôc nomine Baſilii Macedonis filius, qvem ipſe ſuum ἀμύμονα πατέρα appellat. Hujus Tactica à Leone Allatio plagii poſtulata jam ante nos Jacobus Thomaſius obſervavit, nihilominus denuo de eo verba facere voluimus, qvòd & inventus ſit, qvi Allatii verba transſcripſerit, & plura jam de Leone dicenda ſuppetant, deniqve excuſandus nobis à plagio Imperator videatur. Latinam Tacticorum verſionem Henrico VIII. Angliæ Regi inſcripſit edidítqve Baſileæ A C. MDLIV. Johannes Checus Cantabrigienſis. Ad illam concinnandam uſus eſt codice Gr. MS. Anglicanô, qvem vidiſſe optat Johannes Meurſius, qvi ex tribus MSS. Regis Angliæ, Palatino & Piſtoriano lacunas ſibi invicem ſupplentibus Græcum textum verſione adjecit, ſubjectiſqve aliqvibus notulis vulgavit Lugduni Batavorum A. MDCXII. Verſionem in non paucis reprehendit Antonius Poſſevinus, librô I. Bibliotheca ſelecta, c. XXIV. ubi & qvædam loca ex antiqviſſimis, qvæ vocat MSS. profert, qvæ apud Meurſium, p. LIX. & CCCCXVIII. &c. longè minùs emendatè ac integrè leguntur, unde colligitur Poſſevinum aliis, ac Meurſius, Mſtis uſum fuiſſe. Sed & Bibliotheca illa ſelecta aliqvot ante editionem Meurſianam annis prodierat, qvam non viderit Meurſius oportet, nam ex ea aliqvot, qvæ dixi, loca reſtituere ac ſupplere potuiſſet. Iſaacus qvoqve Caſaubonus, qvi anteqvàm Meurſius Leonem ederet, Æneam cum verſione notiſqve doctiſſimis publicavit, (Prodiit cum Polybio Caſauboni Francofurti 1609. in fol.) aliqvoties Græca verba allegat ex Leonis* de re militari, *ſeu, ut Poſſevinus vertit,* de apparatu Bellico *conſtitutionibus. Neqve unum hic Mſtum vidiſſe ſe profitetur, refert enim qvoſdam Codices hanc inſcriptionem præ ſe ferre: Τῶν ἐν πολέμοις τακτικῶν σύντομος παράδοσις. Alios autem eoſqve optimos παρασκευὰς πολεμικὰς deſignari. Prioris generis titulus exſtat Viennæ in Auguſtiſſimi Cæſaris Bibliotheca, codice Philoſophicô CXIV. probæ notæ chartac. in folio: uti indicat Petrus Lambecius, libro VII. de Bibliotheca Vindobonenſi, p. CCXIII. qvod Mſtum non mediocriter ab editione Meurſii differre teſtatur. Inſcriptio poſterioris generis & in Poſſevini Mſtis fuit, & Lambeciô teſte apparet in codice CXVI. chartac. mediocriter antiqvo in 8vo. ubi habetur πολεμικῶν παρασκευῶν διάταξις περὶ ἐφόδων ἀ-
δηλ-*

Ɛticis, qvæ Meurſius in lucem protulit. Nam & in illis decima nona conſtitutio, tota de navali prælio eſt. [24] Qvamobrem pluris nunc facienda ſunt *Baſilii* patricii Naumachica, qvæ ex Regio & Palatino codice forſan integra

δονῦτων, quæ in editis Leonis Tacticis eſt ſeptima decima conſtitutio. Ibidem duodevigeſima quoque ſed ſine lemmate comparet. Undevigeſima περὶ ναυμαχίας reperitur in codice Medico XXV. chartaceo bona nota in 4to, quemadmodùm idem refert librô VI. de Bibliotheca Cæſarea, p. CXXI. Eam & in Vaticana exſtare memorat Gabriel Naudaus, Bibliographia militaris p. LXIII. Leonis, *inqvit*, conſtitutiones qvædam & fragmenta etiam ex Naumachicis exſtant in Palatina, qvæ Vaticanæ non ita pridem adjuncta fuit. (gloriatur hac de re Allatius, vide tamen Morhofii Polyhiſt. p. 32. 66. 194.) ſed non puto &c. *Reliqvorum Codicum inſcriptiones, quoniam principiô carent, nulla à Lambecio adduci potuerunt. Nam in codice philoſophico CXIII. chartac. in fol. & procemium integrum & plus quàm dimidia à fine pars deſideratur. Optimus etiam codex CXV. membranaceus in 4to paginis CCXLIX. conſtans & Scholiis Græcis marginalibus illuſtratus, quem Busbeqvius (ſeu, ut alibi Lambecius ſcribendum docet, Busbeekius) Conſtantinopoli comparavit, incipit à verbis procemii editionis Meurſianæ p. VII. δι' αὐτῆς ἡ Ῥωμαίων πολιτεία ἐυμοίρησε. Deſinens in verba p. CCCLXIV. v. penult. καὶ τὸ εἴδησιν ὡς ἐὰν μὴ στῤῥῶς καταςάντης. Hunc codicem non dubitat Lambecius Leonis ætate exaratum fuiſſe, inviſum autem Meurſio & penitus incognitum, ex quo ejus editio plurimis in locis, quorum unum in medium affert, corrigi perficique poſſit. Hæc, quòd non planè protrita ſint de Mſtis Tacticorum Leonis codicibus, præmittere viſum fuit, nunc de plagio ipſi imputato videamus. Allatii verba hæc ſunt notis ad Hexaëmeron Euſtathii Sideta Antiochiæ Epiſcopi, p. VI. Lugduni A. 1629. in 4to.* Leo Imperator Onoſandri nomen, à qvo multum profecerat, ingratô ſemper obruit ſilentiô, in Tacticis niſi ſemel, cùm ejus carpit ſententiam. *Naudæus, poſtqvàm Checi Meurſiiqve operam Leoni navatam, Philippi item Pigafetæ Italicam verſionem cum notis non contemnendis editam commemoràſſet*, Omnes verò, *inqvit*, ille conſtitutiones Tacticæ magnâ parte ſuccum ſuum traxerunt ex Onoſandri ſtrategico, cujus tamen auctoris nomen ingratô ſilentiô bellus ille homo ſemper obruit, ita ut illius nullibi meminerit niſi ſemel, cùm ejus carpere vellet ſententiam. Dignumqve illud inſuper obſervatione mihi videtur, qvod hujus & Mauricii Imperatoris plerumqve eadem aut parum diverſa ſunt verba, ut qvemadmodùm Galenum ex Paullo Æginetâ aut Ætio, ſic non difficile ſit alterum ejuſmodi auctorum ex alio auctiorem facere. *Hæc Naudæus, p. LXXXII. dicta Bibliographia, quam ex ejus Syntagmatis de ſtudio militari, Romæ A. MDCXXXVIII. vulgati libro II. p. DIV. ſqq. avulſam ſeorſim ante hos ſex annos Jenæ edidit Georgius Schubartus, vide Acta Eruditor. Anni* 83. *p.* 512. *Verùm à plagii crimine Leonem abſolvere videntur, quod non tantùm in procemio dicit, ſe in veterum recentiorumque militaribus commentariis non perfunctoriò verſatum optima quæque ex iis delibàſſe, & ὡς ἄλλοι πρόχειρον νόμον (notari hic locus poteſt adverſus Barthium, qui negat Leonem in hiſce Tacticis loqui tanquàm Imperatorem conf. p. 10. 15. 23. 27. 32. 176. &c. ubi non monet tantùm, ſed jubet.) Hypoſtrategis ſuis tradere voluiſſe, ſed & p. CCCXX. & CCCCXXXII. fatetur in hoc libro ea ſe collegiſſe, quæ ex veterum commentariis accedente mediocri experientiâ ſuâ edoctus fuiſſet.*

integra proferri in lucem possent, nam Pinellianus mancus erat in fine. 25 *Mauritii* strategicorum libri duodecim *k*, passim qvoqve asservantur in bibliothecis, atqve ut puto omnium integerrimi in Ambrosiana, cum variis aliis auctoribus Tacticis, qvi qvondam Vincentii Pinelli fuerunt; & Romæ in Vaticana, aut Altempsiana, ex optimo codice Perusino, qvem difficile est scire in utramvis translatus fuerit: nec dubito præterea eosdem Parisiis exstare in bibliotheca Regia, & Tholosæ in collectione ejusmodi aucto-

fuisset. Atqve si ab auctore sunt Scriptorum nomina, qvæ in codice illo membranaceo Busbeckii constitutionibus præfixa fuisse Lambecius testatur, longè magis à furto literario alienus nobis habebitur, qvi cum Plinio majore ingenuè per qvos profecisset, voluerit indicare. Ait autem Lambecius majusculis adscripta se offendisse nomina ΑΡΡΙΑΝΟΥ, ΑΙΛΙΑΝΟΥ, ΠΕΛΟΠΟΣ, ΟΝΗΣΑΝΔΡΟΥ, ΜΗΝΑ (*fortè* ΑΙΝΕΙΑ) ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ, ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ. *Ex qvibus tres tantùm in Tacticis Leonis allegatos reperio. Ælianum qvidem, p. LXII. XC. XCI. Arrianum, p. XC. Onesandrum, p. CCXV. Equidem, p. CCCCXXXI. citatur qvoqve* πτολεμαίου πρόχειρος κανὼν & τετράβιβλος. *Aratus in phænomenis & Johannis Lydi diurna ac menstrua observatio* (*de Lydo agit Meursius in notis.*). *Sed non tanqvàm iis ad Tactica concinnanda usus Imperator fuisset, sed qvòd Astronomiæ studiosis hosce potissimùm auctores commendandos arbitraretur. Ceterùm alium hujus militaris argumenti librum à Leone scriptum fuisse rectè colligitur ex verbis, p. XXVII.* Ἔξεστι δέ σοι ταῖς τε παρ' ἡμῶν ἰδίᾳ ἐκτιθεμέναις γνώμαις ἐν τούτῳ τῷ συντάγματι καὶ προσέτι ταῖς κατὰ πλάτος συναθροισμέναις ἡμῖν ἐν τῇ παραλλήλῳ τῶν τακτικῶν μεταβιβλῷ τὴν ἐκεῖθεν τῶν ζητουμένων πλείονα καὶ ἀρκοῦσαν συναγαγεῖν ὠφέλειαν. *Qvem etiam innui puto. p. CC. Verba hæc sunt:* Περὶ δὲ τῆς πεζικῆς καὶ τῆς συμμίκτου ὁδοιπορίας ἅπερ ἀναγκαῖα κατὰ τὸν τοῦ πολέμου καιρὸν γενέσθαι νομίζομεν. Περὶ ὧν ἀκριβέστερον ἡμῖν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ προείρηται. *De aliis hujus Leonis scriptis præter eos, qvi scriptores Ecclesiasticos ex instituto recensuerunt, ut Possevinus in Apparatu, Bellarminus, Gerhardus, Labbe, Olearius, Cave, Oudinus, du Pin &c. Baronius in Ann. citante Miræo, Natalis Alexander de rebus Sec.* IX. & X. *videri etiam possunt Vossius de Hist. Græcis & de scientiis Mathematicis, Bœclerus de rebus seculi* IX. & X. *p. præcipuè CXCV. Hankius de Byzantinarum rerum Scriptoribus, pars.* II. *c.* XXIII. *Ex qvo illud fortè referre ab hoc loco minus alienum est, qvòd Vossius judicium suum, super vita Chrysostomi, qvam ex Georgio Alexandrino fere Leo Imperator contraxit, in opere de Historicis Græcis latum ex Henrici Savilii notis sublegisse videatur. Savilii verba ita se habent.* Liber qvidem hic fortasse rectiùs potuit omitti, cùm nihil sit aliud qvam Breviarium Gregorii (Georgi) non bonô judiciô collectum, & penè barbarè scriptum. *Vossii verò:* Nihil aliud est qvàm epitome eorum, qvæ fusiùs tradiderat Georgius Alexandrinus Episcopus. Nec à pura dictione possumus laudare, cùm ea sit prope barbara. Adde qvod nec judiciô sit magnô usus in colligendo. Hæc Dn. Fabri.

k Mauricii Strategicorum libri XII. Hos Upsaliæ ad mandatum Christinæ Reginæ, nunqvàm anteà publicatos, primus Græcè edidit, & Versione Latinâ notisqve inlustravit Joh. Schefferus Argentoratensis, M. DC. LXIV. in 8. In principio præfationis ita loqvitur Schefferus: *Mauricium, qvem tibi damus, Viro debes longè*

auctorum militarium, qvam habet penes se illius urbis Archiepiscopus dominus à Sancto Armando, variorum, & optimæ notæ librorum conqvisitione meritò celebratus. [26] Sed ejusdem Mauricii reperiuntur duo alia exemplaria Romæ in eminentissimi ac munificentissimi veréqve librorum & litterarum litteratorumqve amantissimi principis F. Barberini bibliotheca, unum qvidem antiqvissimô charactere exaratum, sed primô & secundô librô mutilum; aliud verò minus probatæ scripturæ, sed integrum. [27] Utriqve verò adnectitur, nescio an ejusdem, aut alterius auctoris, de pedestri agmine tractatus viginti qvatuor capitibus constans; & ibidem reperiuntur etiam duo alii *Anonymi* scriptores Græci, qvorum primus est de obsidione, qvomodo scilicet eam sustinere Imperator aut solvere debeat: qvi unà cum præcedenti reperitur etiam in Vaticana, atqve alibi passim, alter verò excerpta ex variis constitutionibus continet, qvalis esse debeat copiarum præfectus, multaqve habet curiosæ & elegantis doctrinæ, sua per capita distributæ. [28] Unde venit mihi sæpius in mentem dubitare, utrum hic idem cum Anonymo illo sit, doctis omnibus notissimo, qvem Rigaltius eumdem forsan esse cum Juliano arbitratus est; & cujus cùm LXIX. capita esse deberent, undecim tantùm priora cum duodecimi parte, in Gallia reperiuntur, & Mediolani qvidem in Ambrosiana octavi pars posterior, cum tredecim aliis seqventibus capitulis, usqve ad vigesimum primum. [29] Qvin etiam cum resciverim à Flaminio Catellano, Urbini in publica bibliotheca, librum esse cujusdam Anonymi Latinè redditum à Joanne Sophiano, non minùs adhuc animi pendeo, qvid de illo tandem statuendum sit, maximè cùm in indice librorum Bessarionis, relatum viderim *Nicolai* cujusdam *Sophiani* librum, eidem Cardinali dicatum de rebus bellicis, qvi forsan non erit à priori illo diversus. [30] Unde cùm ex tot ambagibus expedire me facilè non possim, neqve etiam alios magis in illis involvam, frigidâ qvâdam aut inani conjecturâ, qvæ haud unqvàm nisi ab ipsorum librorum inspectione, fieri rectè posset. [31] Porro his auctoribus, qvi principum locô haberi possunt, adduntur à nonnullis *Theophili* philosophi de præsagitionibus bellicis ex cælestium thematum inspectione, opus mutilum & imperfectum, saltem ut in codice Vaticano habetur. [32] *Anthemii* l auctoris à Tzetze laudati, de admirabilibus machinis argumenta mathematica,

longè celeberrimo, cùm viveret, doctissimoqve, Dn. LUCÆ HOLSTENIO *Hamburgensi, qvi eum ex Codicibus Mss. qvatuor, duobus Barberinis, Medicæo, & Farnesiano descriptum, annis superioribus ad nos, nil tale opinantes exspectantesqve ultro, unà cum Leonis Codice ad Mss. collato, lacunisqve Græci textus expletis pulchrè restitutæ, transmisit. Codex satis eleganter pictus est, sed distinctus pessimè, per sola puncta, & post ea litteras majusculas, in medio etiam periodorum, qvæ res non parum nobis peperit difficultatis, & in versione fecit incertos.* Sic Scheffer.

Anthemii] *Qvæ* Anthemii *nomine* περὶ παραδόξων μηχανημάτων *legimus, & sunt mutila, & alterius sunt instituti;* scribit Gulielmus Philander Castilionius, Civis Romanus in Adnotationib. in c. XV. lib. X. Victruv.

matica, qvæ ex codicibus Vaticano & Altempsiano exscribi nullô negotiô possent, si ea non potiùs aliarum artium machinis qvam militaribus explicandis dicata forent. 33 *Anonymus* sæpissimè à doctissimo Rigaltio laudatus περὶ καταστάσεως ἀπλήκτου, id est, *de ordine & collocatione castrorum* sive tentoriorum. 34 *Nicephori Blemmidæ* libellus de officio imperatoris, qvem se inter miscellanea editurum recepit Leo Allatius. 35 Militaria monita diversa absqve alio titulo, vel auctore, qvibus nihil est in bibliothecis freqventius: 36 Ac deniqve Naumachica, & Strategica varia, qvæ velut Hippolyti membra huc illucqve dispersa jacent, & Æsculapium suum in Salmalio exspectant, qvi Græca hæc omnia, suis qvæqve auctoribus restituat, probet, excutiat, damnet, & obelô ac asterismô, prout illi omnium acutissimo censori videbitur, notet. 37 Seqvuntur verò ejusmodi codices Græcos, Arabici qvidam nuper ab eruditissimo Golio ex Oriente in Hollandiam delati, scilicet *Heronis* Mechanici *Barulcus*, seu de trahendis oneribus libri tres, Græcè perditi, Arabicè superstites. 38 Ars sagittaria metricè descripta & commentariis illustrata. 39 *Abi Herten* de speculis comburentibus, de qvorum usu in bello, nobis alibi dicendum erit, tractando de machinis militaribus. 40 Et *Anonymus* de rebus bellicis, totaqve Pyrotechnia. 41 Atqve hi sunt auctores, præcipuè apud criticos, & antiqvæ litteraturæ studiosos omnes, commendati. 42 Nam ex Latinis paucos in bibliothecis reperio, qvi ætatem tulerint, qvos non item privatorum plutei, jam anteà editos, variisqve correctionibus, & notis illustratos, typorum beneficiô servent; 43 Qvi verò tanti non fuerunt, ut ab aliqvo velut altones è columna levarentur, hi sunt: *Anonymus* qvidam pervetustus, & omnino non pœnitendæ lectionis de re navali, qvem doctrinæ & probitatis contestatæ medicus D. Joannes Rhodius, mihi aliqvando Patavii, ubi svavissimè cum illo memini me longos consumere soles, simul cum pluribus aliis MSS. codicibus diligenter à se conqvisitis ostendit. 44 *Leonardi Aretini scriptoris* minimè inter plebeios habendi, Dialogi duo de militia & ejus ortu, qvi optimè curati, & tractati exstant Urbini in bibliotheca, qvæ qvondam Ducum fuit, tum etiam in diversis Vaticanæ codicibus. 45 Reperiuntur qvoqve in eadem Urbinatium bibliotheca, fratris *Angeli Tertoni* dissertatio de rebus ad utramvis terræ marisqve militiam spectantibus; & tractatus de re bellica spirituali per comparationem temporalis, editus à fratre *Bartholomæo* m ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, & Episcopo Urbinate, qvem eumdem esse puto cum eo, qvi ex

m Bartholomæo] De hoc Thomas Gratianus Ordin. Eremit. S. Augustini in Belgio & in Provincia Coloniensi Provincialis in Anastasi Augustiniana, p. m. 47. s. edit. Antverpiens. CIↃ IↃC XIII. in 8t. ita habet: Barthol. Urbinas *Augustini Anconitani alumnus, suaqve urbis dignissimus Præsul, publicis in scholis, Parisiis præsertim, Bononiaqve viris nostri Ordinis eruditis est usus, cujus illa in primis admi-*

ex libris Sancti Augustini, opus singulari studiò, secundùm Alphabeti ordinem collegit, *milleloqvium* Augustini vulgo appéllatum; [46] Porrò liber ejus de re bellica, reperitur etiam MS. in Angelica D. Augustini bibliotheca, sed tertiâ parte mutilus, qvæ est de bello navali, tribus autem primis capitibus operis sui, comparationem illam militiæ spiritualis cum temporali instituit, verùm in reliqvo opere de temporali tantùm loqvitur, eôdem fermè modô, qvô illam tractârunt Ægidius Romanus, & alii ejusdem sortis auctores editi. [47] Istis nescio an recentiores adhuc sint *Marcellus Marchesius* Episcopus Signinus, qvi de modo pugnandi contra Turcas præsertim libros qvinqve composuit in Vaticana asservatos. [48] Et *Lampi Buragi n* strategicon adversus eosdem populos, ad Nicolaum Qvintum, de qvo auctore mentionem fieri video, in indice MSS. codicum Bessarionis Cardinalis. [49] Sic etiam penes eminentissimum tuum patruum liber ingens asservatur, cujus compendium, paucis abhinc annis, Lutetiæ patriô, eôdemqve sermone & titulô, qvi majoris illius operis erat, editum fuit, *Roseti* scilicet seu arboris bellicorum strategematum. [50] Est verò liber hic admodùm utilis, militiæ, qvæ in Gallia sub Carolo V. & VI. ante ducentos annos per varias machinarum & ordinum rationes obtinuit, ob oculos ponendæ. [51] Qvemadmodùm ex alio, qvi penes eumdem absqve auctoris nomine custoditur, eqvitum, & modus eqvitandi, qvi tunc temporis in usu erat, gallicô veteri idiomate conscriptus, haberi potest. [52] Deniqve istis omnibus succenturiari debent, *Blackas* qvidam nobilis,

admiranda est atque profectò stupenda viri industria, quâ tam D. Patris Aug. mare, qvàm Ambrosii supernatavit flumen, utriusqve enim Doctoris, singula dicta, magnâ planè diligentiâ in Alphabetum redegit, & opus in unum collectum, nominavit: Milleloqvium Augustini. Milleloqvium Ambrosii. *Scripsit item opus aliud, titulô,* de Bello Spirituali. *Redegit præterea in* compendium *librum de* regimine Principum *ab Ægidio Romano editum.* Euangelia *qvoqve* Qvadragesimæ *egregiè* interpretatus est. *Item* Tractatum *composuit de quatuor novissimis. Item* Tractatum contra errores qvi inventi fuerunt tempore Ludovici qvondam ducis Bavariæ. *Incipit.* Domine labia mea aperies, & os meum detestetur mendacium. Claruit annô M. CCCC. X.

Nunqvàm cæcis sqvalet in umbris
Inclyta virtus labor infractus
Iter ad claros sternit honores,
Qvos sibi peperit Bartholomæus.

n Lampi Buragi] Christoph. Sandius in p. m. 325. extr. Not. & Animadversion. in Vossii Historicos Latinos, adducens dicti Vossii verba: *LAPUS BIRAGUS vixit circa annum* CIↃ CCCCLX. errat in eis, ut ex ipsius Vossii verbis, qvæ subjicio è III. de Historic. Latin. c. X. p. m. 807. perspicuum est: Lapus Florentinus, *qvi Gesnero est* Lapus Biragus Florentinus. *Philelpho epistolâ ad Leonardum Aretinum annô scriptâ* CIↃCCCCXXXVI *dicitur* Lapus Castelliunculus, *ac vocat ibidem auditorem & familiarem suum: Leandro in Italia, ubi de doctis Florentinis tractat, vocatur* Lapus Castilionius, *vixit circa annum* CIↃCCCCXL. *Ac ne hunc alium à Birago putes,* Lapus Casti-

nobilis, & poëta ex eorum classe, qvi qvondam in nostra Provincia celebres fuerunt: siqvidem ut in ejus vita refert Michaël Nostradamus, librum vulgari lingvâ scripsit. de modo belli rectè administrandi, sive ex titulo qvem ipsi auctor præfixit *la maniera de ben guerreiar*: [53] Itemqve liber *Hieronymi Magii* de technis militaribus, qvem à se compositum fuisse testatur; [54] Et alter qvem de diversarum machinarum, terrestrium perinde ac navalium ratione, additis etiam figuris, se aliqvando editurum pollicitus fuerat Dominicus *Cyllenius*, in præfatione librorum suorum de vetere & recentiore scientia militari: [55] Nec non commentarius *Angelini Monosini* ad titulum authenticorum de armis; qvem ipse in libro floris Italicæ lingvæ, ubi vocem *usẽgo* explicat, & forsan etiam in dictionario suo, qvod vulgo *de la Crusca* dicitur, factum à se, commemorat: [56] Tum *Henrici* illius *Cornelii*, qvi malè postmodùm ob artes magicas audiit, Pyrotechnia, cujus freqventer in epistolis meminit: [57] *Julii Cæsaris Scaligeri* opus integrum de re eqvestri, qvod sibi furto ablatum fuisse conqveritur: [58] *Maximilianiqve Geizdorfleri* (forte *Geitzkösleri*) copiarum, qvas ex Germania Veneti conscribunt, ductoris promptissimi ars militaris recentior, per tabulas eô modô digesta, qvô Ramus, & Zuingerus philosophiæ, ac Weckerus etiam medicinæ partes omnes per certas, & accuratas divisiones complexi sunt: [59] Et Vincentii *Marineri* Hispani eclogæ militares qvindecim, versibus Latinis conscriptæ, delitescentesqve inter varias ejus compositiones, qvas nuper in programmate qvodam edito recensuit, puto ut miraculum sui faciat, adeò sunt prægrandes & numerosæ: [60] Ac deniqve *A-*

bra

Castilionius, *inqvit*, qvi vitas aliqvot Plutarchi de Græcis in Latinum elegantur vertit. *Transtulit autem vitas Thesei, & Romuli, Lycurgi, & Numæ Pompilii, Solonis, & Publicolæ, Themistoclis, & Camilli, Periclis, Phocionis, & Catonis Uticensis, Artaxerxis, atqve item Arati. Vertit idem Dionysii Halicarnassensis Antiqvitates Romanas; sed non satis fideliter, imò sæpe parum Latinè. Meliori fide, ac stylô, id præstitit Gelenius, sed aliqvantò liberiùs, usqve adeò, ut subinde binas, vel etiam ternas periodos unâ constringat: eaqve imprimis caussa fuit, cur post hosce novam interpretationem dare voluerit Æmilius Portus. Meminit Lapi hujus etiam Philippus Bergomas, Chronici supplementi lib. VI. ubi sermo de Florentiæ origine: item Franciscus Albertinus de laudibus Florentiæ, & Saonensis urbis ad Papam Julium II. ubi eum vocat virum* literis Græcis, & Latinis *eruditissimum. Item meminit Erasmus in Ciceroniano. De eodem sic Ugolinus Verinus, lib. II. Florentiæ illustratæ:*

> *Te, Lape, mors juvenem nimis invidiosa peremit:*
> *Ingenii sed multa tui monumenta supersunt.*

Fortè erravit Typographus LX. pro XL. ponens, qvod facilè fieri potest. Subjungit ibid. Sandius: *Hic idem est, qvi Naudæo dicitur* Lampus Buragus: *Nec tempora disconveniunt, quando Lampus Buragus dicitur scripsisse Strategicen adversus Turcas ad Nicolaum V. Pontificem, qui electus annô* 1447. At Platina p. m. 702. habet ann. M.CCCCLXVII. mendosè, prior enim Sandii numerus rectè habet.

bra de Raconis præfectus expensis subducendis, qvæ mandante Franciscô I. centum majoribus tormentis fundendis in armamentario Parisino, & omnis generis supellectile instruendis, destinatæ fuerant. [61] Hic siqvidem omnium optimè, & magis etiam distinctè, qvàm qvisqvam alius unqvàm fecerit, rationem iniit rerum omnium, qvæ majoribus illis machinis æreis, non modò flandis, sed instruendis omni apparatu necessariô hominum, instrumentorumqve, tam in campestribus, qvam obsidionalibus prœliis necessariæ sunt. [62] Ita ut si liber ejus manu exaratus, qvem D. Renatus Moræus sua in instructissima bibliotheca reperiri, nuperis ad me litteris significavit, solem aliqvando liberiorem, typorum beneficiô aspiciat, magna spes me habeat, non minimum inde ad principes omnes, & tormentorum præfectos utilitatis accessurum. [63] Qvantum enim ex singulorum capitum indice conseqvi possum, præclara sunt omnino, qvæ in ipsis habet, & utinam publica qvoqve essent. [64] Porro ut hactenus enumerati codices numerosi sint, si tamen addi posse ipsis infinitos dixerim, non eqvidem mentiar: sed bibliothecas ad id veteres excutere oporteret, & cœnobiorum claustra potentiorumqve limina subire; tum etiam indices evolvere Memmianæ, Puteanorum, Barrocianæ, Peyrescianæ, Pinellianæ, Bodlevianæ, & reliqvarum ejusmodi bibliothecarum. [65] Qvæ exaratis calamô voluminibus, si cum aliis privatorum conferantur, nullas potiores habent, ac ne pares qvidem meâ utiqve sententiâ. [66] At verò illud facere, hominis esset, aut in maxima hominum, & amicorum freqventia viventis, aut liberè per Europam divagantis, non ejus, qvi in hoc amoenissimo secessu vallis Reatinæ, tanqvàm in hortis Orianeis sedet, unde non possit exire suô modô aut amicorum ope, consiliisqve juvari.

IX. *Enarratio horum, qvi ex antiqvioribus typis sunt vulgati. Casauboni, Meursii, Vulcanii, Argoli, Camerarii & aliorum laus, ob veterum scriptorum editiones.*

1 Typis autem demandati sunt, omniumqve manibus teruntur qvotidie Græci seqventes, *Homerus* & *Plato* siqvidem illos, ut anteà dixi, Patricius scriptoribus de militia accenset: 2 *Xenophontis* diversa opera: 3 *Æneas* qvem multi sed perperam pro Cinea, ab Æliano & Cicerone, laudato habent, Tactica seu de instruendis aciebus unà cum Polybio Casauboni utràqve lingvâ edita, & doctissimis notis illustrata ab eodem viro, de hoc antiqvo scriptore, ut de multis aliis meritissimo. *Æliani* etiam Tactica Græcè primùm qvidem prodièrunt Venetiis, curâ Francisci Robortelli, & Gesneri, cum additis qvibusdam fragmentis, ut puto, ex Leone, & Mauricio; ac posteà Latinè cum Vegetio Petri Scriverii, & Godeschalci Stewechii, sed tamen ex versione Theodori Gazæ, qvæ priùs, & ipsa edita fuerat Coloniæ, deinde excusa fuerunt gallicè etiam cum Frontino, & Modesto lingvâ nostrâ vernaculâ explicatis; ac rursus cum

Polybii compendio militiæ Romanæ, ex interpretatione Ludovici de Machault, demumqve Græco-Latinè in editione Batava, Sixti Arcerii, qvi notas suas adjecit uberes, varias, unô verbô optimas: [4] Rursusqve ejusdem auctoris excerpta qvædam de re militari veterum, & nominibus præfectorum, habentur in illa farragine librorum, qvæ accessit Lexico Græco Latino Tusani, editionis Venetæ anni MDLV. Nam in Constantini, & Budæi posteriore, non item apparet; & varii etiam codices servantur tum Græci, in Vaticana, & Urbini, tùm & Latini passim, ex qvibus, si qvid adhuc novâ criticorum diligentiâ opus est, in eo auctore expoliendo, præstari ea ab iis commodè possit. [5] *Leonis* † Imperatoris libri XX. prodiêrunt tandem Græcè Lugduni Batavorum, operâ Joannis Meursii, viri in Musarum studiis indefessi, qvi notas adjecit, cum antè haberetur tantùm Latina interpretatio Joannis Checi Londinensis, & Philippi Pigafetæ vulgaris Italica cum notis non prorsus contemnendis; [6] Omnes verò illæ constitutiones Tacticæ, magna parte succum suum traxerunt ex *Onesandri* Strategico, cujus tamen auctoris nomen, ingratô silentiô, bellus ille homo semper obruit, ita ut illius nullibi meminerit, nisi semel, cùm ejus carpere vellet sententiam; dignumqve illud insuper observatione mihi videtur, qvòd hujus, & Mauricii Imperatoris plerumqve eadem, aut parum diversa sunt verba: ut qvemadmodùm Galenum ex Paullo, aut Aëtio, sic non difficile sit, alterum ejusmodi auctorum ex alio correctiorem facere. [7] *Constantini* Porphyrogenetæ Tactica, primus ex bibliotheca Palatina ‡ Meursius protulit, & Græcè tantùm edidit unà cum aliis opusculis, Latinè tamen redditis à Bonaventura Vulcanio, nempe de thematibus, seu agminibus militaribus per orientale imperium distributis, & de administrando imperio, qvæ si qvis accuratè legat, is non male meô judiciô tempus collocâsse videbitur. [8] *Orbicii* seu *Urbicii* scriptiuncula ingeniosa sanè & oppidò utilis, in qva docetur qvomodo Romani Barbarorum eqvestres copias debellare securè possint, ex veteri primùm, ac minuto fragmento, qvod etiamnum reperitur in Lexico Græco Tusani olim edita, auctior demum prodiit ab eruditissimo Rigaltio, & melior adhuc reddi procul dubio posset, ex Ambrosiano codice, qvem olim visum in bibliotheca Pinelliana Francisco Pithoeo fuisse, nullus dubito, cùm Ambrosianus hic ab iisdem verbis incipiat, qvæ Pithoeus retulit apud Rigaltium, & aliis qvàm in exemplari edito finiatur. [9] Verùm qvid heic Orbicium dico auctorem fuisse ejus ingeniosi commenti, cùm Salmasius ex antiqvo epigrammate Græco, qvod primus ipse ex veteri memoria erutum protulit, luce meridianâ clariùs ostendat, Tactica hæc Hadriani Imperatoris fuisse, non autem Orbicii, qvi ea tantùm cùm diu latuissent, sub Anastasio tandem reperta, protulit, ut ex eodem epigrammate constat, qvod hic propterea inserendum putavi, ex interpretatione Latina Joannis Argo-

† Vide dicta antè paullò p. 499. ‡ Lugduni Batav. CIↃ IↃC XVII. in 8º.

Argoli, juvenis in tantum laudandi, in qvantum summa modestia & felix ad omne munus litterarium propensio, qvâ Græcè juxta, ac Latinè, & vinctâ solutâqve oratione, multa qvotidie cudit & componit, intelligi in eo, atqve laudari possunt. [10] Sic igitur ille non liberô, sed Græcis phrasibus, & pænè verbis adstrictô carmine.

EPIGRAMMA

In librum de re militari Orbicii & ex-consulis: erat verò liber opus Hadriani Cæsaris,

ex interpretatione Argoli.

Utere Lector. Opus plenum me fortibus ausis,
qvod qvondam Hadrianus mediis circumtulit armis,
obliviosa diu velârat inertia nocte;
fortis Anastasii sed deinde resurgere in ævo
contigit ad lucem, ut rursus studiô arma juvarem.
Novi ego sangvinei Mastis fera jura docere
Novi etiam lectô veluti me perdere gentes
Hesperias potes, exitiales & Saracenos,
& genus implacidum, gaudensqve jugalibus Unnos
atqve fugâ celeres saxosa per avia Isauros.
Omnia Anastasio sub principe perficere est fas,
qvem magè Trajanô rutilantem protulit ortus.

[11] *Heronis* Ctesibii discipuli belopoeca, sive teli factiva, Bernardinus Baldus Urbinas interpretatione, & notis, atqve figuris illustravit, maximô prorsus, sed non minùs felicissimô labore. [12] Sic Polyæni Rhetoris antiqvi ex Macedonia, strategematum libros octo, unus Casaubonus Græcè & Latinè publici juris fecit *a*; [13] Ut Onesandri strategicum Rigaltius, in qvo frustra priùs desudârant Nicolaus Saguntinus, & Joachimus Camerarius, vir alioqvi non vulgariter eruditus; eumdem verò commentariis politicis illustravit Joannes à Chokier *b*, & Franciscus Coccius, qvem eumdem es-

 se

a At posteà Cl. Dn. Pancratius Maasvicius recensuit & Isaaci Casauboni, nec non suas, notas adjecit. Lugdun. Batav. CIↃ IↃC xc. in 8r.

b Part. II. Thesauri Politicor. Aphorismor. edit. Leod. CIↃ IↃC XLIII. in fol. Janus Grüterus in ad Joh. Kirchmannum Epist. CXVI. earum qvas Cl. Petr. Burmannus annô M. DC. XCVII. Ultrajecti in 4to è Bibliotheca Marqvardi Gudii edidit: *Absolvimus etiam*, inqvit, p. m. 200. *hisce diebus Commentarium merè Politicum (cui scilicet nihil admiscuimus rei Criticæ) ad* Gnosandri (*lege Onesandri*) Strategicum; *multis erit ad gustum, multis non.*

ſe cum Fabio Cotta Romano, multis adducor ut credam, Italis ſuis propriò idiomate legendum obtulit, qvemadmodùm etiam fecit Blaſius Vigenerius Gallicò. [14] *Polybius c* elegantiſſimæ ſuæ diſſertationis de militia & caſtrametatione Romanorum plures interpretes habuit, ac inter alios Janum Laſcarim; commentatores verò tantùm duos, nempe Juſt. Lipſium, & Franciſcum Patricium. qvi in hoc auctore prælusit, anteqvàm de militaribus parallelis cogitaret; [15] Nec inutilis eſt ejuſdem auctoris collatio armaturæ ordiniſqve, qvò in inſtruendo exercitu, Romani atqve Macedones uſi ſunt, prout illa reperitur in fragmentis libri decimi octavi; [16] Licèt enim brevis admodùum ſit, rem tamen de qva inſtituitur optimè adimplevit. [17] His deniqve auctoribus addendas pro coronide cenſeo CXLI *leges militares Rhodiorum*, qvas cum navalibus & georgicis editas, memini me apud clariſſimos, & integerrimos fratres Puteanos, qvi me pridem ſuâ amicitiâ augendum & cohoneſtandum cenſuerunt, non ſemel in eorum locupletiſſima bibliotheca evolvere. [18] Inter Latinos autem primipilus

non. Sed quis eis eſt cervicibus, ut omnibus placere poſſit? præſertim exul, præſertim hòc familiari ſtatu deſolatus, præſertim cùm benigniori Principum non ſublevetur aurâ, & qvaſi regulus aliqvis aqvila tergô feratur in altum æthera ſupra nubes omnes. Depriment ſcilicet multa animos meos. Sed & illa ferenda. ut aliis omnibus, ita & mihi, qvi ſanè non inter eximios. Confer ſuperiùs dicta p. 470.

c Polybius] Huic nimirum non minima ubiqve cura fuit, etiam rei militaris rationes, per omne genus tractandorum armorum, accuratiùs perſeqvi. Qvare Lipſius, auctore Bœclerò in p. 172. Hiſtor. Schol. Principum, de Militia Romana ſcripturus, hunc ſibi fundum fecit & qvaſi Commentarium in Polybii Militaria adornavit. In qvo tamen Lipſii Opere multa deſideràſſe Joſephum Scaligerum, teſtatus eſt, qvi poſtremæ ejus valetudini diligenter adſedit, Dan. Heinſius in epiſtol. ad Lingelshemium miſera. Qvi tamen Scaliger lib. II Epiſtol. CXCII. p. m. 431 anteà ad Baudium ſcripſerat: *Exſpectatur mdies ejus egregium & luculentum de Militia Romana opus. In qvo nihil non Lipſianum ſperandum eſt.* Iſ. Caſaubonus Ep. XXI. ad Bongarſium, p. m. 31. edit. Brunſvig. in 4to, hoc de Lipſii opere ita habet: *Lipſii ad Polybium tandem vidi, & ut dicam liberè qvid ſentiam? opus eſt, labore magnô, judiciô rectô, ingeniô deniqve talis viri conceptum feliciter ac formatum. nemo negaverit unum illum hodie res veteris Reipublicæ Romanæ, & nôſſe eximiè & explanare omnium elegantiſſimè. veruntamen qvod inter nos liceat (μόνοι γάρ ἐσμεν) mirari interdum ſubit, cur hanc potiſſimam rationem tractandi ejus argumenti elegerit? Nam ad Polybii lucem qvid admodùm attulerit ſui, nondum videre potui. multa ille qvidem meliùs vertit qvàm priores feciſſent interpretes: ſed magnam eorum partem Turnebus, aliiqve ſibi vindicant. de cetero, ſi qvid in Græcis illis obſcuri fuit, lucem id adhuc deſiderat non enim alluxit fax Lipſiana illis locis, feceris ſidem vel unum vocbum πύλωμα, de qvo nihil notatum ab illo vidi, p. 170. non vulgare, non omnibus notum, nihil deniqve qvod mentem Polybii explicet aut vim verbi: Mitto errores aliqvot mihi notatos in explicandis locis Græcorum ſcriptorum neqve nos tamen ſtudioſe qvæſivimus: ſed caſu in illos*

mipilus esse solet *Flavius Vegetius Renatus*, licèt in libris qvinqve de re militari, qvi tanti ab omnibus fieri consveverunt, nihil, ut inqvit vir magnus, habeat meri, sed sui ac superioris ævi instituta plerumqve confundat, nec uni Polybio, in iis qvæ de militia Romana brevissimè scripsit ulla ex parte sit conferendus: [19] Sed cujusmodi tandem sit, magni tamen à nobis fieri debet, *propter mille annos*, qvemadmodùm Juvenalis de Homero dixit; Sat. VII. v. 39 & legendus est præsertim ex recognitione Petri Scriverii, cum notis, explicationibusqve eruditissimis Godeschalci Stewechii, & Francisci Modii, *d* qvò ille ornatior tibi videri, atqve utilior etiam esse possit; nam reliqvæ editiones, qvæ diversæ fuerunt, huic collatæ sordent, etsi posterior hæc melior in qvibusdam, reddi possit, istud profectò sperandum est ex duplici codice Peyresciano, utroqve vetustissimo, & notis ejusmodi in principio & fine exornato, qvæ suffragium ferre Volaterrano adversus Scriverium, pro dignitate illa *Comitis Constanti-*

los incidimus Qvare si tua me confirmaverit auctoritas, non desistemus ab incepto, & Polybium tandem nostris vigiliis illustratum publicabimus. præsertim cùm publice nuper inscius, qvid à Lipsio esset editum, fidem meam adstrinxerim, & qvidem disertissimis verbis, ad librum, si memini, tertium. Hæc Casaubonus, Joh. Albert. Faber in Centur. plagiarior. n. VI. hæc de Lipsio tradit. *Eum à Petro Fabro, & aliis qvibusdam super Saturnalibus suis notisqve in Tacitum & Criticis nonnullis emendationibus plagii accusatum fuisse, alii ante nos adnotârunt. Sed & in de militia Romana commentariis Patricium ab eo exscribi animadversum est. Vide Teissierium elog. des Scavans parte II. p. CCCLXXXV. & Almeloveninum in Syllabo plagiariorum. Unde illustre exemplum prabet eorum, qva diximus paullò antè, cùm de Fortio ageremus. Huc referenda sunt verba Bulengeri, qva allegat B. Thomasius* §. CCGCXCII. Alii Strategica ab eo repetunt & manum injiciunt. *Ex Onufrio qvoqve aliqva eum descripsisse lego apud Teissierium, loc. cit. In Scaligeranis primis arguitur, qvod ex Scaligeri Conjectaneis observationem qvamdam tacitò nomine sit suffuratus. In libris de Cruce Petrum Fabrum ab eo exscribi ait Bebelius, Antiqvitatt. Euangel. p. DXXI. Neqve tamen de plagio intelligendus Naudaus p. CXI. (c. XI. n. 15.) Bibliographia militaris, ubi Carolum Scribanium in Politico Christiano dicit acumina sensuum & flosculos sententiarum spargere,* qvas interdum etiam ex suo penu depromat, qvemadmodùm Lipsius semper ex alieno. *Ceterùm de Lipsio vide, qvos allegat Martinus Hankius, librò I. de Romanar. Rerum scriptoribus, p. CC LXIX. qvibus addo Erythraum in addendis ad Pinacothecam III. Drexelium, parte I. Aurifodina, c. IV. Miraum de Scriptoribus Seculi XVII. Eybenium ad Magiri Eponymologicum. Freherum in Theatro. Bisselium citatum Konigio in Biblioth. item Franciscum Sweertium in Athenis Belgicis, qvarum maximam partem ex Bibliotheca sua qvinqvenniô ante evulgata eum transscripsisse qveritur Valerius Andreas: vide Labbeum. in Bibl. Bibliothecarum.*

d Ego utor opt. editione Vesaliensi in 8t CIↃ IↃC LXX. qvam tamen emendatiorem vellem. Audiamus hic rursus Cl. Dn. Joh. Albert. Fabrum in Centuria Plagiarior. n. II. ita scribentem: *Vegetium in suis ad Valentinianum Imperatorem de re militari libris aliorum subinde labores*

stantinopolitani, & tempus qvô auctor ille vixit, multum etiam Stewechio incertum, determinare possint. [20] Vegetii autem epitomator *Modestus* adeò infeliciter hoc in munere versatus est, ut se nihil unqvàm putidius vidisse Modius asseveret, qvare nec admodùm anxiè de illo inqvirendum est. [21] Porro istis ambobus accuratior censetur *Frontinus* in solertibus ducum factis & dictis, sive strategematum collectione, exarata dictione facili, & ordinatissima temporum serie, qvamqvàm ab aliis scriptoribus nonnunqvàm discrepet in rerum gestarum narratione, dubium errore an consiliô, & lutulentus aliqvando fluat, si delicatiorum aures consulamus; qvòd verò se libros alios de militia conscripsisse, in præfatione strategematon, non obscurè subindicat, res est qvam suprà c. VII. §. 17. p. 495 leviter attigi, & qvæ tam solidè à Vossio de Histor. Latin. & Stewechio probata fuit, ut nihil hìc ab ipsis diversum sentiam. [22] Exstant prætereà *Julii Hygini* seu ut aliis placet Hegeni, qvem cognomentô Gromaticum vocant,

bores in usum suum convertisse pridem non pauci observârunt. Johannes Hæckfenius Scholasticus Leodiensis, qvi notante Scriverió vixit circa A. MCCCXII. cùm epitomata satis urbana Vegetium conscripsisse dixisset, locum ex libro ejus primo producit, qvem ex Aristotelis libro VII. Politicorum desumserit. Qvòd epitomata *voces, innuere voluit Vegetium aliorum similis argumenti libros quasi in epitomen contraxisse atqve hoc ipse minimè diffitetur, qvi libri I. c. XXVIII.* Hæc, *inqvit*, fidei ac devotionis intuitu, Imperator invicte, de universis auctoribus, qvi rei militaris disciplinam literis mandaverunt, in hunc libellum enucleata congessi. *& libri III. c. IX.* Qvisqvis hos artis bellicæ commentarios ex probatissimis auctoribus breviatos legere dignabitur. *Atqve iterum*: Digesta (*Græcè κεχωρισμένα. vide Salmas. ad verba Tertulliani de pallio* c. III. Cedo jam de vestro qvod Ægyptii narrant, & Alexander digerit, & Afer legit. *adde Gennadii Catalogum in Severo Sulpicio.*) sunt Imperator invicte, qvæ nobilissimi auctores diversis probata temporibus per experimentorum fidem memoriæ prodiderunt. *Denique lib. IV.* Ad complementum ergo operis majestatis vestræ præceptione suscepti [*primum librum Valentiniano obtulerat Vegetius, qvem cùm probâsset Imperator, jussit eum reliqvos qvatuor subjicere, uti discimus ex prolego libri II.*] rationes qvibus vel nostræ civitates defendendæ sint, vel hostium subruendæ ex diversis auctoribus in ordinem digeram. *Illos autem, qvos hodie habemus Vegetii qvinqve de re militari libros majoris operis esse epitomen, ceu vult Barthius, nullô modô probari potest, ac disertè repugnant prologi librorum, qvin universa ratio scriptionis, nisi qvòd finem libri qvinti deesse apparet. Falsum etiam est, qvod Priscianus aliqva ex his libris alleget, qvæ hodie in iis non reperiantur. Flavius autem Blondus librô IV. Romæ Triumphantis ex Sallustio non pauca sumpsisse Vegetium observat, qvamqvàm Sallustiana illa qvæ profert ægrè hodie invenire possis. Interim Sallustius à Vegetio in testimonium citatur, lib. I. capite IV. & IX. Johannes Henricus Bœclerus ubi de Legione Romana (prodiit hæc dissert. Argentorati A. 1670.) disserit*, notandum, *inqvit*, prætereà, qvòd Vegetius pauciora ex commentariis Catonis, plura ex principum Augusti, Trajani, Adriani, tum Frontini libris descripserit.

cant, liber de munitionibus castrorum ut legitur in catalogo MSS. veterum Scipionis Tetti; & *Ruffi* leges militares; ac *Anonymi* cujusdam liber de rebus bellicis, aut potiùs de nummis & machinis, scriptus ad Theodosium, qvi libri omnes simul editi prodiêrunt, cum Vegetio editionis Batavæ, qvam accuravit Petrus Scriverius: [23] ceterùm præter hos consulendi sunt etiam *Pollio Vitruvius*, eô maximè librô; qvô de machinationibus antiqvis differit, hoc est ultimô totius operis; [24] Et *Julius Pollux* capitibus decimô & undecimô libri primi; [25] Tum *auctor* * *notitiæ utriusqve Imperii*, qvem priùs è cœnobiis protulit Gelenius, auxêre verò, & locupletavêre Pancirollus & alii, qvibusdam notis, & tractatibus variis, ac inter alios anonymô illô de machinis, qvem editum fuisse cum Vegetio Scriverii, dictum est. [26] Ac tandem omnes illi, qvi de rebus ad bellum aut pacem spectantibus orationes habuerunt, ut *Themistius* philosophus, & rhetor, qvi orationes duas scripsit ad Valentem Augustum, de iis, qvi bello apti erant, clementer tractandis, & de pacis formandæ ratione, qvæ sunt ordine qvarta & qvinta, inter publicatas à Georgio Remo. [27] *Maximus Tyrius* in dissertationibus contrariis, utrum milites, vel agricolæ sint Reipublicæ

scripserit. *Qvo in loco respexit ad verba Vegetii. libr. I. c. VIII. qvæ illum tamen ab omni plagii suspicione absolvunt:* Hæc necessitas compulit, evolutis auctoribus ea me in hoc opusculo fidelissimè dicere, qvæ Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit, qvæ Cornelius Celsus, qvæ Frontinus perstringenda duxerunt, qvæ Paternus diligentissimus juris militaris assertor in libros redegit, qvæ Augusti, Trajani, Hadrianiqve constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi auctoritatis assumo, sed horum, qvos supra retuli, qvæ dispersa sunt, velut epitomata conscribo. *Augusti Hadrianiqve constitutionum iterum mentio lib. II. c. XXVII. Verùm Catonis, qvem in adducto loco reliqvis etiam præponit sæpius, libri II. c. XIII. & XV. sed præcipuè libri II. c. III.* Cato ille major, cùm & armis invictus esset, & consul exercitus sæpe duxisset, plus se Reipublicæ credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. —— Idem fecerunt alii complures, sed præcipuè Frontinus Divo Trajano ob ejusmodi comprobatur industriam. Horum instituta, horum præcepta, in qvantum valeo, strictim fideliterqve signabo. *Librô qvintô, qvinavalis belli præcepta exhibet, Varronis potissimùm Navalibus usus esse videtur, qvæ laudat libri ejus capite undecimô. Modius, Naudæus cumqve his alii à Modesto epitomen Vegetii putidissimam illam qvidem scriptam esse existimant, sed & illum à Vegetio compilatum ait Caspar Barthius, libri II. Adversariorum c. XX.* Modesti libellus sanè utilis ad veterem militiam intelligendam, nec recentior Vegetiô, ut censent docti nonnulli, sed qvem Vegetius verbatim exscripserit, ut alibi demonstrabimus. *Qvibus autem argumentis adductus fuerit Barthius, ut Modestum istum Vegetiô antiqviorem faceret, nos latet, qvi contrarium verissimum esse persvasi sumus. Nam ad illud qvoqve, qvod putat in Claudianum notis, ex fine Modesti tale qvicqvam aliqvem suspicari posse, facili negotiô respondêri potest.*

* Vide de hoc superiùs hoc in Tomo actum n. XIII. c. I. §. V. p. 413. s.

publicæ utiliores. [28] *Dio Chryfoftomus* oratione vigefimâ fecundâ de bello & pace : [29] *Ifocrates* oratione de pace : [30] *Andocides* in exhortatione pro pace cum Lacedæmoniis facienda : [31] *Lesbonactes* in fermone de bello Corinthiorum , & in alio ad Lacedæmonios habito , ut rem fortiter contra Athenienfes in bello gerant. [32] Qvibus omnibus accedunt philologi fcriptores antiqvi Stobæus , & Agellius , qvi multa paffim de militia referunt. [33] Nec non *Ammianus Marcellinus* miles Græcus fub Valente , & Hiftoricus , vel eô tantùm nomine inter Tacticos numerandus, qvòd , velut ex indice peculiari rerum militarium patet , qvem Lindembrogius bene de hoc auctore meritus , fub ejus finem adjunxit , multa qvæ ad bellorum , & machinarum rationes fpectant , non futili plerumqve cenfurâ inter fcribendum , ufurpata ab eo , atqve explicata fuiffe, confpicuum eft. [34] Neqve aliter judicandum cenfeo de Satyra Juvenalis ultima , qvæ tota eft de militum privilegiis & præmiis ad Gallum , qvoniam , etfi Angelus Decembrius part. X. lib. I. p. 59. f. eam expungere è reliqvarum numero , & Juvenali fubtrahere conetur ; potior tamen unius Servii auctoritas, qvi ad illud Æneid. II. v. 102. *fi omnes unô ordine habetis Achivos* , ita hanc Juvenali vendicat , & afferit , *unô ordine* , inqvit , *unô reatu* , *& eft de antiqva tractum fcientia : qvia in ordine dicebantur cauffæ , propter multitudinem , vel tumultum feftinantium , qvum erat annus litium. Juvenalis*, *v.* 42.

exfpectandus erit qvi lites inchoët annus !

[35] *Harpocrationis* [a] deniqve *Suidæ*, & *Ifidori* onomaftica , ne reliqvos enumerando , longior evadem in auctorum cenfu , multum hujus antiqvæ militiæ illuftrationi conferre poffunt. [36] Qvemadmodùm etiam incredibile eft, qvantum ei ornamenti accedat , ex ingenti illa *columna marmorea* , qvæ poft bellum Dacicum feliciter cum Decebalo rege confectum , *Trajano* Imperatori à fenatu dicata fuit , & etiamnum hodie pedum CXL. in altitudinem eminens , erecta confpicitur ; cochlide intus , extra verò mirabili adeò artificiô cælata , ut figuræ omnes tùm fummæ tùm imæ, magnitudinis ejufdem oculô videantur ; qvare non poffum qvin ejus ectypa , tabulis æneis graphicè per *Francifcum Villamenam* delineata , ita ut fingulæ chartæ fimul compaginatæ, volumen haud pœnitendum efficiant, inter libros reponam, qvi ad iftius generis doctrinam prorfus attinent ; fiqvidem in his tabulis , qvæ particulatim ad rerum geftarum veritatem , infculpta præ fe ferunt antiqva fermè omnia Romanorum monumenta ac bellica præfertim , unô qvafi intuitu obfervari poffunt naves, pontes, turres, munitiones, pugnæ, caftra , captivi , captivorumqve ac militum arma , veftes , totufqve pugnatorum habitus , & qvidqvid ufqvam in exercitibus Romanorum ufurpatum fuit.

X. *Qvinam*

[a] Valerii Harpocrationis de Vocibus librum Græcè cum notis & obfervationibus fuis Lugduni Batav. CIↃ IↃCXCVI. edidit in 4to. Cl. Jac. Gronovius.

X. *Qvinam ævô superiore nostrôqve scripserint de militia antiqvorum, in se tantummodò spectata. Salmasii conatus hôc nomine laudatus.*

[1] Inter recentiores verò, qvorum numerus est propemodùm infinitus; alii eruditionem tantùm consectati sunt, in explicanda militari veterum disciplina; alii utilitatem etiam ac usum, in exponenda, & novis consiliis, aut inventis adornanda ea, cujus nunc more, institutôqve, bella inter homines geruntur. [2] Ac priores qvidem vel militiam Gallis antiqvioribus usurpatam descripserunt, ut *Petrus Ramus* in libello de moribus veterum Gallorum *b*, [3] Vel Germanis ut *Reinardus* senior comes Solmensis; [4] Vel Græcis, qvorum instituta militaria colligunt & explicant, *Samuel Petitus*, librô octavô legum Atticarum; *Nicolaus Cragius* libri tertii de rep. Lacedæmoniorum tabulâ duodecimâ; & qvarti capite tertiô, *Meursius* librô de Cecropia seu arce Athenarum; *Kyriacus Stroza* in primo libro ex duobus, qvos addidit octo politicorum ab Aristotele relictis; *Jacobus Faber* Stapulensis qvi in Hecatomia, leges Socratis, & Platonis de militia retulit, & accuratissimus *Rigaltius*, cujus glossarium Tacticum, totum posteà in suum transtulit Meursius. [5] Vel deniqve Romanis, & hi rursus aut absolutè de ea tractârunt, aut comparatè ad eam, qvæ in præsentia apud nos obtinet, ita ut conjunctim de utraqve dicerent. [6] Priori igitur modô videri possunt sermonem de militia Romanorum instituisse *Justus c Lipsius*, tam in qvinqve libris de militia Romana, qvàm in totidem poliorceticon; [7] *Franciscus Patricius d* in expositione militiæ Romanæ, ex Polybio, Dionysio Halicarnasseo, & T. Livio Italorum idiomate propriô conscripta; [8] *Joannes Antonius Valtrinus* societatis Jesu presbyter, septem libris de re militari veterum Romanorum, qvos operæ pretium sit diligenter evolvere; [9] *Henricus Saviles Anglus*, qvi de se ipso istud Cornelii Galli usurpare merito posset:

nec minor est nobis per pauca volumina fama,
qvàm qvos nulla satis bibliotheca capit.

Est enim brevis, tersus, & accuratè doctus. [10] *Albericus Gentilis* in erudito opere de Militia Romana. [11]. *Petrus Ramus*, Enarrator militiæ Julii Cæsaris, in libello huic rei tantùm destinato; [12] *Antonii Augustini & Lælii Taurelli epistolæ* amœbeæ de militia ex casu, ad Justiniani novellam LIII. & LXXXXVII, nec non prioris libellus alter de excusationibus ad Modestinum, ubi de militari ætate, magis qvàm per transennam disserit; [13] *Petrus Abaunza* JCtus Hispanus, qvi nuperrimè prælectiones philologicas edidit, ad titulum decimum qvintum de sagittariis,

b edito cum præfatione Joan. Thomæ Freigii Basil. 1569. in 8t.

c Vide dicta suprà c. IX. 14. p. 510.
d Vide infra c. XI. 1. p. 520.

nis, ex libro qvinto decretalium; [14] *Franciscus Contarenus* in commentario *e* de militari stipendio Romanorum, qvem contra Lipsium scripsit, & pro mantissa adjecit libro suo de frumentaria largitione; [15] *Sixti Arcerii* illustrium aliqvot præliorum è veteribus descriptiones, cum acierum iconismis ære expressis: qvamvis liber hic, non minùs ad Græcos qvàm Romanos pertineat; [16] *Julius Cæsar Bulengerus* in Imperatore & alibi passim; [17] *Alphonsus Ciacconus* in historia utriusqve belli Dacici, ex simulachris, qvæ in columna Trajani Romæ visuntur, collecta; [18] *Guilielmus Choulius* in libro Gallico de castrametatione, & disciplina militari Romana; [19] *Gabriel Simeon* de tribus campi partibus; [20] *Julius Ferrettus* in antiqva illustrata & instaurata militia terrestri; [21] *Robertus Valturius f*, qvi Sigismundo Malatestæ Ariminensium principi, militaris disciplinæ præcepta, è Græcorum Latinorumqve historiis præscripsit, explicatis etiam delineatisqve rudiori picturâ, veterum machinarum artificiis; [22] *Volaterranus* librô trigesimô Philologiæ; [23] *Rosinus* Antiqvitatum Romanarum librô decimô, & ex consequenti, qvi hunc auctorem variis collectionibus auctiorem fecit *Demsterus*; [24] *Maphæus Vegius* eleganti opusculô; [25] *Jacobus Pontanus* in posteriori parte tertii voluminis progymnasmatum; [26] *Marius Grapaldus* libellô notissimô de partibus ædium; [27] *Julius Barbaranus* in promptuario; [28] *Leonardus Fortius* qvi vulgari Græcorum metrô libellum de militia edidit, variorum instrumentorum figuris adornatum, qvæ omnino eadem *g* visuntur in libro Italico, cujus titulus est *Vallo, libro apartenente à Cavallieri*; ut difficile sit conjicere, uter ab alio fuerit descriptus, sed prioris tamen ob lingvam major est apud criticos auctoritas; unde Rigaltio & Meursio, freqventer laudatus invenitur; [29] *Cœlii Rhodigini* admirandæ non minùs qvàm antiqvæ Lectiones plurimum etiam huic negotio conducunt; [30] Ut *Joachimi Camerarii* liber de disciplina eqvestri, [31] *Petri Fabri* Agonistica seu Athletica; [32] *Mercurialis* Ars Gymnastica *h*; [33] *Lipsii* Saturnales sermones de gladiatoribus *i*; ac deniqve [34] *Alexander Neapolitanus* in Genialibus *k*. [35] *Barnabas Brissonius* amplissimi senatus Parisiensis præses, librô qvartô formularum, qvi totus de militaribus est, [36] *Justus Rycqvius* de capitolio *l*. [37] Et *Wolfgangus Lazius* qvi ingenti illô volumine commentariorum reipublicæ Romanæ, nihil aliud antiqvius habuisse videtur, qvàm ut militiam Romanam explicaret. adeò totus

e Hunc lego ex editione Vesaliensi, M. DC. LXIX. in 12.

f Vide suprà dicta p. 470.

g Repetit hæc è Naudæo Joh. Albert. Faber, Centur. Plagiarior. n. IV.

h Optima editio est Amstelodamensis CIↃ IↃC LXXII. in 4to, qvâ utor.

i Hos habeo Antverpiæ editos opt. M. DC. XVII. in 4to, illa enim editio ultima & castigatissima est.

k Optimè prodiit Alexander Lugduni Batav. CIↃ IↃC LXXIII. cum integris Commentariis Tiraqvelli, Gothofredi, Christoph. Coleri & Nic. Merceri.

l Hic cum notis Cl. Jacobi Gronovi exiit novissimè Lugduni Batav. CIↃ IↃC XCVI. in 12.

totus in illa est libris qvartô, qvintô, sextô, & tribus aliis seqventibus, 58 Sed audio præterea *Claudium Salmasium* campum hunc sibi repastinandum assumsisse, in qvo pro ea immensitate doctrinæ, qvâ disciplinas omnes illustrat, non dubito qvin multa promere, ac velut ex adytis penitissimæ antiqvitatis, & favissis capitoliniis eruere possit, qvæ frustra hactenus ab aliis *m* tentata, ab aliis ne tentata qvidem fuerunt.

XI. *Qvi-*

m Ab aliis tentata] Ita sanè de semetipso scribit in notis ad Flavii Vopisci Syracusii Bonos. c. XIV. Tom. II. Histor. Augustæ Scriptor. p. m. 766. b. edit. Lugdun. 1671. in 8t. *Sed de tota hac re nos aliô tempore & opere fusiùs, ubi multa ad militiam veterum pertinentia adhuc intacta & intentata, & paucis cognita, immò nullis tractabimus.* Sanèipsum illum Princeps qvoqve Arausionensis ad scribendum de *Romana* exstimulaverat *Militia*, ut ex Salmasii ad Peyresc. Epist. LXXXIII. p. m. 179. videre est: sed *Fragmentum* tantùm *posthumum* ad qvædam qvæ tempus Romana in militia mutavit, pertinens, dias in luminis auras exivit Lugduni Batavor. CIƆ IƆC LVII. in 4to. Georg. Hornius in præfatione ei præmissa vocat id *ἀποσπασμάτιον magni operis, a qvo absolvendo* Salmasius *variis hinc inde ingruentibus impeditus difficultatibus, tandem etiam morte abruptum nobis imperfectumqve reliqvit.* Antonius Clementius in p. 43. Tractatus de laudib. & vita Cl. Salmasii hujus Epistolis præmissi: *Celsissimi*, inqvit, & *Præpotentes Heroës, Fridericus Henricus & Gulielmus II. Gloriosæ memoriæ Arausionensium Principes, sæpiùs in consilium adhibuêre* Salmasium, *super rebus Politicis ac militaribus. Et cùm aliqvoties cum Augustissimo Principe FRIDERICO de Veteri* Romanorum Militia, *ejusqve varia mutatione, & discrimine sub Consulibus & Cæsaribus (qvod hactenus Eruditos omnes latuerat) sermones miscuisset; tàm impensè placere sibi SALMASII illas Dissertationes MAGNUS HEROS, & Belgii nostri Mavors significavit, ut Scriptò eas consignari protinus jusserit. Et paruit ejus Mandato qvàm lubentissimè SALMASIUS. Syntagma ergo aliqvod de MILITIA ROMANORUM, qvod dudum animô conceperat, & cujus gustum sæpe Amicis id flagitantibus per litteras dederat, tandem auspiciis AUGUSTISSIMI HEROIS seriò & accuratè tractare primò* Gallicè, *deinde* & Latinè, *aggressus est, nec destitit donec ad finem deduxisset. Integrum tamen videre PRINCEPS non potuit, cùm acerbissimô & Bonis omnibus ætatèm lugendô excessu prohibitus sit. Varios deinde casus expertus est ille liber, & diu per amicorum manus ambulavit; donec ad aliqvem, Virum Celeberrimum, pervenit, qui hactenus fideli, sed incommodâ publicis utilitatibus, custodiâ asservavit. Utrum verò aliud præterea & majus opus conceperit, cui hoc serviret pro* Adparatu, *an hoc ipsum fuerit, qvod promiserat, incertum mihi est atqve incompertum.* Cl. Sarravium *audiamus in Epist. qvadam ad* Gronovium; Longiusculæ, *inqvit*, Epistolæ modò *(de* Militia *loqvitur)* crediderat olim posse omne istud definiri, & absolvi: sed jamsententiam mutat, grandiusqve volumen promittit, qvod majoris adhuc *OPERIS* ad *Arausionensium Principem* erit vice *Adparatus. Magnus sanè liber est, qvem hodie habemus, & rem omnem plenè pertractatam habet. Aliqvot ejus τεμάχια excuderant Typographi nostri, cùm eam fortunam expertus est, qvam diximus. Aliqvod tamen ejus specimen, & qvoddam qvasi compendium Erudito Lectori non unô locô exhibebunt Epistolæ, qvas hôc volumine vulgamus.* Hactenus iste. Enimverò superesse multa, qvæ ipsis in Polybii

milli-

XI. *Qvinam scriptores militiam veterem cum nova comparaverint, qvôve conatu.*

¹ Comparatè verò de utraqve militia, tàm recenti, qvàm antiqva; pri-

militaribus nondum sunt ad liqvidum perducta, id verò inter eruditos constat. Optandum erat, Isaacum Casaubonum absolvisse qvos destinaverat animò commentarios, de qvibus Bongarsius in ad Lingelshemium mscra Epistola ann. 1605. spem in antecessum fecerat: *Politica & rem militarem diligenter excutit: recensioribus aptat illa vetera, magnò labore, majori judiciò.* Sed illa spes jamdudum decollavit. Sicuti & altera de doctissimo Rabod. Hermanno Schelio Domino Venebruggæ & Welbergii Isselmudano Transisulaniæ agri Præside, cujus notæ & Animadversiones in Castra Polybiana & Dissertationes aliqvot de re eadem militari Populi Romani, Amstelodami M. DC. LX. in 4to editæ satis ostendunt, qvantum in arduo hoc labore ab eo sperandum fuerit. *H. Rhabod. Schelius notis ad Hyginum Gromaticum*, inqvit Cl. Grævius in notis ad Ciceron. II. Famil. Ep. XVII. p. m. 114. b. *prolixiùs hanc rem exseqvitur, & primus docuit alarum veteris reipublicæ, & qvæ post Marium, qvæqve deinde sub Cæsaribus primùm fuerunt, discrimen. Is enim vir Illustrissimus & summi ingenii ac doctrinæ, has Notas suppressò nomine, aut notis tantùm indicatò edidit. Qvi nisi acerbò fatò & patriæ, cujus præcipuum columen erat, & litteris esset præreptus, antеqvàm duobus tomis de Omni Re militari Romanorum, qvos adornabat, posset ultimam manum imponere, nihil in hoc argumento desideraremus amplius. Infinita enim eruerat qvæ & Salmasium & Lipsium, & qvicumqve alii in hoc circo sudaverunt, fugêre; nunc verò ignoramus omnes, nec hæc tantùm sed & plurima alia, qvæ in omni scientiarum genere meditabatur.* Hæc Grævius. Cui consentit B. Joh. Schefferus in p. m. 411. notar. in Mauricii Strategicum editum Upsaliæ MDCLXIV. in 8t. ita scribens: *Consulendus est omnino nobilissimus Radboldus* (at nomen ipsi usurpatum verum suprà posui è mscro qvodam ejus) *Hermannus Schelius, in eruditissimis de Castrametatione veterum Commentariis, cujus intempestivâ immaturâqve morte multum detrimenti passum est totum hoc reconditæ eruditionis argumentum, de Re Militari.* Idem ille Schefferus Arriani Tactica & Mauricii Artis Militaris libros XII. nunqvàm anteà publicatos Græcè primus edidit annò scriptò Upsaliæ & Versione Latinâ notisqve inlustravit. Ubi & in p 391. meminit auctoris Veteris de Rebus Bellicis Notitiæ Imperii subjuncti in Currodrepano edit. Froben. Qvem non mirum Naudæum prætermisisse, cùm & alii nobis succurrant, qvi latuerunt ipsum; qviqve à scriptione hujus tractatus prodierunt & auctoris obitu. Legitur Onomasticum vetus Tacticum ab Henrico Stephani in Lexici Adpendice vulgatum, Georgl Vivienni (qvem infrà c. XII: §. 29. *Georgium Vivianum Gallum* vocat Naudæus) Antverpiani Instructio rei militaris terrâ mariqve libb. IV. Gallicè Antverp. CIↃ IↃLXIII. in 16. Faucheti libr. de Militia Francica citavit Carol. du Fresne, Tom. I. Glossarii, Voc. *Crenkinarii*, col. m. 1260. edit. Francof. M. DC. LXXXI. in fol. Simonis Starovolsci Institutorum rei militaris libri VIII. prodiêrunt Florentiæ, M. DC. XLVI.

M. DC. XLVI. in 12. Joan. à Chokier de Surlet in Dedicatione notarum in Onesandri Strategic. part. II. Thesauri Politic. Aphor. *quamplurimos* scribit *fuisse studiis addictos altioribus, & nonnullos à sceteriis educatos mancipatosqve, qvin hac Facultate*, militari, *sibi non mediocriter, nec sine bono publico, complacuerint. Namqve, è veteribus*, pergit, *Zenonem Philosophum legimus, atqve Socratem apprimè facultate hâc delectatos esse, è qvorum etiam disciplina multi praclari Duces prodiêre. Ita Vegetius, Frontinus, Cornelius Celsus, ita Polybius, Xenophon, hanc rei militaris notitiam habuêre, illamqve egregiè scriptis, gestisqve suis pertractârunt. Ita Alexander verè in rè bellica Magnus, Homerum sibi ad militiam manuductorem assumere & asserere non dubitavit. ita M. Cato, illius notitiam habuit, illamqve egregiè scriptis & gestis pertractavit, adeò ut si arma sumpsisset, natus in armis crederetur, si se ad studia convertisset magnus rei litterariæ Senator diceretur. ita qvoqve Lucullus, legendo, subitò factus est Imperator, & ejus industriâ Methrydatis vires sic accisa sunt, ut vincendus aliis traderetur. Ipse Tullius ut eloqviô clarus, ita rei militaris disciplinâ adeò conspicuus & instructus fuit, ut de bello civili prudentiùs, qvam Pompejus judicâsse censeatur. ita deniqve Valerius Maximus. Civis & Patricius Romanus rem militarem scriptis tractâsse, stipendiaqve fecisse certò non arbitrariò ferunt.* (fortè *fertur*) *Nostrâ verò tempestate Joannes Antonius Valtrinus, Adamus Contzen Societatis JESU Doctor Theologus & Professor, Hermannus Hugo ejusdem Societatis alumnus, Balthasar Ayala eximius Jurisconsultus, Scipio Amiratus, Matthias Striconius, Franciscus Petrarcha, novissimè D. Simon Starovelscius, & superioribus annis magnus Lipsius hanc civilis doctrinæ partem in otio etiam litterario ad amussim & utiliter pertractârunt. Cùm militia*, inqvit B. Bœclerus in Historia Schola Principum, p. m. 174. *semper aliqvid novi adferat, non seqvenda sunt scheda eorum, qvi res novas & eventus varios pretiô emunt venduntqve; sed ex literis ducum præfectorumqve militarium & diariis castrensibus. ita colligenda sunt res gesta, ut mos militiæ cujusqve temporis, stilô & ritu propriò peritisqve usitatô exprimatur. Ponamus exempli locô*, Machiavelli libros de arte militari, *ubi inventa militiæ parvis sæpe temporum intervallis immutata, usumqve variis momentis distinctum, demonstrat. Qvo accedere potest* Hermanni Hugonis Militia Eqvestris. *Similis aliqva peritia, Historico necessaria est. Et qvoniam hodie pleraqve omnia ad tractationem militiæ pertinentia vocabulis Gallicis & peregrinis exprimuntur, dederunt operam, ut Latina idonea, ex comparatione antiqvitatis, vel ex re & necessitate præsenti conqvirerent*, Daniel Heinsius in obsidione Sylvæ Ducis; Hugo Grotius, in Obsidione Grollæ; Hermannus Hugo in Obsidione Bredana, Famianus Strada, in Belgicis. *qvæ tamen non statim ad obviam intellectionem ita expromta videbantur, qvin* indiculô aliqvô, sive glossariô, *aut* adjectione marginali. *Latinis peregrina compararentur.* Hæc Bœclerus. Sed de Machiavello placet adscribere judicium auctoris Commentariorum de Regno, sive sit Hotomanus, sive Gentiletus, adversus Nicol. Machiavellum, qvod ita in præfatione, p. 9. habet: *De iis verò militiæ præceptis, qvæ libris etiam suis inseruit, ut nova & ab se primùm inventa, qvid dicam, nisi ea vel ipsô usu refelli, & apud rei militaris peritos prò antiqvatis & obsoletis haberi? Qvale illud est quô vetat Principem peregrinis auxiliis & conductô milite uti, & ditionem suam arcibus & præsidiis adversus externum hostem tutari: sed tantùm adversus subditos, si fortè ab illis sibi metuat. qvippe contrarium qvotidie fieri & usurpari cernimus. Fuit igitur*

in

primus qvi bene ac eruditè ſcripſerit, fuit *Patricius n* in Parallelis: unde & hoc elogium tulit à perqvàm idoneo judice, maximo Joſepho Scaligero, epiſtolâ CXIX. ad Caſaubonum. *Franciſcus Patricius ſolus videtur digitum ad fontes intendiſſe, qvem ad verbum alii, qvi hoc ſtudium tractârunt qvum ſeqvantur, tamen ejus nomen ne ſemel qvidem memorârunt.* 2 Seqvutus eſt ipſum noviſſimè *Hermanus Huge*, qvi de militia eqveſtri antiqva & nova opus edidit, non minus doctrinâ varium, qvàm ſtylô elegans, & figuris omnium, qvas viderim, accuratiſſimè delineatis, exornatum. 3 Simile qvid etiam conatus fuerat *Dominicus Cyllenius*, ſed tam infra laudem conſtitit, in ſordido pulvere qvorumdam exemplorum & apophthegmatum, qvàm audacter modeſtiæ repagula perfregerat, ut magnificum operi ſuo titulum inſcriberet, 4 Et idem qvoqve *auctor o Florentinus* politicæ damnatæ ſibi propoſuiſſe videtur, cùm animum ad ſeptem illos libros de arte militari conſcribendos appulit, qvos poſteà Latinè vertit, & edidit Janus Morellius, ut Teutonicè Heroldus ab Hoechſtetten. 5 E noſtratibus verò Gallis qvamvis diverſi hanc ſpartam ſibi excolendam ſumſerint, videtur tamen illos omnes, longô poſt ſe intervallô reliqviſſe *Ludovicus Regius*,

in iſto homine ſuper cetera inſignis temeritas, qvùm Scriba vilis, & forenſibus jurgiis potiùs qvàm prœliis aſſvetus, de Re militari ſcribere auſus eſt, & ejus præcepta tradere. Peripatetico illi Phermioni perſimilis: qvi, qvùm Annibal Carthaginè expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exſul: próqve eo, qvòd ejus nomen erat magnâ apud omnes gloriâ, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eum philoſophum, ſi vellet, audiret: qvúmqve ſe non nolle dixiſſet, loqvutus eſſe dicitur homo copioſus aliqvot horas de Imperatoris officio & de omni re militari. Tum qvum ceteri qvi illum audiêrant, vehementer eſſent delectati, qværebant ab Annibale qvidnam ipſe de illo philoſopho judicaret? Hîc Pœnus liberè reſpondiſſe fertur, Multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qvi magis qvàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Idem planè de Machiavello judicaturos non dubito Militaris rei peritos homines, ſi ejus ſcripta legerint, dicturóſqve eum in βιβλίων *χωρῶν, vel (qvod Gallicè proverbiô fertur) de armis ut Clericum nugari. Sed iis qvi res bellicas callent eam curam delego, neqve mihi hic Machiavelli de Arte militari præcepta excutere conſilium eſt.* Hæc ille. Pergat nunc Bœclerus loqvi. *Jure & militia navali,* inqvit ibid. p. 175. *multis mutationibus in hunc diem innovatâ, nondum exſtat ſimilis induſtriæ exemplum in Hiſtoria.* Thomas *enim* Rivius *in* Hiſtoria Navali, Antiqvi, & Medii ævi, *ad ſummam rei geſtæ reſpicit; neqve ſingulis motibus congreſſibuſqve navium, & pugnatiſqve nauticæ molitionibus intentus eſt. Si leges, qvid* ſuperioris ſæculi annô octogeſimô octavô inter Hiſpanicas Anglicaſqve claſſes *actum ſit, apud* Meteranum, lib. XV. *facile intelliges,* Stradam, dec. II. lib. IX. & Camdenum, Part. III. *eo ſecutos eſſe, qvæ prælii eventa ſummatim ſignarent. Nec multum ultra,* Grotius, Hiſtor. lib. I. *preceſſit.* Thuanus, lib. LXXXIX. *Meterani veſtigiis inſiſtit.* B. Joh. Schefferi Argentoratenſis de Militia navali Veterum libri IV. vulgati ſunt Ubſaliæ, annô M. DC. LIV. in 4to.

n Vide ſupra c. IX. 7. p. 515.

o Machiavellus

Regius, [p] cùm in comparatione, qvam librô IX. de viciſſitudine rerum inſtituit, militiæ Romanæ cum hodierna, tùm verò potiſſimùm in commentariis ſuis ad libros politicos Ariſtotelis & Platonis, in qvibus maximâ ſedati & maturi judicii ſignificatione, multa habet, aliter, qvàm vulgus politicorum ſoleat, diſcuſſa in hanc rem & variè ſubtiliterqve examinata. [6] Qvid plura? *Alexander Sardus*, & *Polydorus Virgilius*, dum rerum omnium inventores diligenter conqvirunt, eos qvoqve enumerant, à qvibus in utraqve militia novi aliqvid excogitatum eſt. [7] Et mihi nunc venit in mentem qvarumdam tabularum excuſarum Antwerpiæ, in qvibus novâ arte, cum aqvis regalibus & acerrimis, lineas in ære ducendi, expreſſa conſpiciuntur arma cujuſvis generis, trophæa & exuviæ, ornamentaqve arcium & templorum bellica, qvæ idcirco titulum operi fecerunt *Panopliæ* ſeu *Armamentarii*, & mirificè animum reficiunt oblectántqve, jucundiſſimâ illâ tot armorum inſtrumentorúmqve, & machinarum, cùm veterum, tùm novarum varietate. [8] Sed plura etiam in hanc rem habent *Ægidius Cardinalis Columna* parte ultimâ operis de regimine principum, [9] *Ramus* in prooemio mathematico; [10] *Gregorius Tholoſanus*, totô undecimô librô reipublicæ; qvi eſt de militari cura, & librô vigeſimô qvintô ſyntaxeos admirabilis; [11] *Adamus Contzen* librô decimô politicorum; [12] *Antonius Zora* membrô decimô qvintô ſectionis ſecundæ, anatomiæ ingeniorum; [13] *Marcus Antonius* J. C. Neapolitanus, exarchiæ, ſive de exteriori principis munere, librô nonô. [14] Atqve hi tres poſtremi ſcriptores omnia complexi ſunt, qvæ de bello, duce, & milite, ex florilegiis, & locis communibus variorum auctorum dici poſſunt, tam copiosè, ut ſi qvis ἀκρίβειαν in illis deſideret, ſaltem laborem, & doctrinæ communis argumenta varia non poſſit. [15] In eodem præterea argumento verſatus eſt *Carolus Scribanius* [q] in Chriſtiano Politico, ſed ſuô more, id eſt ſtylô eleganti, terſô, acutô, & micante inter acumina ſenſuum, & floſculos ſententiarum, qvas interdum etiam ex ſuo penu depromit: [16] Qvemadmodùm *Lipſius* [r] ſemper ex alieno; ſed breviori tamen flexu dictionis, & amœnitate majori, qvâ rem per ſe moleſtam & difficilem expolivit in doctrina civili. [17] *Hugo Sempilius* multa ſtrictim delibat in libris ſecundo & qvinto de mathematicis diſciplinis, ubi catalogum addit, auctorum qvi de militari arte ſcripſerunt, ſed tam confusè negligenterqve concinnatum, ut eô non magis lector juvari poſſit, qvàm ſi editus nunqvàm fuiſſet. [18] Audioqve virum ſolidè eruditum *Joannem Ba-*

[p] *Regius*] Dixit de hoc non ſine laude Naudæus in Bibliographia Politica, qvam habes in parte I. Methodor. noſtrar. n. XIII. c. V. extr. p. 519. c. VII. 2. p. 521. c. IX. p. 534. c. XXV. p. 570.

[q] Habeo Caroli Scribani Politico-Chriſtianum Antverpiæ editum annô M. DC. XXIV. in 4to.

[r] Vide dicta ad c. IX. §. 14. p. 511. b.

Baptistam Donium, in magno opere suo philologico, cui à rerum varietate pandectarum nomen esse voluit, titulum de militia fecisse, in qvo multa eruuntur de novo vocabula, multa qvæ in usu erant, ad incudem revocantur, & explicantur suô ac doctiorum modô. [19] Sed hi omnes ex ingenio locuti sunt; ab experientia verò librum recens editum vidi, qvi ceteris omnibus facilè obstruat, nempe *imaginem perfecti ducis*, expressam ex Julii Cæsaris commentariis, à fortissimo & sapientissimo duce *Errico Roano*, qvi nunc in Tellina valle sub Christianissimo Rege castrorum præfectus, idem omnino facit qvod qvondam in alpibus Taurinis *Guilielmus Bellajus* Langæus eôdem munere defungens, fecerat, editis etiam tribus libris de re militari, qvos posteà *Mambrinus Roseus* Italicâ, & omnes fermè populi suâ lingvâ reddiderunt, ob summam ejusmodi librorum, qvi ab expertis & celeberrimis nostrâ & patrum memoriâ ducibus, compositi fuerunt, utilitatem; & à qva illud etiam honoris & præmii retulerunt, ut meritò beatissimi existimentur; siqvidem rectè dicebat Plinius Junior, lib. VI. Ep. XVI. *beatos puto, qvibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos verò* qvibus utrumqve. [20] Porro istis omnibus magis, ut opinor, ad recentis militiæ placita deflectunt, *Ruggerius de Loria*; qvi de vera arte militari ex Cæsare disseruit; [21] *Imperialis Cinussus* de disciplina militari antiqva & nova; [22] Et *Achilles Tarduccius*, qvi ut priores illi hetruscô sermone de machinis; & aciei, castrorumqve dispositione commentarios aliqvot publicavit.

XII. *Series illorum, qvi de militia nostra scripserunt, & singulis ejus partibus, ordine ferè dispositi, qvem auctor in syntagmate de studio militari servavit.*

[1] Verùm cùm ab istis deveniendum mihi sit ad innumeros ferme alios, qvi de posteriore hac & nova militia dixerunt, absqve ulla antiqvioris consideratione, nisi qvantum eâ opus est, ut qvomodo recens à priori illa dependeat non ignoretur; videor mihi nulla eos commodiori viâ aut ordine referre posse, qvàm ab iis incipiendo, qvi universam artem scriptis suis absolverunt, ut mox per alios, qvi nonnullas ejus partes sigillatim attigerunt, eô ordine seqvar, qvô & in syntagmate de studio militari conficiendo, nobis utendum esse duximus. [2] In eorum igitur classe, qvi generatim de militia disseruerunt potiùs doctrinâ academicâ, qvàm rerum experientiâ commendantur *Casparis Facii*, *Georgii Richteri* †, & *Montacuti* axiomata militaria. [3] Discursus Italici de bellorum ratione *Æneæ Servellini*, *Francisci Fiamelli*, *Hieronymi Frachettæ*, *Fabii Fretzæ*

† Nisi Naudæus illa putet Axiomata, qvæ in fine Politicorum Axiomatum Richterus habet, nescio qvæ velit. Præter Axiomata enim Politica, edita Görlicii

tza & *Antonii Ciccarelli*. [4] *Joannis Heroldi* Acropolitæ ftrategematum five militaris folertiæ chiliades tres : [5] *Anfelmi Strechelii* enchiridion ftrategematicon ; [6] *Belifarius Aqvivivus* Neritinorum Dux , [7] Et *Jacobus* Comes Puriliarum , qvi avitô excufsi imperiô , cùm fe factis probare non poffent militaris difciplinæ peritos , iftud calamô faltem oftendere voluerunt. [8] *Cornazoni* poëtæ Hetrufci verfus, qvi utiliores funt lingvæ vetuftioris Italicæ , qvàm militiæ ftudiofis : [9] *Joannes Carnutenfis* de re militari : [10] *Thomas Filiarchus* de bello : [11] *Laurus Gorgierius* ; [12] Et *Hanapius* de victoriis diverforum ; [13] *Nicolaus Vernulejus* *r* de bello feliciter gerendo : [14] *Hieremias Paduanus* ; [15] *Adamus Junghans* omnes , ut mea fert opinio, aut declamatores funt , aut ejufmodi, ut rerum fummam in bello non faciant. [16] *Eliæ Reufneri* ftrategematographia , five thefaurus bellicus , multum habet eruditæ lectionis , [17] Qvemadmodùm etiam *Ranzovii* commentarius bellicus , qvi ut à copiarum duce factus , dignus qvidem eft , qvi à præfectis, & Imperatoribus legatur , [18] Non fecus ac *Nuæi* militis optimi , fed non æqvè catholici , difcurfus militares ; & qvicumqve alii non tàm ab eruditis , qvàm multô bellorum ufu probatis hominibus elaborati fuerunt. [19] Qvâ ratione pro optimis habentur , *Bernardini Mendozæ* confcripta Hifpanô fermone , ac poftea etiam Italicô militaris artis tàm maritima qvàm terreftris inftitutio ; [20] *Joannis Jacobi Valhaufii* , *Bernardini Efcalantes* , & *Flaminii à Cruce* opera omnia ; *Francifci Mariæ* ducis Urbinatis difcurfus militares ; [22] Fratris *Lelii Brancacii* eqvitis Hierofolymitani , & *Antonii Petrieræ Cirnei* , munera & officia militaria ; [23] *Praiffaci* , *Laprugnæi Corbofoni* fcriptorum noftratium, [24] Et *Francifci Ferretti* Anconitani, Introductiones dilucidæ in artem militarem , [25] *Faufti à Bufalo* , & *Matthæi Baccelini* cùm difcurfus , tùm aphorifmi de variis rebus , qvæ neceffariæ funt exercitui confcribendo ducendoqve , formandæ aciei , & expugnandis arcibus , aut propugnandis; [26] Ac

licii optimè annô 1604. in 4to , Oeconomica , qvæ eôdem annô prodierunt ibid. & Ecclefiaftica , Goflariæ annô 1614. vulgata in 4to , qvæ infcribuntur Pars tertia Axiomatum Hiftoricor. cum Adpendice ad Regulas Hiftoricas continente novorum Axiomatum Centurias tres edita Görlicii annô CIↃ IↃCXIV. nulla mihi Scriptoris ejus Axiomata Militaria innotuerunt unqvàm. Adducta è Paulli Cordefii Hamburgenfis Bibliotheca pervenerunt ad me. De Aphorifmis Politicis & militaribus Lamb. Danæi, Naudæo noftro neglectis vel ignoratis , fuperiùs dixi in p. 394.

r Qvod Nicol. Vernulejum in Declamatoribus habet, nihil mirum , cùm ejus Differtationes de Bello feliciter gerendo fex Orationes fint, qvæ leguntur in principio Decadis II. Differtationum ejus Politicar. edit. Lovan. M DC XLVI. in 8t. In Decad. I. n. VII p. m. 341. f. invenies qvinqve de Bello Turcico Orationes. n. IV. p. 180. f. VII. Orationes de Gloria Militari ; cujus nationis fcil. milites optimi fint , & fummam gloriam retulerint?

[26] Ac demum *Matthæi Savergani* Comitis Belgradensis, utriusqve militiæ qvæ terrâ mariqve geritur Ars perfecta; [27] Et *Bartholomæi Pelliciarii* Monita bellica; [28] Hæc enim opera non otiosorum commentis, aut litteratorum meditationibus similia sunt, sed veram rationem continent ejus, qvod in militia istis temporibus rectius & freqventius usurpatur. [29] Qvod non item asserere possum de curso bellico *Petri Mariæ Contareni*; de disciplina militari *Francisci Valder* Hispani, *Georgii Viviani* ii Galli, *Leonardi Fronsbergii* & *Lazari Schwendi* Germanorum, *Hieronymi Ruscelli* Itali, & *Martini Egniluz* aut de technis, & erroribus, eventibusqve bellorum diversis, *Bernardini Roccæ* Placentini; cùm nec libros ejusmodi viderim, nec qvi eos scripserunt, tanti unqvàm ab aliis fieri meminerim, ut referri meritò inter optimos debeant. [30] Atqve hi sunt auctores, qvos novi universam militarem disciplinam scriptis suis pertractâsse; [31] Seqvuntur modò alii, qvibus satis fuit partem aliqvam ejus illustrare, cùm reliqvas forsan æqvè facilè non possent; [32] Inter qvos, primus locus jure debētur *Friderici Vuernstreri* libello Germanico de belli malis; ejusqve sententiæ eversori *Thomæ Lineo Ruscio*, qvi belli simul, & militiæ encomium contexuit, editum in vasta illa collectione diversorum auctorum, qvi materias *infames*, sive qvis mavult dicere cum Agellio *inopinabiles*, aut cum Græcis ἀδόξως καὶ ἀπίστως ὑποθέσεις ingenii expergefaciendi gratiâ, laudandas susceperunt: [33] Hisqve comites esse possunt *Johannes Baptista Pacianus*, *Scipio à Trigona*, *Franciscus Serdonatus*, *Hieronymus Urea*, & *Chassaneus*, qvi præcellentiæ & honori militum, brevibus qvibusdam, sed argutis libellis patrocinati sunt; [34] tum *Augustinus Niphus*, *Joannes Lauterbachius* & *Alexander Tassonus*, qvi tantâ facundiâ perorârunt pro militibus in litteratos, ut *Joannes Baptista Grynæus* haud injuriâ sub paradoxi titulo libellum evulgârit, in qvo horum elevare conatus est sententiam. [35] Nec ab illis etiam sejungi debent auctores, qvi de militum & eqvitum privilegiis consuli à jurisperitis solent, [36] Qvales sunt *Matthæus Burnius*; *Claudius Cotterajus*; *Marcus Mantua Benavidius*; *Signerellus Omodeus*; *Christophorus Lanfranchinus*, *Petrus Calefatus* & id genus alii; [37] Secundum verò locum sibi hâc serie postulant *Joannes Alphonsus* Florentinus, itemqve *Dominicus Mora* Bononiensis & *Joannes Altonus* de milite; [38] *Antonius Ruldanus*, & *Franciscus Scaphorus* de electione militum; [39] *Simon Vallambertus* de eorumdem fortitudine & industria: [40] *Joannis Surgeni*, & *Bartholomæi Pelliciarii* informatio Tirocinii militaris; [41] *Franciscus Scaphorus* de exercitiis, [42] Et *Franciscus Fiamellus* de militum interrogationibus. [43] Tum *Petrus Montius* Mediolanensis, *Alexander Brassicanus*, *Camillus Agrippa*, *Salvator Faber*, *Bonaventura Pistophilus*, *Jacobus Geynus*, *Joachimus Major*, *Achilles Marozzus*, *Jacobus Grassus*, & *Gerardus Thibaultius*, qvi omnes hoplomachiæ, seu diversorum armorum, ut sarissæ,

ii Vide qvæ dixi superiùs paullo ad c. X. §. extr. p. 518. b.

sæ, gladii, securis Helveticæ vulgò hellebardæ, & fistularum chalybeatum minorum tractationis modum artemqve docuerunt. [44] Qvanqvàm *Montius* & *Sardus* unà cum *Marco Antonio Pagano* Neapolitano, plus eruditionis, & gravitatis afferant, nec figuras habeant, qvibus ceteri fermè omnes rem meliùs ob oculos poni arbitrati sunt: [45] Unde *Gerardus Thibautius* tot exqvisitè delineatas, in suum prægrande volumen conjecit, ut non tam ab usu, qvem ex eo tirones percipere possint, qvàm à voluptate, & insolita tabularum magnitudine, atqve elegantia commendari debeat. [46] Hisqve annumerandus est *Rogerius Ascanus* x Anglus, qvi patriô sermone librum de arte sagittandi conscripsit, qvem nisi prout nunc sunt

x *Ascanus*] Malè, est enim ipsi nomen Aschami, qvi Regiæ olim Majestati Angl. fuit à Latinis Epistolis. Hoc de scripto autem Naudæo citato ita nos docet Ed. Grant in Oratione de Vita & obitu Aschami, ejus Epistolis annô M. DC. X. in. 12. Hanoviæ editis subjuncta, p. 639. *Sagittando se multum exercuit, & quantâ peritiâ exercuit, liber à se doctissimè conscriptus, & Henrico Octavo ante profectionem in Galliam ad expugnandam Bononiam oblatus, Anno Domini 1544. testificari potest. De qvo libro R. Pemberus hac duo carmina lusit.*

Nun minus hic arcu est qvàm linguâ clarus, utrâqve
Sic ornat patriam, sic juvat ille suam.

Nec defuerunt, qvi ei hanc sagittandi oblectationem vitio vertebant: qvi si cum Aschamo comparentur, aut prudentiâ, lingvarum peritiâ, ingeniô, rerum usu, scribendo, excogitando, honestè vivendo, pupillos diligenter instituendo, planè frigescerent. Ipse verò auctor Aschamus, lib. II. Epistolar. p. m. 189. sic hoc suo de libro scribit: *Scripsi ego Toxophilum meum, non tam qvòd honestatem sagittationis & ejus usum scriptô me illustrare instituerim, qvàm potissimùm, ut hâc viâ insisterem, periculum facturus, num ea aliqvando vita mea rationes tenues admodùm, & infrà communem studiosorum conditionem positas promovere potuerit: intellexi enim aliqvot peritos sagittarios summa beneficia a Regia Majestate accepisse. Ea res me in magnam adduxit spem, in aliqvo loco & numero, fore hanc operam & industriam meam, qvâ ipsum sagittariorum numerum, aut peritiorem aut copiosiorem efficere elaborarem. Hanc spem meam seqvutus est præclarus eventus: nam Regia Majestas, ut audio ex summo patrono meo D. Pagetto, certam quamdam annuam pecuniam mihi concessit. Nunc tu orandus es à me, optime vir, ut illam opem tuam in hac re conficienda mihi adferas, qvâ litteras ipsas & earum studiosos ferè omnes tibi arctissimè devinctos retines. Deposueris hoc beneficium non apud insignem sagittarium, sed apud mediocrem cultorem litterarum, qvi hâc bonitate, & Regiâ, & tuâ, non ad sumptum & speciem abutetur, sed per quem ea omnis ad litterarum otia sustentanda convertetur.* Et p. 174. *Totus sum in Toxophilo meo, seposui Herodotum ad tempus. Si scripsissem Toxophilum Latinè, videor potuisse mediocriter illud munus ornare: meo nominè meliùs consuluissem, sed non his, qvi eum librum libentissimè lecturi sunt.* Item p. 181. D. Essexiæ scribit: *Ex omnibus primariis viris tu primus & princeps es, Nobilissime vir, cujus manibus hic liber inprimus gestari gestit: tibi enim uni qvàm ceteris ferè universis, se plus debere agnoscit. Nam tu primus eras, cui se primùm committere, & cujus præcipuâ ego*

ſunt tempora, fiſtulæ chalybeæ, baliſtarum loco ſucceſſiſſent, reliqvis omnibus præferre non dubitarem, *Philippi Cominei*, lib. I. Hiſtor. ſententiam,

in lucem conſpectumqve hominum apparere auſus eſt, moderatiſſimam tuam prudentiam in eo cognoſcendo, & paratiſſimam tuam voluntatem in eo exornando vehementer admiror & ſuſpicio. Qvid enim tu de eo dicebas, vel tùm, cùm ſe amplißimo Conſilio Regio oſtenderit, vel nuperrimè, cum Regiæ Majeſtati ſeſe verecundè admodùm & timidè obtulerit, perpetuâ uſurpabo memoriâ. Videre enim vel jam videor, & qvaſi præſenti qvôdam obtutu intueri, qvàm divinâ animi tui inductione, qvantâ vultus ſuavitate, qvàm eximiâ laudis prædicatione, hunc librum extuleras commendaveraſqve Diva ſemperqve Auguſta Catharina, cùm ea fortè, qviſnam liber is eſſet, interrogârat. Qvamobrem cùm hæc ſingula ſingularem qvamdam bonitatem in te perſpicuè declarant, univerſa autem divinam & heroicam naturam, natam ad rem & litterariam & ſagittariam promovendam, duo ſumma Angliæ decora & ornamenta, maniſeſtiſſimè teſtantur: ſummoperè mihi elaborandum eſſe video, ut cùm minimam partem hujus ſummæ tuæ in me bonitatis, omni meâ ſedulitate conſeqvi neqviverim, paratâ tamen voluntate & ſtudiò ſemper præſto ſim, ad eum hominem perpetuò me præſtandum, in qvem hanc opem non indigniſſimè conſumptam eſſe judicabis. Perge igitur, nobiliſſime vir, & litteras etiam atqve etiam exorna, ut illæ te viciſſim exornent, & contende hanc laudem ceteris omnibus præripere, ex qva re verè nobilis, & germana ſemperqve duratura gloria ſolet proficiſci. D. Jeſus, &c. Et Thom. Wriotheſleio, Angliæ Cancellario Magno, p. 182. *Nec prius mihi qvidqvam faciendum putavi, nec magis oportunum, honoratiſſime vir, qvàm, ut in hoc omnium & hominum & negotiorum ad te concurſu, hunc libellum tibi ad legendum offerrem. Iniqvè enim comparatum eſt, (fortè eſſet) ſi univerſi tibi libellos litibus, qveremoniis & turbâ refertos porrigerent, & nullus pateret aditus illis hominibus, qvi libros otii & delectationis, tibi adferrent: cùm nec prudentiſſimæ cogitationes tuæ ſic qvotidianis hominum controverſiis attritæ, diutiſſimè in negotiis conſiſtere, ac durare potuerunt, niſi aliqvò aliqvando otii fructu recreatæ, jucunditati ſeſe dediderint. Contraria enim res contrarias retinent, & complectuntur. Hoc enim omni natura conſiliò & artis imitatione cernitur. Sic diei labores fovet noctis reqvies, ſic ſomnus vigilias ſeqvitur: nec ſcamnum ullum, ad ſedem firmum & ſtabile eſt, qvod contrariis inter ſe pedibus, cohærens ac fultum conſiſtat. Qvamobrem, cùm omnes ferè cogitationes tuæ in cura & ſolicitudine verſentur, & tanta tot hominum negotia, ab omni externa oblectatione excludant, offero tibi hunc libellum, otii mei in litteris conſumpti ſignum, & aliqvod non ingrati animi in patriam teſtimonium: qvi, ſi nihil attulerit ad te inſigniter oblectandum, aliqvid tamen moræ & impedimenti eſſe poterit, ad te, à nimis intentis cogitationibus, avocandum. At verò vix auſus fuiſſem tempora tua à rerum graviſſimarum procuratione remorari, niſi me priùs ad id faciendum commoviſſet conſilium eruditiſſimi Præſulis D. Ciceſtrenſis, cui unum ex iſtis libris obtuli, qvi mihi animum addidit, affirmans fore hanc operam meam, tibi non ingratam, qvia plus tu unus, qvàm univerſi alii, rei & literariæ, & ſagittariæ tribuendum eſſe ſentis. Itaqve ſi hunc laborem meum non penitùs diſplicuiſſe tibi intelligam, aliqvid poſthàc certò navabo & perficiam, qvod cùm fuerit minùs literati hominis magis proprium, & mihi ad dandum tibi aptius, & tibi ad perlegendum*

tiam in hoc secutus, qvæ talis est: meô qvidem judiciô, qvum est dimicandum, nullum genus militum præstat sagittariis. 47 Scripserat idem *Psilophilus* torneamentorum & hastiludiorum praxim, qvam nondum mihi videre contigit, sed qvantum ex ejus oplomachia conjicere possum; non is est, qvi jaculum extra metam expediat. 48 In eqvestris verò militiæ disciplina, qvattuor seu duces seu tribuni communiter proponuntur, qvorum de ea re lucubrationes tanqvàm absolutissimæ, omnium sibi calcu-

dum acceptius esse poterit. D. Jesus, &c, Tandem etiam D. Wintoniensi, p. 184. *Librum meum Regio Consilio, tàm communi omnium consensu probari, mirificâ qvâdam lætitiâ me perfudit, ornatissime Pater: singulari tamen prædicatione à te tam laudato viro laudari, incredibili sanè infinita voluptatis abundantiâ me totum delibutum reddidit. Nam cùm tu in omni rerum gerendarum susceptione singulos consiliô, in qvavis autem rerum scribendarum institutione, universos judiciô superas, tibi profectò uni, qvàm ceteris universis, hoc institutum meum probari, longè pluris facio. In hoc libro scribendo, longissimè abesse, & discrepare ab universo ferè Anglorum scriptorum numero studebam, non qvòd aliqvid Anglicè scriptum esse ægrè feram, sed qvòd plurimum homines indoctos & temerarios in hoc studendi genere elaborâsse intelligam. Materiam autem inanem, aut eorum facultati imparem seqvuntur, in qva re verba propria & perspicua fugiunt, translata & ad verum splendorem accommodata nesciunt: dein, omnis rectè tractationis ignari & imperiti sunt. Nam Dialecticam, ad ratiocinationem, aut Rhetoricam, ad exornationem, ne summis qvidem labris unqvàm gustaverunt. & sic in nostra lingva vernacula non domestici & proprii, sed peregrini & advenæ esse student. Cùm hoc nimis verum esse scio, Anglos ad Anglicè scribendum nudos & inanes facultatis, præcipites autem & plenos temeritatis, tam incônsideratè irruere vehementer ægrè fero: audaciores enim, non peritiores in hanc rem ferè soli hos aliqvot annos incubuêre: qvæ res & magnam confusionem in nostram lingvam invexit, & hoc regnum ineptissimis omnis generis libris opplevit. Seqvutus sum ego rem, nec mihi propter usum imparem, nec cuiqvam perniciosam & inutilem: ubi si tuo judicio aliqva ex parte satisfeci, & voto meo plurimùm, & optimorum certè exspectationi aliqvid me satisfacturum scio. Ad hunc verò librum scribendum plurimæ me rationes cohortatæ sunt, vel, ut aliqvibus præclaris viris, qui me nimiô sagittandi studiô à gravioribus rebus distineri putabant, aliqva ex parte cognitum esset, non omne tempus meum τῷ τοξεύειν ἐκτετοξεῦσθαι, ut Aristoph. verbô utar, sed ut præclara hæc res plurimâ occupatione usurpata, aliqvâ aliqvando operâ meâ, si non ad summam perfectionem, ad mediocrem tamen conatum exornata, in lucem conspectumqve hominum appareret: vel ut ego tenui & exiguâ vivendi conditione usus, longè infra communem studiosorum usum positus, & jam recenti hinc commigratione in meliorem lucem Reverendissimi Patris & summi patroni mei Domini Ed. Eboracensis in magnam solitudinem conjectus, vel hâc saltem viâ insisterem, qvæ me, si non (ad) aliqvem vitæ splendorem & speciem (qvod non desidero) ad quietam tamen aliqvam, & studioso homini necessariam vivendi facultatem (qvâ re vehementer opus habeo) aliqvando esset perductura. Et hoc meum consilium felicior conseqvetur eventus, si pro eo amore, qvô litteras & earum cultores unicè amplecteris, aliqvod testimonium judicii*

calculos & approbationem conciliàrunt : 49 Scilicet *Georgius Basta*, qvi summus mandatorum curaror in Belgico Regis exercitu, & Cæsarianarum deinde copiarum ductor summo cum imperio fuit; 50 *Ludovicus Melzus* pro magistro eqvitum præfectus, miles Gallicis Belgicisqve armis exercitatus; 51 *Flaminius à Cruce*, qvadraginta stipendiorum veteranus eqves, Insubrum nobilitate clarus; 52 Et *Joannes Jacobus Walhausius* miles item exploratæ virtutis & experientiæ, nec inter postremos scriptores habendus: 53 Qvi qvidem omnes iis laudibus dignissimi videntur, qvas elegans scriptor *Joannes Genesius Sepulveda* in militiam eqvestrem contulit, editus tribus de ejus honestate dialogis. 54 At enim ne miles hâc armorum scientiâ probè informatus, christianè, qvod primum qværendum est, uti eâ in exercitu nesciat, istud imprimis curare debet, ne ab humanitate & pietate transversus agatur; 55 Ad idqve consultores vocare, *Ferrandi Diaconi* paræneticum de officio Christiani ducis; 56 *Dionysium Carthusianum* de vita militari; 57 *Thomam Bozium* z Eugubinum de Robore Bellico; 58 *Antonii Possevini* Militem. 59 Et *Emundi Augerii* Pædagogum armorum; 60 *Francisci Panigarolæ* Clypeum, 61 Et *Petri Bacherii* Speculum militis Christiani, 62 Ac demum Bellatorem Christianum *P. Matthæi Bembi*; 63 Qvorum omnium lectione, ut nihil de fortitudine & audacia decrescat, tum verò pietas maximoperè confirmabitur, & plurimum ad omnem honestæ vitæ rationem accedet momenti. 64 Tironis institutioni proxima est, qvæ de imperatore suscipitur, cujus ideam *Petrus Lagnierius* a ex Cicerone expressit; 65 Propriò verò Marte eumdem virtutibus moralibus exornavit *Bartholomæus Cæpola*; 66 Et militaribus instruxerunt *Hieronymus Garrimbertus*, *Ascanius Centorius*, *Fabricius Burlæus*, *Antonii* duo *Sernius* & *Brucciolus*; ac omnium optimè *Georgius Basta*, 67 Cujus posteà librum de castrorum præfecto in perbrevem summam contra-

ditii tui de me (cùm occasio ad id tulerit) me meamqve caussam, apud Regiam majestatem adjuves. A Regia autem majestate nihil prius aut majore studiò exspecto, quàm ut studia mea, in Italia & transmarinis partibus, aliqvot annos sustentari possint. Hic scopus est, quem Toxophilus meus ferire elaborat: hunc si attigero, & rectissimè & honestissimè collimâsse putabo. In eò majorem spem hujus petitionis mea adduceris, qvò certiùs intelligo, Regiam Majestatem solere præstantibus sagittariis (cujus rei nec ego omnino imperitus sum) sed litterarum penitiùs rudibus, præclaras & eas perpetuas vivendi conditiones tribuere. Ego igitur ad hanc rem conficiendam, tantum de Dominatione tua mihi polliceor, qvantum benefissima caussa à summa auctoritate, litterarum studia ab unice earumdem Patrono, alumnus Cantabrigiæ ab ejus dignissime Cancellario exspectare potest. D. Jesus, &c.

y Vide suprà p. 470.

z Ego lego ipsum Coloniæ editum M. D. XCIV. in 8t.

a *Lagnierius*] Si ita Naudæus scripsit, ipsum auctoris nomen non rectè inspexit; vocatur enim P. Lagnerius, Compendiensis, qvi Ciceronis, Terentii & Demosthenis sententias qvoqve conlegit Wittebergæ annò 1594. editas in 8t.

traxit *Hieronymus Sirtalus*: [68] Exemplis verò idem facere tentârunt *Joannes Boterus* in vitis qvorumdam recentium Imperatorum à se collectis; [69] *Josephus Gratianus* in oratione de laudibus militaribus *Dominici Cardinalis Capsanicensis*; [70] *Paulus Jovius*, *Ubertus Foglieta*, *Julius Roscius* in elogiis militaribus; [71] Et qvi doctè elegantérqve qvæsiverunt, qvisnam antiqvorum ducum ceteris præferendus esset, ut *Franciscus Bocchius* prolixô discursu Italicô, [72] Et alter *Franciscus Floridus* tribus libris de Caji Julii Cæsaris præstantia, in publicum evulgatis: [73] Cùm non desint infiniti alii, qvi ex occasione tractandi de variis rebus, eamdem qvoqve veluti per transennam attigerint, ut *Canonherius*, *Michaël Montanus*, & ceteri qvi jam anteà à me enumerati sunt. [73] Seqvebantur militaris scientiæ ejus, qvæ in Imperatore desideratur; adjumenta duo eloqventiæ scilicet, cui non minimum inservire possunt conciones militares collectæ primùm à *Remigio Florentino*, móxqve iterum editæ à *Sansovino*, & *Bellesorestio* nostro *b*; ac *Martini Leumi* peculiaris dissertatio de eloqventia Imperatoris: [75] Et Mathematicæ, præsertim qvæ ad machinas, architecturam, & instruendæ ac ordinandæ aciei scientiam, qvæ propria Tacticorum est spectant. [76] Atqve ut de singulis illis partibus separatim dicam, de machinis primùm omnis generis scripserunt *Franciscus Fanantius*, *Jacobus Bessonus* Gallus, *Branca* Venetus; *Salomon de Caux*, *Nicolaus Tartalea*, *Faustus Venantius*, [77] Et qvi magnitudine libri, nescio an item utilitate reliqvos superavit *Augustinus Ramelius*, [78] Qvibus addendi sunt *Bonajuti Lorini* liber qvintus, qvi fermè totus est de manganaria; [79] Et *Petri Bertii* digestum novum de aggeribus & pontibus hactenus ad mare exstructis, historicâ varietate lectu non indignum. [80] In specie verò de bombardis, & muralibus tormentis, totaqve pyrotechniæ ratione, optimè si qvi alii scriptores, & ex arte tractârunt *Didacus Usanus* Bruxellis primum evulgatus, ac etiam posteà Londini Anglicè redditus, multis partibus auctior; [81] *Alexander Capobiancus*, *Ludovicus Colladus*, *Joannes Aspier* cognomentô *Anzelettus*, *Nicolaus Tartalea*, *Eugenius Gentilinus*, *Joachimus Brechtel*, *Gabriel Busca*, *Daniel Davelourt* Scotus; [82] Et præclaris rationibus, ac inventis, magnum in hac re operæ pretium fecerunt *Rivaltus à Flurenza* nobilis Gallus, & *Vannocius Biringuccius* Senensis, in qvorum libris nihil plebejum offendas, nihil qvod posteritatis memoriam promereri non debeat; [83] Qvemadmodùm etiam apologô *Pandulphi Collenucii* de ratione impetus bombardarum, [84] Et in epistola *Joannis Langii* de pulveris nitrati legitima temperatione. [85] Præter qvos extitit qvidam *Julianus Bossius* Romanus, qvi hisce postremis annis, Heroinæ sapientissimæ ac fortissimæ, Isabellæ Claræ Eugeniæ,

b Qvas pridem è Latinis Historicis excerpserant Orationes Joach. Perionius & Henric. Stephani, eas iterum benè edidit nescio qvis Lugduni Batav. CIↃ IↃC XXVI. in 8. Atqve illæ cum primis huc faciunt.

Xxx

-niæ, Hispaniarum infanti, libellum obtulerat, de modo crassioris illius tubi manualis, qvod vulgò *Musqvetum* dicunt, ita præparandi, ut non modò longiùs solitò glandes impelleret, sed semel atqve iterum explodi posset, ad emittentis arbitrium, & solius lingulæ attractu, ita ut pulverem è laguncula rursus in fistulam emetiri, & radiô cogere, & foculum instruere, uncumqve sive canem illum verè cerbereum inflectere, non ultra necesse sit. 86 Sed conatus hic irritus, ut existimo, cessit, & ovum fuit subventaneum; saltem nihil hactenus visum est, qvod promissorem hunc, aliqvid tantô hiatu dignum præstitisse ostendat. 87 Architecturæ militaris qvia major est qvàm civilis & urbanæ difficultas, sicut major est hominum in nocendo qvàm in juvando industria, ea propter multorum hæc ingenia diutissimè torsit, ut propugnandarum urbium optimam qvamdam rationem excogitarent; 88 Qvemadmodùm fermè primus, ab usurpatis in muros antiqvæ structuræ fulminabilibus pilis facere aggressus est *Albertus Durerus*, qvi ut cœlô, & calamô valuit, sic utrôqve condendarum & muniendarum arcium varios modos expressit. 89 Hunc verò secuti sunt *Hieronymus Magius* & *Jacobus Castriotus* conjunctim editi Venetiis, 90 *Hieronymus* item *Cataneus*, *Carolus Tettus*, *Antonius Lupicinus*, *Jacobus Lanterus*, *Franciscus de Marchiis*, *Baptista à Valle* Venafranus, *Jacobus Perettus*, *Aurelius Pasinus*, *Franciscus Trellius*, *Jacobus Acontius*, *Joannes Baptista Zanesius*, *Galassus Aloysius*, & *Joannes Baptista Zanchius*; 91 Qvorum omnium gloriæ & industriæ plurimùm obstruunt recentiores multi, ut *Eqves Tensinus*, *Joannes Everardus Barroducēus*, *Samuel Maroloisius*, *Paullus Vuredemanus*, *Petrus Sardus*, *Joannes Scalanus*; qvi propugnaculorum figuras tantùm exhibuit, nullâ additâ explicatione; *Gabriel Busca* Mediolanensis, *Claudius Flamend*, *Alexander Baro Grotius Neovallius*; & qvi præsertim ab expertis laudantur *Adrianus Metius*, *Bartholomæus Pitiscus*, *Simeon Stevinus*, *Joannes Baptista Porta*, *Bonavitus Lorinus* nobilis Florentinus, & omnium nunc acceptissimus *Antonius de Villa* nobilis Gallus, cujus industriam non semel experta est respublica Veneta, & etiam nunc eâ, nisi Patriæ suam operam commodare in his motibus maluerit, utitur felicissimè. 92 Horum verò consectanei sunt *Laurentius Manorbius*, ac *Paullus Florianus*, tum & *Philippus Merlanus* qvi urbes obsidione cingendi aut obsessas propugnandi, convenientem his temporibus rationem tradiderunt; 93 Ac demum qvi rationibus in utramqve partem adductis qvotidie ventilant, num præstet urbes vallô propugnaculisqve munire, aut loca nulla esse aliô qvàm militum objectu, firmôqve pectore tuta, ab hostium invasione? 94 Cujusmodi qvæstione, cùm nulla freqventior inter politicorum disceptationes, variosqve discursus occurrat, memini tamen qvorundam aliorum, ut *Elioni Trimundi*, *Conradi Theoderici* & *Henrici Ranzovii*, qvi non malè operam à se impendi duxerunt, si hanc rursum peculiaribus libellis excuterent. 95 Ultimum deniqve qvod à mathematicis dependet, est aciei in suas partes, & harum in manipulos, & juga ordinan-

ordinandæ, ac seriatim instruendæ modus, [96] Nam sive tota acies in duo cornua distribuatur, ut Turcarum mos est; sive in trigonum, qvem cuneum, aut caput porcinum vocant Ammianus & Vegetius, sit mutanda, ut solebant Hispanus apud Livium, sive in globum, tum in forficem, sive in serram sit instructa; seu qvod levioris est operæ certum spatium in acie, inter singulos homines in longum aut in latum inter singulos ordines custodiendum sit; totum hoc unius geometriæ, cui etiam arithmetica plurimum inservit, ministerium est. [97] Et sanè cùm *acies*, ut inqvit Vegetius, lib III c. XIV *in publica pugna, si sapienter disponatur, plurimùm juvet; si imperitè, qvamvis optimi bellatores sint, malâ ordinatione frangantur*; multasqve ac insignes Alexandri, & aliorum victorias, huic peritæ militum ordinationi, acceptas ferri debere, tàm certum sit ex Qvinto Curtio & Polybio, qvàm qvod certissimum esse potest; hinc est qvod dux & tribuni qvoties illis ab actione vacat, eorum libros evolvere non perfunctoriè debeant, qvi de instruendis aciebus præcepta tradidêre, [98] Qvales sunt *Fabius Gallus*, *Angelus Asinitus*, *Franciscus Fiamellus*, *Joannes Matthæus Cigogna*, *Camillus Agrippa*, *Zacharias Legnerus*, qvi solummodò de triangulari acie scripsit; [99] *Cæsar Ævolus*, à qvo qvindecim prœliorum dispositiones exponuntur, omnes numeris, & mensuris arithmeticis ac geometricis delineatæ; [100] *Franciscus Piccinimus Spadinus*, qvi arithmeticas tabulas in ordinem digessit, qvarum beneficiô viginti millia sarissariorum, in minora agmina distribui, & partiri facillimè debent; [101] Ac demum *Marsilius Turlius*, & *Petrus Maria Contarenus*, qvi modum edocuerunt, qvô minores copiæ tueri se non modò adversus majores, sed & illas etiam fundere ac profligare possint. [102] Hos verò auctores qvi de scientia & viribus Imperatoris tractârunt, excipiunt alii qvi res ad consilia bellorumqve caussas, & leges, ac certas qvasdam observationes pertinentes, scriptis item suis consignârunt, [103] Ut *Petri Christi* monita de consiliis hostium explorandis; [104] *Marci Antonii Lappi* de propriis occultandis; [105] Theologorum aliqvot, ut *Francisci Victoriæ*, *Jodoci Clichtovai*, *Joannis ab Indagine*, *Henrici Gorichemi*, *Wilhelmi Matthæi*; [106] Et nonnullorum etiam JCtorum, *Joannis scilicet Lupi*, *Francisci Ariæ de Valderas* Hispani, *Joannis de Lignano*, *Martini Laudensis* meditationes de bellorum jure, [107] Qvi omnes in uberrima segete messem non ita laudabilem fecerunt, qvin locum adhuc reliqverint *Alberico Gentili*, *Christophoro Besoldo*, & hinc auctori præstantissimo † operis non ita pridem evulgati de Jure belli & pacis. [108] Cujus etsi nomen reticeo *, doctrinam tamen suspicio & admiror, utpote in qva nihil sit expositum, nihil vulgatum, & triviale, seu verba, seu sententiam spectes. [109] Huc etiam referri

† Hug. Grotio

* Erat enim iste liber in Indice Expurgatorio, qvo dedixi in parte V. Animadversion. nostrar. c. II. §. 1.

ferri debent *Ludovicii Regii* libellus de bellis propter religionum dissidia exortis, [110] Tum & discursus *Bentivoli* cujusdam Academici Bononiensis, cur bella antiqvis temporibus eadem de caussa nulla fierent. [111] *Waremundus Erenbergius*, *Joannes Boterus*, ac *Emericus Crucius* de fœderibus; [112] Et variæ illæ qvæstiones *Joannis Francisci Condo*, utrum liceat Imperatori noctu pugnare; [113] *Bartholomæi Riccii*, an meliùs rex absens per alium, an magis ipse præsens bellum suum gerat; [114] *Gabrielis Purnii* de hoste insidiis fallendo; [115] Tum etiam *Orlandi à Vallibus* de iisdem cum ab hostibus struuntur vitandis; [116] Et consilia *Antonii Parminii* de modo cognoscendi exploratores; [117] *Antonii Francisci Nigritii* de aqvis, an venenô sint infectæ, cognoscendis; [118] *Laurentii Abomi* de arte transeundi flumina, [119] Et *Sebastiani Nigri* de transfugis, exploratoribus, cura militum, & bellorum prognosticis. [120] Qvibus omnibus pro corollario tam prolixæ recensionis addendos puto eos auctores, qvi cùm in litibus, & privilegiis, totaqve ea jurisprudentiæ parte, qvæ ad milites spectat, tùm in eorumdem incolumitate servanda, profligandaqve adversa valetudine, summa cum ingenii sui laude versati sunt. [121] *Arnoldum de Villa nova* intelligo, & ipsô qvamqvàm minùs celebres, longè tamen utilitate & doctrinâ præstantiores *Antonium Seneburgensem*, *Marcum Antonium*, seu *Mentonium Zirlium* Gandavensem, *Tobiæ Coberii* observationes castrenses, *Rumetum* de morbis castrensibus, *Mindererum* de medicina militari, qvi Germanicè tantum editus est; *Fabricii Hildani* cistam, & *Isajæ Leporei* hortulum chirurgiæ militaris; atqve, nisi potiùs is ad morales affectus spectet, *Thomam Garslopam*, qvorum præclaræ exstant lucubrationes de regimine castra seqventium, & conservanda militum sanitate. [122] Qvod ipsorum consilium, non minimum qvoqve promovere potest Σιτοπολεμαλογία *Joachimi Struppii*, & *Jacobi Sylvii* libelli aliqvot de parco & duro victu, qvia ambo isti scriptores multa habent præcavendis iis affectibus, qvos fames, & fœda edulia inducunt: sicut & *Ranzovius* iis, qvi ab itinere, aliisqve incommodis pullulant, non mediocriter conducentia. [123] Ceteros verò, qvi de vulneribus sclopetorum curandis scripserunt, nec dinumerare mihi otium est, nec si liceret istud facere vellem; qvia valde inconveniens esset, qvæ medicorum sunt, huc transferre, tanqvàm si ad duces aut milites pertinerent; [124] Nec si aliqvos auctores militaris chirurgiæ anteà recensui, velim propptereà qvis existimet, ducum à me potiùs habitam fuisse rationem, qvàm medicorum castrensium, qvi plerumqve horum auctorum penuriâ, qvos neqvidem de nomine cognitos habent, multa in milites peccant, & in tota vulnerum curatione, cæcô regunt vestigia filô. [125] In JCTorum autem classe qvidam fermè eviluerunt, ut sensu plerumqve inepti, & dictione barbari, continenturqve maximâ parte in vasta illa collectione tractatuum juris; [126] Qvidam verò in pretio apud omnes habentur seu præstanti laude ingenii ut *Balthasar Ajala*, juridicus belgicorum exercituum qvæstor, *Tiberius Decianus*, *Petrus Pappus*, *Bern-*

Bernardinus Rocca, *Petrinus Bellus*, *Franciscus Antonius*: [127] Seu facillimæ casuum, qvi passim inter milites occurrunt, responsionis, ac resolutionis ut vocant, nostris maximè temporibus accommodatæ gratiâ, [128] Ut *Guilielmus Jolitus*, qvi jus militare usurpatum in Francia, *Georgius Obrechtus*, qvi in Germania; *Petrus Caballus*, qvi Hetruscum Magni Ducis; & *Tullius Crispoltus* Reatinus optimi nominis & famæ JCtus, qvi Romanum, seu qvod in pontificiis exercitibus servatur, sapientibus hercle responsis, & explicationibus facillimis illustrârunt. [129] Verùm qvô locô tandem habebitur naumachia, si de ea tam altum heic silentium sit, ut ne qvidem ejus auctores in reliqvorum censum veniant: an pugna levior erit qvæ in mari, qvàm qvæ in terra committitur? aut hæ ita penitus inter se diversæ sunt, ut bene illis in hoc volumine simul convenire non possit? [130] Profectò nihil istorum in caussa fuit, ut calamum ab ea temperarem, immo potius, qvia locô tantum differunt, & periculô, qvod longè in mari præsentius est, eam ob rem nihil mihi necesse putavi, molem istius libelli, qvæ multum jam, ac præter spem excrevit, distinctâ illa classis, & navalium prœliorum tractatione, qvasi fartu qvôdam materiæ augere in immensum: [131] Arbitrorqve meo officio factum esse satis, si velut in transcursu subindicem, *Julium Pollucem* ex antiqvis; & ex nuperis scriptoribus *Lilium Gregorium Giraldum*, *Lazarum Baifium*, *Cœlium Calcagninum*, *Stephanum Doletum*; tum etiam *Leonem Albertum* peculiaribus doctissimisqve libellis; & *Lazium* in commentariis reipublicæ Romanæ, omnem ferè eruditionem esse complexos *, qvæ de navibus afferri in medium, ex penitissima antiqvitate potest. [132] Ipsarum verò usum in prœliis, qvi hâc tempestate apud omnes obtinet, tam aptè explicatum fuisse à *Bernardino Mendozza*, *Marco Savorgnano*, *Henrico Ranzovio*, *Pantero Pantera*, *Bartholomæo Crescentio*, *Garcia de Ceppedes*, aliisqve minoris famæ scriptoribus, ut si *Popelinerii* nostri Archithalassum, & descriptam à *Nicolao Aubicro* integram triremim illis addideris, qvæ de navalibus prœliis lectione qværuntur, ea percipi satis commodè atqve intelligi ab omnibus possint. [133] Qvamobrem superest tantummodò, ut de Turcarum militia, qvæ nobis formidolosa nonnunqvàm imminet, ea qvæ commodiùs alibi proponere non poteram, istic à me referantur, qvemadmodùm medicis usu venit, ut explicationem de venenis, eorumqve remediis, peculiari tractatione eâ sæpe velut in mantissam rejectâ absolvant. [134] De eorum igitur militari disciplina *Paullus Jovius* libellum elegantem conscripsit, Hetruscô tamen sermone, qvia ut opinor ad Carolum qvintum; sed eumdem tamen Latinè posteà *Franciscus Niger* reddidit; [135] Huncqve secuti sunt *Augerius Busbeqvius*, & *Breevius*, qvi ambo diutissimè legati, hic Regis Christianissimi, alter Imperatoris apud Turcarum Imperatorem fuerunt: [136] Ma-

* Vide qvæ ante paullò dixi ad c. X. extr. p. 520.

[136] Magis verò determinatè, qvibus illi in bello ſtrategematis utantur; qvibusqve militaribus præceptis, explicârunt *Melchior Soiterus*, & *Joannes Schnotemberchius* J. C. [137] Qvibus utiliores cenſeri debent *Lazarus Soranzus*, *Joannes Boterus*, *Achilles Tarduccius*, & *Nuæus*, qvi valde probabilibus conſiliis docuerunt, qva tandem arte immanis tyrannis potentia, ſi non debellari penitus, ſaltem reprimi & ſuos intra fines coërceri poſſit.

XIII. *Præſtantiſsimi ſcriptores rerum bellicarum, qvi iis interfuerunt. Libelli concluſio.*

[1] Habes igitur ex iſtis, Comes Ludovice, qvibuſcum in hoc tuo receſſu, de rebus, qvarum ſtudiò impensè delectaris, confabulari poſſis, & qvibus ex libris bibliothecam inſtruas; qvæ tibi per reliqvum vitæ tuæ tempus, non minimum ſit cum oblectatione, tum etiam utilitate profutura. [2] Ac imprimis illos auctores tibi commendo, qvi non ex ingenio tantùm, aut aliorum imitatione ſcribunt, qvô freqventiùs hôc tempore propemodùm eſt nihil; ſed qvi rerum, qvas ceteros docere volunt, periculum fecerint per experimenta, & maxima pars eorum fuerint, qvæ poſt ea in commentarios retulêre: [3] Ut enim in ludis Circenſibus, ipſi eqvorum agitatores, qvi praſinæ erant venetæqve factionis, eqvorum impetum & aurigariorum peritiam, longè meliùs ſpectatoribus ipſis procul à meta ſedentibus conſiderabant; ſic in armorum tractatione, credibile eſt, acutiùs omnino illos cernere, & majori confidentiâ de rebus omnibus loqvi & ſcribere, qvi rebus interſunt agendis, qvàm reliqvos homines muſei ſui limen nunqvàm egreſſos, ut res illas de qvibus ſcribunt propiùs intuerentur, atqve cognoſceret. [4] Et ſanè qvod olim dicebat Xenophanes, ſapientem eum eſſe oportere, qvi ſapientem explorare cupit; eôdem penè modô dicere poſſumus, Regem oportere eſſe illum, qvi Regni, & ducem belli, qui militaris ſcientiæ præcepta aliis præſcribere velit. [5] Hâc enim opinione ductus Xenophon, Cambyſem patrem inducit, Cyro filio regio præſcribentem documenta; & apud Oneſicritum philoſophum, & hiſtoricum Æginenſem, Alexander Macedo novæ militiæ præcepta à patre Philippo accipit. [6] Sed heus dices qvis modus tandem erit lectioni, ſi tot auctores evolvendi ſunt? aut qvodnam tempus reliqvum fiet actioni, ſi ejuſmodi ſpeculationibus duci perpetuò incumbendum eſt? [7] At verò, Ludovice Comes, non adeò ſum immemori vel inconſtanti animô, ut ejus qvod anteà dixi, plus ſcilicet experientiæ qvàm lectioni in rebus bellicis fidendum eſſe, vel non meminerim, vel aliter atqve dictum fuit invertendum explicandumqve putem; [8] Imperatori ſiqvidem experto, veriſſimum eſt unum aut alterum ſcriptorem ſatis eſſe, qvem otii fallendi, aut honeſtæ, & eruditæ voluptatis cauſsâ ſecum habeat; inexercitato verò pluribus illis opus eſſe, ſi militaris peritiæ gloriam conſeqvi, ſolâ lectione

ne velit. 9 Qvare ſicut hanc operam non ad TE modò, qvi rectum experientiæ tramitem ingreſſus es, perventuram eſſe confido, ſed ad plures alios, qvi forſan honeſtiſſimis de cauſſis præpediuntur, ne ita eumdem ſubire poſſint, qvin librorum ſubſidiis indigeant, propterea oportuit me, hôc tam diffusô indice eorumdem qvoqve neceſſitati & commodis inſervire.

XV.

DE

RE MILITARI

LUCÆ ANTONII THOMASONI

CAP. I.

1 Ars militaris in Milite conſiſtit, & Armis. 2 Ex qvo ſeqvitur ei qvi horum utrôqve meliùs inſtructus ſit, facilem fore victoriam in eo qvidem pugnæ genere, ubi non numerus prævalet, ſed virtus. 3 Bonum militem & bona Arma eligere, periti eſt Capitanei munus. 4 Peritia hæc in ipſo bello rerumqve eò pertinentium uſu acqviritur; tum etiam freqventer cum peritis belli ducibus conferendo & diſputando; qvod Philopœmen feciſſe dicitur. 5 Romani certè his artibus tantam rei militaris cognitionem ſibi comparârunt, ut remotiſſimas etiam gentes ac populos ſuo ſubjecerint imperio, adeoqve univerſo ferè terrarum Orbi imperârint. 6 Hic idem uſus ſive experientia docet qvomodo ea, qvæ in Conſilio deliberata ſunt, maturè fieri debeant: commonſtrat modum qvô modô, id qvod fit, bene fieri poſſit; 7 Hâc duce ſive magiſtrâ ordinantur & ducuntur exercitus, ponuntur caſtra, inſtruitur acies, conqviruntur commeatus, tuta redditur frumentatio, lignatio, aqvatio: omnia deniqve comparantur qvæ ad victoriam conſeqvendam, aut loca munita expugnanda faciunt. 8 Id qvod Demetrio cognomentô Poliorcetæ tantum attulit laudis, qvantum probri & damni Cambyſi Perſarum regi in ea, qvam contra Macrobios ſuſceperat, Expeditione.

II. 1 Peritia acqviritur primùm ex notitia qvarumdam regularum & præceptorum militarium; qvibus inſtructi Spartani olim etiam ſine duce bella non

non infeliciter gerebant; [2] Ut videre eſt è Xanthippi exemplo: qvi Carthaginenſium exercitum toties à Romanis,ob diſciplinæ & ordinis, qvem in re militari Romani ſervabant, neglectum fuſum ac fugatum, in integrum & priſtinum ſtatum reſtituit, ingenti editâ hoſtium ſtrage, & Regulô conſule captô; hâc unâ potiſſimum ratione, qvòd ordines mutâſſet, & caſtra de monte in campeſtria tranſtuliſſet, prœlium, qvoad opportuna ſe offerret occaſio, declinando. [3] Peritiam qvoqve adfert, certè auget, freqvens hiſtoriarum lectio: in qva potiſſimùm conſiderandæ ſunt cauſſæ victoriæ vel cladis; item illud, meliúſne fuerit hoc vel illô modô univerſum bellum, aut partem ejus adminiſtrare; unô prœliô de rerum ſumma decertare, an bellum ducere; apertâ vi an ſtrategemate ſeu aſtu hoſtem petere; [4] novas deniqve technas, nova inſtrumenta comminiſci: qvarum rerum peritia & uſus magnum ad victoriam adferre ſolet momentum. [5] Eadem peritia ſive ſcientia prudentiam auget, judiciumqve acuit, qvibus futura longè proſpici, hoſtium artes & conſilia deprehendi, noſtra verò occultari poſſunt, [6] Unde fit, ut in qvo hæc ſunt, nunqvàm illud uſurpet, qvod dicere ſapientis eſſe negant; Non putâram; vitetqve graviſſima errata ſive peccata, qvæ, ut Cato dicere ſolebat, pœnam tergô ſecum ipſa apportant. [7] Et hæc qvidem virtus Julio Cæſari Orbis monarchiam, Scipioni verò nominis gloriam peperit immortalem.

III. [1] Optimum ergo Imperatorem ſive Capitaneum cenſebimus, qvi tàm ſcientiâ ſive peritiâ, qvàm experientiâ & uſu inſtructus eſt, cui ſcilicet tàm providere qvàm proviſa facere & exſeqvi in promptu ſit. [2] Ad ceteras verò dotes animi verſutia qvoqve ſive calliditas neceſſaria eſt, ſed ingenua, & ab omni perfidiæ ſuſpicione aliena: [3] Nec non induſtria, cujus beneficiô rationes & media comparet qvibus conſilia ad bonum finem perducantur. [4] Eâdem induſtriâ ſive vigilantiâ cavebit ne unqvàm improvisò opprimatur, ſed ſemper qvaſi in procinctu ſtabit; illâ curâ ac ſollicitudine occupatus, qvomodo bellum incipiendum ſit, qvomodo trajicienda flumina, qvomodo per loca aſpera & impedita ducendus exercitus, qvomodo & qvibus in locis caſtra ponenda,qvomodo ordinandæ ac diſtribuendæ cohortes, qvô ordine tum interdiu tum noctu iter faciundum, qvomodo in hoſtem ducendum, qvomodo & qvando receptui canendum, qvomodo impetus faciendus, qvomodo excipiendus & repellendus; (Vide his de rebus Polybium) & ut paucis dicam, omnia dierum atqve horarum etiam ad res gerendas momenta captabit, eâ cautione ut neqve nimiâ cunctatione occaſiones negligat, neqve nimiâ celeritate corrumpat; [5] Illud unicè operam dant, ut robore, moribus, ſcientiâ militari, laborum tolerantiâ, agilitate aliiſqve ejuſmodi virtutibus milites effingat ſui ſimiles. [6] Qvibus ex rebus Pompejus Magnus, Marius, Sertorius, & inter antiqviores Aulus Torqvatus Latinus magnam laudem conſeqvuti ſunt: [7] Qvorum hic qvum pari numerô, paribus armis, pari locorum ſitu, ac pari animorum ardore atqve obſtinatione in certamen cum hoſte deſcendiſſet, ex re nata conſi-

lium

lium cepit; ac parvâ re five occafione (qvamqvàm in bello nihil parvum videri debet, qvùm etiam qvæ parva videntur, vel victoriam aliqvando vel cladem adferant) ad victoriam ufus eft. [8] Loci enim fitum contemplatus, ubi animadvertit eqvitum in loco impedito & falebrofo nullum effe ufum; ex eqvis eos defcendere juffit, ficqve proftratis hoftibus, egregiam victoriam reportavit: 9 Qvæ fine dubio multô difficilior ei obventura fuerat, fi eadem peritia atqve dexterias in adverfæ partis duce fuiffet.

IV. [1] Qvin affiduâ armorum exercitatione boni fiant milites, dubium non eft. [2] Ad hanc exercitationem verò illa veniunt, arma ftringere; ordines fervare inqve iis decurrere, impetum facere ac repellere, tam pari qvàm inferiori aut fuperiori locô, &c. [3] Et profectò Artis militaris excellentia non tam ab ætate, qvàm diligenti exercitatione atqve ufu dependet; qvæ una præcipuum eft militaris fcientiæ five peritiæ acqvirendæ inftrumentum. [4] In ordinandis cohortibus illa obfervanda funt ut nec nimis contrahantur nec nimis laxentur ordines; [5] In acie verò tota inftruenda, ut ejus forma, locis, temporibus, hoftium confiliis, & neceffitati aut occafioni aut hoftium alendis erroribus acccommodetur; [6] Qvas ad res vix aptus erit miles nifi continuâ exercitatione fubactus; fed aut ducis juffa non intelliget, aut minùs ea exfeqvetur.

V. [1] Imperatorem ergo five ducem & fub continuo exercitio habere militem, & de omnibus qvæ in bello accidere folent, qvantum ejus fieri poteft, qvidqve in fingulis cafibus faciendum fit, erudire oportet; [2] Qvâ fcientiâ ille inftructus, mirum eft, qvantum ad egregia bellô patranda facinora accendatur, qvámqve alacriter pericula omnia fubeat, & imperatoris juffa capeffat. [3] In qvo qvidem genere Epaminondas Græcos, Gracchus verò apud Romanos infigniter excelluerunt, magnamqve laudem funt adepti. [4] Imperatoris qvoqve eft militarem difciplinam ac virtutem vel finiftrô aliqvô fatô five eventu elangvefcentem, vel præfectorum negligentiâ aut diuturnô ociô corruptam reftituere ac reftaurare: [5] Qvorum illud Scipionem, Marium & Metellum; hoc verò Corbulonem in Afia feciffe legimus.

VI. [1] Circa Arma, magna qvoqve laus imperatori fuerit, fuô ingeniô vel novum armaturæ *, five gravioris five levioris, five eqveftris five pedeftris, ac telorum genus comminifci aut qvæ apud antiqvos ufurpata fuerunt armorum genera, in ufum revocare, qva etiam ipfa in re non exiguum ad victoriam momentum eft pofitum. [2] Luce enim clarius eft, eum qvi facilè offendere, offendi verò difficulter poffit, ferè fine fuorum fangvine victoriam confeqvi poffe. [3] Armorum verò inventioni etiamnum aliqvid addi poffe, primæ ætatis teftatur exemplum, qvâ homines faxis & fuftibus primùm inter fe concertârunt: indè verò paullatim corpus contra ictus munire cœperunt, donec ea qvæ hodie in ufu eft tàm armaturæ qvàm prœlii inftruendi rationem invenerunt: [4] Qvâ qvi commodiffimè

* Vide Corn. Nepot. XI. I. 3.

uti poterit, tàm in servandis qvàm in restituendis ordinibus, tàm in inferendo qvàm excipiendo impetu, non difficilimè, ceteris paribus, victoriam conseqvetur. [5] Patrum qvidem nostrorum ætate Helvetii hâc gloriâ omnibus ferè nationibus antecelluerunt, qvorum acie ad instar Macedonicæ phalangis instructâ, & densò sarissarum horrente ordine, nihil firmius fuit, & tàm ad vim faciendam qvàm excipiendam accommodatius: unde illi tàm in Italia qvàm Galliis clarissimas sæpe victorias reportârunt.

VII. [1] Ad Sclopetorum usum qvod attinet, certum etiam est qvi militem habeat hôc rerum genere qvàm optimè exercitatum, multum qvoqve ad victoriam habiturum adjumenti: [2] Siqvidem hoc telorum genus, præsertim qvæ majusculos globos jaculantur (*Mosschettas* appellant, & siphones etiam his majores aliqvando excogitatum iri, credibile est) ad eminus feriendum hostem & perturbandos ordines aptissimum est. [3] Id qvod in memoranda illa navali ad Naupactum pugna reipsâ compertum fuit, in qva Sclopetorum tam majorum qvàm minorum rectè ac scienter adhibitus usus, magnum Christianis ad victoriam attulit momentum. [4] Sed & ad armaturæ rationem multum refert, qvo aut qvali in loco miles deprehendatur. [5] In locis enim sylvestribus & impeditis, ubi globum facere, aut agmine hostem invadere non licet, levis armatura gravi multùm præstat. [6] Qvod Demosthenis Atheniensis exemplô probatur, cujus exercitus gravi armaturâ instructus à Lacedæmoniis & eorum sociis leviter armatis nullô ferè negociô cæsus fuit ac dissipatus. [7] Non multò pòst autem iidem Lacedæmonii in Pilo insula eamdem ob caussam simili clade fuerunt affecti. [8] Sic Germani olim duce Arminiô, à Romanis eorumqve imperatore Germanico in sylvis & impeditis locis, ubi longarum hastarum nullus erat usus, deprehensi, ad internecionem ferè cæsi fuerunt.

VIII. [1] Imperatorem ergo non generalem tantùm regionis in qva bellum geritur, sed particularem etiam atqve accuratissimam omnium locorum eorumqve situs notitiam habere oportet, ut sciat ubi hosti occurrendum, ubi ab eo declinandum, ubi prœlii copia cum loci prærogativa, facienda, qvà ducendus exercitus, ubi castra metanda, qvæ loca præoccupanda, &c. [2] Hæc enim rectè usurpata sæpenumero multò plus hosti qvàm qvantacumqve vis & militum virtus nocent; unâ ratione pauci multis possunt resistere, numerum scilicet supplente loci commoditate & situ: Cujus rei illustre exemplum in Themistocle Atheniensium duce habemus, qvi parvâ classe & exiguis copiis immensos Xerxis Persarum regis exercitus cohibuit, & tandem turpiter fugere coëgit. [4] Qvemadmodùm verò ad victoriam ab hoste conseqvendam multum prodest accurata locorum notitia & matura eorumdem præoccupatio; ita qvoqve eadem ad nostrum salvandum & conservandum exercitum longè est utilissima. [5] Hâc enim ratione vicinorum securitati prospici, exercitus in tuta reduci, auxiliisqve juvari; hostium verò itinera impediri, conatusqve intercipi facile possunt:

qvi

qvi qvidem longè melior & tutior qvàm ferrô & vi, vincendi hostis est modus. [6] Hàc arte usus Julius Cæsar Afranium & Petreium intercluſsô ad suos reditu & frumentatione, ad deditionem coëgit: [7] Et Publius Decius Romanorum exercitum à Samnitibus undiqve inclusum, cum immortali nominis sui gloria, locorum peritiâ fretus, è certissimo, qvod ipsis imminebat, exitiô liberavit.

IX. [1] His ergo rebus, Armis scil. & Milite; hisqve dotibus, scientiâ videlicet & usu, instructus imperator, magnô animô contra hostem tanqvàm ad certam victoriam proficisci poterit. [2] Nam ut vis consilii expers, ut Poëta ait, mole ruit suâ, consilium verò sine viribus inutile est: ita ubi hæc duo conjuncta fuerint & copulata, meritò victoria sperari potest. [3] Neqve multùm timenda Fortuna est ubi Ratio prædominatur. [4] Romani qvidem his usi artibus, prudentiâ, inqvam & disciplinâ rei militaris, è tenuissimis principiis ad tam altum dignitatis culmen imperium suum provexerunt. [5] Qvapropter vehementer errant illi Principes, qvi milite domesticô parum instructi, spem suam omnem vel in locis munitis, vel in peregrino ponunt milite, atqve ita bellum ducere potiùs qvam gerere student. [6] Etenim illa tam in munitionibus, qvàm peregrino collocata milite spes, incerta admodùm est, & fallax, nisi Dei extraordinariô auxiliô fulciatur. [7] Et credibile est eum, qvi acie bene dispositâ in campo hostem vincere sciat, eumdem fossis repletis, dejectis muris, & tormentorum vi disturbatis, aut suffossis cunicularioram arte propugnaculis, locum qvemcumqve, etiam munitissimum, in suam potestatem non difficilimè redigere posse.

X. [1] Qvum igitur tanti sit bene exercitatum domesticum habere militem, adeò ut eô instructus Princeps & hostibus terrori sit, & tàm sibi qvàm suis ad omnes qvamvis subitos casus certissimum auxilium afferre possit: operæ precium sanè fuerit è subditis tantum, qvantus ad tuendam regionem satis est, robustorum atqve agilium virorum numerum deligere, qvi in armis continuò exerceantur, & tam ad disciplinam militarem qvàm qvosvis belli casus, ac labores condocefiant. [2] At pleriqve hodie Principes seipsos decipiunt, vanô illô nomine, qvòd potentiâ & armis instructi sint, contenti; qvùm non in armis, non in muris, sed in viris præcipua potentiæ pars sita sit. [3] Non minùs gravis eorum est error, qvi optimis stipendiis non paucos exercendæ militiæ magistros conductos alunt. [4] At qvos vel qvales? Eos scilicet, qvi non tàm ut arma qvàm ut cutis ipsis niteat, laborant; & qvorum omnis cura in re potiùs facienda qvàm instruendo milite consumitur. [5] Architectorum qvoqve & fabrorum operam hodie nimis magni æstimari nimiôqve conduci videmus, qvi tamen ad patrandum prælium nec consiliô nec manu qvidqvam prosunt. [6] Eorum tamen professionem qvia pluris æstimari ac conduci vident milites, certatim qvisqve relectâ militari arte & disciplinâ, Architecturæ studiis incumbunt: [7] Cujus qvidem bonos omnes milites qvodammodò peritos esse oportet,

nec tamen præcipuam sui muneris partem, qvæ est, omnia qvæ militaris fert disciplina tam in acie qvàm extra aciem, rectè ac in intrepidè obire, desertam pati.

XI. [1] Utrum verò Scientia sive litteraria cognitio, an verò usus atqve Experientia imperatori ad res bellô præclarè gerendas utilior sit? dubitari adhuc qvidem video: [2] Sed illud, qvod Poëta qvispiam de Natura & Arte dixit, heic qvoqve locum habere existimo, unum scilicet alterius opem poscere, & utrumqve inter se amicè conjurare. [3] Nuda enim & lectione tantùm acqvisita cognitio sine Usu ad exseqvenda deliberata parum prodest; & Usus nullis regulis & exemplis suffultus vacillat: [4] Qvorum gnari calibus fortuitis faciliùs occurrere ac remedia afferre, ac plures etiam ac tutiores hostibus nocendi modos comminisci possunt. [5] Qvamvis autem vulgus ei plus tribuat qvi multis ipse bellis interfuit, qvàm qvi multa legit: qvùm tamen, ut de sua professione dixit Hippocrates, Ars longa sit, vita brevis, ac nostris temporibus rarò justis prœliis decertetur, præterqvàm qvòd artis militaris ob copiarum & ordinum differentias & ob situs & locorum diversitatem, infinita qvædam est varietas, tanta scilicet, qvantæ reipsâ atqve usu discendæ atqve apprehendendæ unius aut etiam plurium hominum vita non sufficit: necesse sanè est, ut ad antiqva & è lectione vel auditu hausta exempla recurramus (qvemadmodùm in pestilentibus morbis Medici solent) ut ad omnia belli subita paratum semper habeamus remedium; [6] Qvod non difficile ei fuerit qvi infinitos qvasi belli casus jam ante è lectione & historiarum notitia animô præceperit, atqve, ut Virgilius loqvitur, peregerit. [7] Ex qvibus omnibus manifestum est, historiarum lectionem, & in universum libris qvibusdam comprehensorum militarium præceptorum notitiam (unde scientia sive peritia militaris nascitur) ad id, qvod belli caput ac præcipuus finis est, secundum scilicet prœlii eventum vel victoriam plurimum conducere: [8] Cujus qvidem victoriæ tantus est fructus ac tantum momentum, ut cetera omnia in qvibus militare studium occupatur, ad hunc unum finem debeant referri, ac sine hac nihil prosint. [9] Et hæc qvidem breviter hìc perstringere volui, ut nostros homines ad rei militaris studium inflammarem, & veram ac compendiariam ejus discendæ commonstrarem rationem; [10] Qvæ est, ut expensis probè omnibus, qvas legendo cognovimus, tam terrestribus qvàm navalibus pugnis, earumqve successibus, nec non obsidionibus & locorum expugnationibus, ante omnia verò rei cujusqve caussis, & aliis rebus, qvas in bello observare necesse est, ut sunt vires, arma, locorum situs, ordines ac varii vel à fortuna oblati, vel sapientiâ & industriâ, vel vi ac viribus acqvisiti, aut qvi aliò qvôcumqve modô contigerunt eventus, generalem qvamdam omnium rerum ad bellum petinentium notitiam nobis comparemus: [11] Cui si deinde Usus conjungatur, brevi etiam è gregario milite bonus Imperator sit evasurus.

XVI.

XVI.

PRÆCEPTA QVÆDAM ET EXEMPLA AD REM MILITAREM

& imperatoriam artem pertinentia,

à

NOBILI VENETO collecta:

CAP. I.

1 Vix ullum publicum est munus, qvod majorem prudentiam & dotes animi excellentiores reqvirat, qvàm imperatorium: utpotè qvod in maximarum rerum administratione versatur, & infinitam ferè casuum varietatem habet propositam: qvos longè prospicere, prudentis est; excipere, fortis; ad suas verò res & utilitates accomdare, dexterrimi & ad rem militarem nati animi. 2 Imperator is eligendus est, qvi hostium vires qvàm optimè perspectas habet & cognitas. 3 Intrepida Imperatoris virtus sive fortitudo militum animas metu liberat, & spe ac confidentiâ eosdem implet. 4 Qvi munitioni, obsidionis aut oppugnationis imminente metu, inclusus est unicè operam dare debet, ut qvibus potest rationibus hostium conatus retardet, & deditionem de die in diem sub vario prætextu, differat ac prolonget; siqvidem una sæpe dies, aut hora, immo momentum liberationem adfert. 5 Ante annum MCDXCIV. qvô tempore Ludovici Sfortiæ cæca ambitio & temeritas magnis Italiam cladibus involvit, longè alia in usu erat belli gerendi ratio, qvàm hodie: siqvidem nec tantis actibus, nec tantô ardore civitates oppugnabantur; conflictus, vel potiùs velitationes fiebant qvàm levissimè & qvasi perfunctoriè, sic ut qvi mediocre tenebat imperium, non difficillimè id tueretur. 6 At paullò pòst eò res rediit, ut qvi prœliô superior evalisset, omnino debellâsse sibi videretur. 7 Eductis ab utraqve parte in campum copiis, sine ulla ferè mora interposita, concurrebatur, deqve rerum summa prœliô decertabatur. 8 Hôc modô sine ullo ferè vulnere regnum Mediolanum & Ducatus Mediolanensis amissa sunt: 9 Majores

jores verò noſtri unô ad Giardaddam prœliô omne ferè in Terra firma imperium perdiderunt. [10] Prima ſereniſſima Venetorum Reſpublica alios belli gerendi, vel ducendi potiùs modos, commenta eſt atqve uſurpavit, qvando Nicolaus Urſinus & Andreas & Grittus Patavio ſe incluſerunt, & Maximiliani I. Imperatoris, cum qvo præter Imperium, Julius II Pontifex, Ferdinandus Rex Catholicus, Duces Ferrariæ & Mantuæ, & Ludovicus XII. Francorum Rex in exitium Venetæ Reipublicæ conjuraverant, impetum eluſerunt, & incredibili patientiâ ac fortitudine, uſi prædictæ Urbis commoditatibus, omnibus periculis & ærumnis ſuperatis, non hoſtibus tantùm, ſed Fortunâ etiam ipsâ invitâ, terreſtre imperium recuperârunt. [11] Eôdem modô Proſper Columna Inſubriam ſive ditionem Mediolanenſem contra Gallos, viribus multô ſuperiores, feliciter defendit: [12] Iiſdemqve uſi artibus Borbonius, Piſcariæ Marchio, & Carolus Lanojus, Franciſci I. Gallorum Regis impetum ſuſtinuerunt & fregerunt. [13] Hâc ratione Carolus V. tremendæ Saxonis, Landgravii & Confederatorum potentiæ reſtitit: [14] Eâdemqve Dux Albanus ad Civitellam regnum Neapolitanum contra Paullum IV. Papam, Henricum II. Gallorum Regem, & Herculem Ferrariæ Ducem turatus eſt. [15] Hodie qvidem dici non poteſt qvantoperè cujuſvis etiam victoriæ curſus retardetur, poſtqvàm fines validis præſidiis muniri, civitates verò, oppida & arces foſſis, muris, propugnaculis, aliiſqve nuper inventis operis muniri cœperunt; adeo ut his non expugnatis, campeſtris victoria victori non ita magnas ut olim adferat utilitates, præſertim ſi ſubditi etiam in victos dominos eamdem retineant benevolentiam & amorem, qvalis qvidem & tum & ferè ſemper alias ſuos ſubditos ſereniſſima noſtra Reſpublica eſt experta. [16] Tantum abeſt, ut Imperator hoſtium vires contemnere, ſuas verò nimioperè circumſpicere debeat, ut eum etiam prudentiorem exiſtimem qvi vires ſuas hoſtilibus longè poſtponat. [17] Imperatorem qvamvis hoſtium imbecillitatis conſcium, nihilominus cautè agere, omnibuſqve contra hoſtem viribus uti oportet. [18] Ejuſdem eſt ante omnia providere, ut exploratores habeat fideles, ſollicitos, prudentes, vel potiùs aſtutos, & conſiliô manuqve promptos. [19] In bello multæ occaſiones infructuosè præterlabuntur, eò qvòd hoſtium res & neceſſitates, in qvibus verſantur, adverſæ partis Imperatori non ſunt cognitæ. [20] Si Imperatori miles dicto non ſit audiens, nihil rectè ac feliciter adminiſtrari poteſt. [21] Clearchus dux Lacedæmoniorum dicere ſolebat, ſic Imperatorem ſe gerere oportere, ut ſui ipſum milites magis qvàm hoſtem metuant: alioqvi enim nec diligentiâ ac ſollicitudine in agendis excubiis, nec erga ſocios & amicos temperantiâ & modeſtiâ, nec fortitudine erga hoſtes uſuros. [22] Meſſis tempus commodum eſt in Expeditione verſantibus, at obſeſſis, damnoſum. [23] Imperator qvi primam qvæ ſe ei opponit civitatem non capit, aut infectâ re ejus ſolvit obſidionem, magnam exiſtimationis ſuæ facit jacturam, & hoſti ad idem aut majus qvid tentandum, animum addit.

II. *Qvæ*

II. *Qvas ob caussas obsidio solvenda sit.*

[1] Ab urbis aut oppidi alicujus obsidione discedi solet. Primò, si multos & strenuos habeat propugnatores. [2] Si obsidentes insignem aliqvam cladem acceperint. [3] Si obsessis auxilia sint submissa. [4] Si obsidentium copiæ atttitæ sint & imminutæ, aut casæ & mapalia militum perdita. [5] Ut majores alibi vitentur turbæ. [6] Pactione. [7] Ut vires in majus operæprecium convertantur. [8] Si annona & commeatus deficiant. [9] Ut exercitus ante tempus periculosum in tutum reducatur. [10] Fatuus est, inqvit Xenophon, qvi omnium in bello consiliorum & actionum felicem sibi pollicetur eventum. [11] Gabrias Atheniensium dux eum imperio aptissimum judicavit, cui hostium res cognitæ essent & exploratæ.

III. [1] Solent ad bellum gerendum Imperarores eligi vel à generis splendore, ut olim à nostris Dux Ferrariæ Dux Urbini; [2] Vel ab experientia & longo militiæ usu, ut Dux Albanus à Carolo V. Imperatore & Philippo II. Hispaniarum Rege; [3] Vel à specimine aliqvo prudentiæ & virtutis difficilibus temporibus edito, ut Jacobus Foscarinus Eqves & Procurator S. Marci; qvi Dalmatiæ Præses, qvum ultimô contra Turcas bellô incredibile animi robur, singularem prudentiam, ardentissimum erga patriam amorem, & miram integritatem ostendisset; utpote qvi ducis & militis officiô simul fungens, qvotidie contemtis omnibus periculis, se suumqve corpus hosti objiceret, pecuniam verò publicam tantum abesset, ut interverteret, ut etiam de suo ultra triginta scutatorum millia publico honori & utilitati impenderit, suis sumtibus & victu homines qvamplurimos militaris artis peritos, ut & ægros & vulneratos fovens ac sustentans, etiam in juvenili ætate Maris sive Classis Præfectus, communi omnium ordinum consensu creatus fuerit. [4] Imperatori rei militaris non admodùm perito, Legatum sive Vicarium expertissimum adjungere oportet.

IV. *Caussæ ob qvas civitates sive oppida deditionem facere solent.*

[1] Solent urbes deditionem facere, & in hostium venire potestatem. Vi Tormentorum muralium. [2] Ad vitandam territorii vastationem. [3] Fame, sive annonæ inopiâ. [4] Lassitudine sive defatigatione. [5] Præsidii impatientiâ & rebellione. [6] Civium voluntate. [7] Propugnatorum aut commeatuum defectu. [8] Auxiliorum procrastinatione. [9] Auxiliorum cæde & dissipatione. [10] Auxiliorum incertitudine. [11] Pactione. [12] Militum, præfectorum, aut civium proditione.

V. [1] Civium factiones & dissensiones Principibus admodùm sunt perniciosæ. [2] Qvum enim fieri non possit qvin earum aliqva Principis odium incurrat; solet plerumqve ea qvæ minùs gratam atqve acceptam se sentit, bellô ingruente Principis hostibus sese conjungere; tantùm ut adversarios ulcisca-

ulciscatur. Unde proditiones & imperiorum eversiones sæpe nascuntur. [3] Brixiâ urbe potente Annô MDCXXVI. Gvelforum & Gibellinorum factionibus laborante, Gvelfi qvidem vehementi indignatione accensi, ob favorem, qvem Dux Mediolanensis Gibellinis præstabat, cum hostibus ejus colludere cœperunt: unde factum tandem est, ut Petrus & Achilles Avogadri cum Averoldorum familia & aliis factâ conspiratione, Venetorum exercitum, Francicô Carmagnolâ duce, per muros noctu dejectos receperint. [4] Sapienter ergo Franciscus Barbarus, singulari prudentiâ & fortitudine Senator, qvum eôdem annô jam dictæ urbi contra Ducem Mediolanensem defendendæ præesset, ac contra externam vim parum tutus sibi videretur, nisi intus omnia haberet pacata & tranqvilla, summâ dexteritate & sapientiâ (cujus vivum exemplar in M. Antonio Barbaro ut facultatum, ita virtutum ejus dignissimo herede videmus) Martinengorum familiam cum Avogadris reconciliavit, & serenissimæ Reipublicæ potentem illam opulentissimamqve urbem durissimis temporibus conservavit. [5] Vulgatum ferè est majores numerô copias à paucioribus, sed virtute superioribus vinci.

VI. [1] In obsidione si dux vini defectum provideat, rectè fecerit, si antè paullatim milites ad potandam aqvam adsvefecerit: ne subita illa mutatio, ut plerumqve fieri solet, morbos gignat: qvam qvidem, qvalis qvalis ea sit, modò paullatim & sensim fiat, Natura facile & perfert & vincit. [2] Qvis est militum, inqvit Xenophon, tantô robore præditus, qvi cum fame & frigore diu conflictari possit? [3] In obsidionibus dux sive imperator omnia cum militibus communia habere, eademqve perferre ac pati debet. [4] In Brixia obsidione Franciscus Barbarus nunqvàm nisi in publico cibum cepit, & qvidem secundariô pane citra ullum obsonium, contentus: sicqve validissimam hanc urbem sub D. Marci insignibus & Venetorum imperio conservavit. [5] Multi qvidem tranqvillis temporibus Respublicas & imperia scienter ac feliciter administrârunt, at pauci turbulentis: qvum hoc longè majoris sit molis. [6] Inter paucos meritò familiam ducere mihi videtur Lucas Michaël, qvi Cretam insulam contra hostem à Cypri expugnatione redeuntem, & illi qvoqve insulæ sangvinolentô adhuc rictu inhiantem, fortissimè defendit, & ad Rhetimnum, Sudam, Turlurum, Sandemetrium, Caneam, & Candiam munitissimis exstructis propugnaculis, regnum illud qvasi inexpugnabile reddidit: insulanorum verò motus mirâ qvâdam & gravi comitate repressit, pestilentis sive contagiosi morbi semina in ipsa herba exstinxit, civium & militum animos naturæ qvôdam instinctu, & rationis ac morum diversitate disjunctos, perpetuô amoris vinculô colligavit, famem deniqve advectâ ex ipsorum hostium regionibus annonâ, sublevavit. [7] Qvæ omnia qvis non maximi animi opera esse judicet? [8] Habuit idem non unum, sed multos eosqve potentissimos inimicos: unô & eôdem tempore cum tremendis Turcarum viribus, cum feri & indomiti populi rebellione, cum mutuis odiis, cum pestis contagione,

taglone, cum Famis rabie ei confligendum fuit. 9 Sed ecce tibi mirificam hominis virtutem. Repulsi Turcæ, trepidè se unde venerant receperunt; seditiosi multò qvàm anteà obseqviosiores facti sunt: Pestis & Fames abscesserunt: omnes deniqve magni & parvi, milites & cives, Itali & Græci summis honoribus magistratu abeuntem proseqvuti sunt, hodieqve nomen ejus summoperè amant & colunt. 10 Idem qvoqve populus singularem suam observantiam & affectum erga hodiernum serenissimum Venetæ Reipublicæ Principem, Paschalem Ciconiam, summum militiæ in prædicto regno tum præfectum, posteà vero Caneæ Procuratorem, ostendit, statuam ei ponendo, qvæ maximorum ipsius beneficiorum & rerum fortissimè gestarum perpetuum esset monumentum. 11 Qvid de Paullo Contareno dicam? cujus tantò major virtus fuit qvantò is paucioribus copiis Zacynthum insulam, præter omnium spem & opinionem, contra immensam Turcarum classem defendit ac propugnavit. 12 Qvem discedentem annon omnis ordinis, sexus, & ætatis homines ad Navim usqve qvam inscensurus erat, comitati sunt? annon plateas qvácumqve ibat, vestibus & tapetibus stratas vidimus, ut super iis tamqvàm populi Servator incederet? 13 Fuit hic Dionysii Contareni prudentissimi Senatoris filius, frater Andreæ Contareni disertissimi Oratoris, & Sebastiani digni patre Senatoris, nec non Joannis Baptistæ navalis præfecti: & maximis honoribus perfunctus, æternam nominis memoriam & gloriam suis reliqvit.

VII. 1 Sine annona friget omnis militum virtus, ac nihili est imperatoris prudentia, qvum Venter auribus careat. 2 Imperatoris prudentiá & dexteritate nonnunqvàm majores res geruntur, qvàm magnò militum numerò & robore. 3 Imperatorem copias sæpe recensere ac lustrare oportet, ne imminutò forrè exercitu, majus qvid viribus aggrediatur, damnúmqve accipiat. 4 Sic Franciscus I. Galliarum Rex, copias suas verò majores æstimans, ad Ticinum profligatò exercitu, captus fuit. 5 In Hieronymo Zane S. Marci Procuratore, & generali Maris præfecto (cujus conatibus si non maligna fortuna adversata fuisset, hodieqve in Cypro insula S. Marci & Venetorum insignia conspicerentur) singularis eluxit industria, qvâ ad Corcyram, Zacynthum, Cephaleniam, & Cretam classem Venetam nautis & classiariis refecit, & vigilantiâ suâ sinistrum fatum, qvò illa afflicta fuerat, superavit. 6 Exercitus, præsertim locis periculosis, pedetentim ducendus est, ne itineris longitudine & asperitate miles defatigatus, hostium injuriis opportunus fiat. 7 In itinere faciundo imperatorem consilia diligenter celare: præmissisqve exploratoribus qvocumqve eumdum est, tutane sint omnia, investigare oportet, eum verò servare ordinem, ut primi seqventibus semper in conspectu sint, qvò, si necessitas ferat, unus alteri qvàm promptissimè succurrere qveat. 8 Noctu iter summo cum silentio facere exercitus debet; nam ut interdiu oculi, ita noctu aures vigilum munus obeunt. 9 Caveat qvoqve imperator, ne nocturnò tempore exercitum distrahi ac disjungi patiatur; siqvidem in ordinem tum restituere milites perdifficile est.

VIII. [1] Ii militiæ duces, qvi imperiô absolutô carent, sed qvibus Provisores (ut Veneti vocant) & alii consiliarii rerum gerendarum arbitri, adjuncti sunt, si supremi muneris honore non contenti, nimium sibi tribuant, & spretis omnium aliorum consiliis, suas pertinaciter opiniones seqvantur, eáqve qvæ ipsis visum fuerit, sine ulla mora fieri potiùs qvàm qvidqvam contra in consilium vel medium adferri malint, vix qvidqvam feliciter aggrediuntur, multô minus perficiunt. [2] Minimè expedit imperium à perito, & forti homine ablatum novo qvantumvis illustris prosapiæ committere. [3] Qvum Joannes Austrius sanctæ inter Pontificem, Regem Catholicum & Venetam Rempublicam confederationis dux supremus, accepisset, Ludovico Mozenico Venetorum Principi & senatui visum esse, Francisco Duodo triremium præfecto missionem dandam; Didacum Gusmanum de Silva jussit intercedere, ac rogare, ut ne Duodum ab officio revocarent, in qvo tres jam continuos annos ita versatus esset, ut & ipsi Reipublicæ & omnibus confederatis Principibus opera ipsius utilissima fuerit & porro qvoqve sit futura. [4] Qvid ad hæc Princeps & Senatus? [5] Responderunt. Multis experimentis sibi qvoqve Duodi tam fidem qvàm virtutem esse cognitam; qvæ qvô majores sint, eô qvoqve magis sibi in conservanda tanti viri valetudine elaborandum esse. [6] Qvum igitur qviete ei ad salutem opus esse medici dicant, placere sibi, ut is Patavium ad curandam valetudinem aliqvantisper secedat. [7] Qvô testimoniô qvid homini forti honorificentius potuisset contingere? [8] Id ergo ad perpetuam rei memoriam hôc locô consignare nobis visum est, ut sciant posteri Joannem Austrium, hominis virtute & auctoritate permotum, Franciscum Duodum in classe secum retinere voluisse; Serenissimam verò Rempublicam etiam contra suum commodum & utilitatem eidem missionem sive licentiam munere se abdicandi dedisse.

IX. [1] Duæ sunt præcipuæ imperatoriæ virtutes Fortitudo, & prudentia. [2] Utriusqve singulare specimen Jacobus Soranza, hujus qvidem ad S. Maurum, illius ad Navarrinum & Cerigem, primus in hostem ruens, dedit. [3] Xerxes terrestri decies centenum millium hominum exercitu, & mille navium classe Græciam invasit: cui ad Salaminem Themistocles cum trecentis Atheniensium, Lacedæmoniorum, & aliarum in Græcia gentium navibus sese oppofuit. [4] Qvùm verò animadverteret, jam inibi esse ut Græcorum classis, è multis, uti dictum est populis, (qvorum diversa studia ac diversi erant fines, plerisqve rem privatam magis qvàm publicam respicientibus) contracta, propediem dilapsura esset, nihil verò tale de Persarum classe, utpote qvæ ab unius pendebat imperio, sperare posset: omnibus modis hostem statuit ad prœlium provocare, atqve etiam cum immortali nominis sui gloria victoriâ est potitus. [4] Ascanius Cornia, qvùm annô MDLXXII. Pontificis, Regis Catholici, & Venetæ, & Reip classes contra Turcam Venetorum imperio, præcipuè insulis inhiantem, coiissent, ut prœlium committeretur svasit: [5] Qvùm spes non esset fore ut bellum

bellum ducendo Turcarum potentia elangvesceret; sed metus potiùs, ne confederatorum vires aut belli diuturnitate, vel sinistrò casu attererentur, aut solutô federe, planè dilaberentur. [6] Id consilium seqvuti ceteri, memorabilem illam ad Naupactum victoriam à Turcis reportârunt, qvæ universum Christianum orbem mirificô gaudiô implevit, & in meliorem spem erexit. [7] Altera caussa committendi prœlii est qvando ejus dilatione hostium vires incrementum capturæ sunt. [8] Cum paucis enim qvàm cum pluribus confligere præstat. [9] Annô MCDXCIV. Ferdinandus Aragonius Calabriæ Dux, Gallicis & Sfortianis copiis, qvæ in Romaniam jam venerant, prœlii copiam non semel fecit, qvòd sciret earum numerum brevi valde auctum iri: sed Galli suorum adventum præstolantes, locis munitis se continuerunt. [10] Et profectò magna esset stultitia cum eo hoste manus conserere qvem brevi scias deditionem facturum. [11] Annô MDXXV. Franciscus I. Francorum Rex Ducatum Mediolanensem oppugnaturus, Ticinum (Paviam vulgò) obsedit. [12] Ibi Borbonius, unà cum Neapolitano Prorege, & Marchione Piscariæ, non tàm numerô qvàm veteranorum militum virtute superior, prœlium cum eo commisit, has qvidem ob caussas. Primò qvòd in Cæsarianis castris magna esset pecuniæ inopia, sic ut exercitus brevi sponte dilapsurus aut secessionem facturus videretur: unde sive à prœlio abstinerent Cæsariani, sive funderentur, in metu amittendi Principatus versabantur. [13] Deinde paullò ante idem Rex Albaniæ Ducem cum validis copiis ad regnum Neapolitanum oppugnandum miserat, qvod qvidem regnum omnibus præsidiis destitutum magno in periculo futurum erat, nisi ad Ticinum prœliô patratô ac partâ victoriâ, hostis revocatus esset. [14] Qvum deniqve Rex ipse in castris esset, Cæsariani eô captô, non minora victoriæ suæ emolumenta, qvàm stragi damna proposita videbant. [15] Et sanè prædicti Regis captivitas Caroli V. Imperatoris rebus plus utilitatis attulit, qvàm Mediolanensis Ducatus amissio damni fuerat allatura.

X. *Caussæ ob qvas prœlium declinandum.*

[1] Qvando clades plus nocitura, qvàm victoria profutura est: videlicet si prœliô inferior unà cum exercitu imperium qvoqve sive ditionem sit amissurus, superior verò nullum alium qvàm cædendis hostibus, lucrum facturus. [2] Qvando vires nostræ neqve numerô neqve militum virtute hostium viribus pares fuerint. [3] Qvando spes est defatigandi ac morâ frangendi hostis, ac credibile est exercitum ejus non diu sub signis mansurum. [4] Cum hoste qvoqve desperato, feroce & nostris militibus formidabili non facile confligendum. [5] Nec in loco hostibus qvàm nobis opportuniore. [6] Abstinendum qvoqve à prœlio, qvando metus est ne à nostris hosti prodamur. [7] Item qvando nova sociorum exspectantur auxilia. [8] Qvando deniqve vel pacis vel induciarum spes se ostendit. [9] Boni Imperatoris est

non minùs fugiendi qvàm vincendi hostis artem tenere. [10] Antigonus Rex retrocedens cum exercitu, dicere solebat: Non eqvidem fugio, sed fortunam & commodum meum, qvæ non à fronte, sed pone me video, perseqvor. [11] Non minorem disciplinæ retinendæ atqve exercendæ qvàm hostis fundendi curam Imperator habere debet: siqvidem ubi non viget disciplina militaris, ibi qvoqve exigua victoriæ spes est. [12] Nicolaus Donatus triremibus condemnatorum præfectus, tam pacificè id muneris administravit, ut interdum ne gry qvidem intra ipsius triremem audiretur. [13] In maritimis expeditionibus prægrandes Naves exiguo sunt usui; utpote qvòd minorum agilitati sunt impedimento. [14] Adrianus Bragadinus fortissimus expertissimusqve belli dux, An. MDLXXV. triremium præfecti munere fungens, Jacobo Foscarino generali classis præfecto, scriptô consignatô ostendit rationem, qvâ tres majores naves ita armari posset, ut qvinqvaginta minoribus excipiendis pares, ac classi magno ad victoriam futuræ sint adjumento, si nimirum una in medio, & duæ alteræ utrimqve ad latera collocarentur.

XI. *Caussæ committendi prœlii.*

[1] Spes victoriæ. [2] Imperii amplificandi, aut conservandi imperii cupiditas. [3] Ut accepta antè deleatur ignominia, & existimatio recuperetur. [4] Ut rebelles reprimantur. [5] Ne oppidum aliqvod deditionem hâc lege pactum, si intra certum tempus non præsto sit auxilium, in hostiam veniat potestatem. [6] Ut hostis ab obsidione repellatur. [7] Si exercitus sine damno reduci non qveat. [8] In rei pecuniariæ inopia [9] In annonæ defectu. [10] Si aliter effugiendi spes nulla sit. [11] Ut hostis, locô sibi opportunô, nobis damnosô, dejiciatur. [12] Ad prohibendum, ne duo exercitus conjungantur. [13] Si spes sit, hostem ex improviso & imparatum posse opprimi. [14] Ut socii in federe & concordia retineantur. [15] Si metus sit, hostium copias auctum iri. [16] Qvando nullum aliud rebus nostris superest remedium. [17] Qvando periculum est ne vires nostræ longiori morâ atterantur. [18] Qvando omnia sociorum auxilia conjuncta habemus. [19] Qvando vel numero vel virtuti militum nostrorum tuto confidere qvimus.

XII. [1] Princeps alienam regionem invasurus cavere debet ut nullas hostium arces à tergo relinqvat, sed proximis & obviis qvibusqve occupatis, ad longinqviores velut unô tractu procedat. [2] Carolô VIII. Franciæ Rege bellum in Italia gerente, in Consilio disceptatum fuit, qvânam viâ ad ducendum in Neapolitanum regnum exercitum, utendum esset, utrum per Romaniam in Brutios, aut per Hetruriam & territorium Romanum rectâ Neapolim versus eundum? [3] Tandem vicit eorum sententia, qvi Hetruriam & Pontificiam ditionem unde hostis facilè nocere poterat, minimè à tergo relinqvendas censebant. [4] Qvocirca rex virium suarum metu

Floren-

Florentinis prim m, deinde Pontifice qvoqve ad suas partes traductis prædictum regnum tantò facilius occupavit. [5] E contra qvùm Paullus IV. Pontifex, Henricus II. Rex Franciæ, & Hercules Ferrariæ Dux contra Carolum V. Imperatorem & filium ejus Philippum fedus iniissent, & ab Gallorum rege Dux Gvisiæ valido cum exercitu in Italiam missus, propositâ de belli gerendi rationibus consultatione, Pontifex, qvi Neapolitanus erat, & suos honoribus & emolumentis cumulandi spem conceperat, svasit, ut in Neapolitanum regnum vis fieret; [6] Ferrariæ Dux è suis finibus Parmam oppugnari volebat: [7] Galli verò Insubriæ primùm invadendæ, & Mediolani expugnandi auctores erant, qvod ob vicinitatem facilè defendi, & inde etiam impetus in regnum Neapolitanum commodissimè posset fieri. [8] Qvùm autem Pontificis, cui Rex in omnibus gratificari volebat, obtinuisset sententia, Gvisius relictô à tergo Mediolanô, in agrum Neapolitanum profectus, re infectâ ac non sine damno rursus inde discedere coactus fuit: qvi si Mediolanum aggressus fuisset, multorum judiciô, non difficillime urbem occupare potuisset.

XIII. [1] Post insignem aliqvam victoriam, in primariam statim regionis urbem vis convertenda est: siqvidem caput cetera membra facilè seqvuntur. [2] Ferdinandus Rex Neapolis dicere solebat, si Joannes Dux Andegavensis post victoriam Annô MCCCCLX. ad Sarnum partam, statim Neapolim ipsam oppugnâsset, facilem ejus, atqve adeò totius regni habiturus fuisset occupandi rationem. [3] At dum is in minorum gentium oppidis oppugnandis tempus consumit, Ferdinandus copiarum reliqvias recollegit, qvibus Gallos posteà profligavit & regnô ejecit. [4] Illud ipsum est, qvod in famosissimô illo & omnibus ferè numeris absoluto Carthaginiensium imperatore nonnulli desiderârunt: ad qvem post Cannensem victoriam diu cunctantem, nec Romam, uti factum oportebat, statim exercitum ducentem, Maherbal dixisse fertur: *Vincere scis Annibal, sed victoriâ uti nescis.*

XIV. [1] Xenophon qvidem in libello De Cyri institutione, Cambysem militaria aliqvot præcepta filio tradentem introducit: qvæ qvum digna sint, ut omnium imperatorum & militiæ ductorum animis insculpantur, nos hîc è libro I. Pædias adnotamus. [2] Enitere, inqvit, qvantum potes, ut cum armatis inermes, cum vigilantibus dormientes: conspectos abs te, qvum ipsi te non viderint, atqve etiam ut locorum difficultatibus impeditos, ipso in loco munito excipias constitutus. [3] Et qvî fieri poterit, inqvit Cyrus, ut aliqvis hostes in hujusmodi erroribus deprehendat? [4] Qvia enim multa talia qvùm vobis, inqvit Cambyses, tum hostibus accidere necesse est. [5] Nam utrisqve victus expedienda ratio est, somnus utrisqve capiendus, & tempore matutinô ad naturæ necessaria prope simul universis est secedendum; & itineribus, qvalia qvalia fuerint, talibus utendum necessariò. [6] Qvæ omnia consideranda tibi sunt, ut ubi maximè vos imbecilles animadverteris, ibi summâ cautione utaris: ubi

verò hostes facillimè opprimi posse senseris, ibi potissimùm eos adgrediare. 7 Verùm an duntaxat in his, inqvit Cyrus, meliori esse conditione licet, an etiam in qvibusdam aliis? 8 Imò in aliis multò magis, inqvit Cambyses. 9 Nam in his pleriqve omnes accuratas adhibent cautiones, uti qvibus esse sibi opus intelligant. 10 Qvi autem fallunt hostes, possunt eos vel injectâ fiduciâ incautos opprimere, vel concessâ inseqvendi se facultate, perturbare ipsorum ordines; vel simulatione fugæ adductos ad difficilia loca invadere. 11 Oportet verò te, fili, qvi hæc omnia discendo cognoscere cupis, non iis duntaxat uti qvæ ab aliis didiceris, sed etiam de ingenio tuo qvasdam adversus hostem molitiones excogitare: qvemadmodùm & Musici non iis tantùm, qvos didicere modis utuntur, sed alios etiam novos facere student. 12 Ac qvæ nova sunt, & ipso qvasi in flore, vehementer illa qvidem in Musicis qvoqve probantur: verùm multò magis in rebus bellicis novæ machinationes laudem merentur, qvippe qvæ hostem decipere faciliùs possint.

XV. 1 Qvòd si tu, fili, nihil aliud in homines transferas qvàm eas ipsas molitiones, qvas adversus minutas admodùm bestias excogitare solebas, non te plurimum in rationibus, qvibus hoste superior evadas, inveniendis profecturum existimas? 2 Tu hyeme sævissimâ noctu surgens, aucupatum ibas & priusqvàm aves se commoverent, jam eis erant abs te parata retia, jam area versa non versæ similis erat. 3 Prætereà qvædam aves sic erant abs te doctæ, ut tuis qvidem illæ commodis servirent, sui verò generis aves in fraudem pellicerent. 4 Ipse in insidiis ita te abdebas, ut illas tu cerneres, ab illis cerni non posses. 5 Etiam studiosè dabas operam, ut aves priùs trahendo anteverteres, qvàm fugerent. 6 Rursus adversus leporem, qvòd is in caligine pastum qværat, interdiu verò fugâ sibi consulat, canes alebas, qvi odoratu eum vestigarent. 7 Et qvia repertus celeriter se in fugam conjicere solet, iccirco canes alios habebas ad hoc institutos, ut è vestigiis eum insegvendo caperent. 8 Qvòd si horum qvoqve canum vim lepores evasissent, indagabas eorum vias, & ad qvæ loca potissimum fugerent, in illis retia visum fallentia tendebas, ut illapsus in ea lepus ipsemet in illa, concitatiore cursu se indueret. 9 Atqve ut ne hinc qvidem aufugeret, speculatores ejus qvod accideret constituebas, qvi de propinqvo celeriter accurrerent. 10 Ipse à tergo clamorem ad leporem usqve pertingentem tollens, territabas eum, ut improvidè procurrens caperetur; qvi autem ab anteriori parte in insidiis erant, & retia servabant, facilè tuâ operâ latebant, qvod abs te silere jussi fuissent. 11 Qvamobrem, ut ajebam anteà, si hujusmodi qvædam adversus homines qvoqve moliri volueris, eqvidem haud scio an ullum ex hostibus superstitem relicturus sis.

XVI. 1 Qvòd si aliqvando necessitas obveniat, ut in planitie campestri, marte apertô, armatis utrisqve prœlium sit conferendum: tùm verò adjumenta, qvibus superiores evadamus, multò antè comparata plurimum

rimum valent. [2] Sunt autem hæc: si corpora militum probè fuerint exercitata, si probè qvasi exacuendo redditi acres animi, si probè rei militaris artes meditatæ. [3] Præterea necesse est hoc etiam scias, qvoscumqve censes æqvum esse tibi parere, eos omnes exiſtimaturos, æqvum esse, ut tu ipsis consulendo prospicias. [4] Itaqve nunqvàm tibi deponendæ sunt curæ, sed providendum noctu qvid subjectos imperio tuo; facere velis ubi dies advenerit; interdiu, qvô pactô se res nocturnæ qvamoptimè sint habituræ. [5] Qvâ verò ratione instruendus sit ad pugnam exercitus, [6] Qvô pactô vel interdiu vel noctu, vel per angustas vel per latas, vel per montosas vel campestres vias ducendus; [7] Qvô pactô metanda castra, nocturnæ diurnæve excubiæ constituendæ, ducendus in hostem vel reducendus miles; [8] Qvô pactô præter urbem hostilem faciendum iter, exercitus ad murum adducendus vel abducendus, [9] Qvô pactô vel saltus vel fluvii transeundi; [10] Qvâ ratione vel à copiis eqvestribus, vel à jaculatoribus, vel à sagittariis cavendum: [11] Tum si tibi explicatum in cornua exercitum ducenti, hostes obvii ostentent, qvô pactô sit eis acies opponenda; [12] Sin eum phalangis in morem instructum ducenti, ex alia qvavis parte hostes appareant, non autem à fronte, qvô pactô ducendus sit tunc in eos miles; [13] Qvâ ratione possit effici, ut qvid hostes rerum agant, sentias; tu qvid instituas, prorsus ab iis ignoretur: hæc igitur omnia qvid tibi commemorem? [14] Nam qvæcumqve comperta mihi erant, audisti sæpius; & ceteroqvi si qvi harum rerum periti videbantur, eorum neminem neglexisti nec rudis & imperitus talium rerum mansisti. [15] Qvapropter ad qvævis eventa, ut arbitror, his utendum erit, qvæ tibi qvôvis tempore potissimùm ex usu fore videbuntur.

XVII. [1] Etiam hæc ex me, fili, maximi sanè momenti discito. [2] Nunqvàm neqve pro te solo, neqve cum exercitu sacris non litatis & contra auspicia periculum adeas. [3] Nam cogites velim, homines non nisi de conjecturis res gerendas suscipere: qvùm planè nesciant unde sit ipsis boni aliqvid exspectandum. [4] Licet hoc de iis qvæ accidere solent, intelligas. [5] Nam fuêre complures, iiqve hominum opinione sapientissimi, qvi multis auctores exstiterunt, ut bellum adversus eos susciperent, à qvibus illi deinde, qvi persvaderi hoc sibi passi fuerant, sunt eversi. [6] Multi præterea multos & privatos homines & respublicas everterunt, à qvibus evectis operâ suâ, maximis sunt deinde malis affecti: [7] Multi eos qvibus amicis uti poterant collatis in eos & acceptis beneficiis, qvùm servos esse suos qvàm amicos mallent, ab iisdem multati pœnas dedêre. [8] Multi vitâ jucundâ, conjunctâ cum possessione mediocris alicujus patris, non contenti, qvùm omnia suam in potestatem redigere cuperent, illis etiam, qvæ possidebant, exciderunt. [9] Multi aurum qvòd tantoperè votis omnium expetitur, conseqvuti, propter hoc ipsum periêrunt. [10] Itaqve humana sapientia nihilô certius qvod optimum est eligere novit, qvàm si qvis hoc agat, qvod sors obtulerit. [11] Verùm Dii immortales, fili, omnia

nôrunt,

nôrunt, & præterita & præsentia, & qvis singulorum futurus sit exitus. [12] Idem hominibus, se consulentibus, qvibus qvidem propitii sunt, qvæ suscipienda vel non suscipienda sint, antè significant. [13] Neqve verò mirandum, non ipsos omnibus velle consulere; qvando illorum curam gerere qvos complecti studiô suô nolint, necessitate coguntur. [14] Hæc apis illa Attica: cui tantô major fides habenda, qvòd non scriptor tantum bonus, verùm etiam miles fuerit, adeoqve ipse exercitum, & qvidem in magnis rerum angustiis, feliciter duxerit.

XVIII. [1] Illud qvoqve operam dare imperator debet, ut si fortè in suo exercitu aut comitatu virum aliqvem prudentem & cordatum, qvamvis privatæ fortunæ aut humilioris conditionis habeat, ejus consilium & sententiam exqvirere; ac si rectè atqve è re consuluisse videatur, seqvi atqve etiam exseqvi non erubescat. [2] Sic Fridericus Aragoniæ Rex bellum cum Ludovico Andegavensi Franciæ rege gerens, stipendiarum habuit Gasparem Ugolinum de Simeonibus, nobilem Aqvilegiensem: qvi rogatus à Rege, qvânam ratione id in regno administrando efficere posset, ut à subditis amaretur simul & timeretur? respondit: Si jus æqvaliter omnibus dici procures; si feminarum honorem & pudicitiam defendas: si deniqve operam des, ut regnum tuum rebus omnibus necessariis, qvantum fieri potest, abundet. Sic enim immortalem tibi vitam subditi exoptabunt. [3] Qvod prudentissimum responsum ac consilium Regi tantoperè placuit, ut non in consilium tantùm, verùm etiam in amicitiam & qvasi contubernium ejus auctorem receperit, & multis immunitatibus & privilegiis tàm ipsum qvàm ejus posteros, etiam Regibus non inservientes, donârit: qvibus etiamnum illi fruuntur.




XVII.

XVII.

AN LITERARUM STUDIA MILITIAM ENERVENT?

CAP. I.

1 vùm Gothi olim in Græciam irruissent, & torrentis instar omnia longè latéqve essent depopulati; qvamplurimis direptis & eversis oppidis, inter ceteram prædam iidem nacti sunt magnum omnis generis librorum numerum; qvorum usum illi ignorantes qvùm omnes unô igne cremare & abolere constituissent, qvidam altum exclamans, Ne, inqvit, ô populares, hoc facite, sed potiùs Græcis hanc pestem relinqvite; qvæ dubium non est, qvin brevi omnem eis vigorem ereptura, Martiosqve spiritus exhaustura sit: siqvidem nullâ re animi faciliùs effeminantur qvàm litterarum studiis, adeò ut iis dediti ad arma tractanda planè inhabiles reddantur, &c. 2 Similiter qvùm Carolus VIII. Franciæ Rex parvo cum exercitu totam Italiam percurrisset, & sine ullo, qvod ajunt, ictu Regnum Neapolitanum & bonam Hetruriæ partem occupâsset, omnibus tantam Italorum Principum vecordiam admirantibus, Gallici exercitus duces præcipuam caussam litterarum studiis, qvibus illi tùm supra modum erant dediti, adscripserunt: qvæ qvùm pacis tantùm asseclæ sint, & ad eam unicè accommodatæ, corda emollire, vel potiùs emasculare, & ad pericula subeunda timidos homines reddere solent. 3 Qvin etiam hodie Turcæ Christianos tanqvàm imbelles despiciatui habent, ob artium qvibus dediti sunt, qvasqve exercent, varietatem. 4 Qvamvis enim ea sit humanæ vitæ brevitas, ut accuratam tot tamqve variarum artium & scientiarum cognitionem unus acqvirere vix, ac ne vix qvidem possit: videmus tamen plerosqve omnes ad tot tamqve varia studia animos applicare, ut nihil velut intactum relinqvere velint, parum illius memores, fieri vix posse, ut unus in omnibus excellat; & qvando pluribus studiis distrahitur animus, tantô longius abesse à perfectione. 5 E contra Turcæ omne studium, curam & cogitationes in armorum tractatione ponunt, spretis ceteris artibus omnibus, nisi qvæ ad bellum qvodammodò sunt utiles. 6 Ex historiis constat Romanos bellicâ virtute ceteros omnes populos superâsse: præcipuè verò qvùm literis & scientiis, è Græcia importatis, ceterisqve Orientalium regionum

deliciis portas nondum aperuissent. [7] Nullô qvidem tempore major eorum virtus fuisse legitur, qvàm eô tempore, qvum Consules ipsi stivam & aratrum tenerent, terramqve colerent; artesqve omnes Medicæ, Chirurgicæ, &c. incognitæ adhuc essent. [8] Negari qvidem non potest, seqventibus temporibus magnas qvoqve & præclaras res ab eis fuisse gestas: at si verum dicere volumus, fatendum erit auctoritate potiùs ante armis acqvisitâ, qvàm virtute res ejusmodi ut plurimùm fuisse confectas. [9] Et sanè manifestò constat; eosdem qvamprimùm litterarum studiis & exoticis deliciis locum dederunt, continuis ferè & ignominiosis cladibus fuisse affectos, utputà à Jugurtha, Mithridate, Cimbris, Numantinis, Spartaco, Parthis, & aliis. [10] Illud etiam in universum historiæ testantur, populos omnium bellicosissimos, qviqve res maximè præclaras gesserunt, ab omni ferè humanitatis cultu & deliciis qvam maximè abhorruisse: qvippe qvibus unum illud studium erat, ut animos contra omnia pericula, atqve adeo ipsius mortis metum armarent, & corpus perpetuis durarent laboribus: doctrinarum verò reconditiorum aut scientiarum ne minimum qvidem gustum habuisse, multóqve minus qvidqvam admisisse, qvod ad animos enervandos pertineret. [11] Tales olim fuerunt, hodieqve sunt Scythæ illi, qvorum invicti exercitus in interiores etiam Orientis regiones ad Danubium usqve & ad Nilum penetrârunt. [12] Superioribus temporibus iidem, ductore Rege ipsorum *Qvingô*, universum ferè Orientem armis pervaserunt, & miserandum in modum vastârunt. [13] Recens est earum, qvas avorum nostrorum ævô magnus ille Tamburlanes gessit, rerum memoria: qvi solus gloriari potest Turcicos exercitus acie à se victos & prostratos, Principem eorum captum, & tanqvàm scabellum pedibus suis fuisse suppositum. [14] Nostrô tempore Mogores, rudes & inexperti populi Scythiâ, vel ut nunc loqvimur, Tartariâ egressi, magnam Indiæ partem occupârunt. [15] Notum est magnum illum, qvem vocant Tartarorum Canem vel Chamum, hominem rusticum & omnis doctrinæ expertem, inter potentissimos totius Orbis Monarchas non postremum sibi vendicare locum: qvamvis idem gentibus natione barbaris, & ab omni civilitate longè remotis imperet. [16] Nec desunt in Europa nobis exempla. Helvetios videamus: qvorum ingeniis qvid crassius, qvid pingvius, qvid incultius, olim præsertim? & tamen iidem ad Nancejum in Lotharingia, nec non in Italia ad Novariam, Marinianum, &c. itemqve in Galliis ad Druydarum urbem & alibi passim res valde memorabiles gesserunt; tantaqve in existimatione habentur, ut etiam potentissimi Reges & Principes amicitiam ipsorum non expetant tantùm, verùm etiam maximô preciô redimendam, eisqve ferè in qvibus volunt rebus morem gerendum sibi putent. [17] Sed præ ceteris omnibus nationibus Turcarum gens hâc vitæ barbarie delectatur, omnesqve artes qvantumvis ingenuas & elegantes, contemtui habet, ut picturam, sculpturam sive statuariam; neqve Architecturæ multum tribuunt, nisi qvantùm ad necessitatem: qvin etiam duas illas,

las, picturam, inqvam, & statuariam, tanqvàm impias & in Deum contumeliosas, detestantur. [18] Litteras verò sive doctrinas & scientias pro stultitia habent: neqve litteratis hominibus qvidqvam apud eos vilius & contemtius. [19] In vestibus nullum amant luxum; qvas non acupictas, non laboriosè segmentatas; sed è materia robusta & integra gestant. [20] Fimbriæ illæ & mille vestimentorum apud nos veluti phaleræ, ne notæ qvidem ipsis sunt: [21] Magnates tamen multò aurô, eôqve putô purô vestes ornare solent. [22] In bello feroces potiùs & formidabiles qvàm mundi & elegantes haberi volunt, omnesqve in armis suas voluptates ponunt, sic ut nullus inter ipsos sit, qvi non ad arma potiùs qvàm ad aliud qvodvis exercitium aut artem natus esse videri velit. 23. Id qvod tum maximè apparet, qvando bellum aliqvod gerendum est: tum enim qvi non evocantur, summâ se contumeliâ affectos, vitamqve omnem acerbam sibi putant. [24] Hinc iidem in omnibus belli actibus, obsidionibus, oppugnationibus, velitationibus, pugnis tàm eqvestribus qvàm pedestribus, tàm terrâ qvàm mari vehementer etiam à nostris militibus timentur, non ob fortitudinem tantùm & vitæ prodigalitatem; verùm etiam bellicarum rerum omnium scientiam & artem: cujus non exigua olim qvùm Hydruntum tenuerunt, & contra universæ Italiæ vires pertinacissimè diu usqve ad mortem Mahumetis II. defenderunt, in Italia vestigia reliqverunt, ubi nostri homines eorum in muniendis locis industriam admirati primùm sunt, deinde etiam, exemplis inde captis, imitari cœperunt. [25] Tanta qvidem eorum in bello virtus, tam laboriosa industria existimatur, ut locus nullus sit tàm munitus, nullum facinus tam difficile, qvod illi aggredi non ausint, & ut plurimum non feliciter conficiant.

II. [1] Sed ut ad litterarum studia & scientias redeamus, dicat mihi fortè qvispiam: Qvid? ergone censes litterarum studia ad militarem gloriam tendentibus esse impedimento? aut homines ad arma tractanda planè reddere idoneos & perfectos? [2] Neutrum qvidem, sed contra potiùs sentio, sententiæqve meæ auctores vel adstipulatores gravissimos jam laudabo. [2] Duo illi splendidissima rei militaris lumina magnus Alexander, & Julius Cæsar, qvi utrum virtute an fortunâ plus valuerint incertum est, an non in omni literarum & scientiarum genere excelluerunt? [3] Eqvidem sic existimo, sine historiarum lectione, & Mathematicarum disciplinarum cognitione, vix qvemqvam boni Imperatoris aut bellici ducis nec nomen acqvirere, nec officium præstare posse. [4] Historia enim ob exemplorum tàm bonorum qvàm malorum successuum varietatem hominis pectus instruit, ut prudentiùs omnibus in rebus procedat, & in deliberando maturis consiliis, in conficiendo verò celeritate utatur: [5] Mathematicæ verò disciplinæ intellectum subigunt, & judicium acuunt, tàm ad excogitandas bellicas machinas, qvàm ad aciem disponendam, & loca munienda. [6] Qvocirca omnino fatendum est, literarum ac disciplinarum cognitionem rei militaris candidatis sive studiosis magno esse adjumento, & animos ad ar-

ma inclinatos ad perfectionem qvamdam disponere atqve promovere, unde etiam antiqvi unam eamdem Palladem sive Minervam, & litterarum & armorum Præsidem esse voluerunt. 7 Qvamvis autem Turcæ ut suprà dictum est, omni literarum cognitione ferè careant, & nihilominus bellicosi habeantur; videmus tamen Principes Ottomanicæ stirpis, qvi omnium maximas res gesserunt, Mahumetem scil. II. Selymum & Solymanum tàm in historicis qvàm Mathematicis studiis apprimè fuisse versatos, & virtuti militari non leve inde præsidium petiisse. 8 Etsi enim animi robur sive magnanimitas Naturæ qvodammodò donum est: certum tamen est, homines omnis literaturæ & disciplinæ expertes, ut plurimùm incautos esse, dubios, timidos, & verbô dicam, vecordes. 9 Exemplô sunt Ottomanidæ Turcarum Principes. Inter qvos Bajasetus II. & Corcas ejus filius non illiterati qvidem fuerunt, nullas tamen res memorabiles perfecerunt, qvod naturæ qvâdam imbecillitate ad bella gerenda parum apti essent. 10 Ex qvibus sanè apparet litterarum studia ad militarem artem perfectè addiscendam multum prodesse; inprimis verò in iis, qvos natura animô qvôdam robustô & intrepidô donavit. 11 Ad gregarios milites qvod attinet, eqvidem unum in eis reqvirendum arbitror, ut scilicet promptè obedire sciant; adeò ut etiam uberiorem litterarum cognitionem inutilem eis putem, siqvidem ut Poëtæ verbis utamur, Ingenuas didicisse fideliter artes, emollit mores, nec finit esse feros. 12 Hinc fit, ut isti tales qvietem ament, labores & pericula fugiant, mortemqve timeant; vitam deniqve magis ad civilitatem qvamdam instituere & conformare, qvàm gloriæ acqvirendæ studiô periculis exponere studeant: 13 Qvæ omnia à boni militis officio longè absunt. qvod unicum est, ut diximus, rectè obedire, & arma ad oppugnandum hostem bene polita in promptu semper habere.



XVIII.

XVIII.

METHODUS APODEMICA,

SEU

Peregrinandi, Perlustrandiqve regiones, urbes & arces ratio:

AMPLISS. ET NOBILISS. VIRI,

Dn: HEINRICI RANZOVII,

Regis Daniæ in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ Vicarii & Consiliarii, Domini in Bredenberg, &c. auspiciis edita per M. Albertum Mejerum Strandt Phrisium Pilwormensem.

TESTIMONIA DE RANZOVIO

Joannes Fungerus Scholæ Leoward. Rector, libr. Symbolor. Varior. p. m. 5.

Ad Illustrem & generosum virum

HENRICUM RANZOVIUM

Regis Daniæ Vicarium & Consiliarium.

Πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ,

Opes virtus & gloria sequitur.

ibi id dico Ranzovi Heros. Cujus qvæ virtus & qvæ gloria sit, nemo nescit. Renidet ista versus Danubium, pervagatur Rhenum, excurrit ad Tagum, Seqvanam & Thamesim lambit, perstringit Scaldim Frisiamqve nostram. Rectè Euripides; *οἱ δ' εὐδαίμονες ἐν πᾶσι κλεινοὶ καὶ περίβλεπτοι βροτοῖς.* Es eô nomine felix, iterum dico felix. Est tibi laudum sylva oblata, qvæ materiam suggerit prædicationis divinæ beneficentiæ. Nec

tamen tibi contingit, qvod alias magnô locô natis sæpissimè contigit. Qvid illud? Audi Menandrum: *μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.* Qvid Chæronæus? *ὀλίγοι εἰσὶν οἷς μετὰ τὸ εὐτυχεῖν παραγίνεται τὸ φρονεῖν.* Eôdem spectat Homerus, cujus verba sunt hæc: Il. π. v. 616.

> *Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,*
> *Ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν,*
> *Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τίθει νόον εὐρύοπα Ζεὺς*
> *Ἐσθλόν.*

At omnia tibi, aut multa simul. Nam qvæ prudentia, qvis animi vigor? Nôrunt id docti, qvorum monumenta totum terrarum orbem pervolitant. Exemplô tuô multis calcar & stimulum addis ad res præclaras. Qvæqve aliis opes pernitiem creant, *οἱ πρὸς τὴν ἀρετὴν καὶ βασιλείαν τοῦ θεοῦ δυσκόλως ἔχουσι*, illæ tibi virtutum omnium fontes haberi possunt. Sic verè *πλοῦτος ἡδίων καὶ δόξα λαμπροτέρα, ἂν τὸ ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἔχῃ γῆθος*, qvæ sunt verba Plutarchi lib. de virtute & vitio. Jamqve es adeptus summum felicitatis culmen inter mortales. Qvò accedit, qvòd sis patronus eorum omnium, qvi operantur Musarum sacris. Macte virtute tuâ: Scipionem, Alexandrum, Pompejum, Julium Cæsarem, Augustum, Vespasianum, Titum, Diocletianum, Adrianum, Antoninum, Alexandrum Severum, Carolum Magnum, Fridericum, Alphonsum, Siciliæ regem Robertum, Ptolemæum Philadelphum, aliosqve viros heroicos vel hanc ob caussam nominis æternitate donatos imitari perge. Magis res ista qvàm Herculem labores, aut sua Cererem, Bacchum aut Minervam inventa, te inferet cælo. Qvid enim aliud sunt literæ, qvàm donum Dei? Qvi gratam de se famam in iis sparsit? fallor? Eqvidem pro me stante Hippocratem video, qvi ad Senatum Abderitarum scripsit hôc modô: *τέχναι θεῶν χάριτες, ἄνθρωποι δὲ ἔργα φύσιος.* Hâc ergo ratione sursum te tolles magis ac magis, inqve amplissimo sapientum synedrio residebis, ubi cesseris vocanti fato. O magnum præmium. Fateor, est temporaneum, qvod seqvitur, & qvô frueris, dum vivis, at minimè contemnendum. Scilicet delectant domi literæ, peregrinantur nobiscum, & rusticantur. Utqve Philemon dixit, *ψυχῆς ἰατρὸς γράμματα.* Nec omittendum, qvod Diodorus scripsit, lib. XII. bibliothecæ: *τὸ μὲν ζῆν τὴν φύσιν αἰτίαν ὑπάρχειν, τὸ δὲ καλῶς ζῆν τὴν ἐκ τῶν γραμμάτων συγκειμένην παιδείαν.* Ut potiùs hôc modô sis magnus, qvàm tot rerum possessione. Hinc limina tua terunt JCti, Medici, Philosophi, Poëtæ, Astronomi, & qvis non? Modò haud planè sit *ἄμουσος*? Apud te Scaliger & Clariss. ille Brissonius, uterqve magnus, aliiqve multi, qvos hæc pagina non capit. Tandem sit mihi & locus aliqvis. Id dico liberè, imò tui honoris gratiâ.

Adjicio hîc & Epiſtolam conſolatoriam

REVERENDI AC CLARISSIMI VIRI,

Dn. DAVIDIS CHYTRÆI,

ſacræ Theologiæ Doctoris ac Profeſſoris in Acad. Roſt. ad Illuſtrem & generoſum virum Henricum Ranzovium Vicarium Regium, de obitu filii Caji placidè ferendo.

S. D.

obilis & Magnifice Heros, patrone colende, poſteaqvàm de Nobiliſſimi generis ac ingenii juvene ſenilem prudentiam, & virtutis maturitatem, ante annos adepto, filio tuo, CAJO, ſuperioribus diebus ex hac vita evocato, intellexi: ad officium pietatis & gratitudinis, Domino & patrono de me optimè merito debitæ, pertinere judicavi, συμπάθειαν meam, & doloris ac mœſtitiæ ſocietatem, tali tempore declarare. Vult enim Deus nos adverſis amicorum & patronorum caſibus verò mœrore affici, & ſimul de communi naturæ noſtræ infirmitate, de cauſſis ingentium miſeriarum & mortis humanæ, & de fontibus conſolationum, qvos DEUS monſtravit, cogitare. Magnum qvidem & acerbum vulnus præpropera & immatura mors talium liberorum cordi noſtro infligit, in qvibus Ingenium cæleſte ſuis velocius annis ſurgit, & ante annos animumqve gerit, curaſqve viriles: qvi virtute & induſtriâ ſingulari exculti ac politi, jam patriæ ſuæ, & Regibus ac principibus, patriæ Dominis, cum laude ſervire cœperant: & qvos, ſi diutiùs vixiſſent, magno Reipublicæ & ſuis præſidio & ornamento futuros, ſpes erat. Sed non caſu fortuitò, nec cauſſis ſecundis tantùm naſci & occidere homines, ut pulcherrimi arborum & herbarum flores hôc anni tempore ſubitò defluunt ac pereunt, vel ut poma, alia matura, alia ante maturitatem, decidunt, ſed certô Dei patris cæleſtis conſiliô & voluntate, certa vitæ ſpatia, aliis longiora aliis breviora tribui ſcimus. Definiti enim dies hominis ſunt, ut vox divina inqvit, Numerus menſium illius penes te Deus eſt, conſtituiſti terminos ejus, qvi præteriri non poterunt. Etſi autem cauſſas divini conſilii, optima qvæqve priùs à nobis auferentis, & impleri numeris deteriora ſuis permittentis, omnes perſpicere non poſſumus: tamen cùm omnibus

bus hominibus ſtatutum ſit ſemel mori : multis calamitatibus & periculis tempeſtivè morientes præripi , non ſolùm exempla plurimorum , fortunâ potentiâ , dignitate , florentium , Pompeji , Ciceronis , Crœſi , Polycratis , Valeriani Cæſaris , &c. qvibus diutiùs vixiſſe nocuit : verùm etiam cæleſtia oracula confirmant. Et unô veluti faſce , Seneca , mortis tempeſtivæ commoda complectens , exclamat : O ignaros malorum ſuorum , qvibus non mors , ut optimum naturæ inventum , laudatur ; qvæ ſive felicitatem includit : ſive calamitatem repellit , ſive ſatietatem aut laſſitudinem ſenis terminat : ſive JUVENILE ÆVUM , DUM MELIORA SPERANTUR IN FLORE deducit ; ſive pueritiam ante duriores gradus revocat. Omnibus finis : multis remedium : qvibuſdam votum : de nullis meliùs merita , qvàm de iis , ad qvos venit , anteqvàm invocaretur. Floruis Filius tuus , ingenii ſagacitate & prudentiâ ſenili : ſingulari in rebus agendis dexteritate ac induſtriâ ; morum gravitate , & victore omnium voluptatum animô , planè adhuc juvenis. Jam qvidqvid ad ſummum pervenit , ad exitum properat , ait idem Seneca ; eripit ſe aufertqve ex oculis perfecta virtus , nec ultimum tempus exſpectant , qvæ in primo maturuerunt. Ignis qvô clarior fulſit , eô citiùs exſtingvitur : ſic ingenia , qvô illuſtriora , eô breviora ſunt , ut de Marcello adoleſcente , Auguſti ſororis filio , Virgilius cecinit , oſtendent terris hunc tantùm fata , nec ultra eſſe ſinent. Auguſtus ipſe , vivum & unicum ferè inter reges , Ariſtotelicæ beatitudinis , cum excellenti ſapientia , virtute & felicitate , cetera etiam fortunæ bona conjuncta habentis , exemplum : duos nepotes ſuos , Cajum & Lucium , in qvibus ſpem generis & imperii præcipuam collocârat , in ipſo ætatis ac rerum gerendarum flore amiſit. M. Cato ille ſapiens & ſenex , filium prætorium , virum optimum , & virtute præſtantem , terræ ſe mandâſſe refert , cùm contrà ſibi ab illo parentari decuiſſet. Paullus Æmilius ille , qvi Perſeum Macedoniæ regem à ſe captum , in triumpho duxit , cùm ex qvatuor filiis , duos adoptandos , in Scipionum & Fabiorum familiam dediſſet ; duos ſuperſtites , illis ipſis triumphi diebus , ante ſe ex hac vita migrare vidit.

Hæc cùm ſummis iſtis Imperii Romani luminibus , & aliis , Principibus & privatis , in Eccleſia Dei evenerit : injuſtum eſſet à nobis ſimilia onera recuſari. Præſertim cùm Deum ſapienti & graviſſimô conſiliô , noſtræ potiſſimum utilitatis & ſalutis cauſſâ , nos morbis & noſtrorum morte , & aliis adverſis caſibus interdum exercere ſciamus , ut timor Dei , fides , invocatio noſtra , patientia , & ceteræ virtutes , qvæ rebus omnibus ad voluntatem fluentibus , langvidiores fiunt , & paullatim prorſus exſtingvuntur ; per crucem & calamitates in nobis explorentur , exerceantur , creſcant , & confirmentur.

Verè enim Demetrius , vitam ſecuram & ſine ullis fortunæ incurſionibus , Mare mortuum appellat , qvod nullis ventorum flatibus , ut cetera agitetur , nihil habere ad qvod exciteris , ad qvod te concites , cujus denuncia-

nunciatione & incursu firmitatem animi tui tentes, ut Attalus etiam, Stoicæ disciplinæ Philosophus, dixit, malle se, ut eum fortuna in castris suis, qvàm in deliciis habeat. Sed nostræ potius Philosophiæ principis Christi testimoniis utamur, qvi omnis doloris ac ærumnarum expertes, pro spuriis & nothis, non pro filiis à Deo haberi ostendit. Qvis enim est filius, qvem non erudit subinde, & castigat pater.

Qvod igitur, te qvoqve non Aristotelicâ solùm felicitate, ut de Augusto Cæsare paullò ante dixi, sapientiâ, virtute, doctrinâ, splendore, gloriâ, flore liberorum, opibus, latifundiis, plenâ auctoritatis & dignitatis senectâ vigentem: sed etiam post mortem, secuturam beatitudinem in cælis æternam exspectantem: subinde mortalitatis & fragilitatis humanæ DEUS tuorum funeribus & aliis rebus incommodis admonet, benevolentiam Dei erga te paternam, hac qvoqve in parte agnosces, nec voluntati Dei vehementiùs repugnabis.

Dumqve carissimos filius tuus in vera agnitione & invocatione filii DEI Domini nostri Jesu Christi decesserit: certò statuimus eum, in æterna cum Deo & ecclesia cælesti consvetudine, consecutum esse æterna cum Christo gaudia, & lætari, se miseriis ærumnosæ hujus vitæ mortalis perfunctum esse, & nunc coram frui conspectu & voce filii Dei, & clarissimorum regum Davidis, Josiæ, Constantini, Caroli. I. Christiani III. Friderici II. & nobilissimi Herois, Joannis Ranzovii, avi paterni, & fratrum, qvi eum præcesserunt; & tuam ac nobilissimæ matris & fratrum, sororumqve superstitum salutem DEO commendare.

Qvòd si in Christum credimus, & fidem verbis ac promissis ejus habemus (inqvit D. Cyprianus.) cur non cum Christo futuri, & de Domini pollicitatione securi, ad Christum, cum qvo victuri, & semper regnaturi sumus, lætâ securitate venimus? qvis non ad meliora festinet? Jam terrenis cælestia, & magna parvis, & caducis æterna succedunt. Qvis hic anxietatis & sollicitudinis locus? qvis inter hæc trepidus & moestus est, nisi cui spes & fides deest, ejus est enim mortem timere, qvi ad Christum nolit ire: ejus est nolle ad Christum ire, qvi se non credit, cum Christo regnare. Et paullò pòst; Non igitur sunt lugendi fratres & liberi nostri, accersione dominicâ de seculo liberati: Cùm sciamus, non eos amitti, sed præmitti; recedentes præcedere: ut proficiscentes & navigantes, desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic esse atras vestes, qvando illi ibi indumenta alba jam sumpserint.

Non dubito autem, te, universam Ecclesiæ doctrinam, & hunc præcipuè portum vitæ ac salutis æternæ, in qvem filius tuus tempestivò cursu jam pervenit, intuentem, & hæc qvæ commemoravi omnia, & alia dolorum remedia cogitantem, mediocriter in Dei voluntate adqviescere, & moestitiæ repugnare. Existimavi tamen ad officium patrono & amico de se optimè merito pertinere, tali tempore, aliqvam communis moestitiæ & luctus significationem ostendere. Qvod, te, tali sapientiâ & bo-

 nitate

nitate virum, non aspernari, confido. Deum æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, fontem omnis consolationis & vitæ præsentis ac æternæ, ardentibus votis precor, ut tibi, & nobilissimæ conjugi tuæ, vires animi & corporis confirmet, & vitam ad multorum hominum & Reipublicæ salutem proroget, & universam familiam vestram incolumem & florentem perpetuò servet. Datæ Rostochii, Calendis Maij, Anno M. D. XCI.

Ipsum verò elogium dicti Caji Ranzovii Lipsiæ M. D. XCI. in 4to editum ita habet

Cajus Ranzovius, Henrici Regii in ducatibus Holsatiæ Vicarii ac Consiliarii filius, natus est A. C. 1562. 9. Augusti, horâ 2. mi. 12. post meridiem. HIC in tenera ætate præceptori privato in disciplinam traditus, semina literarum feliciter hausit. Deinde in aulam Illustrissimi Principis Holsatiæ Adolphi susceptus, unà cum Principibus Holsaticis D. Friderico, & D. Philippo educatus & liberalioribus artibus imbutus fuit. Ut autem studia humaniora ulteriùs persequeretur ac lingvas etiam peregrinas addisceret, à parente in Galliam missus est: ubi per hyemem Lutetiæ moratus, seqventi vere, duobus Comitibus & aliqvot nobilibus se conjungens in Angliam trajecit. Hâc ferè totâ perlustratâ ac statu aulæ Anglicanæ exploratô, in Galliam est reversus. Hâc qvoqve penè universâ peragratâ, in patriam se recepit, ubi Metropolitanæ Ecclesiæ Hamburgensis Præpositus & Canonicus est electus. In Serenissimi Daniæ Regis Friderici II. aulam, ubi Danicam lingvam didicit, se posteà contulit, à qvo A. C. 1587. missus est ad Illustrissimum Ducem Parmensem, cum literis concernentibus tractationem de pace, inter potentissimum Regem Hispaniarum, & Serenissimam Reginam Angliæ ac Belgicos status. Rebus ibi dextrè confectis à duce Parmense catenâ aureâ, ejusqve effigie donatus benignissimè ablegatur. Iter ingressus, tribus ab urbe Bruxellâ milliaribus, per 22. eqvites Bergenses, 9. die Januarii captus, omnibusqve suis, qvas tunc secum deferebat, fortunis spoliatus est. Sed literis Ducis Parmensis resignatis, agnitus à Reginæ Angliæ Capitaneo, & ad status inferioris Germaniæ missus, ab his liberatur & rursus ad Regem Daniæ qvi eam ob caussam ad Illustrem Baronem Angliæ Peregrinum de Willugbui literas dederat dimittitur: qvi ejus captivitatis & injuriæ vindicandæ causâ naves Hollandicas 600. in freto Orsund detinuit: donec persolverunt 30000. thalerorum. Ex ea summa Cajo Ranzovio 10000. pro perpessa captivitate & detentione ex speciali gratia Rex donavit. Post obitum Regis Friderici, mandatô Reginæ, Regiam filiam, qvæ Illustrissimo Principi Brunsvicensi Henrico Julio elocata est, comitatus, in aula ejusdem Ducis aliqvamdiu substitit. Inde evocatum Reverendissimus & Illustrissimus Archiepiscopus Bremensis Episcopus Lubecensis Johannes

Johannes Adolphus, dux Holsatiæ &c. in numerum Consiliariorum Holsatiæ cooptavit, & Administratorem Amplissimæ Præfecturæ Gottorpiensis constituit. Ad eam suscipiendam contendens & thalami consortem Didérici Blomii filiam sibi desponsatam ducere volens in itinere febrili paroxismô est correptus. Invalescente morbô in arce patern a Bedenberga sacram cœnam cum usurpâsset, & se DEO propitio firmâ fide commendâsset, spe resurrectionis & vitæ æternæ secuturæ fretus, non sine acerbissimo dolore ac lacrymis suorum nec absqve luctu publico totius Holsatiæ, qvæ per ejus immaturum obitum singulare decus ac præsidium amisit, inter complexus parentum ac propinqvorum, piè placidéqve obdormivit, Annô Domini 1591. die 20. Aprillis circiter horam 7. vespertinam. Dum vivebat, piè, modestè & sobriè vivebat, nemini noxius sed talis omnino, qvi qvod de Amphiarao Græcus Poëta scripsit. Non videri sed bonus esse vellet. Nihil eô erat probius, nihil comius, nihil munificentius, nemo amicorum observantior, nemo sodalium studiosior, nemo juvenum humanior, & qvod majoris est modestiæ, non solùm pares ferebat facilè, sed etiam humiliores sibi æqvabat, Ex vultu ejus enitebat bonitas, ex incessu gravitas, ex verbis comitas & senilis prorsus prudentia. Corpus in Sarcophagum, qvem pater Henricus sibimetipsi parari jusserat, illatum, ac in sepulcrum avitum Itzehoënse depositum fuit, annô eôdem, die 7. Maji. Sed inde posteà in conditorium, qvod parens Henricus Ranzovius, consensu Abbatissæ, Catharinæ Alfeldiæ consulum Itzehoënsium & Curatorum templi ad S. Laurentium propter cryptæ avitæ angustias exstrui curavit novum, cum avi, aviæqve corporibus est translatum. Sepulturæ interfuerunt Serenissimæ ac illustrissimæ Reginæ Daniæ SOPHIÆ, Friderici II. Regis relictæ viduæ, & Reverendissimi illustrissimiqve principis Joannis Adolphi, Archiepiscopi Bremensis & Antistitis Lubecensis Legati, Henricus Ranzovius pater, ac præter defuncti fratres & affines, qvi omnes ferè Regum Daniæ vel ducum Holsatiæ sunt senatores, ac præfecti amplissimi alii ex nobilitate complures.

D. S.

Operæ pretium etiam nobis visum est, seqventem Ranzovii hanc Justum ad Lipsium adjungere ineditam hactenus, qvod sciamus, epistolam.

Literas tuas, unà cum opusculis adjunctis Clariss. Lipsi recepi, qvæ mihi gratissimæ acciderunt, idqve ideò, qvòd non obscura amoris erga me tui ex iis elucet significatio, præsertim ex eo, qvòd majorem mihi virtutis & doctrinæ laudem tribuis, qvàm me adseqvi posse agnosco. Imprimis autem pergrata fuit mihi lectio primæ Centuriæ tuarum Epistolarum

selectarum, tùm propter concinnum genus dicendi, tùm propter res etiam, qvæ ibi tractantur. Inter alias etiam summa cum voluptate relegi Epistolam tuam qvondam ad me exaratam. Ac sanè non molestè ferrem binas meas Epistolas, qvæ (*qvas* fortè) de Fato ad te perscripsi, in secundam Centuriam Epistolarum tuarum etiam * referri, qvas nonnihil mutatas, hisce denuò tibi remitto, non qvòd verborum elegantiâ, ac rerum gravitate aliqvô modô ad tuas accedant, sed qvòd amorem nostrum mutuum ex iis posteritati innotescere cupiam. Ut autem munera tua literaria, qvæ mihi eô nomine, qvòd â Lipsio proficiscuntur, fuerunt gratissima, aliqvô munusculô compensem, amoremqve meum erga te tester, transmitto tibi icon (fortè *iconem*) meum aureum, qvod † ut in mei memoriam conserves, peramicè rogo. Pergratum qvoqve mihi fuit, qvòd me de rerum vestrarum statu certiorem facis, qvem in melius reduci ardentibus votis opto. Spero brevi tractationes qvasdam de pace concilianda inter Hispaniæ regem ac Angliæ reginam ex his Septentrionalibus locis natam subsecuturas, qvæ ut optatum sortiantur finem, precor. His vale, & me ama. Datæ in arce Sverinensi, in Ducatu Megapolensi, sita; 11. Maji, Annô XXXVI.

HINRICUS RANZOVIUS.

Joh. Henr. Bœcler. p. 9. Musei, edit. Argentor. CIↃ IↃC LXXII. *in 8t.*

Cùm incredibili adeundi Musei cupiditate teneretur, hâc inter cetera lege dictâ acceptâqve domô est profectus, uti, qvid in illo doctrinarum omnisqve elegantiæ templo rerum geri, disceptari, agitari cognovisset, id omne accuratè literis traditum perscriptumqve conservaret ac referret. Satis animadvertebat Modestus, hôc præceptô, & fructum suæ peregrinationis, & spem ac rudimentum futuri temporis contineri. Qvapropter eos instituebat commentarios, eas subinde ad necessarios amicosqve mittitabat literas, unde & animus, qvi posteà in gerenda republica magis apparuit, nosceretur; & nos cupiditate prodendi ad posteros tam egregii exempli non injuriâ incitaremur. Confer qvæ supra Naudæus attulit, n. XIV. c. XII. § 17. p. 523.

* At hoc non factum à Lipsio, etsi aliam suam ad hunc ipsum Ranzovium Lipsius epistolam inseruit Centuriæ suarum epistolarum ad Germanos, n. II. p. m. 1. s. Confer. Jani Grüteri Epistol. CXXXIII. ad Kirchmann. in Godium. p. m. 207.

† (fortè *qvem* vel *qvam*; Licèt non meminerim me eam vocem apud Latinos legisse)

Si qvis cum fructu peregrinas visere terras,
Nec non evadat doctior inde cupit.
Hanc describendi regiones, oppida & arces
Qvâ par est methodum sedulitate legat.
Nam mirâ brevitate docet, qvid ubiqve locorum
Discere conducat; lector amice, Vale.

HENR

HENR. RANZOVII
METHODUS APODEMICA.

I. COSMOGRAPHICA.

1 Longitudo & latitudo loci (non Geometrica, sed Cosmographica.) 2 Declinatio Poli. Magnesis à polo mundi. Declinatio Arcus, seu lingulæ compasci (& pyxidis Nauticæ ac Horologiorum solarium) à linea meridionali. 3 Sub qvo Parallelo situs locus? An sub Æqvatore, an inter æqvatorem & Tropicum, an sub Tropico aliqvo, an inter Tropicum & Circulum Arcticum, an sub circulo Arctico vel Antarctico, an intra Arcticum & Polum, an sub Polo ipso? &c. 4 Sub qvo Climate? 5 In qva Zona, Temperata, Intemperata (Torrida, Frigida)? 6 In qvo Hemisphærio, Boreali, Australi? 7 An nobis Periœci, Antœci, Antichthones (seu Antipodes)? 8 An Amphiscii, an Heteroscii, an Periscii? 9 Umbrarum ratio, seu proportio Gnomonis & umbræ. 10 Qvantitas Diei & Noctis, minimæ maximæqve Noctium æstivalium solstitialium luces. 11 Ortus & Occasus Solis diebus solstitialibus. 12 Crepusculorum Matutinorum vespertinorumqve Initia & Fines.

II. ASTRONOMICA.

1 Horoscopus ascendens. 2 Medium cæli (Cor cæli.) 3 Zenith (Stella verticalis) Nadir. 4 Stella dominans, Signum cæli & Gradus ac Planeta, cui locus subjectus sit.

III. GEOGRAPHICA.

1 An locus sit Mediterraneus: An pars continentis. 2 Isthmus, Chersonesus (Peninsula) Insula Halga, Morsica, Insula parva, mediocris, magna, maxima. An qvales Orchades, Sporades, Cyclades, Delus (Mobilis.) An insula continentis vel Maris. 3 An sit χῶρα ἐπιθαλάττιος, ora Maritima, Tractus marinus, littoralis, an der Seekant. An ad mare vel Oceanum. 4 An ad Sinum vel Portum Maris: An ad Porthmum (Fretum) 5 An ad flumen, seu fluvium aut fluvii ostia sita urbs sit. 6 An inter Syrtes? &c.

IV. CHOROGRAPHICA.

1 Situs urbis generalis, qvà Regione, qvô Regno, Ducatu, Archiducatu

catu, Principatu, Marchionatu, Comitatu, Episcopatu, Præpositura, Præfectura, Civitate. ² Situs Relativus collatione factâ ad proximas Regiones vel Urbes. Versus qvam mundi plagam (qvem cæli cardinem spectet) plagæ directio. ³ Distantia Milliarium Plagalis, Directionalis. ⁴ Termini seu fines: qvibus Regionibus, Fluminibus, Montibus, Sylvis limitetur, circumscribatur, separetur. ⁵ Amplitudo Regionis, collata ad alias, qvàm longa & lata, ambitus, circuitus. ⁶ Urbium, Civitatum, Oppidorum, Arcium, Castrorum, Pagorum (vicorum extra oppida) villarum freqventia & celebritas, Grosse und kleine Dörffer. ⁷ Divisio regionis, Partes, Præfecturæ, Ampte, Horde, Birck, Episcopatus, Præposituræ. ⁸ Urbes præcipuæ, Metropolis, Civitates majores (Matrices, Hauptstädte) Emporium, Ein Kauffstadt, Hanseestadt, und da der Stapel ist, oder da eine Niderlage ist, ein Handelstadt. Kantoer, Coloniæ Municipia. Oppida libera, Keyserfey, und die einen Rolandt haben. Stipendiaria, Confederata, Principibus subjecta. ⁹ Provinciæ Stipendiariæ, Proconsulares, Prætoriæ, Præsidiales. ¹⁰ Vicinia regionum, Urbium, Oppidorumqve, & qvales vicini. Tutus accessus & transitus (Sicher Pass, ab und zufuhr.) ¹¹ Viæ publicæ, Itineris qvalitas. ¹² Statuæ Mercuriales.

V. TOPOGRAPHICA.

¹ Situs specialis, Wo es liege? an editô declivi vel humili locô sita sit? In loco palustri, in planicie, Valle, Monte, Radice Montis, Promontorio, Rupe. An urbs Murô includat colles. ² Regionis vel urbis figura. ³ Extensio plagalis, à qva plaga mundi, in qvam extendatur, Wo es sich hinaus strecke? ⁴ Magnitudo, longitudo, latitudo Geometrica, ambitus. ⁵ Divisio partesqve urbis. ⁶ Fossa cingens urbem, qvàm lata, profunda. ⁷ Valli, propugnacula, fossa, specula. ⁸ Muri ex qva Materia, qvales, qvanti, qvàm longi, qvàm alti, crassi, mœnia, turres. ⁹ Portæ, ostia. ¹⁰ Vici in oppidis, plateæ. ¹¹ Aqvæductus publici. ¹² Pontes, an lignei, lapidei, an pensiles, an sublicii, versatiles. ¹³ Molæ, seu qvæ aguntur Aqvâ, seu Ventô, seu jumentis, seu hominum manibus, qvarum nostra ætas reperit varias. ¹⁴ Ædificia, in qvibus spectatur commendaturqve Situs, Magnitudo, Materia, Forma, Figura, Splendor, Pulchritudo, Elegantia, Ornamenta, Prospectus, Janua, Limen, Perostilium, Atrium, Vestibulum, Cœnaculum, Triclinium, Granarium, Valetudinarium, Sacellum, Conclavia, Cubicula, Andron, Gynecæa, Thalamus, Vaporaria, Culinæ, Penuarium, Cellaria, Horrea, Granium, Stabula, Balnea privata, Apodyteria, Hypogæum, Aqvæ ductus privati, & aliæ res necessariæ ad Oeconomicos usus, aliæqve commoditates, Aviarium, Vivarium. ¹⁵ Ædes publicæ, Fora, ac varia ejus genera, Macella, Apothecæ, Pharmacopolia, Gymnasia, Xenodochia, Noso-

Nosocomia, Hospitale, Spitalheuser, Siechheuser, Balnea publica, Thermæ magnificè exstructæ, Basilicæ. [16] Theatra, Scenæ, Sphæristeria, Palæstræ, Amphitheatra, Labyrinthi, Circi, Hippodromi, Catodromi, Porticus, Xystus, Arcus Triumphales, Tropæa, Signa, Statuæ, Metæ, Columnæ, Obelisci, Colossi, Pyramides, Cryptoporticus. [17] Bibliopoliorum, Bibliothecarum, Scholarum, Academiarumqve ædificia, Collegiorum, Synagogarum, Athenæorum, Museorum, Archivum. [18] Templa, Fanum, Delubrum, Sacellum, Ecclesiæ Cathedrales, cui divo consecratæ, Aræ, ornatus Templorum, Picturæ, Imagines in Templis, Idola, Organa Templorum; Horologia admiranda, turres, Campanæ (Tintinabula) Baptisteria. [19] Monasteria, cœnobia, cujus ordinis, [20] Curiæ, [21] Armamentarium. [22] Nobilium sedes, Junckern Höfe, Rittersitze. [23] Arces Regiæ, earumqve celebritas, Castra, Prædia.

VI. GEORGICA.

1 Facies & Natura 4. Horarum anni, Veris, Æstatis, Auctumni, Hyemis, in ea Regione ferè usitata. [2] Venti loco peculiares. 3 Locus apricus (expositus Soli) tutus à ventis insalubribus. 4 Aëris qvalitas, commoditas, temperies, salubritas, an ibi plerumqve senescant homines, aut citò moriantur, qvibus morbis sint obnoxii. [5] Pulchritudo Regionis, locus amœnus, Ein feiner lustiger ort. [6] Terra plana, salebrosa, Montosa, Sylvosa, Aqvosa, solida. 7 Fundus, soli qvalitas seu natura, Terra uliginosa, Paludosa, Lutosa, Glebosa, Argillosa, Pingvis, Macra, Arida, Arenosa, Sabulosa, Glareosa, Lapidosa, Carbonaria, Mohr (Moras) Kodde, Heide, Geest, Marsch. [8] Agri, cultus Agrorum, ratio colendi, qvid & qvantum seratur, qvid reddant res rusticæ. 9 Soli naturalis bonitas, soli ubertas, fertilitas, Messis, copia Annonæ, Proventus frumentorum, rerum variarum copia & voluptates, qvæ inde percipiuntur. [10] Gramina, Prata, Pascua, Salio, Fœnisecium. [11] Horti, Lustheuser, Labyrinthi, hortenses seu Herbacei. [12] Herbæ, herbarum variæ species, vires herbarum ibi notæ & expertæ Medicinæ ad morbos hominum pecorumqve, Pulvinus, areola, topium sive topiarium. Flores, Frutices, Suffrutices, Arbores, arborum varia genera, Fructus, Fructuum multitudo, Magnitudo & Qvalitas, Aromata. [14] Vineæ, vini genera. [14] Sylvæ, qvæ cæduæ, qvæ fructiferæ, qvæ incæduæ. Lucus; Saltus, Feurung, Holtzkolen, Steinkolen, Klinger, Kluen, Torff, Mose, Heide, Stroh, &c. [15] Montes. Porro in Montibus considerantur laudanturqve celebritas, situs, altitudo, longitudo, extensio plagalis, Prospectus, Radix montis, Stagna in cacumine, Ortus Fontium, Fluviorumve, Metalla, Gemmæ, Gramina, Herbæ, Frutices, genera Arborum, Sylvæ, Feræ, Venationes, an montes colantur, an sint idonei Agris, Hortulis, Vinetis. Item Specus. Qvæve aliæ res ibi inveniantur.

Monu-

Monumenta vetera, vel si qvid habent novum, prodigiosum & memorabile. [16] Stagna, Lacus, Fontes, Rivi, Amnes, Flumina, Fluvii. (Porro in FLUMINIBUS attenditur scaturigo, ubi oriantur seu nascantur, qvò tendant, ubi exeant Fluvii ostia, Qvos Amnes & Rivos recipiant, qvæ flumina illabantur. Amplitudo, latitudo, Flexus, longitudo, profunditas (an idoneum sit Flumen navigationi & navigantibus) an alicubi (& ubi) vadosum. Qvæ oppida, qvos Pagos præterfluant. Qvæ prata & nemora irrigent. Qvæ Genera qvantamqve piscium copiam alant. Qvot, qvalibus, qvantisqve Pontibus sternantur. Qvæ Molarum genera, & qvot numerô moletrinas agant, Qvot stagna efficiat. Qvos usus alios præbeant locis, qvæ prarterlabuntur. Demùm si qvid novum, seu insolitum & proprium præ aliis habeant. [17] Aqvæ qvalitas, dulcis, salsa, amara, limpida & salubris, qvid generet, qvid emittat? [18] Piscinæ. [19] Thermæ, qvorum mineralium participes, cujus qvalitatis, qvarum virium. Qvos morbos curent, lavandi ratio. [20] Salinæ, salis genera, salis fodiendi, coqvendi, præparandi ratio. [21] Mineralia. Metallifodinæ (Bergwerck) Venæ metallicæ, metallorum genera & proventus, Aurifodina, Argentifodina, Calcifodina, Æraria fodina, Ferraria fodina. [22] Margaritæ, Gemmæ. [23] Aves, avium varia genera. [24] Pisces, piscium varia genera. [25] Serpentes, Viperaria, Venena, Venenorumqve remedia ibi cognita. [26] Terræ leporaria, Theriotrophia. [27] Pecora, Greges, Armenta, Item varia genera animalium. [28] Commoda vitæ alia, qvibus maximè abundat aut destituitur hæc Regio. [29] Et si qvid solum hoc habet novum, inusitatum & insigne.

VII. NAUTICA.

In mari à navigantibus attenduntur.

1 Vastitas. 2 Profunditas, an idoneum sit mare illud velificantibus. 3 Aqvæ qvalitas, color, an salsa, pellucida, turbida, viridis. 4 Fundus, Arenæ color & qvalitas. 5 Vada, Brevia. 6 Syrtes, Lauffender Sand, oder Tribsand. 7 Dorsa, Reff. 8 Saxa latentia, mediisqve in fluctibus Aræ, Blinde Klippen. 9 Saxa Scyronia, Cyaneæ, seu Symplegades. 10 Rupes, Scopuli. 11 Promontoria. 12 Naufragia. 13 Sinus, ein Wyck. 14 Portus, ein Have, statio navium. 15 Porthmus, Ein Vehr. 16 Fretum, ein enger steiffer strom. 17 Euripus, Gurges, Vortex, Vorago, umbilicus Maris. 18 Æstus maris, Fluxus, Refluxus, Recessus maris, Reciprocatio maris, Vadum, (Ebbe und fluth.) 19 Æstuaria, Seilen schleusen. 20 Naves, Cymbæ, & harum diversæ formæ & appellationes.

VIII.

VIII. POLITICA.

[1] Populi freqventia. [2] Lingva, ejusqve idiomatis pronunciatio, aut cum aliis lingvis vicinitas seu cognatio. [3] Nomina qvædam propria virorum & mulierum, rariora, item appellativa. [4] Victus ratio. Cibus, ciborum varietas & differentiæ, Potus, Commeatus, Cerevisia, Vinum, Vini differentiæ, coqvendi artes singulares, aut vulgo aut alibi incognitæ, artificia, obsonatoria, hoc est, ad cibum & potum pertinentia Pistoria. [5] Vestitus virorum & mulierum, Sponsarum, Rusticorum, Civium, Nobilium, Sacerdotum, Monachorum. Item vestitus funebres, vestes ad ornatum pertinentes. [6] Ingeniorum fœcunditas, Civium, Incolarumqve ingenia, industria, Studia, Mores, probitas, Humanitas, Hospitalitas, aliæqve virtutes & vitia, concordia aut discordia, diversoria, rara vel nulla, libertas, servitus. [7] Artificia Mechanica, Navigationes, Negotiatio, Facultas, Machinæ. [8] Nundinæ, Jarmärckte, Pferdemärckt oder Roßmärckte, Merces, vel importandæ, vel exportandæ, Mercatura. [9] Monetæ, Pondera, Mensura, cùm aridorum tùm liqvidorum, ulnæ Perticæ seu virgæ Mensoriæ, Jugerum Demetarumve qvantitas. [10] Politia, Respubl. civilis, forma Politicæ gubernationis, honesta, justa, Stadtrecht, Burgerrecht, Seerecht, Judicia, jure & legibus constituta, jus, leges, jus criminale, seu pœnæ capitales, Halsgerichte. Immunitates, dignitates & officia civilia & forensia. [11] Onera publica, tributa, vectigalia, Zölle, privilegia, census. [12] Bellicositas, bellandi virtus, & disciplina militaris, victoriæ illustres, dignitates bellicæ qvæ & qvibus conferantur, officia militaria. [13] Ritus sponsaliorum, nuptiarum, pædosymposyorum, conviviorum, conjugiorum. [14] Choreæ, ludicra exercitia. [15] Funebres pompæ, sepultura. Exeqviarum ratio. [16] Societas. [17] Curiæ. [18] Tribus. [19] Tribuum dignitates. [20] Familiæ privilegia. [21] Conventus solemnes. [22] Mutationes publicæ & harum caussæ.

IX. SCHOLASTICA.

Res litteraria & libraria.

[1] Literarum characteres in ea regione peculiares, qvales olim literæ Gothicæ. [2] Bibliopolæ, Bibliothecæ, Libri rari & secreti, antiqvi codices, manuscripti, non impressi. [3] Antiqvæ notationes in Rupibus atqve saxis incisæ, aliæqve antiqvitates & res visu mirabiles, ut gigantum strata, sive lectisternia, qvæ in ducatu Megapolensi, Wandalorum cemeteria appellantur. [4] Antiqva Numismata Romana, Imp. 4. & similia. [5] Antiqvæ vel recentes artificiosissimæ picturæ. Item columnarum, statuarum, Obeliscorum, pyramidum, sepulchrorum, ac aliorum monumentorum in-

fcriptiones. 6 Epigrammata, Propemptica, Epithalamia, Epitaphia, Epicedia, Elegiæ, Satyrica, Tragica, Rhapfodiæ, Centones, Technopægnia, Carmina Leonina, Serpentina, Concordantia, Antiftropha. Reciproca, feu retrograda, Correlativa, Ænigmatica, ænigmata. 7 Rhythmi, Dicteria, Adagia, Proverbia, Apophthegmata. 8 Cantiones & melodiæ artificiofæ, fvaves, veteres, & recentes: in genere Diatonico, Chromatico, & Euharmonico. Partes dulcifonæ, 2. 3. 4. 5. 6. vocum, &c. 9 Organa Mufica privata, omnis generis, Mufica, Officina, & Inftrumenta, Organiftæ, Mufici, practici & inftrumentales. 10 Inftrumenta Geometrica, Aftronomica, Mathematica, Mechanica, Opera Mechanica egregia automata, machinæ, hydraulicæ. 11 Artifices in artibus Mechanicis excellentes. 12 Pictores nobiles, Statuarii, Sculptores, Carpentarii, Architecti, Aurifabri artificiofi, Artificesqve alii. Item lanificia. 13 Scholæ puerorum, Puellarum, Auditoria, Lectoria, Academiæ, freqventia ftudioforum. 14 Artes liberales, Lectiones publicæ in fcholis, & Academiis, ftudia, inftitutionis ratio, fcholafticum regimen, Difciplina fcholaftica. 15 Pædagogi, Gymnafiarchæ, Ludimoderatores, Magiftri, Scholarum Lectores, Profeffores Academiarum, ftipendia doctorum. 16 Viri docti, Philofophi, Mathematici, Arithmetici, Geometræ, Aftronomi, Aftrologi, Mufici, Theorici, Componiftæ (ut vocant) Poëtæ, Oratores, Hiftoriographi. 17 Alchimiftæ, Medici, Veterinarii. 18 Aucupes (Wildtſchützen) Pifcatores, pro indagandis fcilicet hiftoriis & naturis ferarum, volatilium & aqvatilium, avium & pifcium variorum generum.

X. ECCLESIASTICA.

Ecclefia, Refpublica Ecclefiaftica.

1 Fefta. 2 Religio, cultus divinus. 3 Superftitio, Idololatria. 3 Exercitia facra, Ceremoniæ, ritus varii & horum initia ac progreffus, Miffæ, Cantiones facræ. 5 Conciones, Doctrina. 6 Auditorum freqventia, Devotio, Pietas, Sanctitas. 7 Jejunia, Eleemofynæ, Peregrinationes religionis ergò, Walfahrten.

Dignitates & officia Ecclefiaftica.

8 Concionatores, Doctores celebres, Theologi, Ecclefiæ miniftri, Archiepifcopus, fuffraganeus, decanus. 9 Monachi, Canonici, Prior, Abbas. 10 Præpofitus, Epifcopus, Cardinalis, Pontifex 11 Hæretici, Prophetæ, Sancti. 12 Salaria & Stipendia Miniftrorum Ecclefiæ ampla, Præbendæ opimæ, Proventus & poffeffiones Ecclefiafticorum. 13 Privilegia Clericorum. 14 Difciplina Ecclefiaftica. 15 Leges de contrahendis matrimoniis. 16 Judicia five Confiftoria Ecclefiaftica.

XI.

XI. HISTORICA.

Generalia.

[1] Urbis antiqvitas ſeu origo. Qvaudo primùm condi cœpta urbs, urbiſqve partes, Templa, Curiæ, Arces? [2] Primi Conditores. [3] Nomina, Appellationeſqve veteres, Etymologia ſeu ratio Nominum. [4] Inſignia Regionis, Civitatis, & ratio ſignificatioqve inſignium. [5] Primi inhabitatores. Incolæ, qvi olim eas terras tenuerunt. [6] Antiqviſſimæ originis familiæ, Patriæ Nobilium. Veterum incolarum, Patriciorumqve virtus. [8] Res celeberrimæ à veteribus incolis, pace bellôqve geſtæ. Hiſtoriæ memorabiles. [9] Gubernatores illuſtres, Pontifices, Imperatores, Cardinales, Reges, Duces veteres virtute præſtantes, qvi olim præfuerunt, comites, Barones, Marchiones, Landtgraviſ. [10] Imperator, Rex, Dux, Dominus, Satrapa, Præfectus, Conſules. Senatores clari, qvi nunc præſunt. [11] Viri illuſtres, Nobiles, Prophetæ, Hæretici, Sancti, qvi claruerunt olim, qvos genuit illa terra. [12] Viri nobiles, qvorum familiæ his diebus claræ, virgines, Mulieres, Senes, Decrepiti, Sapientes (Weltweyſe.) [13] Reſqve aliæ auditu memorabiles.

XII. CHRONOLOGICA.

Hiſtoriæ ſpeciales, Annales.

[1] Monſtra, portenta, oſtenta. [2] Prodigioſa iſtis locis viſa. [3] Cometæ, Eclipſes Magnæ ☌☍. [4] Immenſa frigora, gelidiſſimæ Hyemes. [5] Torridæ æſtates. [6] Fulgura, Tonitrua, Fulmina. [7] Incendia. [8] Tempeſtates magnæ. [9] Inundationes, Diluvia. [10] Wolckenbrüche. [11] Grandines magnæ & noxiæ, nives profundiſſimæ. [12] Terræ motus. [13] Locuſtæ. [14] Caritas Annonæ, Fames. [15] Peſtilentiæ, circa qvas annotandum, qvot exſtiterint, qvales, qvando cœperint. Qvamdiu ſævierint, qvando finierint, ex qvibus partibus ſint ortæ. Qvot & qvos è medio ſuſtulerint. Qvomodo & qvibus novis certiſqve Remediis, aliqvi in ea peſte ſervati fuerint. [16] Bella, prælia, conflictus, Monomachiæ, obſidiones, expugnationes urbium Devaſtationeſqve, calamitateſqve aliæ qvibus ex cauſis ortæ & per qvos excitatæ. [17] Seditiones, Pacificationes, federa, & cum qvibus cóntracta. [18] Nobiles præſtantes, patricii excellentes, Facinoroſi nobiles. [19] Piratæ, Seereuber, & eorum facinora. [20] Et qvi horrendis caſibus periêre, an propriâ culpâ pænas accerſiverint, an verò fatô in hæc mala inciderint.

XIX.

EPISTOLA
D. JOANNIS HENRICI
ALSTEDII,
AD
Dn. JOSUAM
von der Tann.

CAP. I.



1 En tibi, Nobilissime mihiqve charissime Dn. JOSUA, brevem instructionem, qvam tibi oppidò fore utilem persvasus sum. 2 Tria tibi velim esse proposita in peregrinatione tua: Prudentiam, scientiam & eloqventiam, ita ut basim substernas pietatem.

3 *Prudentiam ita Comparabis.*

Qvôcumqve loco substiteris, notabis ea, qvæ pertinent ad remp. togatam & sagatam: 4 Et, hoc ut conseqvâre, conversabere cum ingeniis practicis, & qvæ ab illis audiendo vel videndo haurias, in peculiare referas diarium. 5 Notabis autem præclara dicta & exempla qvomodoqve his aliqvando uti possis, seriò cogitabis: 6 Ita fiet, ut magna cum laude consistas in Pharo illa politica, qvam te jam exspectare tibi persvasissimum esset debet.

II. 1 *Scientiam qvod attinet, qvantum ego potui pervidere ingenium tuum, gemina tibi est necessaria, Physica & Logica.*

2 Physicam dum nomino, intelligo reconditam illam, miniméqve vulgarem, cujus qvatuor sunt columnæ, qvas si possis substernere palatio Musarum, næ longô intervallô superabis eos, qvi se magnos putant.

3 (1.) *Columna est vera Chymia.*

Cujus hoc est principium AQVA (sed non vulgaris) mater omnium rerum sublunarium; & hæc aqva in se habet ignem; qvæ duo sufficiunt ad

ad generationem omnium rerum : 4 Qvidqvid huic principio contraveniet, mi Dn. JOSUA, id omne tibi suspectum esto : 5 Fuge igitur impostores in tua peregrinatione : illos dico, qvi sal, vitriolum, aurum, Mercurium vulgi & similia macerant & lacerant mirabiliter juxta & miserabiliter, hos tales vita cane & angve pejus.

6 (2.) *Columna est concordantia superiorum & inferiorum.*

7 Cujus hoc est prænobile axioma: Septem Planetæ sunt septem præsides omnium corporum. 8 Omnes itaqve stellæ fixæ, omnes herbæ, omnia animalia debent reduci ad septem classes: ita ut sint stellæ Saturninæ, Joviales, Martiales &c. absqve hac concordantia si velis aggredi sobriam Philosophiam, fieri non poterit, ut aliqvid præstes, qvod sit operæ pretium.

9 (3.) *Columna est experientia, eaqve Pyronomico-manualis.*

Id est, talis, qvâ ipse discas experiundo, qvid possit natura : 10 Hic naturâ non intelligo ignem Carbonarium, vel consimilem, sed illum cujus aliqvando coram te memini. 11 Adspice amabò terram, cui committitur semen : qvid est, qvod excitat calorem radicalem, qvi latet in semine ? annon calor terræ adjutus à calore solis ? sed sapienti sat.

12 (4.) *Columna est Physiognomia omnium rerum.*

Qvæ tractat de signaturis herbarum & animalium inprimis ; hæc est via prætoria perveniendi ad solidam Naturæ cognitionem.

III. 1 *De Logica paucis sic accipe :*

2 Decem loca inventionis sunt certissima instrumenta, declarandi, demonstrandi & amplificandi ; 3 Unicus itaqve hic esto labor tuus in laudatissima illa arte, ut in singulis locis inventionis etiam atqve etiam observes, qvando hæc tria beneficiô illorum, qvæ dixi, præstari qveant.

IV. 1 *Ad Eloqventiam Venio,*

Qvæ nihil est aliud qvàm copiosè loqvens sapientia. 2 Hæc itaqve consistit in copia verborum & rerum. 3 Copia verborum pendet à variatione sententiæ alicujus per terminos Grammaticos & Rhetoricos, qvod artificium tibi maximè notum esse reor : 4 Et qvamqvàm primâ fronte videtur esse puerile, masculum tamen & nervosum est. 5 Copia rerum petitur ex circulis Raimundi Lullii illis, qvos commendavi, Nicolaus Jansonius Belga multiplicis & reconditæ doctrinæ intelligit, Dn. JANSONIO. 6 Hunc igitur sollicita, ut sollicitè tibi explicet hoc omne qvicqvid est, artificii : 7 Macte charissime Dn. JOSUA, & calca hanc viam ; qvam hic tibi indigitavi: securum te reddo, te minimè exorbitaturum. 8 Qvod restat D. O. M. ex intimo cordis affectu precor, ut ita dirigat peregrinationem tuam, ut animô nunqvàm peregrineris, qvod maximè vitio da-

 tur

tur à philoſophis. 9 Vale & me ſtudioſiſſimum tui ama. Scripſi ſubitò 21. Mart. an. gratiæ M. DC. XVIII.

Latiùs hoc argumentum deducit idem Alſted. in Mnemon. lib. II. c. XXXVII. *p.* 719.--734.

1 Qvi foris diſcit, dicitur *peregrinari*, id eſt patriâ qvaſi exſulare ſuâ, *ut Apollonius ait*, & qvidem alicujus boni gratiâ. 2 Bonum autem illud eſt multiplex. Etenim *lingvarum peritia*, *artium cognitio*, *morum cultus*, *prudentia in conſiliis & actionibus*, *rerumqve omnium experientia*, *atqve uſus*, vix aliâ ratione commodiùs, qvàm peregrinationibus acqviri poſſunt. 3 Qvippe ſummus ille rerum omnium Architectus admirandâ ſuâ providentiâ pulcerrimò ordine ita diſpoſuit omnia, ut, qvemadmodùm terræ aliæ aliis ſtirpium animantiumqve ſunt feraciores, neqve omnis fert omnia tellus: ita lingvæ, ſcientiæ, & artes, qvarum adminiculò animi excoluntur, non in eodem loco, civitate, Academia incluſæ contineantur: verùm per totum terrarum orbem longè latéqve ſint ſparſæ, ſummaqve rerum illarum præſtantia ac felicitas alibi major, fatô qvôdam, pro locorum diverſa temperie exſiſtat. 4 Inde fit, ut hic qvidem locus viros lingvarum ſcientiâ, aut etiam eloqventiæ laude præſtantes habeat, alius inſignes philoſophos foveat, hic mathematicos ſolertes alat, ille medicorum proventu celebris ſit: alio deniqve in loco, qvod palmarium eſt, religionis orthodoxæ exercitium vigeat. 5 Qvibus tantis doctrinæ ac virtutis ornamentis ſi exornari adoleſcentes deſiderant, boniſqve illis eximiis perfrui, itinera illis inſtituenda, peregrinationeſqve ad loca illa ſuſcipiendæ ſunt. 6 Qvamvis enim è libris plurima percipi qveant: multa tamen ſunt, qvæ non niſi magno cum labore ex iis hauriuntur, longè faciliùs & certiùs à viris excellentibus cognoſcenda. 7 Qvocirca non decet ſtudioſum inſtar cochleæ intra patrios penates deliteſcere, ſed prodire auditum τὰ ἀξιομνημόνευτα, & viſum τὰ ἀξιοθέατα. 8 Hic enim eſt duplex finis peregrinationis. ſicut & ex illo eleganti dicto videre eſt: *Meta peregrinationis eſt cognitio, cognitionis actio, actionis gloria EJUS, qui univerſam hanc vitam voluit eſſe peregrinationem ad veram vitam, & Patriæ, qvæ idcirco emiſit liberos ſuos, ut receptis utatur melioribus, EMOLUMENTUM.* 9 Qvum ergo tam multa è peregrinatione ad nos dimanent bona, de ea fuſiùs dicam, & qvidem methodô Logicâ. 10 PEREGRINATIO eſt locorum exterorum perluſtratio, ad bonum aliqvod inde acqvirendum, qvod vel patriæ & amicis, vel nobis ipſis privatim prodeſſe poſſit. 11 Peregrinatio eſt actio: ideoqve ejus finis attendendus, inqve ſua principia & cauſſas reſolvendus eſt. 12 Suſcipitur igitur peregrinatio vel Boni obtinendi (*ſive illud ſit ὄντως ſive φαινομένως* tale) vel Mali divitandi gratiâ. 13 Utrumqve, tam bonum, qvàm malum, eſt vel *Præſens* vel *Abſens*. Ideo homines moventur,

tur, ut absens bonum acqvirant, præsens retineant: ut malum absens fugiant, præsens amoliantur. 14 *Bonum absens* est triplex secundùm philosophum, *Animi*, *Corporis ac Fortunæ*. 15 Primò igitur peregrinamur propter bonum animi, cujus acqvisitio alia est Theorica, alia Practica. 16 *Theorica* continet universalia *Præcepta*, qvæ pertinent ad excolendam Orationem & *Rationem*. 17 Oratio pura excolitur per Grammaticam, ornata per Rhetoricam, ligata per poëticam. 18 *Ratio* primariò expolitur per Logicam: secundariò per reliqvarum scientiarum & artium habitus dianoëticos. 19 *Practica* continet exempla, qvæ sunt, vel res à natura & arte productæ, atqve inter peregrinandum observandæ, vel hominum facta, qvæ unicuiqve habitui animi, ut arti aut scientiæ, respondent. 20 *Corporis* qvoqve *bona* acqvisitum peregrinamur: ut sanitatem amissam recuperemus, præsentem confirmemus, corporisqve robur conservemus. 21 *Tertium bonum*, cujus caussâ peregrinamur, est fortunæ, qvæ comprehendit divitias, honores, & amicitias. 22 *Bona præsentia*, qvæ vel augere & amplificare, vel aliis etiam communicare peregrinantes conantur, itidem sunt *Animi*, *Corporis ac Fortunæ*. 23 *Bona animi* sunt, ut antè, *Præcepta* atqve Exempla. 24 *Præceptorum* caussâ suscipiuntur peregrinationes, vel *Philosophicæ*, vel *Mechanicæ*. 25 Corporis bona sunt cùm *Robur*, tum *Forma*. 26 Hôc modo peregrinantur *athletæ*, *circulatores*, *meretrices*. 27 *Fortunæ bonorum* præsentium caussâ suscipitur peregrinatio, nempe divitiarum ostentandarum, potentiæ declarandæ, amicitiæ exercendæ & contestandæ. 28 *Malum*, propter qvod peregrinamur, vel *Præsens* est, vel *Absens*. 29 Præsens, vel effugere, vel, si non possimus, profligare conamur. 30 Estqve vel *Animi*, vel *Corporis*, vel *Fortunæ*. 31 *Animi mali* devitandi caussâ peregrinamur, dum fugimus loca idololatrica, aut barbara. 32 *Corporis malum* peregrinantes fugimus, evitando, vel Mortem, vel Morbos. 33 *Fortunæ malum*, qvod peregrinando fugimus, est *Paupertas*, vel *Ignominia*, vel *Inimicitia*, vel *Servitus*, qvæ perfertur sub tyrannis vel hostibus. 34 *Absens malum* peregrinantes, vel cum aliis communicare conantur, vel sibi ipsis acqvirere coguntur. 35 Cum aliis communicare conantur, vel *animi* malum, ut *Hæretici*, vel *Corporis*, vel *Fortunæ*. 36 Sibi ipsis malum acqvirere coguntur in exsilium pulsi, relegati, deportative. 37 EFFICIENS peregrinationum caussa est vel *Princeps*, vel *Instrumentalis*. 38 *Princeps* est homo, qvi consideratur qvoad bona & mala animi, corporis, fortunæ. 39 Illô modô peregrinantur studiosi liberalium disciplinarum, vel mechanici artifices; 40 Istô modô puer vel adolescens, vir vel senex, robustus vel æger. 41 Hôc modô dives vel pauper, nobilis vel plebejus. 42 *Caussa instrumentalis* facit ad peregrinationem vel instituendam, ut *homo aliqvis prudens* *: vel obeundam, ut *sunt omnia*, *qvæ peregrinanti utilia sunt*, *vel etiam necessaria*. 43 Reqviruntur ergo in peregrinante præter industriam in rebus observandis, iisdemqve aliis exponendis, præter ætatem & corporis vires ad labores itineris perferendos, inprimis fortunæ

* hîc mihi aliqvid deesse videtur.

bona

bona varia, inter qvæ primum locum obtinet *pecunia*, vel ejus locô *collybus*. 44 Reliqva sunt partim inanimata, partim animata, ut *bruta*, vel homines, iiqve *duces*, *comites*, *hospites*, *Ephori*, *famuli*. 45 Inanimata fortunæ bona alia inserviunt usibus animi, nempe lectioni, ut sunt libri itinerarii, tum etiam geographici ac chorographici, & qvæ scriptioni inserviunt, *ut pugillares*, *& palimpsestus &c.* alia usibus corporis puta alimoniæ pro hominibus & brutis, & defensioni contra injurias, sive illæ ab aëris intemperie, vel feris aut hominibus inferantur. 46 Contra aëris injurias muniantur peregrinantes vestibus: contra ferarum & latronum injurias instructi sint armis ad vim illam propulsandam aptis. 47 *Forma* peregrinationis consistit in motu corporis atqve animi. 48 Qvoad corpus, respectu utriusqve Extremi, vel Medii spatii. 49 *Respectu utriusqve* extremi, à qvo, & ad qvod: unde motus *primus*, *medius*, & *ultimus*. 50 *Motus primus* est itio ipsa, qvæ est ἀποδημία, excursio ratione termini à qvo: vel ἐπιδημία, ratione termini ad qvem. 51 *Medius motus* est commoratio sive mansio. 52 *Ultimus* est reditus ad locum pristinum. 53 *Respectu medii spatii*, per qvod itur, atqve reditur, motus per locum varius est, idqve ratione hominis, qvi movetur vel per *Terram*, vel per *Aqvam*. 54 *Per terram*, tum per se, pedibus iter faciendo, tum eqvô, vel curru vectus. 55 *Aqvâ* fit motus, vel navi, vel lintre, vel rate. 56 Qvo ad animum, forma peregrinationis consistit, in diligenti observatione. 57 Qvi enim cum fructu peregrinari cupit, animô peregrinetur exteriùs, hoc est, ea, qvæ peregre sunt atqve fiunt, observet, suisqve usibus accommodet, vel præsentibus, vel saltem futuris. 58 Interiùs non peregrinetur, ne justam Socratis reprehensionem incurrat, qvi cuidam nihil sese ex longinqva peregrinatione emolumenti consecutum esse qværenti: Tecum enim peregrinabaris, scitè respondit, *ut Laërtius in vita Socrat. refert.* 59 *Materia*, qvæ peregrinationi subjicitur, est vel Peragratio vel Cognitio. 60 Illa corpori, hæc animo subjicitur. 61 *Peragratio* est locorum, qvæ sunt extrema, à qvibus, & ad qvæ, vel media, per qvæ itur. 62 *Cognitio* est locorum, & locatorum, propter qvæ peregrinatio suscipitur. 63 *Accidentia* peregrinationis sunt Tempus & Eventa, qvæ præter institutum peregrinantis accidunt. 64 *Tempus* est Annuum, Menstruum, vel Diurnum. 65 *Eventa*, qvæ aliena sunt à peregrinationis natura & instituto, sunt variæ actiones & passiones. 66 *E caussis & accidentibus* peregrinationis enarratis nascuntur variæ peregrinationis species. 67 *Ratione* finis peregrinatio est Simplex, vel Multiplex. 68 *Simplex*, qvæ suscepta est propter unum aliqvem finem: qvi est cognitio veri, vel boni alicujus consecutio. 69 A cognitione veri peregrinatio denominatur *Philosophica*, qvæ omnes philosophiæ theoreticæ partes complectitur: sicqve fuerint tot Philosophicæ peregrinationis species constituendæ, qvot philosophiæ theoricæ partes sunt, qvæ veri cognitionem habent propositam. 70 *Consecutio boni* est boni honesti, jucundi, vel utilis. 71 Et hinc peregrinatio est *Honesta*, *Jucunda*, vel *Utilis*. 72 Utilis est Mechanica, ut

ut *mercatorum*, & *qvorumvis aliorum*, vel *Practica*, eaqve *Bellica* vel *Togata.* 73 Ad mechanicam pertinet peregrinatio *statuaria*, *Architectonica*, *Herbaria.* 74 *Multiplex* peregrinatio est, qvæ propter varios fines instituta est. 75 Et sic qvidem peregrinatio à fine dividitur respectu conatus: ratione successus eadem est *Felix*, qvæ finem suum conseqvitur, *Infelix* contra. 76 Peregrinatio ab efficiente est Philosophica, vel Mechanica, ut *tabellaria*, *militaris*, *mercatorum*, *veredariorum*: vel heroica, ut *Regum* & *Principum*: vel splendida, ut *divitum*: & deniqve Coacta, aut Spontanea. 77 Peregrinatio à forma, est vel *Corporis*, vel *Animi.* 78 Peregrinatio corporis fit vel per Terram, vel Aqvam. 79 *Peregrinatio animi* est prudens, qvùm animus inter peregrinandum refert omnia ad finem præfixum: vel stulta, qvum non refert. 80 Peregrinatio *ratione materiæ* est Commoda vel Incommoda, Brevis vel Longinqva, Secura vel Periculosa. 81 Ab accidenti tempore peregrinatio est Oportuna vel Importuna, Diurna vel Nocturna, Longa vel Brevis: Verna, Æstiva, Autumnalis, Hyemalis. 82 Ab *accidentibus eventus* peregrinatio est *Felix*, cùm nempe boni aliqvid nihil minus cogitanti peregrinanti offertur: vel *Infelix*, qvando contraria eveniunt. 83 Hactenus in genere de caussis, accidentibus & speciebus peregrinationis dictum est: seqvitur ipsa praxis, qvæ occupatur in præceptis communibus, qvæ omnibus peregrinaturis observanda sunt, & specialibus, qvæ certi ordinis personis conveniunt. 84 De his prolixè scripserunt magnus ille Theodorus Zwingerus, Joan. Jacobus Veckerus, & Salomon Neugebauer. 85 Nobis propositum est tradere præcepta, qvæ studiosis cùm in genere, tùm in specie sunt observanda, adeoqve molimur Systema Apodemicæ Academicæ sive Scholasticæ. 86 APODEMICA scholastica est ars, bene peregrinandi præcepta studiosis literarum præscribens. 87 Ea præcepta moderantur ipsam *Itionem*, *Commorationem*, & *Reditionem*: qvarum illa dicitur ἀποδημία, ista ἐπιμονὴ, hæc ἐπιδημία. 88 *Itionis* præcepta qvædam ad caussas, qvædam ad accidentia pertinent. 89 Caussæ sunt Finis & Efficiens, 90 De fine diu multumqve deliberet, prudentum qvoqve amicorum consiliô adhibitô, qvisqvis peregrinari constituit studiosus. 91 Cogitabit ergo diu de eo, qvod statuendum est semel, nempe an, qvomodo, qvando, cum qvibus, qvô, cur, qvamqve diu sit peregrinandum? 92 Nam si qvis ea, ad qvæ adspirat, in patria sua faciliùs meliúsqve, qvàm ex peregrinis locis, percipere possit, cum Socrate Athenis philosophandum, domestica virtutis ac disciplinæ præcepta sibi suscipienda meminerit. 93 *Deinde* perpendatur Efficiens, tum Princeps, tum Instrumentalis. 94 *Princeps* is nempe, qvi peregrinetur, an in eo ad hunc motum rectè suscipiendum, felicitérqve perficiendum sint bona necessaria, animi, corporis & fortunæ. 95 Corpore enim ita peregrinandum est, ut animô tibi semper sis præsto in rebus, qvarum caussâ iter facis, accuratè notandis. 96 Reqviruntur ergo in peregrinante, partim Animi, partim Corporis bona; 97 BONA ANIMI sunt. 1. *Prudentia*

in rebus diligenter notandis, ac comparando sibi adminicula necessaria ad cognoscenda loca & locata. [98] Cujusmodi sunt *Itineraria*, *Tabulæ Geographicæ*, qvas vocant *chartas & mappas*, *gnomon heliacus*, *aut qvodcunqve horologium facile gestatu*. [99] His adde diligentiam in legendis libris, & consulendis viris literatis. [100] 2. *Interpretatio*, qvæ fit Oratione, Scriptione, ac Picturâ. [101] Orationem ipsemet peregrinans calleat, ut & intelligi, & intelligere possit, aut saltem ductores comitesve habeat ejus peritos. [102] Ad scriptionem instrumenta necessaria sunt calamus, atramentum & charta. [103] Paret igitur sibi diarium enchiridii formâ, in qvod, qvæ singulis diebus sunt acta, visa, audita referat. [104] Pictura qvoqve non parum utilitatis afferet, ad delineandum regiones, urbes, ædificia, animalia, plantas &c. [105] 3. *Virtutes Ethicæ*: qvæ sunt. 1. *Pietas* erga Deum. [106] Videant ergò studiosi, qvi Italiam, utriusqve scortationis, corporalis, & spiritualis, fœcundissimum stabulum perlustrant, ne conscientiæ scrupulos injiciant. [107] Cumprimis ergo Deus orandus est, ut nobis largiatur VERITATEM JURIS, & COMMODITATEM FACTI. [108] Pietas hæc vel est interna, qvæ consistit in precatione & gratiarum actione, quarum utraqve peregrinaturis est valde necessaria, item in sancta vita: vel externa, ut homines sacros, loca sacra, dies sacros sive festos colamus, freqventemus, sanctificemus ceu par est. [109] Reqviritur 2. *Probitas* erga homines. Ea est Veritas vel Jucunditas. [110] 3. *Veritas* in dictis atqve factis, tum suis tum alienis. [111] De *se suisqve* qvàm parcissimè, & apud paucissimos loqvatur. [112] Primarium enim præceptum judico esse illud, *μέμνησο ἀπιστεῖν*, qvod peregrinaturo ob oculos perpetuò obversari debet. [113] Studeant igitur modestiæ & humilitati, qvi cum laude & utilitate peregrinari satagunt, ne jactent opes, prosapiam, eruditionem. [114] Ineptè faciunt, qvi iter ingressi vestium splendore vulgi admirationem captant. Hi enim sese furum ac prædonum insidiis tanqvàm prædam ultrò objiciunt. [115] In *alienis* dictis & factis *cognoscendis* vitanda est curiositas, juxta dictum vulgatum. *In aliena domo & regione surdum & mutum esse oportet.* [116] *Jucunditas* reqviritur erga omnes. [117] Erga hospitem & hospitam, ac liberos ejusdem cum primis sit affabilis. [118] A servis reliqvisqve domesticis nihil imperiosè vel morosè postulet. [119] Secus si fecerit, nec culinam, nec cubiculum suum facere officium, cum damno sentiet. [120] Erga qvoslibet alios sit humanus, diligenter eos salutet, adcommodet se lingvæ, moribus, amictui & victui gentis. [121] Malus enim peregrinator, cui non satis est id, qvod ceteris satis est. [122] Æqvalitas hæc pacis & tranqvillitatis est altrix, inæqvalitas verò seditionis seminarium. [123] Eam ob rem Homerus Ulyssem vocat *πολύτροπον*, non versutum, sed qvi sese omnium moribus adcommodare possit. [124] Peregrinator igitur sit *εὐτράπελος* sive *πολύτροπος*, neqve tamen sit *καλοπόδιον πολιτικόν*. [125] Non enim est politicus, qvi contra conscientiam aliqvid agit, sed est sacerrimus Machiavelli discipulus, nec non Ludovici XI. Galliarum regis simius. [126] Ille enim, qvem dixi, rex ferè fuit Proteus,

qvi

qvi se in omnes formas vertebat, ut qvod concupierat, efficeret, qvamobrem & filium suum Carolum octavum id tantùm Latinè scire voluit: *qui nescit dissimulare, nescit regnare:* rege tyrannô dignum elogium, *ut ait Matth. Beroaldus, lib. IV. Chronic.* [127] Non igitur sit vertumnus: sed prudens. [128] Prudens enim est, qvi rationem habet circumstantiarum. [129] Ad hæc peregrinator sit liberalis, præsertim erga conterraneos & pauperes. [130] Liberalem volo, non prodigum. [131] Pudorem subrusticum abjiciat, tùm in factis, tùm in verbis, *ut enim pudor laudabilis est in malo, ita reprehensibilis in bono. Erubescere enim malum sapientiæ est, bonum erubescere stultitiæ*, ut ait Gregor. super Ezech. homil. X. [132] Contra verecundiâ utatur qvotiescumqve cum senioribus & sanioribus congrediendum sit. [133] Ea enim virtus est juvenum propria. Arist. Eth. IV. [134] Nutriendus est pudor, qvi qvàm diu in animo duraverit, aliqvis erit bonæ spei locus. [135] In ridendis aliis sit parcus, neqve risum petulanter amet, neqve sermonem cum audacia suscipiat. [136] Hoc enim stultum, illud furiosum judicat Isocrates. [137] Et Menander rectè ait,

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Risus intempestivus inter mortales grave malum.

[138] Animi causâ ludere si vult, utatur lusu honestô, & eô qvidem cum notis: cum ignotis vel minimè, vel rarissimè, ne, ut sæpe fit, inter ludendum, vel ingenium ipsius penitius cognoscatur, vel per incuriam pecuniam suam lynceis ac rapacibus harpyiis prodat sponte vel coactus. [139] Qvòd si nonnunqvàm accidat, ut alium offendat dictis vel factis, ἔχθραν διαλύειν, *ut monet Isocrates.* [140] Amicis autem valedicatur, salutesqve crebræ vel per literas, vel alios nuncientur, ne locorum distantia mutuæ benevolentiæ vinculum vel laxet vel dissolvat. [141] In adversis sit fortis & tolerans, non temerarius ac præceps, non timidus. [142] In *secundis*, qvoad cibum & potum sit temperans. [143] *Penu* enim *virtutis*, Menandrô teste, *est temperantia.* [144] Sæpius autem diæta interturbanda est. Si qvis enim strictè eam servare vellet, fame periret in itinere. [145] Hîc dicendum est de sex rebus non naturalibus, qvarum rationem studiosus habere debet. [146] Ea autem sunt: *Aër: Somnus & Vigilia: affectus animi: cibus & potus: motus & qvies: evacuatio.* [147] Aëris intemperies vitanda est, hyeme qvidem matutinum & vespertinum frigus: æstate meridianus æstus & nocturnum frigus: [148] Æstus, si vitari neqveat, petasô vel umbraculô repellendus est, sicut in Galliæ partibus Hispaniæ vicinis, in Hispania & Italia moris est. [149] Qvando aëri permiscetur nebula, fumus, vel pulvis, os fasciâ velandum, oculi specillis tegendi. [150] Qvòd si aër fuerit pestilens, manè priusqvàm qvis iter ingrediatur, jentaculô utendum, item trochiscis, seminibus vel radicibus paratu facilibus, & ad spiritus corroborandos idoneis. [151] Contra frigus muniantur probè membra principalia caput, thorax, & venter, pedes item ac manus. [152] Si verò membra nimiô frigore rigeant, non statim in calidum locum se conferet peregrinans, sed in temperato loco moveatur, &

paullatim calefiat. 153 De Somno & Vigilia hæc tenenda. 154 A somno diurno, in herba præsertim, aut fœno recenter secto abstineat. 155 In summo frigore somnum, ceu mortis anteambulonem & proxenetam arceat. 156 Somnus nocturnus tàm longus sit, qvàm concoctricis necessitas postulat. 157 Caveat, ne totus qvandoqve dormiat, ne somnus non sit reparatio spirituum, sed exstinctio. 158 Linteamina & cervicalia ut munda haberi possint, nulli parcatur sumtui: si non possint, sudariô cervical tegatur: ac nocturna epibole eos in usus parata induatur. 159 Adfectus Animi sint læti. Proinde hilaritate narrationum ac cantionum honestarum, speculationumqve itineris tædium sublevet. 160 Comes ergo facundus adsciscendus, qvi sit vehiculi locô. 161 Cibi & potus, motus & qvietis & evacuationis præcepta & regulæ tradentur lib. VI. 162 Hactenus de caussa efficiente principali, seqvitur de *instrumentali:* cujus nomine comprehenduntur sumtus, & res ceteræ ad peregrinandum utiles & necessariæ. 163 Sumtus qvi habent, memineriut, pecuniam non solùm acqvirendam, sed etiam diligenter custodiendam & occultandam. 164 Χαλεπὸν γὰρ, ait Anaxagoras, *χρήματα συναγείρασθαι, χαλεπώτερον δὲ φυλακὴν τούτοις περιθεῖναι.* 165 Qvi verò non habent pecuniam, iis cum paupertate conflictandum est. 166 Sed tamen qvô gravior erit conflictus, eô illustrior futura est victoria. 167 Res ceteræ ad peregrinandum utiles, sunt Bruta, homines, iiqve Comites vel Ductores, &c. 168 Itionis caussæ fuerunt, ejus Accidentia sunt Motus & Tempus. 169 De tempore observentur hi canones. (1.) *In regionibus temperatis Ver & Autumnus peregrinationi maximè opportuna tempora. In intemperatis & calidis hyems commodior: frigidis æstas convenientior.* (2.) *In maritimis locis plenilunium & novilunium observanda propter maris æstum.* (3.) *Tempus antemeridianum & matutinum est æstate opportunius, pomeridianum hyeme commodius ac salubrius.* (4.) *Tempore nocturnô aut nunqvàm, aut rarò peregrinandum est studioso.* Ratio: qvia luna humorum domina cerebrum notabiliter lædit. 170 Motus in nostris non est viribus. Proinde Deus orandus, ut velit felices conatuum & actionum omnium successus largiri. 171 Huc usqve Itio. Seqvitur Commoratio & Reditus. 172 Commoratio eadem ferè habet præcepta cum superioribus. 183 Unum tamen vel hic inprimis observandum: 174 Si diutius in loco qvodam commorandum sit, ratio habenda est parentum, consangvineorum, familiarium, mœcenatum. 175 Ab omni siqvidem humanitate alieni sunt, qvi ut majorem peregrinitatis admirationem comparent, ubinam terrarum vagentur, nec ipsi parentibus indicare, nec ab aliis indicari volunt, digni, qvi vel nullos vel aliqvando similes nanciscanrur liberos. 176 Reditus hæc lex est, ut domum reversus ad suos qvàm primum poterit, peregrinitatem omnem exuat, ne novitatis studiô ut peregrina disceret, vernacula dedidicisse videatur peregrinatus. 177 *Ergo* amicitias priores repetat, visitando, salutando, ut fidei suæ erga absentes præsenti observantiâ fidem faciat. 178 Mores patrios retineat. 179 Lingvam vernaculam, qvantum licet, imitetur. 180 Vestitu se non magis

φιλό-

φιλόξενον, qvàm φιλοπατρίδα eſſe oſtendat : ne, qvi peregrinos habitu peregrinô foris offendere noluit, populares veſtitu inſolenti, vel ad irridendum, vel ad calumniandum incitet [181]. Obſervationes ſuas nec ubiqve, nec qvibuſcumqve, narret, ne crimen Thraſonicæ jactantiæ incurrat. [182]. Narrationes enim inſtar emblematum non perpetuæ, ſed ſuo loco atqve tempori adcommodatæ eſſe debent. [183]. Hæc ſunt præcepta peregrinationis ſtudioſorum : qvibus hæc ſubjicere placet. (1.) *Studioſus cogitet, qvodnam ſtudiorum genus ſectari cogitet : deinde, ubi & à qvibus diſcere velit : qva de re videatur Iſocrates ad Demonic.* (2.) *Inter peregrinandum canibus uti, præterqvàm qvod moleſtum eſt, etiam cum periculo conjunctum.* (3.) *In vectura eqvô laboris patiente, pretiiqve non magni, ſi modò haberi poteſt, utatur ad iter, non ad pompam vel lucrum.* (4.) *Videat, ne feſtinando fructum peregrinationis negligat.* Δεῖ σπεύδειν βραδέως. (5.) *Qvum homines de plebe inſidientur loculis ſtudioſorum, hos oportet circumſpectè agere.* (6.) *Studioſus inter iter faciendum utatur pauciſſimis libris, qvi erunt gnomologici, hiſtorici, & hypomnematici.* (7.) *Si verſetur in aula, obſervet hoc Oweni Epigramma : lib. II. n. VII.*

Qviſqvis in ambigua ſe non adcommodat aula
Omnibus ingeniis, non habet ingenium.

X X.

MATTHIAS BERNEGGERUS

Qvæſt. CLXXIII. in Agricol. Tacit.

An hominibus Illuſtribus, & qvomodo, peregrinandum?

IN *epigrammatis Claudiani, n. II. cumprimis elegans illud eſt, qvod de ſene Veronenſi ſcripſit,*

——— qvi propriis ævum tranſegit in arvis:
Ipſa domus puerum qvem videt, ipſa ſenem.
Qvi baculô nitens, in qva reptavit arena,
Unius numerat ſecula longa caſæ:
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumqve putat litora rubra lacum.

Et qvæ ſeqvuntur cetera, hôc epiphonemate clauſa :

Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos:
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Geminus huic est seni senex nescio quis Aglaus Psophidius, Arcadum quidem pauperrimus, sed qvia terminos agelli sui nunqvàm excesserat, parvuli rurisfructibus ac voluptatibus contentus, ipsi Gygæ, Lydorum regi, potentiâ & opibus in speciem beatissimo, oraculi voce prælatum eum scribunt Solinus, polyhistor. c. VII. Valerius Maximus, VII. I. 2. & Plin. VII. XLVI. 2. Verumenimvero qvia, qvæ C. Pedonis verba sunt.

Non eadem vulgusqve decent, & culmina rerum: *& monente Sallustiô ad Cæs. orat. II. 42.* Patres consiliô valere decet, in populo supervacanea est calliditas: *ut in talibus agricolis, & aliis imi subsellii hominibus non magnoperè peregrinationem reqvirimus, sed humiles istas & plebeias animas domi residere, suæ affixas terræ, facilè patimur: ita natû illustri locô & artes docendi eas,* (fortè *ad artes discendas*) *qvibus utrumqve tempus & armorum, & pacis, olim rectè gubernare possint, esse perutile ac penè necessarium arbitramur, ut exteros invisant, nec semper domi sese, velut apum rex alveô, vulsis alis, concludi sinant. Etenim qvantô magis arduum est, & Xenophontis verbô in pædia: ὑπερμέγεθες ἔργον, τὸ καλῶς ἄρχειν,* plusqvàm magnum munus, salutariter & ex publico aliis præesse, *tantô pluribus etiam ad id adminiculis instructum accedere convenit: qvorum omnium peregrinatio veluti gymnasium qvoddam haberi potest. Atqve initiô qvidem illud est in confesso, qvod Aristoteles affirmat, Polit. III. c. III.* propriam imperantis virtutem esse prudentiam, *sine qva Rempubl. non magis qvis rexerit, qvàm in vasto mari navim sine ferro, qvod magnes adfricuit. Prudentiam autem acqviri peregrinando, cum experientia nobis auctor Homerus est. Is in Odyssea passim Ulyssem suum facit πλάγκτον, & πολύμητιν, hoc est, ut Virgilius Æneid. IV. 285. canit, qvi*

——— animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesqve rapit varias, perqve omnia versat.

Qvomodo etiam Guntherus in Ligurino, lib. IX. v. 58. Fridericum I. cognomine Barbarossam, ad Homeri, credo imitationem, multimodum ducem *appellat. Cautam vero hanc & prudentem Ulyssis πολυτροπίαν, & versatile multimodumqve ingenium, hinc maximè Homeri nobile carmen, in Odysseæ vestibulo, asseruit, qvod ille πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, hoc est, interprete Horatiô,* in Arte, v. 142. qvòd mores hominum multorum vidit, & urbes. *Urbes, inqvam, sed & mores, instituta varia, ritusqve. Nam qvi illas tantùm, discurrunt veriùs, nec, nisi fortè secum, peregrinantur. Et Strabo, lib. 1. prudentissimos, apud veteres, heroas existimatos fuisse scribit illos, qvi varias & longinqvas peregrinationes suscepissent. Cui Cassiodorus, variar. epist. I. XXXIX. calculum adjicit, ubi commemoratô istô Ulyssis exemplô, subjicit, illos* prudentiores semper habitos, qvi multorum hominum conversationibus probantur eruditi. *Imò testis his omnibus locupletior, sapientissimus Jesus Sirach, c. XXXIX. 5. dum ea, qvæ ad sapientiam comparandam pertinent, exponit, peregrinationem non in postremis adjungit.* In terram, *inqvit,* alienigenarum gentium pertransiet. Bona enim & mala in omnibus tentabit. *Deinde nec illud inficias qvis ibit, in futuro magistratu doctrinam reqviri.* Non homo, ne dum hominum princeps videtur, doctrinâ

qvi

qvi destituitur, *verbô Uladislai Regis apud Æneam Sylvium, lib. III. Histor. Boh. Cùm autem duplex sit acqvirendæ doctrinæ via, à libris una, à doctore altera: qvamvis illa, qviete secretôqve magis gaudet, nec excursu eget, qvippe domi etiam parabilis librorum copiâ: in hac tamen, in doctoribus inqvam, aliter est. Nam providentia divina magnum hunc mundi hortum veluti per areolas, variè colit, artiumqve flores per gentes spargit, nec uni alicui regioni felicissima omnia ingenia includit; sed suam cuiqve terræ velut gemmulam assignat, qvæ eam illustret. Hanc adire oportet, hanc audire, & è sacris illis pectoribus hianti ore abdita doctrinæ fontes excipere. Factum id à Platone, Pythagora, Democrito, Lycurgo, sapientibus viris aliis, acri qvâdam cupidine discendi non ad cultos solùm, sed ad barbaros etiam profectis: factum ab Agricola nostro, qvi, relictâ patriâ, qvod præscripta qvæstioni verba ostendunt, Massiliam Galliæ Narbonensis urbem, sedem ac magistram studiorum elegit. Adde qvod, cùm loca prisca, monumenta, rudera,* & campos ubi Troja fuit, *lustramus, non modò ad eruditionem aliqvam accessionem fieri, sed & animos nostros nescio qvomodò attolli, & grandiores sese factos ad gloriam honestumqve mirè excitari cernimus. Qvâ causâ Germanicus Cæsar post visam Græciam, Thraciam, Armeniam, Asiæqve oram, tandem etiam in Ægyptum proficiscitur,* cognoscendæ antiqvitatis, *ut prodit Autor noster* (Tacitus) II. Annal. LIX. 1. *Et Paulus Æmilius post subactam Græciam loca famâ nobilitata oculis lustrare instituit Liv. XLV. XXVII. 3 Ad eruditionem refero lingvarum cognitionem, & ipsam homini politico cùm honorificam, tum perutilem ac necessariam, sed apud exteros multò, qvàm domi parabiliorem: Latinæ qvidem præcipuæ, ut qvæ totius propemodùm Orbis terrarum commune qvasi vinculum est; verùm interim earum qvoqve gentium, cum qvibus aliqva communio intercedit, qvarumqve idiomata nunc temporis in omnium ferè Christianorum principum aulis vigent ac florent: cum congressibus hominum κωφὸν πρόσωπον assidere, nutu duntaxat & signis, animi sensa exprimere; cum legatis aut exteris aliis ore tantùm alienô colloqui, valde turpe & indecorum, nec rarò perniciosum sit. Unde* Matthias Corvinus. *Rex noster inclytus (cujus laudatissimi principis exemplô libenter sæpiùs utimur)* multarum cognitione lingvarum polluit, præter Turcicum & Græcum, omnia Europæ glossemata calluit, *Bonfiniô testante, sub finem libri IX. decad. IV. Tertio. qvantum ad virtutis ac morum culturam peregrinatio monumentum adferat, Menandri senarius ille docet.* πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον, Peregrinatio vitam reddit moderatiorem. *Qvæ moderatio consistit cùm in humanitate affabilitateqve, tum etiam in modesto de se sensu: qvas virtutes nescio qvomodo iis, qvi varios terrarum situs lustrârunt, cumulatiores inesse videmus: cùm contrà μαμμόθρεπτοι illi, perpetui matercularum asseclæ, ac domiportæ cochleæ, ut plurimùm inaffabiles: impatientes, inhospitales, illiberalesqve deprehendantur; inprimis autem inani persvasione tumescant, soli sibi judicium & censionem omnem vindicent, nec putent, aliis etiam & alibi deos esse. Neqve id mirum.* Necesse est enim, sibi nimium tribuat, qvi se nemini comparat. *Qvinctil. Instit. orat. lib. II. c. II. Qvò pertinet illud Platonis dictum, à Plutarcho multis in locis celebratum, ἡ αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος*

ξένοικος, arrogantia ſolitudini aſſita. *Vitium tantô magis in viris principibus peregrinando diſcutiendum, qvantô magis ipſis hic affectus per ſe qvaſi agnatus, aut fortuna, ſic ſenſibus ſuper alios ſe putare, juxta Senecæ illud in Medea v. 204*

——— regale hoc putat,
Sceptris ſuperbas qviſqvis admovit manus,
Qva cœpit, ire.

Adde qvod peregrinando præter internam illam, etiam externa, ut ſic dicam, virtus, morum, inqvam, elegantia & venuſtas acqviritur: qvid in cultu, veſtitu, ſermone, geſtu, actionibus aliis deceat dedeceatve, cognoſcitur: domeſtica ruſticitas exterô civilitatis cultuſqve ſale maceratur: cùm alios interim videamus inter ſuos domi in umbratili vita planè ſylveſcere. Qvod qvàm ſit in eo, qvem in maxima celebritate & in media Reipub. luce aliqvando vivere oportet, indecorum & ἀκαταφρόνητον, dici non poteſt. Idqve confirmat, ut alia mittam, Ranimiri Hiſpanorum regis exemplum, qvi ob hanc morum ſimplicitatem & rerum imperitiam ſuis proceribus riſui & ludibrio fuit. Cùm enim, ſuſceptâ contra Saracenos expeditione, eqves, brachio ſiniſtro ſcutum, dextro lanceam adaptâſſet, mox frena eqvi apprehendere juberetur: qvî poſſim, *inqvit*, utrâqve manu occupatâ, niſi hæc dentibus retinenda qvis porrigat? *Collenutius, lib I. Hiſt. Neap. & Roderic. Sanct. Hiſt. part. III. c. XXX. His ergò, & qvæ poſſent plures adduci, de cauſſis, inducias ad tempus cum laribus paternis eſſe faciendas Magnatum filiis, excurrendum ad exteros, ſed ita ſtatuimus, ut primùm triplex ille finis, qvem diximus, prudentiæ, ſcientiæ, morum, perpetuò ſit in oculis. Deinde, cùm ſint in peregrinatione, ut de pharmaco Helena loqvitur Homerus, Odyſſ. lib. IV: v. 230.* Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, bona noxiis mixta, *ac vitiorum ubiqve larga & obvia ſeges occurrat, ut ne qvas inde ſpicas improvidè qvis colligat, ſed cum judicio peregrinetur, &, præceptô Senecæ, Epiſt. CIV. 29.* ad meliora tranſeat. *Tertiò ut reſtitutus patriæ, vel veſtes peregrinas, vel mores à patriis inſtitutis alienos affectare ne uſurpet, ſeſeqve νόμῳ καὶ χώρᾳ accommodet. Qvod qvi non faciunt, privati riſum aut contemptum, viri principes etiam ſibi perniciem accerſunt. Exemplô* Vonones *eſt, qvi a Tiberio in regnum Parthicum miſſus, ipſis qvidem Parthus, ſed* Romanorum artibus infectus, *non diu gratus ipſis fuit.* Accendebat dedignantes ipſe, diverſus à majorum inſtitutis, rarò venatu, ſegni eqvorum curâ, qvoties per urbes incederet, lecticæ geſtamine, faſtuqve erga patrias epulas. Irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium anulô clauſa. *Tacit. II. Annal. II. 5.* Hôc amotô, *inqvit idem, II. Annal. LVI. 2.* favor nationis inclinabat in Zenonem, qvòd is prima ab infantia inſtituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & qvæ alia barbari celebrant, proceres plebemqve juxta devinxerat. *Philipp. Camerar. hor. ſubciſiv. lib. I. c. XIV. lege.*

XXI.

XXI.

JUSTUS LIPSIUS

PHILIPPO † LANOYO

Nobilissimo juveni S. D.

IN Italiam cogitare te audio, nobilissime juvenum: & audio volens. Placet ea mens, qvam agnatam scio non nisi optimæ cuiqve menti. Humiles istæ & plebeæ animæ, domi resident & adfixæ sunt suæ terræ: illa divinior est, qvæ cælum imitatur, & gaudet motu. Itaqve sive priscô sive nostrô ævô, peregrinati ferè sunt viri magni. Sed ista hic cautio: ut id fiat non cum voluptate solùm, sed cum fructu. Vagari, lustrare, discurrere qvivis potest: pauci indagare, discere; id est, verè peregrinari. Ut tu id possis, finem verum fructumqve ante omnia mihi propone, qvem is petitum. Ut enim ii qvi jaculum mittunt, non in vanum dirigunt, sed scopum præspeculantur ad qvem collineent: sic tu præfini, qvid peregrinatione isthâc qværas. Duo, nisi fallor: utilitatem, & voluptatem. Non enim hanc solùm, nec ut coronarii bellissimas saltem herbas floresqve struppis aut coronis innectunt, salubrium nullà curâ: ita hic tu. Qvin

† De hoc ita scribit Valer. Andreas in p. 53. Biblioth. Belgic. Voc. *Andr. Schottus. Anno* CIↃIↃ LXXVI. *direptâ ac fœdatâ ferrô flammisqve Antverpiâ, Duacum venit* Schottus, *& in familia vixit Philippi Lanoii, Turqvoini Toparcha, ad qvem* elegantissima atqve aurea, de peregrinatione utiliter instituenda, J. Lipsii est epistola, Cent. I. Miscell. n. XXII. p. 24. *cuiqve Schottus Sext. Aurel. Victorem de Viris Illustrib. inscripsit. Duacô Lutetiam concessit, in familiamqve adscitus Augerii Busbeqvii Ferdinandi & Maximiliani II. Cæsarum apud Solimanum Turcarum Imperat. Ex-Legati, acceptum ab eo lapidis Ancyrani fragmentum (in qvo breviarum est Imperii Augusti) è Galatia adlatum primus edidit.* At ego habeo tria exempla Aurelii Victoris cum notis Schotti, nimirum Francofurt. anni M. DC. IX. in fol. Lugdunens. Batav. M. DC. LXX. in 8. & Trajectinum CIↃ.IↃC. XCVI. In nullo horum Inscriptionem istam invenio. In Lugdunensi Aurelii Victoris Epitome Busbeqvio est dedicata a Schotto. In Trajectino verò in de Auctorib. Antiqvis viror. Illustrium, extr. hæc Schotti verba lego: *Notas, qvibus emendationum nostrarum ratio explicatur, ne libri moles nimium excresceret, non addimus: & recens ea edita Duaci in gratiam Nobilissimi juvenis Philippi La-Noy Domini Turconii, mihi sanè multis nominibus carissimi.* Istam editionem de anno 1577. in 4to non vidi; patet autem ex eo qvantâ curâ, vel negligentiâ potiùs & incuriâ novæ nobis dentur editiones, mutilæ nimirum ac mancæ bibliopolarumqve respondentes avaritiæ. Ipsa de Lipsii Epistola vide infra, p. 591.

Qvin contrà potiùs, plura ad mentem ac salutem referes qvàm ad sensus aut adspectum. Ac de voluptate aliqvid dicere vacuum sit: cùm ea sponte obvia: nec qvisqvam tam lapis aut frutex, qvem non titillet ac flectat amœna illa variaqve spectio gentium, urbium, locorum. Natura scilicet illuc aurigatur, nec duce opus ullâ ratione. At in utilitate laborandum est. qvam nec secuti omnes; nec qvi secuti, adsecuti. Eam tibi ingero, & triplici hôc limite designo. Prudentiæ, Scientiæ, Morum. Hæc enim omnia peregrinatio adferre debet; si consiliô, si ritè instituta. Ac Prudentiam ab eâ peti, Homerus nobis satis auctor; ille non poëtarum solùm eximius, sed, me judice, sapientum. qvi cautæ illi Ulyssææ prudentiæ qvam aliam caussam ubiqve tribuit, qvàm qvòd πολύτροπος: qvodqve, ut ipse ait, Od. α. v. 3.

* Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω?

Et verè. Instituta enim illa varia gentium, ritus moresqve hominum, formæ civitatium, incredibile est, ad judicium & prudentiam qvàm potenter possint. si tamen non visa aut libata ea leviter: sed admissa, retenta, & collata inter se examinis qvâdam lance. Qvod ante omnia tibi censeo faciundum. Vide inqvam, audi, judica: nec conqvire solùm hæc talia, sed in ea inqvire. Et inqvisitio qvidem à te & tua mente erit: conqvisitio ab hominibus esse debebit, aut à libris. Nam & libri ferè sive historiæ peculiares suis qvibusqve locis & lingvis sunt, qvas indagabis: & homines ævô & usu provecti non deerunt à qvibus percontando discas. Etsi enim modestiam & silentium jure tibi svadeam: tamen nihil abnuo qvin per iter fræna sæpè laxes effræni illi membro. Jus tibi sermonis non in via solùm (siqvi ejusmodi comites) sed in hospitio sit: nec ante mensam modò, sed in ea, & post eam. Sed sermonis jus intra hos fines, qværendi de moribus, legibus, facie cujusqve urbis. addo & de Principibus, bellis, casibus, aut siqvid eventuum magis insigne. Hæc notabis, hæc sepones. certus ex iis civilem illam prudentiam inseri, tacitâ qvâdam vi & viâ. Ut enim herbas, ut arbores, crescere non cernimus, sed crevisse: sic factam hanc prudentiam potiùs, qvàm fieri. Atqvi incrementum & irrigatio illi, ab his inqvisitorii, ut sic dicam, humoris guttis: qvas altè perbibit melior animus, & paullatim madescit sapientis judicii succô. Atqve hæc de Prudentia dixerim: verbis parcè, rebus ampliter, si rebus experiris. Ad Scientiam te nunc eâdem manu duco. Qvam mirère fortasse, qvòd peregrè qværam. cùm domi illi sedes potiùs, & hæc litterarum studia qviete secretôqve magis gaudeant, qvàm motu aut discursu. Sed desines hujus admirationis, si animum flectes ad duplicem, qvi ad Scientiam, modum. Aut enim ab Auribus ea, aut ob Oculis est: à Doctore dico, aut à Libris. Et de libris qvidem, nemo it negatum qvin domi habeantur, tractenturqve meliùs: in doctoribus, aliter esse ratio svadet mecum. Qvæ enim illa, obsecro, tam felix regio, qvæ felicissima omnia inge-

* *Multorum mores hominum & simul oppida vidit.*

ingenia includat? Qvin ſparſa illa: &, Deô diſpenſante, ſua cuiqve terræ velut gemmula qvæ illuſtret. Hanc adi; hanc audi: & è ſacris illis pectoribus, bianti ore bibe abditæ doctrinæ fontes. Qvis non à Turrebo aliqvo doctior redeat? prudentior à Sigonio? diſertior à Mureto? qvorum ego non auditum ſolùm magnô emerim, ſed viſum. Qvòd ſi notitia etiam aliqva tibi cum iis accedet (& id pronum apud tam humanos.) Deus bone, qvæ occaſio hic tibi diſcendi & diteſcendi! qvot gazas legere & recondere cottidie poteris latentium litterarum! Mecum vides. tu arripe tantùm: & me auctore, in uſum ejuſmodi virorum omni arte irrepe, vi irrumpe. Nuſqvam meliore damnô frons ponitur. Hæc Platonis, hæc Pythagoræ, Democriti, & aliorum ſapientium mens fuit: qvi relictâ penu artium Græciâ, non ad cultos ſolùm, ſed barbaros peregrinati, acri qvôdam cupidine diſcendi. Jam & alia ab Oculis utilitas: qvi hic tibi ſoli & nudi ad Scientiam ſæpe duces. Italiam ecce nunc adis. illam frugibus, viris, opidis cultam ſcriptiſqve. In ea non veſtigium uſqvàm pones, non oculum flectes; qvin monumentum aliqvod premas, aut memoriam uſurpes, ritus ſive hiſtoriæ priſcæ. Illic Thraſymenum miſerantibus oculis ſubjicies, aut æternum imperii vulnus Cannas: hic magis lætis, Albanum, aut Tybur, aut nobiles Bajas. Plinii alibi manſio, & Virgilii aut Propertii patria tibi oſtendetur; alibi rudera Varronianæ aut Tullianæ villæ. Qvanti & qvàm arcani gaudii iſta*viſio? cùm non animo ſolùm, ſed pæne oculis ſeſe inferunt manes illi magni & ſola premimus preſſa toties ipſis. Jam coloniæ illæ veteres, jam templa, theatra, arcus, ſepulchra, lapides, qvem non & doceant mirificè & delectent? Doceant dico. qvia reverà notata aut exſcripta hæc talia, mirum qvantâ luce mentem perfundant, trepidantem per veterum ſcripta. idqve experti dicimus ipſi. Ut omittam etiam illud commodum, qvod neſcio qvomodo attollatur & grandior ſeſe fiat animus, adſpectu tot ſublimium & grandium rerum. Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat, viſa toties aliena gloria & virtus. Ad Mores jam venio, qvi poſtremus mihi locus; tibi, ſiqvid ſapis ô adoleſcens, primus. Ab hoc enim ſcopo ſi aberrâſti, aberrâſti ab aliis: & inutilis, imò noxia, ſcientia omnis prudentiaqve eſt, ſecreta à probitate morum. Cetera ſpecioſa puta, hanc neceſſariam: illa ad ornatum adhibe, hanc ad ſalutem. In moribus autem duplex mihi præceptio: & ut bonos rectoſqve ubiqve adnotes, & fugias malos & detortos. Sed in bonis, ne mentiar, haud magna fortaſſe peregrè copia eſt. Latent enim plerumqve verè probi: & in pectore intimo domicilium Virtus habet, non in vultu aut fronte. atqve inde ut extrahatur, uſu opus & notitiâ qvâdam propiore: ad qvam peregrinantibus rarò acceſſus. Tamen elegantia qvædam morum & comitas, & externa qvædam, ut ſic dixerim, virtus, qvin apud exteros jure qværatur, non negabis. Qvid in cultu, veſtitu, actionibus deceat; qvæ Veneres & lepóres in ſermone aut geſtu; docere te ritè politiores illæ gentes poſſint, Itali, Hiſpani, Galli. atqve ita rus illud no-

ſtrum aptè ſæpè diluas qvæſitâ iſtâ urbanitate & peregrinâ. Sed qvæſitâ, non adfectatâ, uſurpatâ modicè, non oſtentatâ; alioqvi nihil comptu eô incomptius, elegantiâ ineptius. Riſimus non ſemel ejuſmodi hiſtriones, qvi ab Italia aut Gallia novi, geſtus neſcio qvos mimicos moleſtè uſurpabant, & delicias parùm non dicam civiles, ſed viriles. Tu hæc fuge. & inprimis vera & interna animorum vitia, qvorum ubiqve larga & obvia ſeges. è qvâ ne qvas ſpicas improvidè colligas, magna mihi pro te cura, imò metus. Admittimus enim neſcio qvomodo & combibimus facilè peregrinas illas culpas; ſive qvia novitate aliqvâ blandiuntur, ſive qvia ſpecie virtutum. Atqve ut venena vinis admixta, medicorum ſcitô, perniciter & pernicioſè penetrant: ſic peccata hæc adſita virtuti. Ferè enim ita fit: ut in qva gente vitia certa increbuêre, mores jam vocentur, nec in veniam modò veniant, ſed laudem. Adde, qvòd naturâ ipsâ proniores nos ad mala imitanda. Ut pictor, levi manu, & volante penicillô, rugas, verrucas, nævos, in facie exprimit, haud tam facilè ipſam: ſic probitatem laborioſè imitamur, nullô negotiô maculas illas animorum. Advigila hic igitur: & jam-ante ſeriò provide, qvæ vitia cognata vel amica cuiqve genti. Qvis enim negetʔ ut hominibus ſingulis, ſic populis ſuæ laudes, ſuæ labes. Galliam ecce cogitasʔ levitatem & vanitatem etiam, qvæ in pleràqve eâ (omni, falsò dicam) gente. Italiamʔ proterviam in ea & libidinem. Hiſpaniasʔ typhum qvemdam & Africanum faſtum. Germaniam ʔ comeſſationes & ebrietatem. Qvæ velant illi, ſcio; & comitatem, fiduciam, gravitatem, hilaritatem interpretantur falsò. at tu vitabis, nec in venas rapies perverſi judicii aurâ blandientem peſtem. De moribus tantum eſt. & pertexui hanc telam: niſi qvòd leve parergum illi addam de Italia ipſa. Laxat enim neſcio qvomodo vela huic ſtilo, provehitqve longius amor & cura tui. In terram is igitur terrâ iſtâ meliorem, fateor; gentem gente nobiliorem: haud ſcio an probam magis, an fidam. Ingenium, & ſubtilitas, & magni erectiqve animi in illis locis habitant: non ſemper puri, ſimplices, & ad Gallicam iſtam nivem. Ideoqve incautis & apertis nobis nonnullum ibi periculum, & qvidem à duplici telo. Nam & inter viros multi tecti, callidi, periti ſimulare: & inter fœminas, formæ conſpicuæ, ſed laſcivæ & procaces. Hîc Scylla, ibi Charybdis: & duo hæc diſcrimina ut enaviges, opus non prodentiâ qvâdam ſolùm, ſed dicam Fortunâ. Prius tamen illud me urgit minùs. qvod amoliri magnam partem poſſe videor caventibus qvibuſdam præceptis. Nam contra inſidiantes illos aut ſimulantes, qvſdni firmum ſcutum à ſimulatione item aliqvâ ſitʔ Cres mihi eſto inter Cretas. Nec viam tibi tamen ad fraudes præeo. abſit. ſed ut medici, venena qvædam venenis pello, in ſalutem tuam non in noxam. Ad minutas & innocentes qvaſdam ſimulatiunculas te voco: nec ad alienas inſidias, ſed ad animi tui opportuna tegumenta. In Italia tota tria hæc mihi ſerva. Frons tibi aperta, lingva parca, mens clauſa. Comis & communis vultus adverſus omnes ſit, animus externo nulli.

nulli pateat: & velut in theca clausum eum habeas, dum redeas ad notos animos & verè amicos. Epicharmææ sapientiæ ille nervus hic valeat, nulli fidere. Nisi facis: non unus Ulysses Ajacem te circumveniet: & dolorem nobis debes, illis risum. Atqve hæc tamen cautio mea propriè in vulgus Italorum dirigitur. Nam de nobilibus cur diffitear? reverà optimates illi plerumqve optimi: celsi, alti, sinceri; virtutis, gloriæ, litterarum amantes. In vulgo aliter esse observavimus, qvi fex & limus, & verè vulgus. Itaqve in illis; vetus Italicus aut Romanus sangvis ferè apparet: in istis, peream, nisi claræ reliqviæ (fidenter dicam) Gothorum, Vandalorum. Jam contra telum alterum qvi muniam te, aut moneam? Ita sim salvus, ut opto potiùs qvàm spero te hic planè salvum. Tantùm mihi metus & ætas tua facit, qvæ in ipso æstu: & illæ non dicam fæminæ, sed Veneres, Venetæ aut Romanæ. In naturâ tantùm tuâ spes omnis præsidii hic, & voluntate. Qvarum si alterutra ad calidas & callidas istas Solis filias inclinat: qvis hominum te servet? certè rues: nec ullo præceptorum sufflamine te sistam. Tamen ne nihil dicam aut addam: ecce armaturam à me duplicem, Oculis, Auribusqve. Oculos inqvam, primùm mihi claude, & averte longè ab illecebroso hoc aspectu. Aditus enim mali morbi hinc est, nec amor aut cupido facilè irreperit, nisi per geminas has fenestras. Sed & aures etiam muni, contra omnes non Venereos solùm, sed paullò magis venustos sermones. Ii sunt enim qvi titillant, qvi excitant: & ut cupere ab aspectu est, sic velle ab auditu. Igitur ut athletis olim, munimenta qvædam aurium adponi mos (ἀμφώτιδας vocabant) ad vitandos ictus: sic tu hoc firmum contra amatoria vulnera habe velamentum, Amatorium nil audire. De hominibus dixi (qvæso ne cum invidia cujusqvam aut ira: qvia liberè aliqvid protulerim fortasse, nihil acerbè aut malignè.) adjungam & aliqvid de locis. Qvi varii in Italia omni & pulchri: ut non injuriâ deliberes, qvem præferas ad videndum, sive habitandum. Et meô qvidem sensu (vidimus enim plerosqve omnes, & trivimus) prima tibi vel antiqvitatis caussâ, adeunda Roma est: adeunda tamen, non habitanda. Confusio enim ibi & σύγχυσις, aëris & morum haud pura puritas: & qvod verissimè à Varrone dictum, turba turbulenta. Loca igitur illa prisca & vetera, monumenta ac rudera,

—— & campos ubi Troja fuit,

cùm lustratus satis & veneratus fueris: Neapolim mihi abi, & paullisper inside illam nobilem, illam cultam, illam amœnam. Per qvam viam deliciæ locorum multæ, qvas omitto. sed si inhabitanda diutiùs Italia est, in Thuscos mihi redi, & illos incole, lingvæ, aëris, morum caussâ. Omnia hæc ibi pura. Qvod si de oppido etiam qværis: Florentia mihi aut Senæ placeat: & magis istæ. At jam in ambitu & reversione, Bononiam amicam studiis libens videbis, & eâdem laude insigne Patavium. qvibus cùm dies aliqvot dederis, non pigebit in urbe maris domina (Venetias dico) lustranda ponere septimanas. Heu ad invidiam pulchra, opulens,

felix urbs! minùs tamen ad nostrum Genium, qvia Mercurio amicior qvàm Minervæ. At in exitu grande illud & diffusum Mediolanum te capiet, in qva fine Italiæ finis mihi epistolæ. Deum supplex precabor, ut te servet, & tu ista. Vale nobilissime juvenis, vale, vale. nec Deus mihi * auguria perficiat, qvæ in tristi mente. Antverpiæ III. Nonas Apriles, CIϽ. IϽ. LXXVIII.

XXII.

GEORGIUS RICHTER, JC.

Nobilissimis & ad omnem gloriæ & Virtutis laudem excitatissimis Juvenibus,

Dn. LEONHARTO GRUNDHERRN,
Dn. ALBERTO POEMERO,
ET
Dn. GEORGIO SCHEURL,

Patriciis Noricis, Dominis & Amicis suis plurimùm honorandis, S. & optatum itineris successum à DEO precatur ex animo.

JUvenes Nobilissimi, iter Vos in exteras regiones instituere audio: Mente, si sapientes audimus, non nisi optimæ cuiqve indoli agnatâ, & qvæ supra humanam sortem nos extollit. Ut enim Divina, qvod Panegyristes ad Theodosium Imperatorem dixit, motu gaudent perpetuô, & jugi agitatione se vegetat æternitas: Ita altiores illæ mortalium animæ, qvas de meliori luto cælestis ille Spiritus efformavit, non domi residere volunt, aut suæ tantùm adhærere terræ, sed motu gaudent, & cælum, hoc est, originem suam unicè imitari student. Hoc institutum Vestrum præclarum, ut cum omnibus cordatè judicantibus, summâ laude dignum esse censeo: Ita felix faustumqve ad eum qvem debet finem, erudi-

* Certè vera. Obiit enim eâ ipsâ peregrinatione princeps nostræ juventutis.

eruditionis & prudentiæ, Vestro cum honore & utilitate patriæ, evenire, ex animo voveo. Et qvandoqvidem illis, qvibus vos curæ estis, ita visum est, ut qvia ego non ita pridem eadem, qvæ Vos nunc cogitatis, loca vidi atqve trivi, de iis, qvæ homini peregrino vel cavenda vel notanda arbitrarer, Vos qvasi præmonerem, non debui petitioni deesse illorum, qvibus post DEUM me meaqve omnia debeo, qvorumqve nutus pro imperio mihi esse debet. Præsertim verò qvia, ut est apud Julium, hoc natura adfert, ut eis favere debeamus, qvi eadem pericula ingrediuntur, qvibus nos perfuncti sumus. Hoc autem dum facio, actum agere nolo, hoc est, ea qvæ jam pridem alii eruditione & prudentiâ longè Clarissimi Viri, in commodum studiosorum peregrinantium edidêre, huc exscribere. Esset enim hoc nihil aliud, qvàm cramben bis coctam apponere, qvod hominis insulsi est, vel qvod Viri boni non est, aliorum laudes sibi rapere. Qvin potius qvo ad hoc, ad ipsos auctores Vos remitto; inter qvos, si qvid mei est Judicii, Magnus ille Lipsius meritò excellit, in aurea illa epistola, qvam ad Philippum Lanoyum inimitabili stylô exaravit. Ex ea enim non tantùm omnium optimè cognoscetis, ad qvem scopum peregrinatio vestra collimare debeat; ad prudentiam nimirum, scientiam & mores, & qvæ media ad finem istum ducant: Sed etiam alia præcepta notatu dignissima. Inter qvæ illud non postremum est, qvod peregrinantes frontem apertam, lingvam parcam, & mentem clausam habere monet. Hæc, inqvam, & similia hic repetere nolo. Ut nec illud, qvod tamen scire, peregrinantis vel maximè interest, qvi singularum gentium sint qvasi genii naturales, qvi eas in hos vel illos mores adigant, qvidqve in his vel bonum & amplectendum, vel malum & vitandum. De qvibus omnibus Euphormio ille, in parte IV. Satyrici sui, cui titulus est; Icon animorum, ad Regem Galliarum elegantissimè juxta atqve prudentissimè scripsit: Qvem libellum cum epistola illa Lipsii, Vos in itinere circumferre atqve lectitare velim. Illud autem faciam, ut, qvia nunc è Germania, rectâ in Bataviam sive Germaniam inferiorem, qvam alii Belgium vocant, abire, & primùm in ejus Provincia nobilissima, Hollandia, aliqvamdiu morari constituistis, qvid Vobis peregrinis primùm in itinere, deinde in loco ipso vel faciendum vel observandum putem, sciatis. Ubi primùm de gente ipsa Batavorum sive Hollandorum. ad qvam itis, illud Vos nescire nolo, qvod Erasmus, Vir divinus, verissimè scripsit, si mores spectemus, qvi in vita hominis utramqve paginam faciunt, aliam gentem non esse, qvæ vel ad humanitatem vel ad benignitatem sit propensior, cuiqve minus adsit vel feritatis vel truculentiæ, & qvæ ingenium habeat adeò simplex, & ab insidiis omniqve fuco alienum. Item, qvòd vix in ulla Orbis parte Doctorum Virorum numerus sit freqventior, qvàm in illo terræ angulo. Qvibus laudibus etiam illa addi potest, qvæ peregrinanti cum primis grata est, qvòd in vasorum nitore, mensarum lautitia, mantilium atqve Lectorum candore, munditiâ deniqve rerum omnium,

gens.

gens ista omnes alias nationes vel ad invidiam superet. Qvarum laudum ideò memini, qvia nonnulli, livore dicam an ignorantiâ? vel qvasvis alias regiones, qvàm Hollandiam, Studiosis Germanis commendant: De qva tamen Chrysostomus qvidam Neapolitanus scriptum reliqvit, se ex eo, qvòd Hollandiæ oram perlustrârit, multô sapientiorem multarumqve rerum peritiorem factum esse. Verùm, non est res aut ita obscura, ut testimonium, aut ita dubia, ut laudationem desideret; qvam ita, uti dixi, se habere, Vos ipsi, Amici honoratissimi, cùm illuc, propitiô DEO, veneritis, experiemini. In ipso autem itinere, qvod cum mercatoribus Hollandis viâ consvetâ, Francofurtô primùm Coloniam Agrippinam, deinde Ambstelrodamum usqve facturi estis, aliud non est, de qvo moneri debeatis, nisi ut ad mercatorum comitatum non nimiùm Vos adstringatis, qvippe qvi illa, qvæ hic vel ibi visenda occurrunt, plerumqve insuper habent, & hoc tantùm agunt, ut, qvæstui servientes, qvamprimùm domum ad suos redeant. Qvin potiùs, ubi Coloniam perlustraveritis, ad Urbes vicinas excurrite, (si modò nunc per militem vagantem licet) ut sunt Duysseldorp, Vesal, Rees, Emerick, fortalitium Schenkianum, Clivia, Juliacum &c. Ubi posteà in viam Ambstelrodamum versùs redibitis.

Per Hollandiam verò iter facientes, essedarios, sive veredarios istos observabitis, qvi currulem vectationem ex una Urbe in aliam, certô preciô, qvod Magistratus constituit, exercent; qvod hominum genus subdolum est & fraudulentum, in advenas præsertim, qvos, moris & rituum ignaros, in petendo precio circumvenire solet, qvos tamen facilè eludere poteritis, si vel hospitem vel comites Vestros in consilium adhibueritis, &, non nisi pactô ab indigenis priùs factô, cum illis contraxeritis. Deinde & illam conditionem semper addetis, ut Vos in Urbem ipsam ad hospitium usqve deferant: Secùs enim ante portam Urbis descendendum Vobis erit, & bajulus aliqvis novô preciô conducendus, qvi sarcinulas Vestras in Urbem transportet, aut diversorium monstret: Id qvod non tantùm in adeunda jam Hollandia, sed etiam pòst, cùm inde per Brabantiam & Flandriam, vel in Angliam, vel in Galliam transmigrabitis, notandum Vobis erit. Porrò ubi Ambstelrodami unum atqve alterum diem ab itinere respiraveritis (sæpius enim posteà Leydâ illuc redeundum Vobis erit) non mari, sed terrâ Leydam contendetis: Ubi Harlemum Urbem, qvæ interjacet, perlustrabitis. Tandem verò, ubi in ipsam Academiam Leydensem, emporium literarum nobilissimum, perventum fuerit, primùm in hospitio eligendo, ad qvod minister Academiæ sive pedellus, pro more solito, officia sua citra moram Vobis offeret, non nimiùm, festinare Vos velim, sed priùs diligenter explorare, qvi & qvot ibi sint Commensales, qvò Vos ille ducere cogitat; ut nimirum exploratis priùs unô atqve alterô, illud posteà eligatis, ubi Germani sunt pauciores: Qvô sic à consvetis comissationibus tutiores sitis. Et svaderem ego, ut de Neræi ædibus inqviratis, qvi natione Gallus, Illustrissimo Principi Mauritio,

ritio, tempore belli, à concionibus eſt. Is enim Vobis non tantùm in perdiſcenda lingva Gallica, ſed etiam in narrandis rebus novis & Politicis, qvarum gnariſſimus eſt, gratus utilisqve erit; cum qvo, meô tempore, egregii aliqvot Juvenes, bene & cum fructu vixêre. Fuit & alius tunc temporis Vir in primis honeſtus & probus, Johann. Conradus Argius, Civis Argentinenſis, in cujus ædibus Norimbergenſes ut plurimum habitârunt, quem & ego per biennium hoſpitem habui, optimum ſanè atqve acceptiſſimum: Sed qui paucis diebus antè, qvàm diſceſſi, diem ſuum obiit, relictâ unicâ filiâ, qvinqvageneriâ, qvæ num hodiéqve convictores habeat, ignoro. De eo tamen, ut & aliis, Burckhardus *Löffelholz* noſter, qui in eadem Academia moratur, certiores Vos faciet, vel etiam pedellus Academicus: Cum qvo tamen, anteqvàm in hoſpitium certum conſentiatis, priùs per unum atqve alterum diem in diverſorio, ut dixi, Vos manere velim, qvò ſic meliùs omnia cognoſcere poſſitis. Ubi verò jam hoſpitium pro voto nacti eritis, Viris doctis familiares Vos fieri è re veſtra erit. Et qvia hodie inter Profeſſores Juris familiam ducit Cornelius Swanenburg, inter Hiſtoricos verò & Politicos Daniel Heinſius, (cui adjunctas haſce Commendatitias cum officioſa ſalute reddetis) & Petrus Cunæus, Viri famâ, virtute & doctrinâ Clariſſimi, cum illis converſari, & ab ore eorum pendere, magnam Vobis utilitatem juxta atqve jucunditatem afferet. Et affirmo Vobis, incerti eritis, majoremne in eis eruditionem an humanitatem admirari debeatis? Neqve enim hîc morem illum, certè ſtultiſſimum, aliorum conterraneorum noſtrorum imitabimini, qvi in exteris locis Viros doctos audire, & familiariùs cum illis converſari, vel turpe putant, vel etiam neſcio qvô ruſticô pudore erubeſcunt; cujus tamen verecundiæ ſuæ, non laudandæ omnino, hunc fructum tandem ferunt, qvòd domum redeuntes, de moribus, ſtatutis & aliis, qvæ apud exteros peculiaria ſunt, certius qvid referre non poſſunt, id qvod de Vobis, Juvenes florentiſſimi, neqvaqvàm præſumitur. Præter illorum verò, qvos dixi, converſationem familiarem, domi qvoqve Magiſtros mutos, hoc eſt, libros adhibere, operæ pretium erit. Et qvia nunc in eo potiſſimùm laborandum eſt, ut cujuſlibet regionis, in qva vivitis, naturam, mores, hiſtorias, ſtatum Reipubl. &c. addiſcatis, auctor Vobis ſum, ut ad generalem cognitionem omnium regionum, ſive Germaniæ, ſive Angliæ, ſive Galliæ, ſive Italiæ &c. Tabulas Geographicas Petri Bertii, Amſtelrodami impreſſas, adhibeatis, quem librum Vobis in omni itinere ad manus eſſe velim. In Hollandia verò, ad ſpecialem ſingularum Urbium cognitionem, Gvicciardini deſcriptionem legetis, diverſis lingvis unà cum Urbium picturis editam. Ad ſtatum Academiæ proderit deſcriptio Academiæ Leydenſis, qvæ diverſis vicibus cum iconibus Scholarcharum & Profeſſorum, prodiit. Ad hiſtoriam verò totius Bataviæ, hodiernæ præſertim (de antiqua enim, ſi lubet, Corn. Tacitum lib. II. Annal. Item, lib. IIII. hiſtor. & lib. de morib. Germ. ut & C. Cæſarem lib. I. & II. de bell. Gall. conſulere poteſtis) facies

Antiqvitates Inferioris Germaniæ, à Petro Scriverio editæ: Libri item Emanuelis Meterani, & Historia de vita & rebus gestis Principis Mauritii, vulgò *Lorbeerkranz*. De bello inter Hispanum & Belgas eleganter & succinctè scripsit Joh. Meursius in libro, cui titulus est: Joh. Meursii rerum Belgicarum lib. IV. De induciis verò Belgicis omnium optimè Dominicus Baudius. Quod verò ad statum Reip. attinet, nemo meliùs Vos docebit qvàm Hugo Grotius in libello, cui titulus est: De antiqvitate Reip. Batavicæ: Qvos duos postremos, Grotium, inqvam, & Baudium, ob singularem eruditionem & prudentiam Civilem eximiam, diligentiùs Vos lectitare svadeo. Sunt præterea & alii libri rarioris eruditionis in Academia ista impressi, illis, qvi ad Remp. nati sunt, apprimè utiles, ut Petri Cunæi de Repub. Hebræorum, Centuriæ duæ illustrium Epistolarum superiori seculò à Belgis & ad Belgas scriptarum; Erasmi vita & Epistolæ selectiores à Scriverio editæ: In quibus multa præclara ad Wilibaldum Pirckheimerum, Senatorem olim Reip. nostræ prudentissimum: Item Cluveri Germania: De qvo auctore, ut & de Scriverio ἐν παρόδῳ sciatis, eos qvidem in numero Professorum non esse, sed alias functiones Literarias scribendo obire, in qvorum familiaritatem, præter supra dictos, ob exqvisitam eruditionem & virtutem præclaram, insinuare Vos facilè poteritis. In perlustranda autem Hollandia, ad Hagam-Comitis, qvæ Cordis instar est, aliqvoties divertetis, ubi Ordines Federati, cum Marte suo Mauritio, sedem atqve curiam habent. Vivit in ea Philibertus quidam du Bois, Pragensis, aliqvot Germaniæ Principum Agens, ut vocant; cujus ope aditus ad rariora Vobis patefiet. Inter Urbes verò ceteras, Enchusam non præteribitis, qvæ in Hollandia Boreali sita est, in qva admiranda illa Paludani visuntur, ad qvem Mercatoris Lamberti *van Twecnhuysen*, qvi ei amicus est, commendatio multum proderit. Verùm de his aliisque rarioribus Gvicciardinus Vos monebit. Atqve hæc de itinere Vestro in Bataviam. Eumdem verò morem in Anglia qvoqve servabitis, ubi si Oxonii morari animus est, Clariss. Heinsius, aut etiam Cluverus, qvi uxorem habet Anglam, amico cuidam Vos commendabit, ad qvod iter præter Tabulas Bertii, qvas supra laudavi, cum fructu adhibebitis primùm Hentzneri Itinerarium, deinde Cambdeni (qvi hodie Vir summus est in Anglia, & unà cum eo Episcopus Eliensis Heinsio familiarissimus, & M. Antonius de Dominis, Episcopus olim Spalatensis, qvi Viri summi omnino salutandi Vobis erunt) Britanniam, in epitomen contractam: Item Thomæ Smidii, qvi Elisabethæ Reginæ à Consiliis fuit, libellum de Republica Anglorum, & Thomæ Wacke, Oratoris Oxoniensis, Regem Platonicum; qvi tamen auctores, ubi illuc perveneritis, comparandi demum erunt.

In Galliam verò aliqvando abeuntes, omnium optimè Vos informabit Jodoci Sinceri (aliàs Justi Zinzerlini) Itinerarium Galliæ, de cujus Regionis historia, statu Reipubl. & aliis aliò tempore plura, si Vobis ita videbitur, lubentissimè communicabo.

Hæc

Hæc interim, & si qvæ sunt alia, qvæ usus docebit, si in Batavia non negligetis, & in reliqvis qvoqve regionibus continuabitis, absqve dubio spem Patriæ de Vobis conceptam adimplebitis. Sic igitur ite pede faustô,

Qvò Vos parentum vota, qvò
virtus favens, Geniiqve flagrans
ardór, & spes vividæ vocant:

Sicqve iter Vestrum, cum ardenti in primis invocatione Numinis Divini, DEI ter Opt. Max. instituite:

—— Ut mens Cœlestis abundet
Dotibus, & tacitô illapsu sapientia crescat
Hic scopus, hunc Vobis, Juvenes, proponite finem,
Qvos inflammat honor.

Neqve de successu dubitate; qvem ut JEHOVA clementissimus gratiâ ac benignitate suâ secundet, qvi Jacobo Patriarchæ inter exteros peregrinanti benedixit, iterum precor atqve voveo. Valete & feliciter redite. Dabam Noribergæ ad d. XXIV. Martii, A.C. cIↄ Iↄc XX.

Vester

GEORG. RICHTER, D.

INDEX.

E.

M.

Pi-

T.

Theo-

In p. 134. v. 18. *pro munerus* lege *numerus*. Ad p. 451. v. 28. post verba *benignè foveat*, adde, Joseph. Scaliger. lib. III. Epist. CCXLV. p. m. 526. *Multa, inqvit, legimus apud Suidam, quæ videbantur in vulgata editione non extare. Sed tu, quantum ex chirographo tuo colligo, ea animadvertisti.* In p. 510. b. v. 7. à fine pro *vecbum* pone *verbum*.

FINIS.

101 146 9143



x LII
E 10